ALPHONSI

TOSTATI

HISPANI,

ABVLENSIS

EPISCOPI,

Philosophi, Theologi, ac Pontificij Iuris Cæsareiq; consultissimi, nec non linguæ Græcæ, & Hebraicæ peritissimi.

OPERVM

TOMI IV. PARS ALTERA.

CONTINENS

COMMENTARIA IN II. PART. NVMEROR.

Nunc primùm in Germania post Venetas impressiones diligentissimè in lucem edita.

PERMISSV *SVPERIORVM.*

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Ioannis Gymnici, & Antonij Hierati.

ANNO M. DC. XIII.

ALPHONSI TOSTATI EPISCOPI ABVLENSIS

COMMENTARIORVM IN LIBRVM NVMERI.

PARS SECVNDA.

CAPVT XX.

A *Mors Maria ſororis Moyſi.*

VEneruntque *filij Iſrael, & omnis multitudo in deſertum Sin, menſe primo, & manſit populus in Cades. Mortuaque eſt ibi Maria, & ſepulta in eodem loco. Cumque indigeret aqua populus, conuenerunt aduerſum Moyſen, & Aaron: & verſi in ſeditionem, dixerunt: Vtinam periſſemus inter fratres noſtros coram Domino. Cur * eduxiſtis Eccleſiam Domini in ſolitudinem, vt & nos, & noſtra iumenta moriamur? Quare nos feciſtis aſcendere de Aegypto, & eduxiſtis in locum iſtum peſſimum, qui ſeri non poteſt, qui nec ficum gignit, nec vineas, nec malogranata, inſuper & aquam non habet ad bibendum? Ingreſſuſque Moyſes, & Aaron, dimiſſa multitudine, in tabernaculum fœderis, corruerunt proni in terram, clamaueruntque ad Dominum, atque dixerunt: Domine Deus audi clamorem huius populi, & aperi eis theſaurum tuum, fontem aquæ viuæ, vt * ſatiati ceſſet murmuratio eorum. Et apparuit gloria Domini ſuper eos. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Tolle virgam, & congrega populum, tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Cumque eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo, & iumenta eius. Tulit igitur Moyſes virgam, quæ erat in conſpectu Domini, ſicut præceperat ei, congregata multitudine ante petram. Dixitque eis: Audite rebelles, & incredduli: num de petra hac vobis aquam poterimus eÿcere? Cumque eleuaſſet Moyſes manum, percutiens virga bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, ita vt populus biberet & iumenta. Dixitque Dominus ad Moyſen & Aaron: Quia non credidiſtis mihi, vt ſanctificaretis me coram filiis Iſrael, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. Hæc eſt aqua cõtradictionis, vbi iurgati ſunt filij Iſrael contra Dominum, & ſanctificatus eſt in eis.*

Murmuratio populi propter aquam

**Adduxiſtis. Exo. 17.*

**Satiatis.*

Exo. 17.

B *Aqua de petra educitur.*

Infr. 21.

C

VEneruntque Supra dictum eſt de purificatione, qua indigebant Iſraelitæ in deſerto, & in terra promiſſionis, hic agitur conſequenter de impedimento ingreſſus in illam propter aquam contradictionis. Sciendum autem, quod non poteſt conuenienter continuari. cap. iſtud ad præcedentia, quia ſuperiora erant de præceptis populi directiuis, iſtud autem de geſtis hiſtoricis.

An ea quæ habentur hic fuerint immediate facta poſt præcedentia de vitula rufa, & de continuatione hiſtoriæ quadraginta annorum, quibus manſerunt Iudæi in deſerto.

QVÆSTIO I.

QVæret aliquis de iſtis, quæ dicuntur hic an fuerint immediate facta poſt datam purificationem in cęremoniis vitulæ rufæ, de quibus præcedenti capitu.

De impedimẽto ingreſſus in terrã promiſſionis propter aquam contradictionis.

Reſpondendum eſt, quod non fuerunt immediata: nam inter purificationem illam, & ea, quæ dicuntur hic, intercideruntanni quaſi trigeſimi noni. Quod patet, quia cæremoniæ de vitula rufa datæ ſunt ſatis breuiter poſt ſacerdotum conſecrationem, vt declaratum eſt præced. cap. fuit autem illa conſecratio in principio ſecundi menſis anni ſecundi ab exitu de Aegypto, vt declaratum eſt Leu. cap. 1. & 8. Iſta autem quæ dicuntur hic fuerunt in principio anni quadrageſimi, vt patet in litera, ſcilicet, quia venerunt in Cades barne, vel Cades deſerti Sin Iſraelitæ menſe primo, quod intelligitur de menſe primo anni quadrageſimi, vt infra declarabitur: intercidit ergo totum ſpatium medium inter primum & quadrageſimum annum.

D

Pro quo ſciendum, quod Iſraelitæ completa conſecratione ſacerdotum, & numeratione populi receſſerũt de deſerto Sinai anno ſecundo ab exitu de Aegypto menſe ſecundo die vigeſimo menſis ſupra ca. 10. inde autem proficiſcebantur directe ad introeundum in terram promiſſionis: & ambulauerunt quaſi per vigintiduas manſiones vſque in Cades barne, quod fuit in fine menſis tertii, vel principio anni quarti prædicti, & cum eſſent ibi in confinibus terræ Chanaan ſolicitauit po-

A

uit populus Moyſen mittere exploratores, quo facta redeuntibus illis poſt quadraginta dies murmurauit totus populus in Cadesbarne & dilatatus fuit ingreſſus vſquequo finirentur quadraginta anni, & morerentur omnes murmuratores, vt patet ſupra c.14. tunc autem iuſſit Deus, vt regrederentur verſus mare rubrum recedendo ab Amalechitis, & Chananæis, quod factũ eſt: Et manſit populus in loco illo apud mare rubrum vſque ad principium anni 40. in quo toto tempore nulla de geſtis eorum infortuniis, aut eufortuniis hiſtoria legitur. Poſtea autem in principio anni 40. cum iam peruenirent ad finem tempus ſententiæ eorum, mota eſt nubes, & veneruntin Cadesbarne; & hoc fuit in menſe primo anni 40. Steterat autem iterum in Cadesbarne anno 2. de exitu de Aegypto, quando murmurauerunt: nunc rurſus ingreſſuri erant & in terã Chanaan per Cadesbarne, ſed impediti ſunt à rege Edom, vt patet infra & ſic continuantur iſtud ca. & 14. quia vſque ad illud deſcripta eſt hiſtoria cuiuſdam partis anni ab exitu de Aegypto. Hic autem incipit deſcribi hiſtoria anni 40. mediis temporibus nullam habentibus hiſtoriam. Fuit autem facta interpoſitio eorum, quæ habentur à ca. 15. vſque huc, quantum ad quædam præcepta, vel geſta quæ in anno 2. ab exitu de Aegypto in monte Sinai contigerunt. Hoc viſo diuidi tur cap. in duas partes, primo ponitur murmuratio, & impedimentum profectionis: ſecundo ſubditur mors Aaron ſacerdotis ibi. *Vbi locutus eſt.* Prima in duas quia primo ponitur impedimentum propter murmurationem: ſecundo propter inſurgentem hoſtem ibi. *Miſit nuncios.* Prima in duas, quia primo ponitur Mariæ obitus: ſecundo aquæ defectus ibi.

Hiſtoria huius capituli continuatur poſt 14. cap in 2. fere annis deſerti nulla hiſtoria ponitur Qui vocantur filii Iſrael, & qui aduenæ.

B

Cumque indigeret aqua. Circa primum. *Venerunt que filij Iſrael, & omnis multitudo.* Vocantur filii Iſrael illi, qui erant Iudæi ex genere ad differentiam conuerſorum vocantur autem conuerſi peregrini, vel aduenæ; & ad includendum iſtos dicitur: omnis multitudo. Nam nomine multitudinis omnes tam Iſraelitæ, quam non Iſraelitę includuntur, qui erant in caſtris. Aſcenderant enim cum Iudæis multi ex Aegypto, qui cõuerſi ſunt ad ritum Iudaicum: & iſti erant extra caſtra Iſraelitarum atq; diſtinguebantur per quatuor vexilla ipſorum, vt declaratum eſt ſupra cap. 2. ideo mota nube non ſolum mouebantur Iſraelitæ, ſed ẽt aduenæ, qui cõprehenduntur nomine multitudinis.

In deſertum Sin. Id eſt, mouerũt caſtra de littore maris rubri vbi ſederant quaſi à medio anni 2. ab exitu de Aegypto vſque ad principium anni 40. & in primo menſe anni huius venerunt in deſertum Sin. Eſt autem iſtud apud terram Chanaam in latere eius meridiano, vt patet infra 34. c. & extẽditur iſtud deſertum à principio lateris orientalis verſus occidentem per magna terrarum ſpatia, vt colligitur eo. ca. & Ioſue 15. vbi ponitur latus meridianum ſortis Iudæ eſſe deſertum Sin; ex quo apparet, quod quando Iſraelitæ ſteterunt in iſto deſerto erant coniuncti terræ Chanaam, & immediate introiſſent in illam, niſi Rex Edom impediuiſſet, vt patet infra.

C

Quotẽpore Iſraelitæ venerunt in Cadesbarne. Iſtemẽſis primo fuit primus de anno 40.

Menſe primo. Hic determinatur tempus, in quo venerunt Iſraelitæ in Cades, ſc. in menſe 1. anni 40. nam inter annum 2. in quo ſteterunt in deſerto iſto, & annum 40. non ponitur aliquid quod egerint. Et dicitur hic, quod erat menſis primus, & nõ ponitur cuius anni: ſed omnes dicunt, quod eſt primus menſis anni 40. Et ratio eſt, quia nunquam fit mentio in aliqua Scriptura de menſe denominando ordinem eius, vtrum ſit 1. vel 2. niſi dicendo annum, cuius ſit menſis. In iſto autem libro non fit mentio, niſi de 1. anno, & de trib. menſib. anni 2. & de anno 40. ergo oportet reduci iſtum primum menſem ad aliquem iſtorum triũ annorum. Non põt intelligi de primo, quia vſq; ad finem huius ſteterunt Iſraelitæ in deſerto Sinai, & ibi finitum eſt Sanctuarium, vt colligitur Exo. 40. c. Nec põt intelligi de 1. menſe anni 2. quia toto illo menſe, & vſq: ad diẽ 40. mẽſis ſecundi ſteterunt Iſraelitæ in deſerto Sinai, & in hac die receſſerunt inde, vt patet ſupr. c. 10. ergo neceſſe eſt iſtum eſſe 1. menſem anni 40. Nã poſt deſertum Sinai quaſi per 22. manſiones venerunt Iſraelitæ in deſertum Sin. Itẽ patet, quia in iſto primo menſe mortua eſt Maria, vt patet in litera, ſed nõ erat mortua in 1. menſe anni 2. cum ſteterit tũc populus Iſrael in deſerto Sinai, & poſtea Maria fuit leproſa in Aſeroth, vt patet ſupra c. 12. & hoc erat poſt ſecũdum menſem anni illius. Item ſatis colligitur hoc, quia in iſto anno mortuus eſt Aarõ, & Moyſes, & dicitur de Aaron, quod mortuus eſt menſe 5. anni 40. infr. 33. c. & tamen mortuus eſt Aaron in alia manſione immediate poſt deſertum Sin, ſc. in monte Hor, vt patet infra: ergo menſis primus, in quo mortua eſt Maria eſt anni 40. de iſto. n. anno numerantur hic plures menſes, ſ. iſte primus, & 5. & 11. in quo locutus eſt Moyſes Deu. totum, & mortuus eſt: de quo Deu. c. 1.

D

Et manſit populus in Cades. Id eſt, manſit Iſrael aliquanto tempore in manſione, quæ dicitur Cades. Aliqui volunt quod iſta Cades ſit alia ab illa, quæ dicitur Cadesbarne, de qua miſſi ſunt exploratores Deut. c. 1. & Ioſu. 14. ratio mouens eſt, quia triginta octo anni tranſierunt inter fixionem caſtrorum ibi, & nunc. Quod patet, quia illud fuit in principio anni 2. hoc aũt in principio anni 40. & dicunt, quod illa vocatur Cadesbarne, hæc aũt ſolum vocatur Cades. Sed ſciendum eſt, quod eadem Cades fuit, vbi murmurauit populus, & vbi mortua eſt Maria. Et patet, quia infr. 33 c. ponuntur oẽs manſiones, & nõ ponitur niſi vna manſio dicta Cades. Patet ẽt conſideranti cõnexionem primi & ſecũdi c. Deu. vbi poſt Cades, de qua miſſi ſunt exploratores immediate ſubiungit hiſtorias, quæ habẽtur in hoc c. Item patet, quia infr. c. 33. ponitur vna mãſio dicta Cades, & poſt illam ſequitur manſio montis Hor, & ita fit hic. Si tamen eſſent plures manſiones dictæ Cades, ponerentur ibi, cum aſſignentur oẽs manſiones Iſraelitarum in deſerto. Item ſupra c 13. dicitur, quod venerunt Iſraelitæ in Cades, & inf. 33. c. dicitur, quod venerunt in Cades, & deinde in montẽ Hor: ergo Cades, de qua habetur ſup. 13. c. eſt eadem cum illa, de qua inf. 33. c. ſed illa, de qua inf. 33. c. eſt eadem cum iſta: ergo illa, de qua ſup. 13. c. & iſta, de qua hic ſunt eadem Cades. Antecedens patet, quoniã ſicut hic ponitur mons Hor poſt Cades ita inf. 33. ca. in deſcriptione manſionum. Et ſi arguatur, quod ad illã Cades, de qua ſupra ca. 13. venerunt Iſraelitæ tertio, vel quarto menſe anni ſecundi, & ad hanc venerũt menſe primo anni 40. ergo videtur nõ eſſe eadem. Reſpondendũ eſt, quod poſtquam in ſecundo anno venerunt in Cadesbarne murmurando, immediate intrauiſſent terram promiſſionis, ſed propter murmurationem reuerſi ſunt retro, & vagati ſunt contra mare rubrum, poſt autem in principio 40. anni reuerſi ſunt in deſertum Sin in Cadesbarne, & ſic intrat litera. Hoc dato patet reſponſio ad motiuum illud primum, ſc. quod illi 38. anni, qui tranſierunt inter fixionem primam caſtrorũ in Cades, & ſecundum fuerũt anni, quibus vagati ſunt in deſerto retrocedentes, & hoc eſt, quod dicitur Deu. c 1. ſc. ſediſtis ergo in Cadesbarne multo tempore, non quod ibi ſemper ſteterunt, quia retroceſſerunt, & poſt ad illam manſionem reuerſi ſunt, ſed ſtetterunt ibi multis diebus, id eſt, multi dies fluxerunt, ex quo attigerunt Iſraelitæ Cades quouſque illam tranſierunt. Et quando dicitur, quod illa vocatur Cadesbarne, iſta vocatur ſolum Cades: dico quod hoc refert, quia eadem nomina, ſiue hominum, ſiue locorum aliquando cum adiunctionibus ponuntur, vt Petrus aliquando ſolum Simon dicitur, vt Mat. 10. cap. aliquando coniunguntur, vt Simon Bariona Matt. 16. ca. & Simon Petrus, vel Simon Ioannes, vt patet Io. 21. cap. Et ſic eſt de Cades: quia aliquando vocatur Cades ſolum & aliquando Cadesbarne, vel Cades deſerti Sin. De iſta Cades dicendũ eſt, quod in latere meridiano terræ Chanaam, vt patet 33. c. & non eſt in principio lateris, ſed incipit ipſum latus meridianum à parte orientali in principio deſerti Sin, & tendens verſus occidentem peruenit in Cadesbarne, vt colligitur eo. cap. eſt etiam iſta Cades in latere meridiano ſortis Iudæ, vt patet Ioſue 25. c. & hoc quia idem latus eſt meridianum totius terræ Chanaam, & ſortis Iudæ.

Cades iſta an ſit alia à Cadesbarne.

E

Mortuaque eſt ibi Maria. Iſta eſt ſoror Moyſi. Et ob hoc ponitur nomen eius ſine aliqua additione, quia conueniebat ei tãquam excellentiori inter alias fœminas totius populi; velut ſi aliquis vocaretur Petrus, vel Ioannes & ipſe eſſet cæteris excellentior, cum diceretur Ioannes abſolute intelligeretur de illo. Erat autem iſta Maria ſoror Moyſi honorabilis in toto populo propter Aaron, & Moyſen fratres eius, quorum vnus erat princeps totius populi, ſcilicet Moyſes, & alius princeps omnium ſacerdotum, & Leuitarum: Moyſes quoque & Aaron nimis venerabantur eam, quia erat antiquior eis: nam Aaron erat maior Moyſe annis tribus Exodi. capitulo ſeptimo, vbi patet cum introierunt ad Pharaonem Moyſes, & Aaron, erat Moyſes octuaginta annorum, & Aaron octuaginta trium. Maria autem vtroque erat antiquior, quia

F

Maria maxime honorabi. tur à fratrib. ſuis & toto populo.

A quia quando Moyſes erat puer trium menſium, & poſitus eſt in carrecto fluminis, Maria ſoror eius obſeruabat à longe, vt videret quid fieret de puero, & cum filia Pharaonis accepiſſet eum de flumine, cucurrit puella, & locuta eſt diſcrete filiæ Pharaonis Exodi capitul. ſecundo, quo tempore neceſſe eſſet Mariam habere plures quam annos decem, & ob hoc venerabantur eam. Etiam cũcti de populo honorabant eam, quia erat prophetiſſa, Exodi capit. decimo quinto, & ipſe accepit tympanum inter omnes mulieres Hebræorum dirigendo eas in cantu, & choro eodem capitu. Vnde quando ipſa incidit in lepram, magnus honor ei fuit exhibitus, quia totus populus expectauit donec Maria rediret in caſtra ſupra capitu. 12.

Quare Maria eſt mortua an tet rrã Chanaan.

De morte autem eius non dicitur hic an Iudæi exhibuerint aliquos honores funeri illius, ſed credendum eſt, quod præſtiterint magnos honores funebres, ſcilicet, in planctu, & aliis apparatibus, & hoc propter cauſas prædictas, ſcilicet, quia prophetiſſa erat, & quia erat ſoror Moyſi, & Aaron principum totius populi: ſic enim in funere Aaron factum eſt, quia planxit pro eo populus diebus triginta, vt patet infra: ſic quoque pro Moyſe factum eſt Deuterono. capitu. vltimo. De Maria autem nihil expreſſum eſt, quia Scriptura non curauit omnia exprimere. Dicitur autem de morte Mariæ, quod ipſa mortua eſt ante ingreſſum terræ Chanaam, quia peccauit murmurando contra Dominum, quando murmurauit contra Moyſen ſupra capitu. duodecimo. Etiam in aliis murmurationibus, quia forte ipſa murmurauit in ſecundo anno exiſtentibus Iſraelitis in Cadesbarne, quando venerunt exploratores: & ſecundum quod volunt Iudæi, & forte non male, dicitur, quod inter eos, qui condemnati ſunt, ne intrarent

B in terram promiſſionis, aliqui magis peccauerunt, & iſti primi mortui ſunt, & duriori morte, qui autem minus poſt omnes mortuus eſt. Maria enim non multum peccauerat, ideo vſque ad quadrageſimum annum mors eius dilatata eſt. Aaron autem minus peccauit, ideo poſt ipſam mortuus eſt menſe quinto anni huius: Moyſes autem minime omnium, ideo poſt omnes in fine quadrageſimi anni in confinibus Iordanis viſa tota illa terra mortuus eſt Deuteronom. capitulo vltimo.

In eodem loco. Scilicet in Cadesbarne ſepulta eſt Maria, quoniam ibi aliquanto tempore manſerunt.

Quode fecit aqua in Cadeſbarne.

Cumque indigeret aqua populus. Hic ponitur ſecundum, ſcilicet, aquæ defectus, qui ſecutus eſt poſt mortem Mariæ: forte enim erant aliqui fontes parui, vel lacus in Cadesbarne, & deſiccati ſunt, cum ibi maneret populus multis diebus. Non enim eſt credendum, quod nulla aqua penitus eſſet in Cades, quia tunc à principio conqueſti fuiſſent Iſraelitæ cum veniſſent in manſionem illam, ſed primo mortua eſt Maria, & poſtea fuit aquæ defectus: ergo aliquot diebus durauit aqua. Idem patet, quia iterum ſteterant Iſraelitæ in Cades anno ſecundo ab exitu de Aegypto, quando murmurauerunt

C venientibus exploratoribus, & tunc non defecit aqua: ſi tamen eſſet penitus locus inaquoſus nõ potuiſſent ibi vnquam manere caſtra.

An propter Mariam Deus dederit Iudæis puteum, & propter Aaron nubem, & propter Moyſen Manna: & an ipſis mortuis ſtatim defecerint iſta tria dona.

QVÆSTIO II.

Tria dona populo Hebræorum data propter tres ſanctos, quibus mortuis defecerũt.

SCiendum quod Hebræi dicunt quod Deus dabat tria dona populo Hebræorum meritis trium ſanctorum fratrum, id eſt, Moyſi, Aaron, & Mariæ: propter Mariam enim præcedebat eos puteus vbicunque ſtarent, ideo mortua ipſa deficit, & murmurauit populus pro aqua ſecundum donum erat nubes præcedens populum, & tegens caſtra, vt ipſi volunt, & hoc erat meritis Aaron: ideo mortuo ipſo dicunt ceſſaſſe nubem. Tertium donum erat Manna, & hoc erat meritis Moyſi, ideo mortuo eo ceſſauit. Sed iſta nullum habent fundamentum, ſatis enim parent falſa. Nam non ſolum conquerebantur Iſraelitæ hic de Cadesbarne, vbi erant poſt mortem Mariæ, ſed de toto deſerto dicentes, quod non habebat aquas nec poterat ſeri, nec gignere ficus, & malogranata: ergo non ſolum hic, ſed etiam ante mortem Mariæ conquerun-

D tur de fuiſſe aquam. Item viuente Maria poſt tranſitum maris rubri ambulauerunt diebus tribus non habentes aquas, vt patet Exod. cap. 15. & poſt venerunt in Elim, vbi erant 12. fontes, vt dicitur Exod. 16. capit. ſed quia erat ibi modica aqua ad bibendum populus inde receſſit. Si autem puteus præceſſiſſet eos abundanter ſemper aquas habuiſſent, quia quæ miraculoſe fiunt completius fiunt, quam quæ à natura fiunt, vt patet de aqua conuerſa in vinum à Chriſto, quia tunc dixit architriclinus, quod illud vinum erat optimum, vt patet Ioan. cap. 2. Item defecit aqua in Raphidim, vbi Moyſes de petra eduxit aquas Exod. 17. capit. Non ergo præcedebat puteus tempore Mariæ. Secundum etiam quod dicunt de nube deficiente poſt mortem Aaron falſum eſt: nam filii Iſrael mouebant tentoria cum nubes mouebatur, & ipſa manente figebant caſtra. Et ſi multo tempore maneret, ipſi quoque manebant, & ſi pauco tempore ſtetiſſet, immediate etiam recedebant, vt patet ſupra c 9. ſed poſt mortem Aaron fuerunt manſiones multæ, vt colligitur infra 33. c. nam ipſe mortuus eſt in monte Hor, vt patet hic, & eodem capit. ſed à monte Hor vſq; ad Iordanem multæ manſiones ſunt: ergo pro omnibus illis durauit nubes.

An mortuo Aaron defecit nubes.

Motiuum autem Iudæorum eſt, quia poſt mortem Aaron nihil reperiunt dictum de nube, ſed hoc modo ita dicere deberent, quod ante mortem Mariæ defuit nubes, id eſt, ante medietatem anni ſecundi ab exitu de Aegypto: nam ſteterunt in Cadesbarne prima vice ante medium anni ſecundi, vt declaratum eſt ſupra capitu. decimotertio, & tamen poſt locum illum nunquam facta eſt mentio de nube, quod patet, quia tota hiſtoria intermediorum annorum ſubticetur: & tunc dicent quaſi annum dimidium duraſſe nubem, & 38. annis, &

E dimidio non præceſſiſſe, quod abſurdum eſt. Item falſum eſt hoc, quia toto tempore, quo Iſraelitæ fuerunt in deſerto præceſſit eos nubes Exodi decimotertio capitu. cum dicitur: Dominus autem præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux eſſet itineris vtroque tempore nunquam defuit columna nubes per diem, nec columna ignis per noctem coram populo: ergo toto tempore, quo Iſraelitæ in deſerto fuerunt, habuerunt nubem etiam poſt mortem Aaron. Durauit autem iſta nubes vſque ad tranſitum Iordanis, qua ceſſante ibidem fecit Ioſue, vt præcederet arca populum per duo millia paſſuum vt patet Ioſue capitu. 3. & ſic dirigebatur populus in via, nec erat conueniens vltra Iſraelitis manere, vt ibidem declaratum eſt. Tertium quod dicunt de Moyſe, ſcilicet quod mortem eius ceſſauit Manna, falſum eſt. Nam poſt mortem illius pluſquam per duos menſes Manna apud Iſraelitas fuit vſque quo inceperunt comedere de fructibus terræ Chanaã: Moyſes enim mortuus fuit circa principium menſis 11. anni 40. vt colligitur Deuteronom. cap. 1. iuncto eo, quod dictum eſt Ioſue cap. 1. ſed poſtea durauit Manna toto illo menſe 11. & 12 & in principio anni 41. vſque ad diem 15. menſis primi: tunc enim celebrantibus Iudæis Phaſe, & comedentibus azymos panes de frũctibus terræ ceſſauit Manna, vt patet Ioſue capit. 5. falſum ergo eſt quod dicunt. Sed etiam mouentur ad hoc, quia non reperiunt mentionem factam de Manna poſt mortem Moyſi: ſed adhuc non eſt hoc verum, quia ſi legiſſent librum Ioſue reperiſſent. Dicendum eſt ergo de aquæ defectu in Cadesbarne, quod non fuerit, quia Maria mortua eſt, & ceſſauit puteus ſed quia fontes, aut lacus deſiccati ſunt. *Conuenerunt ad Moyſen, & Aaron.* Id eſt, coniuncti ſunt ad petendum aquam à Moyſe, & Aaron, & hoc quia iſti erant principes populi, & ab eis petebant ſubleuationem in omnibus neceſſitatibus, vel congregati ſunt contra Moyſen & Aaron, vt murmurarent contra eos: ita enim factum eſt, vt patet immediate in litera. Alia litera habet coierunt aduerſus Moyſen: & idem ſenſus eſt, quia coire, & conuenire idem ſignificant. *Et verſi in ſeditionem dixerunt.* Id eſt, iſti non ſolum petebant releuationem inopiæ ſuæ ſicut egentes, ſed magis animum pugnandi habebant contra Moyſen, & ob hoc faciebant ſeditionem: eſt enim ſeditio bellum, vel diſcordia inter ciues: ſic enim ait Grego. in Homilia: Bella quippe ad hoſtes pertinẽt, ſeditiones ad ciues. Et iſti erant quaſi vna ciuitas, quia vocabantur vnus populus: ideo diſcordia eorum ſeditio vocatur. *Vtinam periſſemus inter fratres noſtros coram Domino.* Iſta eſt mur

Nubes quamdiu durauit.

An poſt mortẽ Moyſi ceſſauit ſtatim Mãna.

F

Homil. 35.

A *Murmuratio, & desperatio grauis Israelitarum contra Moysen & Aaron propter defectum aquæ.*

murmuratio, & desperatio grauis: voluissent enim potius à multis temporibus decessisse, quam nũc in his aquarum defectibus superuiuere, sed hoc erat cor ignobile: poterant enim præsumere, quod sicut alias eis sitientibus Deus aquas præbuerat, ita & nunc præbere posset, sed infideles erant Domino, & muliebria corda gestantes dicunt se voluisse mori inter fratres suos, id est, inter alios, qui perierunt de eisdem tribubus, & cognationibus. Multi enim de Iudæis perierant vsque ad tempus istud, cum in isto anno 40. omnes murmuratores finire debebant.

Coram Domino. Id est, coram altari holocaustorum, vbi consumpti sunt igne 250. viri supra capit. 16. & sic Nadab, & Abiu, mortui sunt coram Domino, quando offerebant ignem alienum coram Domino: Leu. 10. capit. & 16. & ita isti voluissent mori, quasi dicat, præelegissent mortem illam, quæ erat satis amara, quam in his angustiis superuiuere, Vel dicitur coram Domino, id est, coram Domino percutiente; quia quando Dominus pœnas infligit ibi præsens esse dicitur, vt infligens. Et isto modo potest referri ad illos, qui mortui sunt in igne propter laborem itineris, vel petitionem carnium supra cap. 11. vel ad Dathan, & Abiron, aut ad totam multitudinem, quæ post eos incendio vastabatur: supra capitu. decimosexto. Vel ad illos, qui à Chananæis & Amalechitis mortui sunt, & sic isti volebant mori. Similiter enim murmurauerunt iterum

B cum fuerunt in hac mansione post aduentum exploratorum dicentes. Vtinam mortui essemus in Aegypto, & non in hac vasta solitudine: vtinam pereamus, & non inducat nos Dominus in terram istam, supra cap. 14. *Cur eduxisti Ecclesiam Domini in solitudinem?* Conqueruntur hic de malo regimine Moysi, & Aaron: non enim intelligebant Iudæi, quod Moyses, & Aaron directe faciebant eis ista mala, aut volebant, sed quod propter eorum indiscretionem veniebant, scilicet quod ipsi debuissent præcogitare an terra deserti esset, in qua possent viuere Iudæi, & non curauerunt, sed induxerunt eos in solitudinem, vbi nec potum, nec cibum sufficienter habent: ideo erat culpa rectorum populi. Sed male accusabant Iudæi Moysen, & Aaron, quia ipsi non eduxerant multitudinem Israelitarum in desertum, sed Deus eduxerat præcedens in columna nubis. & ignis, & ducens, quo vellet: ideo in Deum retorquendum erat hoc. Et sic magis murmurabant Israelitæ contra Deum, quam contra Moysen, & Aaron: quamquam verba dirigantur in istos. Sic patet Exo. 16. capit. scilicet, Non enim contra nos, sed contra Deum est murmuratio vestra: nos enim quid sumus? Dicitur hic educere Ecclesiam, id est, educere multitudinem, vel congregationem: retorquent autem isti in Moysen, & Aaron culpam, quia ipsi erant medii inter populum, & Deum. *Vt & nos & nostra iumenta moriamur.* Id est, fecistis nos exire in solitudinem ad hoc, vt moriamur. Non tenetur hic, vt, tanquam significans causam finalem, sed solum consecutionem: nam non intelligebant Israelitæ, quod ad hunc finem eduxissent eos Moyses, & Aaron, vt morerentur, quia tunc eis morientibus etiam Moyses, & Aaron morerentur, sed significat hic, vt, consecutionem, scilicet eduxistis nos in solitudinem, & ex hoc nihil sequitur nisi mors nostra, & iumentorum nostrorum. *Quare nos fecisti ascendere de Aegypto?* Eadem conquestio est. Volebant enim Iudæi magis

C viuere in Aegypto, quam in deserto: immo magis volebant mori in Aegypto, quam viuere in deserto: sic dixerunt supra cap. 14. scilicet vtinam mortui essemus in Aegypto, & non in Aegypto, & non in hac vasta solitudine. Et hoc quia in Aegypto abundabant cibis: hic autem deficiebant: maluissent autem mori in illa abundantia, quã viuere in hac egestate: Exo. ca. 16. scilicet vtinam mortui essemus in Aegypto, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem nostrum in saturitate. Sed in hoc errant miseri, quia in Aegypto premebantur durissima seruitute: hic autem erant liberi. Quælibet autem conditio libertatis quantumcunque aspera melior est statu quocunque seruitutis. *Et ad duxisti in montem istum pessimum.* Non vocatur hic mons locus ille, in quo erant Hebræi, quando ista dixerunt, sed totum desertum, per quod ambulauerant. erant enim totum sine arboribus, & raræ aquę ibi reperiebantur, sed erat vasta solitudo: & ideo vocauerunt montem, id est, terram montuosam. Dicitur etiam mons pessimus, quia aliæ terræ montuosæ sunt, sed fructiferæ: ista autem omni bono carebat ad commoda vitæ humanæ, vt patet in litera. *Qui nec ficum quidem gignit.* Id est, etiam in terra ista non possunt gigni ficus, quasi dicat, non solum ea, quæ maiora sunt, & specialiora non gignuntur hic, sed ficus, quæ sunt arbores communes non gignebantur in deserto illo. *Nec vinea, nec malogranata.* Id est, etiam non sunt vineæ in terra ista, nec esse possunt, vt patet ex dispositione terræ. Idem de malogranatis. Nominantur autem ista tria, qui sunt communiora, & deberent esse in omnibus terris, quæ habent aliquid vbertatis, vel mediocritatis in fructibus. Abundabant autem in Aegypto ista, & forte propter hoc nominauerunt. *Qui seri non potest.* Id est, etiam ista terra non potest suscipere semen, & gignere quidquam, iste autem erat maior defectus: nam panis est fundamentum vitæ: ideo vbi deficiat, quamquam cætera abundent, nihil illa abundantia valere creditur.

D

Desertum Iudæorum quomodo hodie appelletur.

QVÆSTIO III.

Loca ab antiquo in habitabilia facta sunt habitabilia &

E *è contra propter varietatem aspectꝰ cœli.*

ERat autem terra ista multum sicca, & totaliter carens habitatoribus. nunc autem habitata est, & vocatur Arabia, & hoc propter aspectum cœli secundum suam figurationem, & motum octauæ spheræ: vnde aliqua loca ab antiquo fuerunt opulentissima, nunc autem arida valde, vt patet de terra promissionis, quæ vocabatur tempore Abraham, & Isaac terra fluens lacte, & melle: nunc autem misera est. Sic autem Arabia tempore illo propter siccitatem immoderatam inhabitabilis erat: nunc autem & à multis retro temporibus habitabilis effecta est. Sic aliquando terræ quę à mari distabant nunc mari vicinæ sunt, vt patet in Gadib. Herculis in ciuitate quadam in extremitate Hispaniæ apud principium freti Athlantici, quæ à principio fuerunt distantes à mari aliqualiter cum Hercules eas fecit, nunc autem intra mare sunt, ita vt vix videantur, quia mutatio facta est in accessu maris ex tempore, quo Hercules fixit Gades. Vnde Ouidius de istis naturalibus transmutationibus Metam. 15. ait.

Parum ante mediũ.

Vidi ego, quod fuerat quondam solidissima tellus.
Esse fretum: vidi factas ex æquore terras:
Et procul à pelago conchæ iacuere marinæ:
Et vetus inuenta est in montibus anchora summis.

Si mũdus duraret magno tempore oporteret totam terram operiri mari.

Vnde si mundus multum duraret, necesse esset istam terram, quam nos habitamus aquis tegi, & partem oppositam, quam nunc mare possidet, reuelari atque fieri habitabilem. Et si secundum Philosophorum positionem mundus esset æternus, necesse esset locum istum, in quo nos sumus infinitis vicibus fuisse mari coopertum, quia in qualibet perfecta circulatione octauæ sphęræ, hoc necesse erat contingere, de quibus secundum hypothesim infinitæ transissent. Fuit etiam terra Arabiæ facta habitabilis post transitum Israelitarum per illam. Nam prius defectu aquarum habitari non poterat, transeuntibus autem Israelitis percussit Moyses in Raphidim lapidem, vt fluerent aquæ Exod. 17. capit. Egressa sunt autem fluenta largissima, quæ manent vsque in hodiernum diem, & totam terram illam irrigant: vnde & postea habitabilis facta est, vt patet in libro de situ terræ sanctæ.

F

Insuper & aquam non habet ad bibendum. Iste erat notabilis defectus, nec potest esse maior in aliqua terra: facilius enim sine pane quam sine aqua viuitur: panis enim aliunde afferri potest, aqua autem si in loco de sit, vita nulla esse potest, quia nihil communius aqua est. Et ex hoc insurgebant omnes defectus terræ illius, quia aqua est principium materiale omniũ plantatiuorum.

Ingressusque Moyses & Aaron. Posito supra aquæ defectu agitur hic de diuino succursu, & quia populus clamabat ex defectu aquarum recurrerunt Moyses, & Aaron ad Dominum, vt daret eis aquas, & ad hoc introierunt in tabernaculum deprecaturi, quia ibi specialius Deus erat.

Dimissa multitudine ante tabernaculum fœderis. Id est, multitudo populi conuenerat ad Moysen, & Aaron petitura aquas ipsi autem nihil respondentes ingressi sunt ad Dominum inquisituri super hoc. & dimiserunt multitudinem ante tabernaculũ, quia ad locum illũ conuenerat multitudo contra Moysen, & Aaron: nam isti castrametabantur in circuitu Sanctuarii cũ cæteris Leuitis, & in parte orientali ad ostiũ atrii: vt patet supr.

A

cap.3.illuc autem conuenit multitudo locutura Moysi, & introierunt in atrium tabernaculi, quia ibi fieri solebat conciliũ supra cap.10.Moyses autem & Aaron audita petitione dimiserunt populum in atrio ante ostiũ tabernaculi, & ipsi ingressi sunt in tabernaculum ad orandum. *Corruerunt proni in terram.*Hoc fuit ad petendum humiliter, vt Deus exaudiret. *Clamauerunt q, ad Dominum.* Dicuntur clamauisse non ex magnitudine vocis, sed ex magnitudine desiderij: tantum enim hoc desiderabant, & affectuose orabant,quod videbantur emittere clamores validos.*Atque dixerunt: Domine Deus audi clamorem huius populi.* Ista oratio non habetur in Hebræo, sed translator noster scripsit ex antiquis trãslationibus. Et hoc rationabiliter,appositum est: nam litera dicit hic, quod clamauerunt,& dixerunt: & hoc etiam habetur in Hebræo.Oportet ergo,quod aliquid clamauerint, & dixerint. Hoc autem quamquam non exprimatur quid sit, tamen secundum subiectam materiam cognosci potest, & quia petebat populus aquam cum clamore,verisimile erat,quod Moyses orasset:Domine exaudi clamorem populi, &c. Audire clamorem est, quod populi vocibus acquiescat: nam aliter nec Deus audit, nec audire proderat: nam si audiret, & non faceret,ita esset, ac si non audiret,sed in his semper accipitur audire pro exaudire.*Et aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ viuæ.* Ista metaphora est:petebat enim Moyses,quod Deus faceret exire de viscericus terræ aquarum fluenta, quæ prius non erumpebant,& hoc est aperire,tanquam aqua illa esset clausa prius in viscericus terræ, & vocatur illa aqua thesaurus Dei, quia omnia, quæ sunt,Dei sunt: illa autem, quæ manifesta sunt ad vsus humanos proficiunt, & sunt velut iam tradita hominib. à Deo, quæ autem latent dicuntur esse in thesauris Dei, & sic de mineralibus, & venis atramentorum, & de abyssis aquarum intra viscera terræ:omnia hæc in thesauris Dei sunt, & similis modus aliquando est in sacra Scriptura Psalmor.32. Congregans sicut in vtre aquas maris, & ponens in thesauris abyssos.

Hierõ. fuit diuinus interpres.

B

Fontem aquæ viuæ. Vocatur aqua viuens,quæ fluit & habet principium suæ originis:sic est in fontibus, & fluuiis: dicitur hoc ad signandam abundãtiam,quia si aliquis fons à Deo fieret,ille sufficeret populo,quia continue flueret:si autem mõstraretur aliqua lacus non habens principiũ suæ originis tanta multitudo populi cito absorbuisset illam, quia erant quasi innumerabiles & pecora multa. *Vt satiati cesset murmuratio eorum.*Id est,vt satiati sint per istas aquas, & tunc non murmurarent: nam si Deus daret eis aquas miraculose,& nõ in sufficientia,adhuc nõ tolleretur murmuratio.*Et apparuit gloria Domini super eos.*Hoc fuit in signum, quod acceptabat orationes eorum,& fuit ista gloria fulgur nubis existentis super tabernaculum:nam quamquam semper fulgeret, tamen ibi magis monstratus est fulgor.& hoc sæpe fiebat,sicut cum voluit totus populus lapidare Iosue, & Caleb apparuit gloria Domini

C

super tectum fœderis supra ca.14. & cum Chore, & socij sui, & postea fere totus populus versi essent in seditionem,Moyses,& Aaron fugerunt in tabernaculum fœderis, & apparuit ibi gloria Domini super tabernaculum, & cessauit populus à persecutione supra cap.16.& adhuc factum est hic etiam propter causam supra assignatam: nam populus versus erat in seditionem.*Locutusque est Dominus ad Moysen.* Cum enim essent orando Aaron,& Moyses,respondit Dominus illis,& dicitur locutus fuisse Moysi,quia licet ambo orarent,tamen Moyses erat excellentior. Dicet aliquis, quod locutus est ad vtrunq;, scriptura tamen facit mentionem,quod locutus fuerit ad solum Moysen. Sed non stat, quia infra ponitur locutio Dei, ex qua clare patet, quod fuit ad solum Moysen, cum dicitur: tu & Aaron frater tuus loquimini ad petram. Simile habetur supra 16.cap. vbi Moyses, & Aaron coram Domino se prostrauerunt, & tamen locutus est Dominus ad Moysen. *Tolle virgam.*Ista erat virga Moysi data ad operationem miraculorũ, & quamquam non dicatur hic, quæ virga fuerit intelligendũ est esse illam,qua solebat Moyses talia operari, & ista erat virga,qua diuisit mare rubrum,& postea percussit petrã in Raphidim,& fluxerunt aquæ Exod.17.cap.

Qua virga Moyses percussit petram.

Aliqui autem volũt,quod fuerit virga Aaron, quæ floruit, de qua patet supra capit.17. sed non conuenit, quia illa virga solum fuit,vt ponetur in signũ filiorum Israel rebellium eodem capitul.ideo non proficiebat ad operationem miraculorum:virga autem,qua mare rubrum apertum est, & effluxerunt aquæ in Rapbidim,erat ad istud ministerium magis cõueniens ideo cum dicatur vniuersaliter de virga,de ista intelligendum est.*Et congrega populum tu,& Aaron frater tuus.*Id est, isti duo debebant conuocare totam multitudinem ad videndum miraculum de fluxu aquarum de petra. *Et loquimini ad petram.* Quid autem loqui deberent ad petram non est in litera,sed creditur,quod deberent dicere: Petra dicitur tibi in nomine Dei nostri viui, quod des aquas nobis, & diuidaris. Fuit autem locutio ad petram non quidem tanquam petra aliquid intelligeret eorum, quæ dicebantur, sed vt manifestaretur populo gloria Dei, scilicet, quod prolato nomine eius super petram immediate diuidebatur, ex hoc etiam cognosceretur,quod fiebant ista virtute Dei,& non operatione naturæ:posset enim aliquis intelligere,quod lapis erat naturaliter dispositus ad effundẽdum aquas,scilicet,quia intra ipsum erant, & non poterat immediate prodire propter duriciem lapidis:sed modificato lapide paulisper fluerent.Cum autem prolatum est nomen Domini super lapidem, & immediate fluxerunt aquæ,satis apparebat illas non naturaliter,sed iussu Dei prodiisse.*Coram eis.* Id est, tota multitudo conueniat ad lapidem, & eis præsentibus percutite lapidem, & proferte verba. Hoc fiebat,quia si forte Moyses, & Aaron totum populum duxissent ad aliquem lacum magnum, vel fontem,vbi ante aduentum ipsorum videretur aqua, non crederent illud esse à Deo factum,sed quod aqua ibi præexisteret. Cum autem duxerunt eos ad lapidem, de quo nulla aqua fluebat, & eis videntibus prolato nomine Domini cœperunt aquæ fluere abundanter, satis apparebat esse à Deo. Etiam non venerunt Moyses, & Aaron ad lapidem antequam veniret totus populus,ne diceretur,quod ipsi fecerant prius aliquid magicum circa lapidem, & nunc operatione dæmonum fluebant aquæ,sed iuerunt simul cum populo immediate percutiẽtes lapidem,& loquentes:ergo non erat verisimile,quod aliquid magicum intercidisset, hoc autem Deus valde cauebat ne opera sua talia essent,vt dæmonum,vel magorum artibus effici posse viderentur.

D

E

Et ipsa dabit aquas. Id est immediate, vt percusseritis lapidem,dabit aquas, quia fient in ea aperturæ per quas exeant aquæ.

An aquæ,quæ fluxerunt de petra præexistebant ibi, vel Deus eas nouiter creauit.

QVÆSTIO IV.

DE istis aquis aliquis dubitaret an ibi erant ante, & non poterant exire,vel an Deus eas nouiter creauerit.Dicet aliquis, quod si dicamus aquas istas præextitisse in lapide, quod tolleretur miraculum. Respondendum est, quod vtroque modo miraculum esset. Nam si aquæ non essent ibi, & Deus illas crearet atque fluere faceret, miraculum manifestum erat: si autem aquæ ibi essent causatæ, & Deus illas faceret exire, miraculum erat: nam non essent illæ aquæ in corde lapidis: non enim poterant intra vnum lapidem tot aquæ contineri,vt satiarentur tot millia hominum,& iumẽtorum, & pecorum,sed necesse erat,quod intra aliquas magnas concauitates terræ essent.

F

Cum ergo illæ per lapidem fluerent necesse erat, vt aperiretur magnus hiatus in lapide, & hoc miraculum erat, quia fiebat opere diuino cum percussio lapidis facta à Moyse non sufficeret ad hoc.

Sed dicendum est,quod istæ aquæ causatæ in petra nõ fuerunt modo naturali,sed opere Dei: nam si fuissent causatæ opere naturali, non potuisset tanta multitudo aquarum teneri, quin flueret per aliquam rupturam terræ: nam immediate, vt percussit Moyses, exierunt, aquæ in magna copia.

Sic etiam dicendum est de aquis fluentibus de petra Raphidim, quia illæ causatæ sunt modo supernaturali, scilicet Deo creante illas ibi: fuit tamen differentia quædam inter aquas illas,& istas, quia aquæ quæ erant in Raphidim manserunt semper, & vsque hodie illis vallis illa rigatur. aquæ autem in Cades barne non manserunt, sed solum fuerunt tandiu, quandiu ibi manserunt Iudæi ad eorum potum. De

A

aquis autem,quæ sunt in Raphidim, quod manserint vsque hodie patet in libro de situ terræ sanctæ. Sed non est dicendū ob hoc,quod semper continuetur diuinum miraculum, sed taliter fuit dispositus locus in Raphidim, quod poterant ibi postea gigni aqua naturaliter,& sic mansit.

Cumque eduxeris aquam de petra bibit omnis multitudo. Id est, tanta erit multitudo aquarum, quod sufficiet toti populo, & iumentis & non solum suffecit pro illa vice, sed quandiu mānserunt ibi Israelitæ. In Raphidim autem non solum quandiu manserunt ibi,sed etiam postquam recesserunt, fluxerunt aquæ,quia Deus supernaturaliter causauit locum naturalem aquarum,sed fluxus quotidianus aquarum de lapide illo non est supernaturalis, quia iam ibi naturaliter generantur cum sit locus dispositus ad hoc: sic est de omnib. rebus à Deo cōditis: creauit enim illas supernaturaliter, sed ipsæ naturaliter operantur. *Et iumenta.* Id est, sufficiet pro hominibus,& pro iumentis:nomine iumentorum accipiuntur hic pecora,& omnia animalia Hebræorum.

Tulit ergo Moyses virgam,quæ erat in conspectu Domini. Id est virga,qua Moyses aperuerat mare rubrū, erat in conspectu Domini & hanc iussit ei tollere ad percutiendum petram.

Ex hoc aliqui arguunt dicentes, quod fuerit virga Aaron, quæ floruit,& hanc iussit Deus tolli,de qua supra c.17.

B

Sed dicendum est,quod ista erat virga Moysi, & erat in cōspectu Domini,sicut virga Aaron,quamquam non specialiter dicatur de ista virga,sicut de virga Aaron,quæ iussa est poni in custodiam pro futuris generationibus,& cōseruata fuit in arca,vt patet ad Hebr.9.c. custodiebatur autem virga Moysi in conspectu Domini, scil.intra tabernaculum, quamquam non esset in arca fœderis.

Virga Moysi erat in conspectu Dei sicut illa Aarō

Sicut præceperat ei. Quia dixerat Deus, quod tolleret virgā, & non refertur hoc ad clausulam immediatam, scilicet,quod ista virga erat in conspectu Domini, quia tunc esset sensus, quod tulit virgam de conspectu Domini,quam Deus iusserat poni in conspectu suo. Et tunc referretur hoc ad virgam Aaron,de qua hoc iussum fuit, sed refertur ista clausula ad illam clausulam tulit virgam solum. Et tunc est sensus, quod tulit virgam,sicut præceperat Dominus,id est,Dominus iusserat, vt tolleret virgam & tulit. Quod autem illa esset in conspectu Domini,vel non, nihil ad hoc referebat.

Et congregata omni multitudine ante petram. Fecit sicut Dominus dixerat,congregando omnes, vt audirent verba eorū, & viderent fluere aquas.

Dixit eis. Iste erat Moyses. Quamquam enim vtriq; iussum esset,vt congregarent multitudinem, & quod loquerētur ad petram,quia tamen non poterant ambo simul loqui conuenienter,locutus fuit Moyses, qui erat dignior, & magis consueuerat loqui ad plebem: fuit tamen locutus nomine vtriusque,& patet infra,scilicet,nunquid de petra hac vobis aquam poterimus elicere?

C

Audite rebelles,& increduli. Israelitæ enim viderant multa signa Dei, quis eis in similibus prouiderat: nam cum essent aquæ amaræ in Mara Deus fecit illas conuerti in dulcorem, & cum nullæ aquæ essent in Raphidim Deus fecit de petra exire, quibus, & aliis multis Iudæi deberent confidere de immensa bonitate Dei,& non dubitare de omnipotentia illius: ideo quamquam aliquando essent in periculis, quia sciebant Deum esse omnipotentem,debebant credere se posse liberari,& quia experti fuerant eius immensam clementiam, debebant confidere,quod non deficeret eis in necessitatibus suis. Et ob hoc si aliquando non immediate prouideret illis in necessitatibus, debebant æquanimiter tolerare expectātes certissimam prouisionem. Accidebat autem in illis è contrario, quia quidam non credebāt Deum posse illis prouidere, quāquam aliquando vidissent contrarium. Sic dixerunt illi,de quibus Psalm. septuagesimoseptimo. Nunquid poterit Deus parare mensam populo suo in deserto? Alij autem quamquam crederent Deum posse prouidere, dubitabant tamen,an prouideret:& isti diffidebant immensæ bonitati Dei: ex quo sequebatur disperatio, ita vt aliquando dicerent: vtinam mortui essemus in Aegypto,&c. Exodi cap. decimoseptimo. Vel, Vtinam pereamus,& non ducat nos Dominus in terram istā supra capitu. decimoquarto. Cōtra istos loquitur Moyses vocans eos incredulos & rebelles: incredulos autem, quia quidam eorum non credebant Dei omnipotentiam: rebelles vero,quia licet cognoscerent eam, repugnabant contra Dominum diffidentes immensæ bonitati eius: vel vocantur increduli,quia non credebant etiam sine aliqua experientia. Vocantur rebelles,id est, pertinaces, quia cum semel habuissent experientiam de omnipotentia Dei, & bonitate, non debebant amplius dubitare.

Quare Iudæi dicatur increduli.

D

Nunquid de petra hac poterimus vobis aquas eijcere. Loquitur Moyses in persona sua,& Aarō,quia ambo ad hoc missi sunt, vt patet supra,& est sensus,quasi dicat,nos non possemus virtute nostra educere aquam de lapide, quare ergo contra nos murmuratis? Vel aliter,quod sit istud verbum dubium,& exponibile ad omnem euentum,vt si dicentibus Moyse, & Aaron verbum istud fluerent aquæ intelligeretur. Nunquid de petra hac poterimus vobis aquam eiicere?id est,vos increduli,& rebelles putabatis,quod non possemus vobis educere aquam de lapide, sed educere potuimus. Si autem non fluerēt aquæ,intelligeretur: Nunquid de petra &c. id est, nunquid nos poterimus vobis aquas eiicere de petra? quasi dicat,non: quia incredulitas facit,vel demeretur,ne vobis aquæ dentur. Sed magis videtur, quod Moyses confisus diuinæ potentiæ, qui præceperat aquam dari, firmiter credebat, quod aquæ de petra fluerent: sed prius populum nimis incredulum increpuit,dicens: Nunquid de petra hac poterimus vobis aquas eiicere? id est, nunquid non poterimus? quasi dicat,sic: & tamen vos non credebatis, quia si credidissetis, non deberetis repugnare,sed humiliter petiuissetis aquas vobis dari. *Cumq; eleuasset Moyses manum,percussit virga bis silicem.* Id est, cum astitisset tota multitudo Moysi eleuauit manum cunctis videntibus,& percussit manum bis. Quare autem bis percussit nō apparet aliqua causa,nec videtur fuisse præceptum Moysi,sed voluit:in quibusdam enim sola voluntas est causa,vel forte ad primam percussionem non fluxerunt aquæ de petra,ideo addidit secundam.

E

Quare bis percussit petram.

Quare percussit Moyses petrā

Sed sciendum,quod isti non habebant aliquam efficaciam ex se ad hoc opus,quia non erant ictus ita fortes,quod etiamsi aqua ibi esset,rumperetur lapis ex illis,& fluerent, sed fiebāt ad demonstrationem, quod aquæ illæ prodibant opere Dei: sic erat in Aegypto,quia iubebat Deus, quod Moyses extenderet palmas suas, vel virgam, quam tenebat manu contra aliquam partem mundi, & in illa veniebant plagæ, vt patet Exodi capitu. octauo,& nono,& decimo. Si autem extendisset manus, aut virgam contra aliquam partem determinate non crederetur,vel non ita appareret illud à Deo peruenisse, & sic factum est de percussione, quia forte erant multi lapides vbi loquebatur ista Moyses, & si non tetigisset aliquem eorum nesciretur ad quem loquebatur, vel forte si erat vnicus, & non tetigisset Moyses illum proflueret aqua per aliquam partem, quam non respicerent Hebræi: cum autem percusso lapide exiuit aqua, fluxit per partem illam, quam Moyses percussit,in quo fuit magis manifesta certitudo diuini miraculi.

Egressæ sunt aquæ largissimæ. Id est, in magna abundantia:nihil enim Deo magis est paucas quam multas aquas in lapide creare. *Ita,vt populus biberet,& iumenta.* Id est,tanta fuit aquarū multitudo, quod suffecit pro toto populo,& pro iumentis ipsorum. hoc enim Iudæi petebant: fuerant enim conquesti, quod peribant ipsi,& iumenta eorum siti.

Dixit Dominus ad Moysen,& Aaron. Hic ponitur pœna Moysi,& Aaron peccantibus: nam, vt infra dicitur peccauerunt Moyses,& Aaron ad aquas,quia non sanctificauerunt Dominum,pro quo datum est eis in pœnam, ne introirent in terram Chanaam.

Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me. Hic ponitur peccatum quod fuit causa pœnæ Moysi, & Aaron, scil. quia non crediderūt Domino,vt sanctificarent ipsum coram filiis Israel, id est, non fecerunt quod ipse iusserat sanctificando eum coram Israelitis.

An peccatum Moysi,& Aaron fuerit, quia increpuerunt Israelitas, vel quia bis percusserunt lapidem,vel quia percusserunt alium præter quem Deus iusserat,vel quia nihil locuti sunt ad petram.

QVÆSTIO V.

AMultis dubitabatur quomodo peccauerint hic Moyses,& Aaron,quia propter hoc peccatum non ingressi

sunt

A

sunt terram promissionis, vt patet hic, & infra 27. ca. & Deut. cap. 3. & 32.

Respondeo, quod peccatum fuit, quia non sanctificauerũt nomen eius coram filiis Israel, scilicet, dando ei laudem pro hac operatione miraculosa, sed quomodo fuit ista non sanctificatio, non plene patet.

Prima opinio. Aliqui Hebræi dicunt, quod peccatum fuit Moysi, & Aaron, quia vocauerunt populum incredulum, & rebellem, in quo dehonorabant totum Israel, vt patet in litera.

Sed falsum est, quia si peccassent non replicuisset verba similia Moyses, sed replicauit Deut. c. 1. vbi vocauit incredulos, & rebelles. Idem Deut. ca. 9. sed ibi non legitur peccasse. Item patet falsum ex litera, quia dicitur istos peccasse, quia non sanctificauerunt Dominum, sed increpare Israelitas non erat nõ sanctificare Dominum.

Secũda opin. Alii dicunt, quod nõ sanctificatio fuit, quia Dominus mãdauerat ei percutere lapidem solum semel, ipsi autem ex incredulitate percusserunt bis, vt patet in litera.

Sed ista positio non tenet: non enim apparet quod Deus iusserit solum semel percuti lapidem. Item quia si fuisset peccatum, Moyses peccasset, & Aaron nequaquam, cum Moyses solum percusserit, vt patet supra, Aaron tamen peccauit, sicut Moyses, & grauius, quia de eo dicitur, quod fuit incredulus ori Domini, vt patet infra, de Moyse autem solo nõ dicitur, quod fuit incredulus, vt patet infra 27. & Deuteronom. cap. 3. & 32.

B

Item quia dicitur, quod non sanctificauerunt coram filiis Israel Dominum: non sanctificare aũt est priuatio, vel defect⁹: percutere autem bis est actus positiuus: ideo non consistit in hoc non sanctificatio: potissimum, quia filij Israel non scirẽt, an Deus iussisset semel, vel bis lapidem percuti, ideo quotiescunq; percuterent lapidem, si egrederentur aquæ non diceretur Deus non sanctificatus.

Tertia opin. Alij dicunt, quod Dominus iusserat percuti vnum lapidẽ determinate, & popul⁹ petiit ab alio lapide dari aquas: Moyses autem & Aaron dubitauerunt tunc percutere lapidem, quia non credebant posse extrahere aquam de illo lapide, & isti legunt literam sub dubio. Nunquid de petra hac &c. quasi dicat, de alio lapide, de quo Deus mandauit possemus educere aquam, sed de hoc ignoramus, ideo dixit litera: de petra hac.

Sed ista positio satis apparet fictitia: nam quid populo magis referebat, q̃ daretur ei aqua de vno lapide, vel de alio, cũ solum peteret abundantiam aquarum? potissimum cum sciret, quod Deus iusserat educi aquam de alio lapide?

Item tunc non fuisset peccatum Moysi, & Aaron in hoc, quod dubitauerunt, an possent educere aquam de lapide, de quo populus petebat, sed magis, quia fecerunt contra formã præcepti: erat enim obseruanda diuina iussio per omnia, ideo si de lapide determinato iussisset aquas educi, nullatenus debuissent Moyses, & Aaron percutere alium lapidem etiamsi totus populus suaderet.

C

Quarta opi. Rab. Moses Hispanus dixit, quod error fuit Moysi, & Aaron in hoc, quod quædam miraculorum fiunt sola voce, vt quãdo Helias orauit, & venit ignis de cœlo super sacrificium suum 3. Regum, cap. decimooctauo. Vel quando eo rogante descendit ignis de cœlo super duos quinquagenarios, 4. Regum, capit. primo. Aliquando fiũt miracula in sola operatione sine aliquo verbo, sicut in conuersione virgę Moysi in draconem ex sola eiectione in terrã sine verbis, vt habetur Exod. capitu. septimo, & in suscitatione cuiusdam mortui, quem cum quidam sepelirent in sepulchro Elisei Prophetæ timore latrunculorum superuenientium, subito vt cadauer illius tetigit ossa Elisei reuixit homo, & stetit super pedes suos. 4. Regum. c. 13. alia miracula fiunt in voce, & operatione, vt in dulcoratione aquæ, quam fecit Eliseus misso sale in aquam præmissis quibusdam verbis, vt patet. 4. Reg. ca. 2. Moyses autem debebat hoc signum operatione, & locutione perficere, quia dixerat Dominus, Loquimini ad petram. ipse aut percussit, nihil locutus petræ. Ista positio habet aliquid propinquum veritatis, sed non est penitus vera, qu a tunc solus Moyses videretur peccare, qui percussit, & percutiendo tenebatur loqui.

Miracula diuersimode operata

Quinta opin. Determina. Auctoris. Alij enim volunt, quod peccauerunt, quia deuiauerunt à forma mandati Dei: mandauerat enim, quod loquerentur ad petram, ipsi autem relicto hoc incœperunt increpare multitudinem. Ista positio magis consonat veritati quam omnes præcedentes, & debet ex poni litera. *Quia non credidistis mihi.* i. non credidistis, vt faceretis sicut ego mandaueram. Nõ accipitur hic proprie credere, quia credere est de aliquo quod affirmatur, vel negatur, sed hic solum iubebatur aliquid in talib. vero non est veritas, aut falsitas, & consequenter nec credere nec discredere: sed accipitur credere pro assentire, & sic est sensus, quod non crediderunt Domino Moyses, & Aaron, id est, nõ assenserunt ei facientes quod iusserat. *Vt sanctificaretis me corã filiis Israel.* Id est, vt faceretis nomen meum laudabile coram populo in effusione aquarum: in hoc enim consistit peccatũ Moysi, & Aaron: Deus enim iusserat, quod loquerentur isti ad petram coram multitudine, & petra daret aquas, & tunc totus populus laudaret Dominum: ad hoc autem Moyses, & Aaron debuerant venire ad petram, & nihil loquentes cõtra multitudinem dicere lapidi: Petra tibi dicitur ex parte Dei, q̃ diuidaris, & nobis abundanter aquas tribuas. Tunc populus videns tantum miraculum laudasset Dominũ. Sed quia Moyses, & Aaron, vt venerunt incœperunt obiurgari contra multitudinem, & increpare eam vocando incredulos, & rebelles, ideo multitudo turbata animo ex dura reprehensione etiam videns miraculum non laudauit Dominũ, & hoc fuit ex culpa Moysi, & Aaron, qui prius debuerant multitudinem per miraculum ad Dei laudem mouere: deinde obiurgationibus castigare, sed magna incredulitate, & rebellione populi non potuit zelum excedentem continere quin prius obiurgatus fuisset, & sic populus fuit causa peccati Moysi, & ita conqueritur ipse Deuter. cap. 1. scilicet nec miranda Domini indignatio in populum, cum mihi quoque iratus Dominus propter vos dixerit, non ingredieris illuc &c. Et cap. 3. Iratus est Dominus mihi propter vos nec exaudiuit me. In hoc autem simul peccauerunt Moyses, & Aaron: nam vterque eorum zelo magno motus increpuit multitudinem priusquam loquerẽtur ad petram. Non fuit autem peccatum istorum magnũ: quia quamquam errauerint omittendo ordinem miraculi ad laudem Dei: tamen fecerunt ex zelo Dei, scilicet increpantes incredulos, & rebelles contra Dominum. nec aliquo modo peccauerunt increpando, sed quia prius debuissent mouere eos ad laudem Dei per miraculum, & cum dicit Deus. nõ credidistis mihi. Non est sensus, quod aliquo modo Moyses, & Aaron non crediderint verbo Domini, vel dubitauerint saltem leuiter, quin potius ipsi firmiter assentiẽtes increpuerũt populum de incredulitate. Si aũt ipsi dubitassent non increpuissent multitudinem, quia adhuc essent incerti de euentu rei huius. Et si dubitantib. eis postea non euenisset, essent valde despectibiles coram multitudine, cum ipsi increpuissent multitudinem de incredulitate ipsi magis increduli existẽtes. *Non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Istud fuit datum in pœnam pro transgressione mandati: fuit autẽ ista pœna inæqualis in Moyse, & Aaron: nam Moyses vixit vsque ad mensem 11. anni eiusdem, & vidit totam terram promissionis licet non transierint Iordanem Deut. 34. cap. Aaron autẽ non vidit aliquam partem terræ promissionis, nec introiuit in eã, quoniam sepultus est in monte Hor, qui est apud terram Edom, vt patet, infra etiam Aaron solum vixit post hæc tribus mensibus, aut parum plus, fuit etiam mortuus in principio mensis quinti anni 40. infra 32. c. nunc autem erat mensis primus, & forte iam fluxerat: nam quando venerunt Israelitæ in Cades erat mensis primus, vt patet supra. Deinde mortua est Maria, post hæc fuit factum miraculum de eductione aquarum, quod non patet an fuerit in primo mense, vel post: ideo quomodocunque sit satis breue fuit tempus vitæ Aaron post istud.

D

In quo cõsistit peccatũ Moysi, et Aarõ ad aquas cõtradictionis.

E

Pœna Moysi, & Aaron in qualis.

F

Quomodo fuit pœna Moysi, & Aaron non introducere populum in terram promissionis, cum transirent immediate de hoc sæculo ad Dominum.

QVÆSTIO VI.

QVæret aliquis quomodo fuerit pœnalitas Moysi, & Aaron non introducere populos in terra Chanaan: hoc enim in pœnam datur.

Opin. quorũdam. Respondebit aliquis, quod fuit dedecus ipsorum toto tẽpore esse duces populi, & in extremo cum populus habi-

turus

turus esset perfectionem suam introeũdo in terram promissam, non introduxerunt eum.

Sed non stat ista positio: nam si Moyses, & Aaron superuixissent, & traderetur alij ducatus populi in ingressu terrę promissionis, esset magnum dedecus, sed isti non superuixerunt, & post mortem eorum ducatus aliis traditus est: ideo non fuit dedecus.

Secũda opin.

Aliquis forte dicet, quod fuit infortunium: nam cum aliquis diu laborauit ad alicuius rei assecutionem, & cum fuerit in extremo adepturus finem suum, si caruerit intentio fine, infortunatus dicitur: sic enim tam vulgares quam philosophi vocant.

Infortunatus, quis vere dicatur secundũ veritatem.

Respondendum est, quod si quis proponat aliquod bonũ sibi fruibile, pro quo diu laborans in assecutione deficiat, infortunatus est, viris tamẽ sanctis nullum bonum fruibile est, nisi Deus: quocunque enim alio fruamur error est: ideo licet Moyses, & Aaron desiderauerint introire in terram Chanaã, quia tamen non proponebant sibi habitationem terræ illius tamquam bonum fruibile, non erant infortunati deficientes optato. Isti autem siue de vulgaribus, siue de philosophis, qui aliquos hic infortunatos faciunt, bona fruibilia hic ponunt: nam vulgares in bonis, quæ videntur, scilicet delectationib. diuitiarum abundantia, honore, & potentia, & similibus bonum suum constituunt iuxta Aristo. 1. Ethic. ideo licet ista nõ sint vera bona, nec habent aliquam particulam verorum bonorum, vt declarat Aristo. ibidem. Quia tamen summa bona videntur esse popularibus, cum pro eis diu laborauerint, si non assequantur, infortunati sunt, hoc quidem nõ ad rerum naturam, sed ad eorum opinionem referendum est: infortuniores enim nec parum sunt isti insensati populares inquãtum à verorũ bonorum assecutione deficiunt, sed in hoc ipsi se miseros non arbitrantur cum ista bona esse non iudicent. Philosophi autem licet non in temporalibus, quæ videntur, bonum humanum constituant, dicunt tamen esse in virtute. Cum ergo aliquis ab hac defecerit eum infortunatum vocãt. Diuitiæ autem & exteriora bona, licet secundum eos non sit fœlicitas, nec pars fœlicitatis, quia tamen sunt, vt organa fœlicitatis velut condecoratiuum, vt patet 1. Ethic. homines aliqualiter infortunati dicuntur, si his bonis caruerint postquã ea semel possederint, quos calamitosos vocamus, id est, à statu suo cadentes: nec tamen prorsus infortunatos, aut infœlices vocant: sed in his potius refulget virtus, vt patet 1. Ethi. Nos autem aliter cõstituimus fruibile bonum, scilicet ipsum Deum: ideo siquis ab assecutione diuinæ visionis defecerit, potissimum si aliquãdo conatus est, vt eam haberet, infœlix, vel infortunatus vere dicitur: Moyses ergo, & Aaron nõ fuerunt infortunati, quamquam terra promissionis caruerint, quia non caruerunt bono fruibili quod expectabant. Dicendum ergo est, quod Moyses, & Aaron habuerunt pœnalitatem non introeundo in terram Chanaam, & fuit in duobus. Primo, quia termini vitæ ipsorum diminuti sunt: si enim introituri essent in terram Chanaam, necesse erat, vt plus viuerent, cum introitus iste fuerit post mortem ipsorum: diminui autem terminos vitæ pœnale est, cum nihil delectabilius sit, quam viuere, quia viuere secundum Aristo. 2. de anima, viuẽtibus est esse: sed non est maxima perfectio: ergo qui caret vita, omnibus perfectionibus caret, scilicet ipsa vita, quæ perfectio maxima est, & omnibus aliis, quæ fundantur in esse, non entibus enim nulla perfectio aut imperfectio inest. Fuit præter hoc pœnalitas, quia priuati sunt Moyses, & Aaron quodã gaudio, scilicet possessione, & visione terræ promissionis, dixerat enim Deus illam terram esse optimam fluentem lacte, & melle, & tamdiu eam concupierant, scilicet 40. annis quibus per desertum gradiebantur. Nunc autem in extremo cũ eam visuri sunt, visione priuati sunt: ergo quædã tristitia pœnalis in eis fuit. Patet hoc, nam priuatio gaudii apprehensi de futuro tristitia est, apprehendebant autem Moyses, & Aaron se breuiter intraturos in terram Chanaan, quod ergo postea fraudati fuerint hoc desiderio, tristitia erat. Item patet hoc ex eo quod fecit Deus Moysi: nam cum precaretur, quod introduceret eum in terram Chanaam, respondit Deus, quod non introiret illuc, & tamen, quod ascenderet in montem, & inde demonstraretur ei tota terra Chanaam Deuter. ca. 3. & 32. si tamen non fuisset aliquod gaudium in vidẽdo illam magis quam non videndo, non dixisset Deus Moysi, quod ascenderet in montem ad videndum terram, quia frustratorium hoc esset, & tunc si gaudiosum erat videre à lõge terram Chanaã, gaudiosius esset eam possidere: sed Moyses, & Aaron priuati sunt hoc gaudio, quod erat in possidendo: ergo pœna fuit ei, & Aaron non introducendo populum.

Cap. 4.

An visio terræ Chanaã eẽt delectabilis Moysi, & q̃ habebat pœnam in duobus non intrãdo

Tex. 36

Quomodo potuit esse tristabile Moysi, & Aarõ carere ista visione, cum immediate transirent ad aliam vitam: & an si transissent immediate ad vitam æternam esset eis pœna ista tristitia.

QVÆSTIO VII.

SEd tunc quæret aliquis quomodo potuit esse pœna istis, quia transierunt de hoc sæculo ad futurum, quod gaudiosius erat, quam possidere terram Chanaam. Respondendum est, quod priuabantur aliquo bono dupliciter. Primo, quia citius inducebantur in pœnam: secundo, quia aliquis dolor vel tristitia in eis causatur. De primo est sciendum, quod si Moyses, & Aaron immediate, vt mortui sunt transissent ad vitam æternam, posset dici, quod haberent aliquod gaudium, quod corresponderet gaudio quod habituri erant, si viuerent, & in comparatione illius priuari gaudio quod in vita habituri essent non esset pœna, & tamen non habituri erant immediate vitam æternam, quia ante Christi passionem ianua Paradisi nulli aperta est, sed ibant iusti ad lymbum, qui vocatur sinus Abrahæ, & ibi quamquam non experirentur aliquam pœnalitatem sensitiuam, tamen habebant pœnam damni, cũ essent priuati visione diuina, quam iam habere possent. Quãto autem aliquis tardius iret ad lymbum patrum gaudiosius videbatur, quod pauciori tempore experiretur pœnam illã, quam qui prius ibat. Secundo isti habebant pœnalitatem, quia desiderabant introire in terram Chanaã, quod ergo priuarentur ista re desiderata, tristabile erat, quamquam habituri essent gaudium post mortem, ideo dato, quod Moyses, & Aaron immediate, vt mortui sunt, habituri essent vitam æternam, pœnalitas eis erat, quia non tollebatur, quin ipsi eo tẽpore, quo viuerent tristarentur pro desperatione desideratæ rei. Et cum dicitur, quod post mortem in vita æterna habituri essent maiora gaudia, verum est, & tamen gaudia illa non sunt similia eis, quæ hic habemus, quia ista sunt gaudia hominis, siue compositi: illa autem sunt gaudia animarum, & sicut differt status hominum à statu animarum: ita gaudium hominis à gaudiis animarum, ideo necesse est, vt isti sic morientes nũquam possent habere istud gaudium de possessione terræ Chanaan, qua hic priuabantur. De hoc latius dictum est Deuter. cap. 3. cum agebatur de pœna Moysi, quia non introibant in terram vltra Iordanem. *Non introducetis istos populos in terram, quam dabo eis.* Vocat Iudæos populos quamquã essent vnus popul⁹ per aggregationem, & vnitatis principis, & legum propter esse in magna multitudine, ita quod ex eis possent effici multi populi. vel quia erant 12. tribus, & quælibet habebat vnum principem, & erat distincta ab aliis ita, vt possent vocari. 12. populi. Cum autem dicitur hic: Non introducetis in terram Chanaan, quam dabo eis. potest accipi illa coniunctio copulatim, scilicet, quod ambo simul non introducerent populus Iudæorum in terram promissionis: nam Aaron nõ introiuit in illam, nec vidit eam. Moyses autem introiuit in partem eius, licet non in totam, ideo verum est, quod non introduxerunt ambo populos in terram promissam. Alio modo intelligitur copulatiue, scilicet, quod nõ introduxit populos istos in terram promissam, nec Aaron illos introduxit.

In q. 1. & vide quia

pulchre loquitur.

An Moyses introiuit in terram promissionis, & an terra duarum tribuum, & dimidiæ esset pars terræ promissionis, vel adiuncta illi per accidens.

QVÆSTIO VIII.

ETHic dicunt aliqui, quod Moyses & Aaron non introierunt in terram promissionis. Sed dicendum est esse falsum: nam Moyses introiuit in terram promissionis, quia introiuit in terrã duorum regũ Amorrhæorum, q̃ postea possessa est à duabus tribubus, & dimidia Israelitarum infra 32. c. & Deut.

De hoc scripsit latius auctor.

A

& Deuter.3.cap.3.ſed illa terra erat promiſſa Iſraelitis: ergo Moyſes introiuit in terram promiſſionis: ipſe enim acquiſiuit illam terram,& occidit duos reges eius Ioſue ca.12. quod autem ſit illa terra promiſſa Iſraelitis, patet quia Deꝰ promiſit ſeptem populos Iſrael, ſcil. Chananæos, Amorrhæos,Iebuſæos,&c.Deuteron.ca.7. ſed terra duorum regum, quam acquiſiuit Moyſes, erat terra Amorrhęorum,cum iſti duo reges vocentur Amorrhæi Ioſue 12.ca.& Deuteron.cap.3.ergo erat illa terra promiſſa.

Ioſ.1.c. 9.17.et 19.

Poterit autem aliquis dicere,quod non erat iſta terra promiſſa Iudæis, quamquam eſſet terra Amorrhæorum, quia non fuerat iſta terra à principio pertinens ad populos Amorrhæos:ſed poſtea reges Amorrhæi acquiſierunt illam de manu aliarum gentium ideo non cadebat iſta ſub promiſſione. Et patet hoc, quia rex Sehon, qui erat vnus de iſtis duobus regibus Amorrhæis acquiſiuit ciuitatem Heſebon,&multas alias de manu Moabitarum, vt patet ſeq. cap. Acquiſiuit etiã magnam partem de regno Ammonitarum, vt colligitur Ioſue capit.13.ſic ergo poterat eſſe de tota terra, quam poſſidebant iſti duo reges Amorrhæi, quod non pertineret à principio ad terram Amorrhæorum, & ſic non caderet ſub promiſſione. Reſpondendum eſt, quod in prima promiſſione facta Abrahæ expreſſa fuit iſta terra duorum regum Amorrhæorum.nam Gen. 15.cap.ponitur terra Raphaim, id eſt gigãtum.ſed iſta eſt terra Og,qui fuit de reliquiis Raphaim Ioſue c.12.& terra eius Baſan erat antiquitus terra gigãtum, qui vocabantur Raphaim Deutero.cap.3. ergo illa erat promiſſa Iudæis. Item patet,quia Raphaim, quorum terra promiſſa eſt Iudæis habitauerunt in Aſtaroth tempore Abrahæ, cum ibi fuerit pugna contra eos Gen.14.capit.ſed Aſtaroth erat ciuitas vnius de iſtis duobus regibus Amorrhæis, ſcilicet regis Og.Deuteron.capi.3.& Ioſue 12. ergo promiſſa fuit terra iſta Iudæis.Item tota terra duodecim tribuum Iſrael vocatur terra promiſſionis:ſed in terra duorum regum Amorrhæorum habitauerunt duæ tribus,& dimidia Iſraelitarum Deuteron. cap.3.& Ioſue ca.13.ergo illa erat pars terræ promiſſionis, ſed in illam introiuit Moyſes, ergo non poteſt dici quin introiuerit in terram promiſſionis : Aaron autem nequaquam, quia non acceſſit ad terram Iordanis, nec etiam ad terrã duorum regum Amorrhæorum,quæ erat ante iſtam. Item appareret, quia de omnibus murmuratoribus Deus ſententiauit, quod non introirent in terram promiſſionis ſupra cap.14.ſed de illis factum eſt,quod morerentur omnes ante torrentem Zareth Deute.c.2.vbi Deus fecit, quod non tranſirent Iſraelitæ torrentẽ,donec morerentur omnes impii,quo facto iuſſit Deus,vt tranſirent : ergo videtur, quod apud torrentem Zareth erat terra promiſſionis,ſed apud illum torrentem incipiebat terra duorum regum Amorrhæorum, vt colligitur Deutero.cap.2.ergo illa vocatur terra promiſſionis. Cum ergo aliquis dixerit,quod Moyſes non introiuerit in terram promiſſionis intelligendum eſt,quod nõ introiuit in totam : ſed in aliquam partem eius.Et cum arguitur de eo,quod habetur Deut.32.cap.ſcilicet videbis eam,& non ingredieris in illam, quam ego dabo filiis Iſrael. Reſpondendum eſt,quod intelligitur de terra illa, quæ nondum capta erat, cum dicatur: quam dabo filiis Iſrael, & iſta erat terra poſt Iordanem, in quam non introiuerunt Aaron, & Moyſes, & ſimiliter ſunt intelligenda alia loca ſcripturæ, quæ hoc dicunt. Eſt tamen verum,quod non introiuit Moyſes in terram Chanaan. Differt enim terra Chanaan à terra promiſſionis tanquam pars à toto, quia ſolum computatur terra Chanaan illa, quæ eſt poſt Iordanem ad occidentalem plagam eius, vt patet infra 34.capit.vbi ponuntur termini terræ Chanaan, & tamen ſolum ſunt termini terræ illius, quæ eſt poſt Iordanem. Idem declaratum eſt Ioſue 14.hoc modo ſolum ponũtur 9. tribus, & dimidia in terra Chanaan: duæ autem tribus, & dimidia, quæ receperunt poſſeſſionem ad orientalẽ plagam Iordanis, non receperunt eam in terra Chanaan:ſed bene in terra promiſſionis.Communiter tamen loquẽtes non curant facere differentiam in his vocibus,ideo negant introiſſe Moyſen in terram Chanaan,& in terrã promiſſionis: ſed alterum eſt falſum.Dicitur autem hic in terram, quã dabo eis, quia nondũ dederat Deus Iſraelitis aliquã partem terræ,ſed poſtea dedit, & non accipitur hic terra,quæ dãda erat ſicut Deut.c.32. quia ibi ſolũ accipitur pro terra 9.tribuum, & dimidiæ, quæ tunc danda reſtabat.Hic tamen terra duarum tribuum,&dimidię: quam 9.& dimidia intelligitur neutra earum erat danda. *Hæc eſt autem aqua contradictionis vbi iurgati ſunt filij Iſrael contra Dominum.*Id eſt iſta aqua Cadesbarne vocatur aqua cõtradictionis,quia ibi repugnauit populus Iſrael Deo, cum murmuraſſent propter aquas deficientes, & iſtud murmurare eſt cõtra dicere:nam bonitati diuinæ repugnat,qui ei diffidit,& ſic fecerunt Iſraelitæ murmurantes. Aliquis autem intelliget hic per filios Iſrael Moyſen,& Aaron,quia iſti peccauerunt ad aquas contradictionis,vt ſupradicitur. Sed dicendũ eſt, quod ſolum intelliguntur Iſraelitæ,qui murmurauerunt, quia q̃quam Moyſes, & Aaron dicantur large contradixiſſe Deo, quia non crediderunt ei,vt ſupra dicitur, ſc. quia nõ credidiſtis mihi,vt ſanctificaretis me: tamen proprie contradictio ad Deum fuit in populo: ſic patet infra 27.c. ſc. quia offendiſtis me in deſerto Sin in cõtradictione multitudinis,nec ſanctificare me voluiſtis.Et tunc ſequitur: Hæ ſunt aquæ cõtradictionis in Cades deſerti Sin.ergo ad populum refertur cõtradictio. *Et ſanctificatus es in eis.*Id eſt Deus apparuit ſanctus, vel laudabilis,inter Iſraelitas, quia demonſtrauit eis magnitudinem ſuam miraculoſe educendo aquas de petra. Aliqui referunt hoc ad Moyſen,& Aaron,ſcil.quod ſanctificatus eſt Deus in illis ideſt apparuit ſanctus,vel iuſtus, ſc. quod Iſraelitæ videntes Moyſen ſanctum virum propter tam paruum peccatum condemnari,ne introiret in terram promiſſionis, quanto magis faceret Deus eis,qui magni peccatores erant? Et dicitur Deus ſanctificari quandocunq; de Deo demõſtratur aliqua magna perfectio,vt quia omnipotens eſt,ſicut deducendo aquã de petra,vel ſumme iuſtus,vt puniendo Moyſen,vel clementiſſimus conferendo quædam beneficia,&ſic de aliis attributis, vel perfectionibus diuinis. Sed primus ſenſus melior eſt.

B

Vide de hoc latius Ioſ 1.c

C

Quõ differat terra Chanaan à terra promiſſiõis

D

Quare dicãtur aquæ contradictionis.

E

Miſit interea nuncios Moyſes de Cades ad regem Edõ, qui dicerent:Hæc mandat frater tuus Iſrael: Noſti omnẽ laborem,qui apprehendit nos,quomodo deſcenderint patres noſtri in Aegyptum, & habitauerimus ibi multo tẽpore afflixerintq; nos Aegyptij, & patres noſtros, & quomodo clamauerimus ad Dominũ, & exaudierit nos, miſeritque Angelum,qui eduxerit nos de Aegypto. Ecce in vrbe Cades,quæ eſt in extremis finibus tuis, poſiti, obſecramus,vt nobis tranſire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros,nec per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis,ſed gradiemur via publica, nec ad dextram, nec ad ſiniſtram declinantes,donec tranſeamus terminos tuos.Cui reſpondit Edom: Non pertranſibis per me. Alioquin armatus occurram tibi. Dixeruntq; filij Iſrael: Per tritam gradiemur viam,& ſi biberimus aquas tuas nos, & pecora noſtra,dabimus quod iuſtum eſt: nulla erit in precio difficultas,tantum velociter trãſeamus. At ille reſpondit. Non tranſibitis.Statimq; egreſſus eſt obuius,cum infinita multitudine,& manu forti,nec voluit acquieſcere deprecanti, vt concederet tranſitum per fines ſuos. Quamobrem diuertit ab eo Iſrael.

Legatio Iſrael ad Edõ.

F

Miſit interea. Hic ponitur de impedimento itineris propter hoſtem inſurgentem:& fuerunt multiplices hoſtes,ſcilicet Idumæi,Chananæi,Moabitæ,& Madianitæ. De primis habetur hic:de ſecundis ſeq.c. De tertiis, & quartis infra 22. c.*Miſit interea nuncios Moyſes.*Id eſt dum fiebant iſta, quæ dicta ſunt,miſit Moyſes nuncios ad regem Edom, & ſic implicantur hic hiſtoriæ, ſcilic. quod dum accideret mors Mariæ, & murmuratio pro deficiente aqua miſſi ſunt nuncii, & hoc, quia cum Iſraelitæ venerunt in Cadeſbarne erant in termino terræ promiſſionis, quia Cadeſbarne ponitur in latere meridiano terræ Chanaã infra 34.c. & Ioſue 15. ad hoc tamẽ, quod tranſirent in terram Chanaan neceſſario tranſitus erat per quandam partem terræ Edom,cũ dicatur infra vrbs Cadeſbarne eſſe terræ Edom,& apud iſtam conſiſtebãt Iſraelitæ cum miſerunt nuncios ad regem Edom,ſed ipſe non conſenſit,vt trãſirent per terram eius,vt patet infra ideo dilatatus eſt ingreſſus Iſraelitarum in terra Chanaan, cum circundederũt totam terrã Seir,quæ eſt terra Edom. & in hoc mo-

A

rati ſunt diebus multis Deuter.cap.2.ſcil. circuiuimus montem Seir longo tempore. *De Cades ad regem Edom.* Id eſt Iſraelitæ erant in Cades, & inde miſerunt nuncios ad regem Edom: eſt enim Cadeſbarne quædam pars deſerti, in qua eſt vna de ciuitatibus terræ Edom, & ibi extremitas terræ Edom, vt patet infra. Iudæi autem illud accedentes non auſi ſunt introire in terram Edom, non petita licẽtia à rege, vel forte fecerunt hoc, quia Deus iuſſerat, ne pugnarent cõtra Idumęos Deut.c.2. Sed hoc magis videtur referri ad alterum tempus, ſcilic. poſtquam rex Edom recuſauit dare introitum, & coacti ſunt Iudæi circuire montem Seir, tunc enim forte tranſierũt per aliquam partem terræ Edom, & emerunt cibos ab Idumeis, de quo Deut. c.2. *Hæc mãdat tibi frater tuus Iſrael.* Iſta verba erant nunciorum Iſraelitarum ad regem Idumæorum, vbi ponitur totus Iſrael tanquam vnus homo, & vocãtur fratres, eo quod iſti duo populi deriuabantur à duob. fratribus, ſcil. Idumæi ab Eſau, & Iſraelitæ à Iacob. Vocabatur autem Eſau tribus modis, ſcil. Eſau, Edom, & Seir: ideo terra filiorum Eſau vocatur terra Edom, vel terra Idumææ, & vocatur quędã pars illius terræ mons Seir: ſic patet Deuter. ca.2. ſcilicet circuiuimus montem Seir. Iacob autem vocabatur Iſrael Gen. ca.32. ideo Iſraelitæ mittebant ad populum Idumæorum tãquam ad fratrem ſuum. Et dicitur: hæc mandat tibi frater tuꝰ Iſrael, id eſt, iſta mittit tibi ad dicendum, & non accipitur mãdare pro imperare, quia Iſraelitæ exorabant hic, & non iubebant, quia dicitur infra obſecramus, vt nobis tranſire liceat p terram tuam. Item patet, quia hic Iſraelitæ incipiunt perſuadere Idumæis, mouendo eos ad compaſſionem commemoratione laborum ſuorum: ad iubentem autem non pertinet talis ſuaſio: & iſto modo accipitur aliquando in Scriptura Gẽ. 45. cum dicitur: Hæc mandat Ioſeph filius tuus, & iſta verba diriguntur ad Iacob patrem ſuum: ſed manifeſtum eſt, quod non iuberet aliquid Ioſeph patri ſuo: ſed accipitur mandare id eſt, mittere ad dicendum Ioſeph filius tuus, & iſte modus loquendi eſt apud quaſdam gentes. *Noſti omnem laborem, qu. apprehendit nos.* Volunt concludere Iſraelitæ, quod rex Edom permitteret eos tranſire per terram ſuam, & vt facilius eum inclinarent vtuntur ſuaſione Rhetorica mouendo ad miſericordiam, & hoc commemorando labores ſuos. Dixerunt autem, quod noti erant Idumęis labores, qui apprehenderẽt Iudæos, quia terra Idumæorum non erat multum diſtans à terra Aegypti, in qua ſuſtinuerant Iſraelitæ labores: etiam in deſerto laborauerant: ideo poterant cognoſcere labores eorum. Etiam erant multum famoſi labores Iudæorum, quia erant magni, ideo ab omnibus gentibus conuicinis cognoſcebantur. *Quomodo deſcenderunt patres noſtri in Aegyptum.* Incipit numerare Scriptura labores maximos Hebræorum, ſcil. quos paſſi ſunt in Aegyptum. Nam licet in terra Chanaã, & Meſopotamiæ Iacob pater eorum peregrinatus fuiſſet, & Laban aduerſaretur ei: tamen illi labores non exprimuntur hic, quia illi erant parui collati ad labores, quos ſuſtinuerunt in Aegypto. Etiam, quia ille erat labor vnius perſonæ, ſc. Iacob: in Aegypto autem erant labores vnius populi: iſti tamen labores peregrinationis in terra Chanaam, & Meſopotamię enarrabantur ab Iſraelitis quando deferebãt oblationes quaſdam coram Domino in Cartallo, referentes gratias pro omnibus malis, à quibus Deus eos liberauerat: & incipiebant enarrare à perſecutione Laban, & peregrinatione in Meſopotamia, de quo Deute.cap 26. ſcilicet Syrus perſequebatur patrem meũ &c. & dicitur hic, quod patres noſtri deſcenderunt in Aegyptum, quia de iſtis, qui nunc erant nullus deſcẽderat illuc de terra Chanaan, ſed oẽs nati ſunt in Aegypto: & dicũt de patribus ſuis, quia multi in Aegyptum ingreſſi ſunt, ſcilicet Iacob cum 70. animabus Exod.ca. 1. & illi omnes vocantur patres huius populi. *Et habitauimus ibi multo tempore.* Aliquando enim fuit habitatio Iſraelitarum in Aegypto tanquã incolarum, & liberorum, ſcilicet tanto tempore, quanto vixit Ioſeph, & reges, qui cognouerũt eum, ſurrexit autem poſtea rex nouus, qui non cognoſcebat Ioſeph, & ab illo tempore cœpit dure affligi tota multitudo Hebræorum. Exo. ca. 1. tempus autẽ manſionis eorum in Aegypto tam in gaudio, quam in ſeruitute fuit magnum, quia Exod.capit. 12. dicitur, quod habitatio filiorũ Iſrael, qua manſerunt in Aegypto 430 annorum fuit: ſed iſtud tempus computatur ab anno, quo introiuit Abraham in terram Chanaam, vt declaratum eſt ibidem: tempus autem ſtationis Hebræorum in Aegypto poſtquã illuc deſcendit Iacob cum poſteritate ſua fuit 205. annorum, vt declaratum eſt Gen.15. & Exo.c.1. & iſtud fuit magnũ tempus, potiſſimum, quia Iudæis videbatur maius, cum anguſtiarentur, & deſiderabãt exire de ſeruitute illa. *Afflixerũtque nos Aegyptij, & patres noſtros.* Id eſt iſti, qui nunc erant, & patres eorum fuerunt in Aegypto afflicti, quia iſta perſecutio à multis temporibus incœperat, in quibus iſti habuerunt aliquos prædeceſſores. Etiam intelligendum eſt, quod de iſtis, qui nunc erant in deſerto, rari fuerãt afflicti in Aegypto, quoniam plurimi eorum nati fuerant in deſerto, cum eſſet principium 40. anni ab exitu de Aegypto, & fere omnes mortui fuerant, ſuper quos ſententia data eſt, & ſic manebant ſolum illi, qui nati ſunt in deſerto, & quidam alii, qui egreſſi ſunt in pueritia de Aegypto, ſcil. antequam complerent annum 19. Moyſes tamen, & Aaron, Caleb, & Ioſue, & quidam alii de principalibus populi exierant de Aegypto, ideo cum nomine iſtorum principaliter formaretur legatio, dicebatur, quod Aegyptii afflixerunt eos.

B

Sciendum de iſta afflictione, quod erat nimis iniuſta, quia à principio Aegyptii receperũt Hebræos habitaturos in terra Aegypti pacifice, tanquam accolas, poſtea autem nihil demeruerunt Iudæi, quare eis afflictio irrogare deberet, ſed ex inuidia afflicti ſunt: nam rex nouus non cognoſcens Ioſeph dixit: Venite opprimamꝰ ſapienter populũ iſtum, quia multus eſt, & fortior nobis. Et ſequitur quomodo impoſuerint duros labores in operibus terræ, & inflixerint graues anguſtias occidendo filios eorum nouiter natos: ideo Deus iuſte intulit plagas Aegyptiis, quia ipſi iniuſte perſecuti fuerant Hebræos.

Et quomodo clamauerimus ad Dominum, & exaudierit nos. Id eſt etiam notum eſt vobis, quomodo clamauerimus pro hac anguſtia duræ ſeruitutis, & Deus exaudiẽs, nos liberare voluerit. Iſta enim nota erant ex poſterioribus effectibus, ſcil. quia liberati ſunt Iſraelitæ de Aegypto nõ viribus, aut bello, ſed ſignis, & prodigiis Dei. *Miſeruitq; Angelum, qui eduxit nos de Aegypto.* Id eſt, etiam hoc notũ erat. Iſta miſſio poteſt intelligi dupliciter, quia Angelus ſignificat nuncium, & quicunq; à Deo miſſus eſt ad aliquid, cõuenienter vocatur Angelus Dei. Poteſt etiã intelligi de Moyſe. ipſe enim fuit nuncius, quia Deus locutus eſt ei in mõte Synai dum paſceret oues, & dedit ei ſigna quæ faceret in Aegypto mittens ad Hebræos, vt ſcirẽt ſe exauditos à Deo, & in breui liberandos: Exo.ca.3. Alio modo accipitur Angelus Dei pro Angelo, qui præcedebat Iſraelitas in via dirigendo eos per columnam nubis, & ignis, & iſte Angelus pugnabat pro eis, quia quando exercitus Pharaonis apprehendit caſtra Hebræorum ſuper mare rubrum volens pcutere à tergo, Angelus ille tranſtulit nubem, quæ præcedebat Iſraelitas ad poſteriorem partem exercitꝰ, & facta eſt nubes illa valde lucida ex parte Hebręorum, ita vt pateret eis introitus per mare rubrum, ex parte autem Aegyptiorum erat caligo magna, ita vt non auſi fuerint Aegyptii tota nocte accedere ad Hebræos, nec videbant quomodo accederẽt Exodi capitu. 14. De iſto Angelo etiam dicitur Exod.23. capit. ſcilicet. ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te in via, & introducat in locum, quem paraui. De hoc etiam Exodi cap. 23. ſcilicet, & mittam præcurſorem tui Angelum, & eiiciam Chananæum, & Amorrhæum &c. Iſte Angelus dicitur eduxiſſe de Aegypto, quia direxit eos egrediendo per columnam nubis, & ſic fecit in toto itinere vſq; ad terram Chanaan: Exod.cap.13. *Ecce in vrbe Cades.* Iudæi enarratis laboribus ſuis concludunt petendo, quod permittat eos rex Idumęorũ tranſire in terram Chanaan per extremitatem terræ ſuæ, & dicunt, quod erant in vrbe Cades, id eſt in vrbe quæ eſt in deſerto Cades. Non eſt enim Cades nomen alicuius vrbis, ſicut nec aliqua de manſionibus Iſraelitarum per deſertum, ſed dicitur vrbs Cades, id eſt quædam ciuitas, quæ eſt in deſerto Cades: eſt enim Cades in deſerto Sin, quod eſt magnum deſertum. Cades autem eſt quædam pars illius deſerti coniuncta terræ Chanaan in latere eius meridiano, vt patet infra 34. ca. & Ioſue ca. 15. In iſto autem deſerto erat quædam ciuitas regis Edom, quæ erat extrema in toto regno Idumæę, & iſta vocatur ciuitas Cades. Dato tamen, quod Cades eſſet nomen alicuius vrbis non eſſet verũ, quod Iſraelitæ fuiſſent in Cades, quia nunquam introierunt in aliquam vrbem poſtquã exie-

C

D

E

F

Angel. qui eduxit Hebræos de Aegypto qs fuit. Cades an ſit nomen vrbis.

runt

A runt de Aegypto vsquequo venerunt ad terram duorum Regum Amorrhæorum, vbi accipientes vrbes eorum ingressi sunt in illas, potissimum, quia Israelitæ non auderent introire in aliquam vrbem terræ Idumæorum sine consensu regis: nam si ingressi fuissent iam frustra precarentur, quod permitteret eos transire per terram suam. Etiam, quia non expediebat Iudæis introire in aliquam vrbē: nulla enim eos caperet. nec ipsi petierunt à rege Edom, quod permitteret eos introire in vrbes, sed transire per viam publicam. *In extremis finibus tuis positi.* Id est vrbs Cades, apud quā nos sumus, est in extremitate terminorum regni tui. Expresserunt autem Iudæi hoc propter alterum de duobus, scilicet, vt facilius inclinaretur rex Edom ad permittendū eos transire: nam si peterent transire per medium regni esset difficile, quia multum possent nocere, petierunt autem transire per extremitatem, sic licet per quandam particulam regni apud Cades: nam terra Chanaam erat coniuncta Cadesbarne, cum ponatur Cades tanquā terminus terræ Chanaan infra 34. cap. ideo solutum territorium vrbis, quæ erat apud Cades transituri erant Iudæi ad ingrediendum terram Chanaan.

Cum rex Edom non permisit Iudæos introire per terram suam: quare non declinauerunt modicum versus terram meridianam, & occidentalem ne cogerentur circuire totam terram Edom:

B

QVÆSTIO IX.

SEd dicet aliquis, cum rex Edom non permiserit Iudæos introire per terram suam in extremitate eius, quare non declinauerunt saltem modicum, & transirent in terram Chanaan non per terram Idumæorum ne cogerētur circuire terram Edom multo tempore ascendentes versus orientem, & postea introeuntes per terram duorum Regum Amorrhæorum? Respondendum est, quod Israelitæ quando erant in Cadesbarne erant in latere meridiano terræ Chanaan, & totum illud latus est circundatum gentibus à parte meridianā, ideo si declinassent Israelitæ à terra Idumæorum per latus meridianum terræ Chanaan versus occidentem, oporteret, vt introirent per terram aliarum gentium, quia vbi deficiebat regnum Edom incipiebant alia regna, illæ autem gentes erant magis hostiles Iudæis, scilicet Amalechitæ, & Chananæi: nā in prima vice quasteterunt Israelitæ in Cadesbarne anno 2. ab exitu de Aegypto Amalechitæ, & Chananæi pugnauerūt contra eos supra c. 14. & Deuter. c. 1. Iterum autem pugnauerant Amalechitæ contra Iudæos primo anno ab exitu de Aegypto in Raphidim Exo. c. 17. ideo non ausi sunt Israelitæ petere ab eis transitum, quia sciebant, quod non concederent cum essent hostes. Non habito ergo transitu per terram Edō regressi sunt ad partem orientalem circumeuntes totam illā terram, vt intrarēt per totam terram duorum regum Amorrhæorū. *Obsecramus, vt nobis transire liceat per terram tuam.* Humiliter petebant Iudæi transitum, quia sciebant magnos sibi restare labores circumeundo terram, si non permitteretur eis transitus. sic enim factum est, vt patet Deute. ca. 2. Circuiuimus montem. Seir multo tempore, & in isto tempore cœpit tædere populum laboris itineris, & murmurauerunt, atq; suscitauit contra illos serpentes ignitos, vt patet sequent. cap. *Non ibimus per agros, nec per vineas.* In hoc etiam suadent: nam diceret rex Edom. quod permisso eis transitu multum nocerēt terræ, quia cū esset tanta multitudo virorum, & fœminarum, pecorū, & iumentorum, non possent capi per vias: sed distenderentur per agros, & vineas, in quo nimis nocerent terræ. *Non bibemus aquas de puteis tuis.* Necesse erat, quod Iudæi transeuntes per terram Edom biberent de aquis terræ illius, quia non poterant aliunde ducere aquas: sed est sensus, quod non biberent de puteis, id est, non biberent sine licentia dominorum terræ illius, vel sine pecunia: sic enim iusserat Deus Deutero. cap. 2. scilicet cibos emetis ab eis pecunia, & comedetis, aquam emptam haurietis, & bibetis, & hoc dicebatur de transitu per terram Edom. Duxerunt autem Iudæi aquam de puteis, id est, de cisternis, quia terra illa valde deficiens aquarum est: rari enim fontes, & flumina sunt, sed pluuiæ in cisternis conseruantur. Istas cisternas vocant Iudæi puteos de quibus non erant bibituri sine licentia, vel pretio dato. Si autem

C

D terra irrigua esset fontalibus, vel fluuialib. aquis, nihil oportebat constitui de pretio pro potu aquarum, quia nihil sic diminueretur de aquis terrę Edom. Et hoc etiam Iudæi dixerūt suadendo, quia cum terra Edom deficiat aquis si transirent Israelitæ per eam, biberent omnes aquas cisternarum, in quo damnificarentur Idumæi. *Sed gradiemur publica via.* Vocatur publica via illa, per quam alii incedere consueuerunt. Deute. cap. 2. dicitur: Via trita gradiemur, id est, per viam magnam vsitatam: non enim nouam facientes via incedentes per agros, & vineas, sicut facere solet exercitus, quando non capiunt eū viarum angustiæ. *Nec ad dextram nec ad sinistram declinantes donec transeamus terminos tuos.* Id est, dum iuerimus per terram tuam ibimus per viam publicā, & non declinabimus ab ea ad partem dextram, nec sinistrā introeuntes in agros, vel vineas, & hoc ne noceam terræ tuę, erat enim prope terram Chanaā, in quam ingressuri erant, & pugnaturi quasi hostes. *Cui respōdit Edom.* Id est, rex Edom. Iuerant enim isti nuncii ad regem Edom, & ipse respondit hæc. Vel potest accipi Edom pro toto populo terræ Idumęæ. Nam verisimile est, quod assisteret regi consiliarii, vel procuratores terræ Edom: illi responderūt nomine totius terræ Edom: ideo dicitur, quod respōdit Edō. *Non transibis per me, alioquin armatus occurram tibi.* Timuerunt enim filii Edom, quod Israelitę vellent eis inferre damna, scilicet accipere aliquid de terra eorum intrantes pacifice, & in dolo capientes vrbes, vel oppida: sic enim dicitur Deut. ca. 2. transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau, qui habitant in Seir. & timebunt vos, videte diligēter ne moueamini contra eos. Et dato, quod Idumæi non suspicarētur, quod Israelitę vellent accipere aliquid de terra ipsorum, tamē crederēt, quod magna damna inferrent illis in agris, & vineis, & aquis puteorum si transirent per terram ipsorum: ideo non concesserunt dicentes, quod occurrerent armati Iudæis. *Dixeruntque filij Israel.* Ista est responsio quam miserunt Israelitæ audito verbo Idumæorum: nam nuncii Israel iuerunt ad Edom: & accepto isto responso redierunt ad Israel, & precatus est iterum Israel, vt concederent transitum Idumæi mittentes legatos rursus ad Edom. *Per tritam gradiemur viam.* Israelitæ intelligebant, quod Idumæi recusabant concedere eis transitum, quia sequeretur magnum damnum in agris, & vineis, & cisternis aquarum ad introitum Iudæorum: ideo dixerunt, quod non transirent per agros, & vineas: sed per viam tritam, id est publicam, & vsitatam. *Et si biberimus aquas tuas nos, & pecora nostra dabimus, quod iustum est.* Id est, etiam non nocebimus in cisternis aquarum, quia non bibemus de cisternis tuis, & si aliquid biberimus nos, vel pecora nostra pretium dabimus, & sic non damnificabatur terra Edom. *Nulla erit in pretio difficultas.* dixerunt hoc Israelitæ, quia forte Idumæi crederent, quod quamquam soluerent aliquid Israelitæ pro aquis, quas acciperent, tamen illud esset modicum, scilicet, quod magis eas acciperent violenter, quam pro pretio, dixerunt ideo Israelitæ, quod quantumcunque constituerent de precio pro aquis Idumæi, tantum soluerent, & in hoc nulla difficultas futura erat. *Tantum velociter transeamus.* Id est, solum concede nobis, quod possimus transire per terram tuam saltem velociter, quia de reliquo non erit nobis difficultas, siue modicū siue multum pretium aquarum imposueris.

E

F

Quare Israelitæ non sunt locuti de cibis, sicut & de potibus, cum vtrisque indigerent.

QVÆSTIO X.

QVæret aliquis quare Israelitæ locuti sunt hic de aquis, & non de cibis: quia ita indigebāt cibis, sicut potibus. Respondebit aliquis, quod hoc fecerunt, quia de illis, de quibus erat verisimilius, quod possent Israelitæ violenter accipere, dabatur hic securitas, de aquis autem erat huiusmodi, quia cum illa terra sit inaquosa, cisternæ multæ fiebant in agris ad colligendum ibi aquas pluuiales, & quia illæ erant paruæ poterant Israelitæ accipere aquas nolentibus Idumæis. De cibis autem non erat sic, quia illi erant collecti intra vrbes, & oppida, & non possent Israelitæ illos accipere inuitis Idumæis, nisi illis bella inferrent. De aquis vero, & non de cibis securauerunt. Aliquis respondebit aliter, scilicet, quod Israelitæ petebant id, quo egebant. Cibus autem quotidianus dabatur

A eis de cœlo, scilicet Manna, quod nunquam eis defuit à die, quo cœpit vsque ad diem, quo penitus cessauit: ideo quamquam transirent Israelitæ per terram Edom, non indigerent cibis Idumæorum aquæ autem non dabãtur de cœlo illi specialiter, nisi quando alias contingeret pluere, ideo petierunt aquas pro pretio dicentes se daturos, quod licitum erat. Sed prima responsio conuenientior est. Ideo dicendum, quod scriptura forte subticuit hic de cibis, & tamen nuncii Israelitarum non solum de aquis: sed etiam de cibis dixerunt, & hoc confirmatur, quia Deut. cap. 2. Deus iussit Israelitis, quod cum transirent per terram Edom cibos pecunia emerent, & aquas in pretio hauirent: sic ergo Deus de vtroq; expressit: ita verisimile est, quod nuncii Israelitarum de vtroq; dixerint. scriptura autem non semper enarrat omnia, quæ gesta sunt, vel respondebitur, vt supra dictum est, scilicet, quod securabant de aquis, quia facilius erat capere aquas quam cibos inuitis Idumæis. *At ille respondit: non transibitis.* Id est, etiam in secunda propositione nunciorum Israel Idumæi negauerunt transitũ dicentes, quod nullo modo transirent, id est, quod non permitterent transire. *Statimq; egressus est obuius eum infinita multitudine.* Id est, cum secunda vice proposuerunt nuncii Israelitarum, Idumęi exiuerunt eis obuiam armati. Et hoc, quia existimauerunt, quod cum Israel petisset bis transitum, & non fuisset concessus eis, contenderet propriis viribus sibi occupare transitum, & forte inferre pararet aliqua dãna Idumęis, ideo parauerunt se ad pugnam euntes in Cadesbarne, vbi erãt Iudæi, & tunc noluerunt pugnare Israelitæ permittẽtes Idumæos in armis, & redierunt per aliam viam.

B

Quare nubes direxit Israelitas, vt irent in Cades cum non esset concessurus rex Edom transitum: & cur Deus noluit, quod iste rex permitteret eos transire.

QVÆSTIO XI.

QVæret aliquis, quare nubes direxit Israelitas in Cadesbarne, cum Rex Edom nõ esset concessurus eis introitum per terram suam.

Respondendum est, quod Idumæi non concesserunt introitum Israelitis per Cadesbarne, quia Deus indurauerat corda eorum, ne concederent: non.n. expediebat, quod concederetur introitus. Primo quia esset contra sententiam Dei: ipse enim dixerat, q; Israelitæ quadraginta annis manerent in deserto: si autem introissent per Cadesbarne, non mansissent quadraginta annis: erat enim primus mensis anni quadragesimi, quando venerunt in Cadesbarne, vt patet supra in litera. & sic deficeret vnus annus, si immediate, vt venerunt in Cadesbarne, permitterentur transire. Item Deus dixerat, quod nullus eorum, qui murmurauerat, introiret in terram Chanaan, sed morerentur omnes in solitudine supra capitu. 14. si tamen introissent in terram Chanaan per Cadesbarne immediate, vt venerunt illuc, multi de blasphematoribus introissent in terram Chanaan, quod patet, quia non fuerunt mortui omnes blasphematores vsque ad torrentem Zareth, & immediate, vt mortui sunt, iussit Deus Moysi, vt transirent torrentem Zareth, Deuteron. capitu. 2. sed illum torrentem multo tempore post hoc transierunt, scilicet cum iam circuiuissent terram Edom, siue montem Seir, vt colligitur seq. cap. & Deuteronom. capit. 2. ergo non erant mortui omnes murmuratores, quando steterunt Israelitæ in Cadesbarne. Si tamen concessus fuisset introitus per locum ipsum multi de murmuratoribus introissent in terram Chanaam. ideo voluit Deus. vt non concederetur introitus, sed vagarentur magno tempore vsquequo morerentur omnes murmuratores. Item Deus volebat tradere in manus Israelitarum terrã duorum regum Amorrhæorum sicut postea tradita est: si autem introissent per Cadesbarne, non accessissent ad terram duorum regum Amorrhæorum, quia illa erat orientalis terræ Chanaan: ideo, vt acquirerent illam fuit conueniens, vt non introirent per Cadesbarne, sed circuirent ad partem orietis, & cogerentur intrare per terram duorum regum, & sic eam acciperent. Sed tunc stat, quod dictum est, scilicet quare Deus fecit, vt venirent in Cadesbarne Israelitæ, cum non esset permissurus transitum eis? Respondendum est conueniens fuisse, quia Cadesbarne erat in via, per quã transituri erãt Israelitæ: ideo dato, quod non sequeretur aliqua vtilitas accedendo illuc erat cõueniens Israelitis, quod irent ad ipsum locum, postea autem circuerunt terram Seir sicut alias circuituri essent ad eundum in terram duorum regum Amorrhæorum. *Et manu forti.* Id est egressus est rex Edom in potentia magna. Potest accipi hic manus pro turba sicut aliquando accipitur: & est sensus, quod cum turba valde forti exiuit rex Edom cõtra Iudæos: putauit enim, quod vellent introire per terram Edom violenter. Vel accipitur manus proprie: & tunc est sensus metaphoricus, sicut dicimus, quod Deus redemit Israelitas de Aegypto in manu forti, & brachio excelso: & tamen Deus nec manum, nec brachium habet, sed ponuntur ista ad significandum magnitudinem potentiæ. *Nec acquiescere voluit deprecanti, vt concederet transitum per fines suos.* Id est, rex Edom noluit cõsentire Israelitis, qui precabantur, vt solum permitterentur transire per terram Edom.

C

D

E

Quomodo stat, quod Israelitæ nõ transierunt per terram Edom, cum tamen oppositum videatur dici Deut. 2.

QVÆSTIO XII.

QVæret aliquis quomodo dicatur, quod non concessit rex Edom: quia Deut. cap. 2. significatur contrarium ex verbis Dei scilicet transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau, qui habitant in Seir: deinde sequitur: Cibos emetis ab eis pecunia, & comedetis, aquã emptam haurietis, & bibetis. Idem patet ex verbis Israelitarum ad regem Sehon, scilicet tantum est, vt concedas nobis transitum, sicut fecerunt filii Esau, qui habitant in Seir, & Moabitæ, qui morantur in Ar. ergo concesserant transitum Idumæi. Ra. Sa. dicit, quod non transierunt Hebræi per terram Idumæorum, sed solum dabant eis Idumæi alimenta pretio exeuntes extra regnum ad vendendum. Idem tenet Nicolaus hic, & Deuteron. cap. 2. Sed non stat: nam Deutero. cap. 2. dicitur ex verbis Dei: Aquam emptam pretio haurietis, & bibetis, ideo quamquam possent Idumæi cibos venales educere extra terram suam Iudæis transeuntibus per desertum, quia non inueniebantur ibi: sed de aquis non poterat esse: non enim est verisimile, quod terra per quam transibant Israelitæ apud Edom esset penitus in aquosa, & dato, quod esset inaquosa omnes Idumæi, & Moabitæ ferentes aquas non sufficerent tanto populo, pecoribus, & iumentis. Si autem esset terra aquosa non oportebat dari regulam de aquis bibendis pro pecunia, quia aquæ, quæ erant extra terram Idumęorum non erant in potestate ipsorum, nec eas vendere poterant. Concluditur ergo, quod transibant terram Idumęorum, & quia erat populus multus indigebat aqua multa de puteis, & cisternis, quas foderant, & parauerant Idumæi: ideo rationale erat, quod darent pecuniam pro aqua. Et si forte aliquis diceret quod Idumæi portabant aquas ad castra Israel extra fines regni sui, quãquam rationabile sit, tamen adhuc stare non potest, quia dicitur Deuteron. cap. 2. aquam emptam haurietis, id est, quod non solum Israelitæ emerent aquam ab Idumæis, sed etiam haurient eam de puteis, hoc autem impossibile erat nisi ipsi transirent per Idumeam in qua aquam ipsi emerent, & extraherent de puteis. Nisi forte aliquis dicat, quod haurire accipitur hic pro bibere, & non pro educere de puteo. Sed etiam hoc dato, nõ stat ex ratione superiori, & ex sequentibus. Posset autem aliquis confirmare opinionem. Ra. Salo. & Nicolai, quia dicitur Deut. c. 2. Transibitis per terminos fratrũ vestrorum filiorum Esau, tamen transire per terminum Idumæorũ non est transire per terram ipsorum, quia termini sunt extra terram claudentes ipsam. Respondendum est non stare. quia non accipiuntur termini ibi pro lineis claudentibus aliquam terram, quæ vocentur latera eius, sed pro aliquibus partibus intra terram, quæ appropinquat terminis, & sic quamquam transierint Israelitæ per terram Edõ, quia non transierunt per medium eius, sed per quandam extremitatẽ, dicuntur trãsire per terminos eius. Et sic accipiuntur hic termini, vel fines, quod idem est. Dixit enim, quod rex Edom noluit acquiescere, vt transiret Israel per fines suos, tamen manifestum est, q; non accipiuntur ibi fines pro lineis claudentibus terram Edõ, quia si isto modo trãsituri essent Israelitæ per terminos Edõ non petiuissent licentiam à rege Edom, quia non trãsibant p

Quare Israelitæ trãsierunt per terrã Idumæorũ

F

terram

A terram ſuam: nam per lineam claudẽtem terram præciſe impoſſibile erat, quod aliquis moueretur: ergo neceſſe erat, q̃ mouereturextra lineam illam, vel intra. Si extra non pertinebat terra illa ad regem Edom, & tunc non peteretur licentia ab eo, nec ipſe impediret Iſraelitas tranſire per terram illam. Si autem intra lineam illam mouerentur non ſolum per terminos Edom tranſirent, ſed etiam per terram Edõ, & tũc habetur intẽtum. Item patet, quia Cadesbarne erat in extremis finib. terræ Edom, ſed non vetuit rex Edom accedere Iſraelitas ad Cadesbarne, vt patet hic, & vetuit trãſire per terminos ſuos: ergo termini accipiũtur pro aliqua parte terræ Edom, & non pro lineis claudẽtibus: ſed Deut. c. 2. dicitur, quod trãſierunt Iſraelitæ per terminos filiorum Eſau: ergo tranſierunt p̃ aliquam partem terræ eorum. Itẽ patet clarius eodem cap. ex verbis populi ad regem Sehon, ſcilicet, tantum eſt. vt concedas nobis tranſitum, ſicut fecerunt filij Eſau, qui habitant in Seir: ergo neceſſe eſt dicere, quod tranſierunt Iſraelitæ p̃ terram Edom, & ibi emerunt cibos pecunia, & aquas, & non educebant Idumæi iſta ad vendendum Iſraelitis in deſerto.

Solutio præcedentis quæſt.

QVÆSTIO XIII.

B QVæret tunc aliquis quomodo ergo ſtat, quia litera dicit hic, quod non tranſierũt per terram Edom, ſc. quia noluit concedere Edom deprecanti.

1. reſpõ. Reſpondent aliqui, quod Iſraelitæ petierunt tranſitum p̃ terram Edom, & erat ſibi valde conueniens tranſire multum intra terram Edom, vt breuius tranſirent, & hoc non conceſſit rex Edom, ideo occurrit armatus. Conceſſit tamen, quod tranſirent per quandam particulam regni ſui, quæ erat in extremis, & ſic concordantur iſta loca Sed non ſtat. quia Iſraelitæ non petierunt tranſire per medium terræ Edom, nec per aliquam partem multum intrinſecam regni, ſed per terminos, vt patet ex verbis Iſrael, ſcilicet, quia erant in Cadesbarne in extremis finibus regni Edõ, vt patet ſupra, & per locum illum petebant tranſitum, ergo non petebant per partẽ multum intrinſecam regni. Item etiam videtur falſum, quod rex Edom non conſenſerit tranſire illos per medietatem regni, & tamen conſenſit per aliquam partem extremam, quia hic dicitur, quod acquieſcere noluit deprecanti, vt concederet tranſitum per fines ſuos: ergo non ſtat iſta poſitio. Aliqui dicunt aliter, ſcilicet, quod rex Edom à principio recuſauit dare tranſitum Iſraelitis, & occurrit eis armatus. ſed poſtea cum acceſſiſſet ad eos in extremitate regni inclinatus eſt precibus eorum, & permiſit eos tranſire. Sed hoc non ſtat, quia litera dicit, quod noluit Edom acquieſcere deprecanti, & ideo coactus eſt diuertere ab eo Iſrael. Item, quia ſi conceſſiſſet trãſitum rex Edom poſtea motus precibus, tranſiſſent Iſraelitæ per Cadesbarne, quæ erat in extremitate regni, & cito introiuiſſent in terram Chanaam, nec circundediſſent montẽ Seir longo tempore, & tamen circundederunt, vt patet Deutero. cap. 2. & ſeq. cap. ergo non eſt permiſſus eis tranſitus. Reſpõdendum igitur, quod rex Edom non conceſſit, quod Iſraelitæ tranſirent p̃ regnum ſuũ. quando erant in Cadesbarne, & hoc nec per medietatem nec per aliquam extremitatem, ideo Iſraelitæ diuerterunt à Cadesbarne ambulantes per deſertum extra terram Edom, & poſtea introierunt in aliquam partem terræ Edom. Pro quo ſciendum, quod Iſraelitæ venientes de Aegypto in terram Chanaam, quumquam feciſſent in itinere circulationes multas: tamen per latus meridianum terræ ingreſſuri erant, locus autem conueniens illis ad ingrediendum erat per terram regis Edom in extremitate regni, vel q̃ parum declinarent ab extremitate illa ad partem inferiorem verſus occidentem. Et cum rex Edom non conceſſit eis trãſitum, declinauiſſent ipſi modicum ab extremitate illa ad occidentem, & tamen erat ibi gens hoſtilis, ſcilicet terra Amalechitarum, & Chananæorum Arabiorum: iſti autem prohiberent, quia alias pugnauerant contra Iudæos in anno primo, & ſecundo ab exitu de Aegypto, vt ſupra dictum eſt. quod autem iſti eſſent apud terram Edom patet, quia cum fuiſſent iterum Iſraelitæ in Cadesbarne erant iuxta Amalechitas, & Chananæos ſupra cap. 14. vbi cum aſcendiſſent modicum de caſtris verſus montem deſcenderunt Chananæi, qui habitabant in montibus, & percuſſerunt Iſraelitas, quod non eſſet, niſi habitaſſent iuxta Cadesbarne. Item patet ibidem, quod Deus iuſſit, vt recederent Iſraelitæ de Cadesbarne verſus mare rubrum, quia Amalechitæ, & Chananæi habitabant in vallibus, ſi tamen non eſſent propinqui eis, non iuberet, quod recederent inde. Item patet hoc ſequenti. cap. nam immediate, vt ſteterunt Iſraelitæ in Cades, fit hic mentio, quia Chananæus rex Arad pugnauerit contra eos, ergo erat iuxta Cadesbarne, ex quo patet, quod cum Iſraelitæ non habuerunt trãſitum per Cadesbarne, coacti ſunt circuire terram Edom aſcẽdendo verſus orientem, quia ad partem occidentalem, & meridianam erant eis gentes hoſtiles, per quas nullo modo poterant tranſire, nec circuire. Iuerunt ergo per circuitum mõtis Seir ad partem orientalem, in quo morari ſunt magno tẽpore: Deuter. cap. 2. ſcilicet circuiuimus montem Seir longo tempore. Et in his omnibus nondum introierant in terram Edom: neceſſe erat tamen, quod ad hoc, vt tranſirent Iſraelitæ in terram duorum regum Amorrhæorum, vel Moabitarum, vel Ammonitarum, tranſirent primo per aliquam partem terræ Idumæorum: nam etiamſi vellẽt circuire per mille leucas, non poſſent introire in terram Chanaam, vel Idumæorum, aut Ammonitarum, niſi tranſirent per terram Edom. Alioquin trãſirent per mare rubrum, quod nequaquam poterant Iudæi, quia nec naues habebant nec in arte nautica erant edoct. Antecedens probatur, quia Iſraelitæ venerunt ad Cadesbarne, quæ eſt in latere meridiano terræ Chanaan, & eſt pars regni Edom, vt ingrederentur per locum ipſum: ſed non conceſſerunt Idumæi: ergo neceſſe erat, vt declinarent ad partem orientalem lateris meridiani, vel ad partem occidentalem. Non poterant ad occidentalem, quia neceſſe erat tunc tranſire per terram Chananæorum Arabiorum, vel per terram Amalechitarum, vtrique autem erant hoſtes: ideo nõ potuerunt. Si autem aſcendiſſent verſus partem orientis ipſius lateris meridiani perueniſſent vſque ad mare rubrum, in quod terminabatur, & tunc neceſſe erat, quod introirent per terram Edom cum ipſa coniungatur rubro ad partem orientalem, vt patet. 3. Reg. cap. 9. Nam erat ibi Aſiongaber in littore maris rubri. & illa eſt ciuitas Idumeæ cum dicitur claſſem quoque fecit rex Salomon in Aſiongaber in littore maris rubri in terra Idumeæ: ergo vel introirent Iudæi in terram Idumęæ, vel manerent apud mare rubrum, ſed ipſi tranſierunt ad terram Moabitarum, & regum Amorrhæorum: ergo tranſierunt per aliquam partem regni Edom ſaltem per vrbem Aſiongaber: & tunc nullo modo ſtabit quod dicunt Nicolaus, & Ra. Salo. quod non introiuerunt Iſraelitæ in terram Edom, ſed exiuerunt Idumæi in deſertum ad dandum eis cibos. Nam non poſſent aſſignare eis locum, per quem introierint in terram duorum regum Amorrhæorum, niſi dederint introitum per terram Edom: ſed ſunt ignari locorum neſcientes diſpoſitiones, & terminos terrarũ, ideo putauerunt, quod poſſent tranſire Iſraelitæ per terram regum Amorrhæorum non accedentes ad terram Edom, quod poſſet ſtare ſi terra Edõ non terminaretur ad mare rubrum. Item patet magis Deuter. cap. 11. Cum dicitur, quod Iudæi tranſierunt fratres ſuos filios Eſau per viam campeſtrem de Elath, & de Aſiongaber, ſed iſta duo loca ſunt in terra Idumæorum: ergo tranſierunt per illa. De Aſiongaber ſatis patet. 3. Reg. c. 9. Etiam litera ſatis declarat, cum dicat: Tranſiuimus fratres noſtros filios Eſau Deutero. cap. 2. ſi tamen non tranſiuiſſent per terram ipſorum non dicerentur tranſiuiſſe ipſos. Sciendum etiam, quod quamquam tranſierint Iſraelitæ per terrã Edom, tamen non introiuerunt per eam in terram Chanaã, ſed tranſiuerunt per quandam extremitatem eius, ſcilicet p̃ duas vrbes Elath, & Aſiongaber, & inde venerunt in terram Moab: Deus enim inclinauit Regem Edom, vt permitteret eis tranſitum per illam extremitatem regni ſui, quia alias impoſſibilis erat eis tranſitus in terram Chanaan, & tunc tranſeuntes in deſertum terræ Moab venerunt in ciuitatem quãdam Moabitarum nomine Ar, & inde tranſierunt in terram duorum regum Amorrhæorum per confinia Moabitarum, & Ammonitarum, & occupata terra horum duorum regum, quæ durat vſque ad Iordanem, introierunt in terram Chanaan, quæ eſt coniuncta Iordani. Nam ponitur Iordanis terminus orientalis terræ illius infra trigeſimoquarto capitul. Iſte proceſſus colligitur ſatis Deuteronom. capitul. ſecundo,

Alia reſponſio.

C

Quia fuit modꝰ, quo Iudæi trãſierunt p̃ terram Edom: & qualis fuit iſta declinatio

D

Falſi tas Rabi Sal. & Nico. N.

F

A vbi cum ſtetiſſent Iſraelitæ in Cadesbarne, non facta ibi mẽtione, quod petiuiſſent introitum à rege Edom, dicitur, quod profecti ſunt per ſolitudinem, quæ ducit ad mare rubrum, & circuierunt montem Seir longo tempore, & hoc erat aſcẽdere per latus meridianum ad orientale terræ Edom. Et tunc iuſſit Deus, quod declinarent Iſraelitæ in aquilonem, & introirent in terram Idumæorum, ſcilicet, ſufficit tibi circuire montem iſtum, ite contra Aquilonem, & populo præcipe, dicens tranſibitis per terminos fratrum veſtrorum filiorum Eſau &c. Et tunc ſequitur, quomodo tranſierint per duas vrbes terræ Edom. ſcil. per Elath, & Aſiongaber. Cum dicitur: Cumque tranſiſſemus fratres noſtros filios Eſau, qui habitabant in Seir per viam campeſtrem de Elath, & de Aſiongaber, venimus in iter, quod ducit in deſertum Moab. Iſte autem introitus in terram Idumæorum fuit declinatio ad Aquilonẽ. Vt autem iſta melius intelligantur, deſcribentur duo latera in circuitu terræ Chanaan. ſcil. latus meridianum terræ Edom, quod eſt apud latus meridianum terræ Chanaan, & latus orientale terræ Edom, quod eſt ſuper latus orientale terræ Chanaã: in medio autem lateris meridiani ponetur Cadesbarne, infra autem verſus occidentem in eodem latere ponẽtur extremitates duorum regnorum. ſ. Amalechitarum, & Chananæorum, Aradiorum, & tunc aſcendetur per iſtud latus meridianum vſque ad locum, vbi coniungitur cum latere orientali terræ Edom: & hoc eſt in littore maris rubri: latº autem orientale terræ Edom eſt mare rubrum, & continuatur cum latere orientali Moabitarum, & Ammonitarum, & duorum regum Amorrhæorum: erit ergo iter Iudæorum, vt poſtquã peruenerint ad Cadesbarne in latere meridiano terræ Edõ, aſcenderint per illud latus verſus Orientem. Et iſtud erat circuire montem Seir: & antequam peruenirent ad extremitatẽ huius lateris, introierunt in terram Idumæorum: & hoc erat declinare verſus Aquilonem, & tranſire de Elath in Aſiongaber: poſtea declinantes per ipſum latus orientale verſus Aquilonem acceſſerunt ad confinia Moabitarum, & Ammonitarum, & duorum regum Amorrhæorum apud torrentem Arnon. Et tunc incœperunt declinare ab Oriente in Occidẽtem verſus terram Chanaan: & tranſita terra duorum regum Amorrhæorum introierunt in terram Chanaã, q̃ eſt Occidẽtalis ad illam. *Quamobrem diuertit ab eo Iſrael.* Id eſt, quia rex Edom nolens concedere tranſitum Iſraelitis, exiuit eis obuiã armatus, diuertit ab eo Iſrael. i. receſſit ab eo non introeundo per regnum ſuum, nec aliquo modo dedit introitum tunc: & Iſraelitæ non diuerterunt penitus à terra Edom, ſed per latus eius Auſtrale aſcendentes ibant verſus Orientem per circuitum montium terrę Seir: & ibi magno tempore morati ſunt, quouſq; introierunt in quandam extremitatem regni Edom.

C *Cumq; caſtra mouiſſent de Cades venerunt in montem Hor, qui eſt in finibus terræ Edom: vbi locutus eſt Dominus ad Moyſen. Pergat, inquit, Aaron ad populos ſuos: nõ enim intrabit terram, quam dedi filiis Iſrael, eo quod incredulus fuerat ori meo, ad aquas contradictionis. Tolle Aaron & filium eius cum eo, & duces eos in montẽ Hor.* Infra 33 *Cumque nudaueris patrem veſte ſua, indues ea Eleazarum filium eius: & Aaron colligetur & morietur ibi. Fecit Moyſes, vt præceperat Dominus: & aſcenderunt in montem Hor coram omni multitudine. Cumque Aaron ſpoliaſſet veſtibus ſuis, induit eis Eleazarum filium eius. Illo mortuo in montis ſupercilio deſcendit cum Eleazro. Omnis autem multitudo videns occubuiſſe Aaron, fleuit ſuper eo 30. diebus per cunctas familias ſuas.* Deu. 10 & 23. Moritur Aaron.

Cumque caſtra mouiſſent de Cades venerunt in montẽ Hor. Quia noluit rex Edom dare introitum receſſerunt: ſed per extremitatem regni ſui: quod patet, quia etiam mons Hor eſt in extremitate Idumææ, vt habetur infra iſta manſio coniuncta eſt Cadesbarne: ideo poſt illam ponitur in catalogo manſionum infra 33. capit. *Qui eſt in finibus terræ Edom.* Id eſt, iſte mons eſt etiam in extremitate terræ Edom, ſed magis eſt ad Orientem mons Hor, quam Cadesbarne. *Vbi locutus eſt Dominus ad Moyſen.* Id eſt, in iſto monte Deus locutus fuit Moyſi de morte Aaron: & hoc fuit in menſe quinto anni 40. ab exitu de Aegypto die prima menſis: & immediate aſcendit Aaron in montem & mortuus eſt cum eſſet annorum 123. infra 33. capitul. *Pergat inquit Aaron ad populos ſuos.* Id eſt, inquit Deus pergat Aaron ad populos, id eſt moriatur. Iſte eſt modus circumlocutus loquendi: & dicitur aliquis pergere ad populos ſuos, id eſt mori, quia cum aliquis moritur vadit ad aliam maiorem multitudinem populorum, quam ſit hic: & hoc modo omnes morientes dicuntur pergere ad populos ſuos. i. ad populos, ad quos aliquando ex natiuitate iturі erant. Sed magis accipitur iſte modus in viris bonis; ſic enim dicitur de Abraham Gene. 25. c. ſ. appoſitus eſt ad populum ſuum: & de Iſaac Geneſ. 35. cap. Iſti autem erant viri iuſti. Dicuntur autem pergere ad populos ſuos, id eſt, ad populos ſanctorum, quibus ſociandi ſunt, vt declaratum eſt Gene. 49. cap. Aliqui dicunt ad populos ſuos, id eſt, ad Angelos, quibus homines in beatitudine coniungendi ſunt. Sed iſte ſenſus magis alienus eſt, vt declaratum eſt prę all. c. & ex hoc colligitur, quod Aaron finiuit, vt vir ſanctus.

D

An peccatum Moyſi & Aaron ſit mortale, vel veniale.

QVÆSTIO XIV.

E QVæret aliquis de iſto peccato Moyſi, & Aaron ad aquas cõtradictionis an fuit mortale, an veniale. Dicet aliq̃s, quod fuit mortale, alioquin non fuiſſet eis data pœna non ingrediendi in terram Chanaan: veniale enim eſt dignum venia, ſed iſtud non eſt dignum venia, quia Deus non remiſit eis pœnam debitam pro iſto peccato: ergo erat de mortalibus.

Aliquis dicet, quod veniale fuit: nam Deus odit peccantes mortaliter vnde perdidiſſet familiaritatem ad Deum, & non loqueretur ei Deus, ſicut ſolebat, ſed non perdidit: quia immediate, & poſtea ſemper locutus eſt: & quod magis eſt eo percutiente petram immediate fluxerunt aquæ: ergo non peccauit mortaliter. Item patet de Aaron, quia dicitur hic, q̃ pergat ad populos ſuos, quod ad viros ſanctos ſolũ pertinet: ergo non peccauit mortaliter. Reſpond. eſt, quod nulla pars iſtarum ſatis probatur ex dictis: nam cum dicitur, q̃ non fuerit veniale, quia Deus dedit pœnam, non tenet argumentum: nullum. n. peccatum eſt, cui aliqua pœna non reſpondeat, ſiue originale, ſiue actuale, ſiue mortale, ſiue veniale ſit. Sed differunt, quia quibuſdam pœna maior, quibuſdam minor conuenit: imo & inter ipſa peccata venialia differentiam facit Apoſtolus vocans quædam ligna, & alia ſtipulam, & alia fœnũ: & dicit, quod iſta probabuntur igne. Et ſicut ignis differt in lignis, fœno, & ſtipula, ita pœna peccatorũ venialium differt: nimirum igitur ſi pœna temporalis pro venialibus detur, quin pro eis datur pœna purgatorii, quæ grauior eſt temporalibus pœnis. Item cum arguitur veniale eſſe dignum venia, & peccatum Aaron, & Moyſi non fuiſſe dignum venia: reſpõdetur, quod non vocantur venialia, quaſi digna ſint omni remiſſione, quia tunc nihil haberent de ratione peccati: ſed vocantur venialia, quia homini peccanti in illis datur venia quãtum ad mortem æternam, quia propter illa non condemnatur quis: pœna tamen aliqua dabitur. Quod patet, quia ſi non daretur aliqua pœna pro iſtis, non redderetur ratio de eis in die iudicii: & tamen etiam de venialibus redditur ratio: nam de omni verbo ocioſo, quod locuti fuerint homines ſup terram reddẽt rationem in die iudicii: verba tamen ocioſa ſecũdum ſe non ſunt mortalia, niſi aliquando per accidens efficiantur mortalia, quod rarum eſt: ideo pro illis aliqua pœna correſpondebit, quando rationem reddemus. De hoc Matt. 12. capitul.

F Item argumenta alterius partis non tenẽt: cum dicebatur, quod Moſes habuit poſtea diuinam familiaritatem, & locutus eſt ei, atque ipſe excuſſit aquas de petra: dicendum, quod iſta nihil probant: nam Deus ita loquitur malis, ſicut bonis, & viri mali interdum habent ſpiritum propheticum, vt patet de Balaam, qui valde malus erat, & conabatur, vt contra Dei voluntatem ageret, & tamen Deus loquebatur ei reuelans myſteria infra 22. & 23. & 24. cap. Quod autem operatus fuiſſet Moyſes miraculum etiam non probat eum non peccaſſe: nam ſicut Deus per malos viros loquitur, ita nihil impedit, quod per illos miracula operetur. Sic enim dixit Chriſtus: Multi

Deus etiã multoties per malos multa operatur. Mat. 7.

A Multi dicent in die illo: Domine in nomine tuo prophetauimus, & dæmonia eiicimus. & tamen subditur ibi: Amen dico vobis, nescio vos. Si tamen essent boni, nõ diceretur, quod Deus nesciebat eos: potissimum, quia Deus non faciebat excutiaquam de petra ad laudem Moysi, sed ad laudem suam, & vt prouideret populo suo, ideo siue peccasset, siue non, æqualiter per eum fuisset operatus miraculum illud. Item cum dicitur de Aaron, quod finiuit, vt vir sanctus, cum dicatur pgat ad populos suos: ergo non peccauit, non tenet: sed sequitur ex hoc, quod non mortuus est in peccato mortali: dato. n. quod aliquando mortaliter peccauerit, poterat postea pœnitere, & mori, vt vir sanctus.

Ref. Au Sed quamquam neutrius partis assignatæ rationes cõcludant, dicendum potius, quod fuerit istud peccatum veniale: nam Moyses, & Aaron non intendebant offendere Deum, nec fecerunt aliquid, per quod directe sequeretur offensio Dei, nec intelligebant se offendere: quin potius zelo eius cõmoti increpuerunt incredulos, qui potentiæ Dei, & bonitati diffidebant: fuit tamen secuta offensa per accidens inquantum increpantes populum non laudauerunt Deum, scilicet mouentes multitudinem ad laudem Dei. De venialibus ergo videtur esse, quia præter intentionem euenit: ista tamẽ in viris perfectis seuerius puniuntur, quam in minoribus, & quia Moyses, & Aaron erant viri perfectissimi in populo, inflixit

B eis pœnam hanc pro peccato isto, in quo forte bene cum eis factum est: nam ipsi, vel in præsenti aliquid sustinere debebãt pro hoc peccato, vel igne purgatorio exurendum erat: commutauit autem Deus pœnam purgatorij in pœnam vitæ huius, quæ leuior est. Item fuit hoc conueniens ex parte Dei ad demonstrandam iustitiam suam: nam cũ ipse viros istos duos optimos in toto populo pro tam leui peccato priuasset bono tamdiu desiderato, videbatur valde iustus, scilicet, quod nullam iniquitatem impunitam relinqueret: & ista est æquior positio.

Non enim intrabit terrã, quam dedi filijs Israel. Id est, non introibit in terram promissionis: & verum est, quia non intrauit in terram Chanaan, quæ est trans Iordanem, nec etiam in terra duorum regum Amorrhæorum ad orientem Iordanis, vbi sunt duæ tribus, & dimidia, sed mortuus est in monte Hor antequam introirent in terram Edom. Et dicitur in terram, quam dedi filiis Israel, id est, quam me daturum promisi: nihil tamen adhuc dederat: Scriptura tamen mutat tempora propter certitudinem rei, quia sicut ea, quæ præterita sunt, impossibile est non fuisse. 6. Ethic. cap. 1. ita ea, quæ Deus promittit secundum certam prædestinationem, impossibile est non euenire: ideo idem est, ac si de præterito iam fecisset. Sed quia terram Chanaan certissime daturus erat, idem erat, ac si dedisset.

C *Eo quod incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis.* Id est, non credidit Aaron mihi in Cades barne ad aquas contradictionis. Hoc non solum pertinet ad Aarõ, sed etiam ad Moysen: ambo quippe simul in hoc peccauerunt, sed quia nunc solum fertur sententia de morte Aaron propinqua, de eo solum dicitur, quod fuerit incredulus Deo. De Moyse autem postea simile infra vigesimo septimo, capi. quando venit tempus moriendi illius: & supra de vtroque eadem sententia lata est, scilicet, quod non introducerent populos istos in terrã, quam promiserat. Dicitur autem quod Aaron fuit incredulus ori Domini, non quidem quia non credidisset esse possibile quod Deꝰ dixit, aut aliquo modo de illo dubitasset: quin potius, quia firmiter ipse, & Moyses crediderunt, increpuerunt populum de incredulitate, & rebellione dicentes: Audite increduli, & rebelles, vt patet supra, sed dicitur non credidisse verbo Domini, id est, non assensit ei, vt faceret, sicut Deus iusserat Voluerat enim Deus, quod Moyses, & Aaron loquerentur ad petram in nomine eius, & daret aquas, quo populus ad magnificandum nomen Domini moueretur: sed non fecerunt sic Moyses, & Aaron: quinimo incœperunt populum increpare educentes aquam, ideo dicuntur non credidisse, id est, non assensisse ad faciendum, quod Deus iusserat.

D

An Aaron non intrauerit in terram promissionis propter peccãtum istud, vel propter sententiam latam contra murmuratores in Cades.

QVÆSTIO XV.

QVæret aliquis an Aaron non introiuerit in terram Chanaan propter peccatum istud, vel propter sententiam latam de murmuratoribus in Cades barne de aqua supra cap. decimoquarto.

Dicet aliquis, quod quamquam peccatum istud ad aquas contradictionis erat sufficiens ad hoc, quod Aaron non intraret in terram Chanaan: tamen iam ligatus erat per sententiam datam in Cades barne anno secundo ab exitu de Aegypto, & dato, quod non peccasset postea ad aquas cõtradictionis, non introiuisset in terram Chanaã. Et patet, quia sentẽtia illa erat ꝙ nullus de numeratis à 20. annis & supra, introiret illuc supra 14. c. ergo Aaron, & Moyses ligati sunt.

Quare Moyses, & Aaron tpe murmurationis erãt annorum E *plusquã 80.*

Nisi forte quis dicat istos non fuisse viginti annorum tempore factæ numerationis in monte Sinai, de qua supra capit. primo, sed falsum est, quia Moyses erat in anno exitus de Aegypto octuaginta annorum, & Aaron 83. quando ingressi sunt coram Pharaone Exodi capitu. septimo. Item Moyses, & Aaron mortui sunt anno 40. ab exitu de Aegypto infra 33. & Deuteronom. capitu. 1. iuncto vltimo, sed tunc erat Aaron annorum 123. infra 35. capit. & Moyses annorum 120. Deute. capitu. 31. & 34. ergo in exitu de Aegypto fuit Aaron 83. annorum, & Moyses 80. Item anno secundo ab exitu de Aegypto prima die anni consecrati sunt Aaron, & filii sui in sacerdotes: ergo Aaron erat tunc plurium quam 20. annorum, cum haberet quatuor filios, qui consecrabantur in sacerdotes. Prima pars declarata est Leuit. capit. 1. & 8. ideo non stat, quia isti non essent 20. annorum tempore numerationis in monte Sinai, & tunc dicunt, quod cum non fuerint isti excepti ab vniuersali sententia, necessario ligati sunt, & patet quia mortui sunt in deserto. Iosue autem, & Caleb excepti sunt, & isti intrauerunt supra 14. c. & infra 26.

Op. Au. Dicendum est, quod Moyses, & Aaron non fuerunt obligati ex sententia data in Cades barne propter murmuratores, quia ipsi non murmurauerunt, sed magis resistebant populo murmuranti, ita vt tota multitudo voluerit eos lapidare supra 13. cap. & 14.

Item non fuerunt obligati ex verbis sententiæ illius, quia ibi dictum est, quod nullus de numeratis à 20. annis, & supra introiret in terram Chanaan, qui autem non numerati erant hoc modo, non ligabantur hac sententia: ideo non obligati sunt paruuli, qui nondum attigerant annum 20. cum facta est numeratio in monte Sinai, quamquam essent 20. annorum quando essent in Cades barne. Itẽ non fuerunt obligatæ mulieres aliquę, quia ista sententia data est de numeratis à 20. annis & supra: & de mulieribus autem nulla numerata est: quia non fuit præceptum de numerando ipsas, cum non esset aliquod mysterium, propter quod numerarentur: ideo ex verbis sententiæ non fuerunt obligatæ. Item nullus de Leuitis obligatus est, quia illi non fuerunt numerati à 20. annis supra, sed numerati sunt ab vno mense, & supra ad redimẽdum primogenitos supra c. 3.

F *Qui nõ fuerũt obligati sententia de Cades.*

Item numerati sunt 25. annis ad separandum pro ministeriis supra ca. 8. Moyses autem & Aaron erant de Leuitis, ideo non fuerunt numerati cum populo: sic iussit Deus supra cap. 1. scilicet tribum Leui noli numerare, nec ponas summam eorum cum filiis Israel: ideo non fuerunt ligati hac sententia, & si non peccauissent ad aquas contradictionis introiuissent in terram Chanaan. Quod patet de Eleazaro filio Aaron, qui introiuit in terram Chanaan, & diuisit eam Iosue cap. 14. & 17. & in ea sepultus est Iosue capitu. vigesimoquarto. iste tamen erat plurium quam 20. annorum tempore factæ numerationis, quia ipse fuit per vnum mensem consecratus in sacerdotem ante hanc numerationem: incœpit enim cõsecratio prima die mensis primi anni secũdi ab exitu de Aegypto, vt probatum est Exod. cap. vltimo, & Leui. capit. primo. numeratio autem hæc cœpit prima die mensis secundi anni eiusdem supra capitul. primo. tamen cum ipse consecratus est plurium quam 20. annor. erat, quia non consecrabantur in sacerdotes

A iuuenculi: potiſſimum, quia ante exitum de Aegypto Eleazarus acceperat vxorem,&genuerat filium nomine Phinees: Exod.capit.ſexto,ergo plurium eſſet,quam viginti annorum in anno ſecundo ab exitu de Aegypto,& non fuit ligatus ſententia illa,quia non fuit mortuus:nec etiam exceptus eſt ſpecialiter,ſicut Ioſue,&Caleb:ergo non dabatur ſententia contra Leuitas.

Tolle Aaron,& filium eius cum eo. Iuſſerat Deus,quod moreretur Aaron,& quia ipſe erat ſummus ſacerdos,fecit,vt filius eius Eleazarus ſuccederet in ſummum ſacerdotium: Et dicitur: Tolle Aaron,ideſt, accipias eum tecum, vt vadat ad moriendum: volebat enim Deus, quod moreretur extra caſtra ſuper montem,& ibi indueretur Eleazarus veſtibus ſacerdotalibus,& dixit,quod tolleret, quia tollere ſignificat quandam quaſi violentiam: ad mortem autem rari ſponte vadunt. Dixit etiam quod tolleret filium eius, ſcilicet, ad conſtituẽdum ſummum ſacerdotem. Hoc autem fuit de Eleazaro: nam alium filium habebat Aaron, ſcilicet Ithamar, ſed erat minor,ideo ſucceſſit Eleazar. habuit enim Aaron filios quatuor,ſcilicet, Nadab, & Abiu, Eleazar, & Ithamar ante exitum de Aegypto:Exodi 6.capitul. Duo maiores mortui ſunt prima die, qua miniſtrare cœperunt poſt conſecrationem ſuam, cum offerrent ignem alienum Leuit.capit.decimo.relicti ſunt Eleazar, & Ithamar, qui functi ſunt ſacerdotio coram patre ſuo,ſupra cap.3. & quia iſtorum maior erat Eleazarus ſucceſſit.

B

Quomodo ſacerdotium in veteri teſtamento erat per ſucceſsionem: & cur omnes filij ſacerdotum minorum erant ſacerdotes, de filijs tamen ſummi ſacerdotis ſolus primogenitus, & quare nullus poterat renunciare ſacerdotio,vel non conſecrari,etiamſi vellet renũciare redditibus: & quomodo fiebat iſta ſucceſsio ſacerdotij, quando ſacerdos non habebat filios.

QVÆSTIO XVI.

SCiendum autem,quod ſacerdotium in veteri teſtamento erat per ſucceſſionem,ſcilicet, quod omnes filii ſacerdotum erant ſacerdotes, & nulli erant ſacerdotes, niſi filii ſacerdotum. Sed duplex ſacerdotium apud Iudæos: ſummus pontificatus & ſacerdotium minorum ſacerdotum: in ſummo pontificatu vnicus erat ſemper: in ſacerdotio minori erant plurimi: ideo cum moriebatur ſummus ſacerdos,vnus tantum de filiis ſuis ſuccedebat ei, reliqui autem ſacerdotes erãt, ſed non pontifices: minori autem ſacerdotio omnes filii ſuccedebant in eſſe ſacerdotes, niſi aliquis eorum eſſet maculatus. ille enim ſi à principio fuiſſet maculatus, nunquam conſecrabatur. ſi autem poſt conſecrationem incurriſſet maculam, nõ permittebatur miniſtrare, ſed dabantur ei omnia iura ſacerdotalia integre,ſicut aliis miniſtrantibus:Leuit.21.ca.ſcilicet, Omnis,qui habuerit maculam de ſemine Aaron ſacerdotis non accedet offerre hoſtias Domino,nec panes Deo ſuo;veſcetur tamen panibus,qui offeruntur in Sanctuario: ita duntaxat, vt intra velum non ingrediatur, nec accedat ad altare, quia maculam habet. Erant autem maculę prohibentes à miniſtratione eſſe cæcum,claudum, paruo, vel grandi, & torto naſo:fracto pede,vel manu:eſſe gibbum,vel lippum, habentẽ lugem ſ.abiem, vel albuginem in oculo, vel impetiginem in corpore,aut eſſe hernioſum:Leu.21.c.

C

Macula prohibentes à miniſtratiõe

Quare in lege noua filij non ſuccedũt parentib in beneficijs Eccleſiaſticis ſicut fiebat in veteri. Et quod non licebat tũc cuilibet ho

Deſummo ſacerdote conſiderandũ eſt,quod filii eius ſuccedebant ei in eſſe ſacerdotes: ſed vnicus ſuccedebat in eſſe ſummum ſacerdotem. Nunc autem non ſunt ſacerdotia,vel dignitates Eccleſiaſticæ per ſucceſſionem: quin potius filii presbyterorum non poſſunt ordinari, niſi diſpenſetur cum eis. Et dato,quod ordinentur,non poſſunt dignitates,aut beneficia Eccleſiaſtica quæcũq; ſuſcipere, niſi iterum ſuper hoc diſpenſetur. Ratio diuerſitatis eſt,quia ad dignitates,&officia non debent recipi perſonæ viles, & infames, ne vituperetur miniſterium noſtrum,ſed illegitimi ſunt perſonæ viles: ideo non debent recipi ad Eccleſiaſticas dignitates: nam ſeculares dignitates minores ſunt Eccleſiaſticis, & tamen ſecundum leges humanas non poſſunt ſuccedere illegitimi parentibus in honoribus:vel ſi alias habeatur dignitas, quam per ſucceſſionem,etiam non ſuſcipientur ad illam, ideo magis hoc debuit eſſe in Eccleſiaſticis. Si autem ſacerdotibus noſtris liceret accipere vxores,&filios legitimos procreare,ſatis eſſet rationabilis ſucceſſio: in veteri autem teſtamento ſic erat, quia licebat habere ſacerdotibus vxores,& aliquando licuit in nouo teſtamento:ergo rationabiliter ſuccedere debuerunt filii parentibus: potiſſimum quia de aliis tribubus non poterant aliqui effici miniſtri Dei in opere ſacerdotali,vel Leuitico:ſed Deus elegerat ſibi ſolam tribum Leuiticam,& ſi quis alienus accederet ad miniſtrandum,moriebatur ſupra capitu.tertio, & decimooctauo, nunc autem indifferenter licet omnibus hominibus ordinari in ſacerdotes, niſi habeant aliqua impedimenta iuris.

D

mini fieri ſacerdotem nũc aũt licet.

Si autem in veteri teſtamento nulli licuiſſet effici miniſtrũ Dei,niſi Leuitis,& ipſi non ſuccederent ita quod cogerentur eſſe miniſtri,aliquando eſſent pauci miniſtri Dei: ideo rationabile fuit,vt omnes de tribu Leuitica cogerentur ad miniſtrationem Dei. Non tamen cogebatur aliquis, ſed omnes ſponte recipiebant,quia magna erãt iura annexa illi miniſtrationi,& multi de popularibus deſiderabant iſtud miniſterium: & aliquando attentauerunt vſurpare ſibi,ſicut Chore,&ſocii ſui ſupra capitu.16. Si tamen eſſet aliquis de ſacerdotibus, qui non eſſet maculatus, & renunciaret omnibus iuribus, quæ competebant ei ex ſacerdotio, ita vt non conſecraretur, nec miniſtraret,peccaret,& non permitteretur ei hoc;quia Deus elegerat omnes illos ad miniſtrandum ſibi loco primogenitorũ Iſrael:vnde ſi aliquis ſe ſubtraheret à miniſtratione, adimeret Deo debitum famulatum, & tollebat vnum ſeruitorẽ obligatum pro aliquo de primogenitis Iſraelitarum:ideo cogebatur quilibet eorum miniſtrare.

E

Amplius conſiderandum eſt, quod ſummo ſacerdoti ſuccedebat aliquis de filiis ſuis, & tunc aut haberet plures, aut vnicum: ſi plures ſuccedebat primogenitus:ſi vnum ille ſuccedebat. De primo patet Leuit. vigeſimo primo cap.vbi pontifex vocatur maximus inter fratres ſuos,id eſt, debet ille aſſumi in pontificem,qui fuerit maior cæteris fratribus: ſi autem quiſquam de aliis vſurparet ſibi ſummum ſacerdotium, non erat recta ſucceſſio,nec debebat conſecrari:ideo quando agitur de conſecratione ſacerdotum magnorum Exodi capit.29. & Leuit.capit.6.dicitur: Sacerdos, qui iure ſucceſſerit, vel rite ſucceſſerit. Si autem primogenitus moreretur,ſuccedebãt alii fratres per ordinem vſque ad vltimum, & ſic fuit factum in Eleazaro: nõ fuit enim ipſe primogenitus Aaron,quia alii duo præceſſerant,ſcilicet Nadab, & Abiu, quia tamen mortui ſunt,ſucceſſit Eleazarus. Si autem ſummus ſacerdos non haberet filios,ſed ſolas filias, vel nullum genuiſſet, non erat aliquid à lege prouiſum. Sed lex dicit, quod aliquis ſacerdos debebat rite ſuccedere. ſemper ergo oportet dari aliquẽ modum iuris de hac ſucceſſione. Non eſt autem dicẽdum,quod ſummus ſacerdos poſſet inſtituere ſummum ſacerdotem ante mortem ſuam,quem voluiſſet,ſicut non habens liberos legitimos poteſt ſibi ſcribere hęredem,quem voluerit,dum tamen à lege non ſit prohibitus ſuccedere dignitates autem nõ ſunt huiuſmodi, etiam ſeculares, in quibus permittitur ſucceſſio,quia dignitates non ſunt propria bona noſtra,ſicut hęreditas: redeundum ergo erat ad legem de ſucceſſione ab inteſtato in hæreditatibus. Iuſſum enim eſt infra 27.cap. quod filii ſuccedant patribus in hęreditate,&ſi non fuerint filii ſuccedant filiæ:& ſi neutri, ſuccedant fratres, & ſi non iſti ſuccedant fratres patris,quibus non ſtantibus attenditur maior propinquitas. In ſummo ſacerdote ſic erit: ſi enim filios non habuit,ſed filias non poſſunt ſuccedere,ſicut in hæreditate, qa fœminę non miniſtrabant,ſed deuoluebatur ſummum ſacerdotium ad alios propinquiores ſecũdum regulam ſucceſſionum in hæreditatibus: ſi tamen haberet ſacerdos multos filios,& primogenitus eſſet maculatus, non poterat ſuccedere,quia prohibebatur ei miniſtrare, ſed alius de fratribus eis fiebat ſacerdos magnus,ipſe autem manebat recipiens aliqua iura ad ſuſtentationem ſuam, ſed non iure ſummi ſacerdotij.

Nullus de filius ſacerdotũ in veteri teſtamẽto poterat renũciare ſacerdotio.

Quo ſuccedebãt filij ſummi ſacerdotis: &

F

quomodo quãdo non habebat filios.

A

Quid si filius primogenitus summi sacerdotis incurreret maculam perpetuam antequam consecraretur, & quid si postquam consecraretur, & an daretur ei coadiutor, vel fiebat alius summus sacerdos, & quid de redditibus summi sacerdotij.

QVÆSTIO XVII.

SI autem post consecrationem suam incidisset in aliquam maculam etiam prohibebatur ministrare, & tunc non apparet quid deberet.

Aliquis forte dicet, quod fiet, sicut in Episcopis, & aliis prælatis nostris, quibus si inciderint in aliquam ęgritudinem, vel deformitatem propter quam non possint, aut non debebant, datur coadiutor, cui dabitur aliquid de fructibus, reliqui autem manebunt ipsi prælato, sed non fiet alius prælatus viuente eo, nisi esset talis casus, in quo deberet deponi, vel degradari: ita dicetur de sacerdote magno.

Sed dicendum non stare: nam nunc potest aliquis supplere pro Episcopo, vel alio prælato ea, quæ facere tenetur, ipso impedito, vel non potente facere, quia aut pertinent ad ordinem Episcopalem, vel ad iurisdictionem: si secundo modo, cuicunque committi possunt non prohibito à iure; si sunt ordinis poterit alius prælatus habens similem ordinem supplere. In veteri autem testamento non poterat hoc assignari: quia licet de eis, quæ pertinebant ad summum sacerdotem per modum iurisdictionis, quamquam dicamus quod possent committi cuicunque sacerdoti minori, tamen ea, quæ erant ordinis non poterant delegari, & adhuc difficilius, quam nũc: nam nunc ea, quæ sunt ordinis Episcopalis non possunt committi sacerdoti minori ex sola ordinatione Ecclesiæ; Deus tamen hoc non vetuit. In veteri autem testamento quædam data erant summo sacerdoti, quæ per eum solum Deus fieri iubebat: sicut patet de omnibus ministeriis diei expiationis Leuitic. capitu. decimo sexto vbi etiam nullus de minoribus poterat introire in sancta Sanctorum: ad Hebræos capitu. 9. sed pontifex tantum: immo si aliquis de minoribus staret in prima parte tabernaculi, cum introibat pontifex in sancta Sanctorum, moriebatur: Leuitic. capitu. decimosexto. Ideo non poterant delegari ista alicui minori impedito sacerdote maiore, vel non potente facere. Oportebat ergo, cum summus sacerdos incidebat in aliquam maculam, propter quam vetaretur ministrare, vt alius consecraretur in summum sacerdotem. Nisi forte dices, quod quamquam iste summus sacerdos nõ posset exercere officia pontificalia, nec alicui committere, non esset necesse alium consecrari pontificẽ, sed manerent officia pontificalia non facta, vtpote si non essent officia necessitatis.

B

C

Fructꝰ summi sacerdotij alio consecrato, an proueniret

Dicendum est non stare, qui quolibet anno cogebatur summus sacerdos saltem semel facere omnia ministeria sacerdotalia, scilicet, in die propitiationis: Leuitic. decimosexto. Necesse est igitur alium tunc consecrari. Sed manet (hoc dato) dubium de fructibus summi sacerdotii: habebat enim summus sacerdos magna iura, scilicet, quia communicabat in iuribus minorum sacerdotum, & rursus recipiebat in partem suam decimam decimæ leuitarum, scilicet centesimam partem omnium fructuum totius Israel quolibet anno supra c. 18. alio ergo consecrato dubium erat, cui iusta iura prouenirent. Dicet aliquis, quod proueniebant priori summo sacerdoti, qui inciderat in maculam: Sic enim erat de omnib. aliis sacerdotib. quod si quis haberet maculam, non accederet ad altare, tamen omnia iura integra perciperet: Leuit. 21. Dicendu, quod non est eadem ratio in summo sacerdote, & in aliis, percipiebant iura æqualiter, ideo quod aliquis esset maculatus, & perciperet omnia iura sua, non erat grauamen alicui de administratoribus: si tamen summus sacerdos, qui propter maculam non poterat ministrare perciperet omnes fructus, quos alias percepturus erat, alius summus sacerdos, qui postea consecrabatur non haberet alia iura summi sacerdotis, sed minoris, & sic grauaretur. Item videbatur fieri cõtra legẽ, quia sup. ca. 18. assignantur iura summi sacerdotis, sed iste, qui consecrabatur alio incurrente in maculam erat summus sacerdos: ergo debebantur ei illa iura. Item ille, qui in maculam incideret, non erat iam summus sacerdos, quia eo viuente alius fiebat summus sacerdos, sed pontifex semper erat vnus: ergo qui incideret in maculam, non erat pontifex: iura tamen illa dabantur propter pontificatum, ergo non competebant ei. Quid autem dicendum sit, non patet penitus. magis tamen videtur, quod ista iura prouenirent secundo pontifici: an vero ipse teneretur dare aliquid de his iuribus priori pontifici, non constat: sed satis videtur rationabile. *Et duces eos in montem Hor.* Accipitur hic mons Hor pro cacumine montis: iam enim Israelitæ castra fixerant in monte Hor, vt supra dicitur. Ascenderunt Moyses, Aaron, & Eleazar in cacumine montis, populus autem castra fixerat in planicie.

D

Quare Aaron ductus est ad moriendum extra castra super montem.

QVÆSTIO XVIII.

QVæret aliquis, quare ductus est Aaron in montem. Aliquis respondebit hoc factum esse, quia Deus volebat, vt moreretur ibi, & sepulchrum eius occultare volebat, sicut factum est de Moyse, quia nullus cognouit sepulchrum eius vsque in præsentem diem: Deuteronom. capit. vlt. Sed hoc non stat, quia si voluisset Deus occultare sepulchrum eius, non accessisset aliquis cum eo ad montem, sicut Moyses ascẽdit solus in montem Abarim: Deuteronom. capit. vlti. Cum Aaron tamen ascenderunt Moyses, & Eleazarus: ergo non factum est propter hoc. quin potius credendum est, quod isti sepeliuerint eum, vt alii de populo, quamquam Scriptura subticeat. Aliquis forte diceret factum esse, quia moriturus erat Aaron, & domus illa, in qua aliquis moriebatur, polluebatur, & omnia, quæ in ea erant, & quicunque astitissent morienti præcedenti capitu. si tamen mortuus fuisset Aaron in castris, multi astitissent ei, & omnes polluerentur, ergo fuit cõueniens, quod moreretur extra castra. Sed hoc non multum stat, quia Moyses, & Eleazarus astiterunt morti Aaron, in quibus maior requirebatur munditia, quam in cæteris, quia erat Eleazarus summus sacerdos, & Moyses semper accedebat ad Dominum. Sed isti non videntur esse polluti cum Eleazarus tunc fuerit indutus vestibus sacris, ergo nec populares alii fuissent polluti si astitissent ei.

E

Positiõ auc.

Forte autem videtur magis dicendum, quod iusserit Deus exire Aaron de castris ad moriendum, quia volebat ei dare mortem specialem, scilicet ipse sanus erat, quando ista iussa sunt, & per se ascendit in montem. & immediate, vt ascendit, mortuus est, nullo præueniente languore, aut mortis angustia. Quod forte popularibus videre non permittebatur, quia ad hoc indigni erant, maxime si asseramus ea quæ dixit Rabi Salom. de morte Aaron, vt infra dicetur. Hoc igitur fuit quare extra castra, & coram solo Moyse, & Eleazaro mortuus fuerit.

F

An Moyses, & Eleazarus contraxerint immunditiam assistendo Aaron morienti.

QVÆSTIO XIX.

QVæretur amplius an Moyses, & Eleazarus contraxerint immunditiam, quia astiterunt morienti Aaron, sed omnes huiusmodi polluebantur per dies septem: ergo de istis idem alicui videbitur.

Respondebit aliquis quod fuerunt polluti, sicut cæteri polluebantur, & non est hoc inconueniens, quia pollutio super mortuo non est peccatum, sed solum contaminatio, & interdum polluti est valde meritorium, vt præced. cap. declaratum est: ergo non est inconueniens Eleazarum, & Moysen fuisse pollutos.

Sed non stat, quia si polluerentur mansissent septem dieb. extra castra, vsquequo expiarentur, quia immundi super mortuo iubentur eiici de castris, sup. c. 5. & fit eorum expiatio per septem dies: ergo toto isto tempore extra castra mansuri erãt, sed non manserunt, quia immediate, vt mortuus est Aaron descenderunt Moyses, & Eleazarus in castra.

Item inconueniens erat Moysen pollui, quia ipse habebat continuam familiaritatem cum Deo, & petebat à Deo respõsum de omnibus, quę populo necessaria erant, ad quod introibat intra sancta Sanctorum supra cap. 7. sed si fuisset pollutus in morte Aaron, non potuisset per septem dies accedere ad

A Sanctuarium quod erat inconueniens: ergo non fuit pollutus. Antecedens patet, quia populus quotidie petebat de multis dubiis, in quibus solus Moyses informabat eos per diuinum responsum. Si autem fuisset pollutus, nec ipse per septem dies potuisset introire ad Dominum, nec populares accedere ad ipsum. Item erat inconueniens ex parte Eleazari, quia ipse fuit factus summus sacerdos coram parte suo, priusquam moreretur, vt patet hic, sed summus sacerdos non debebat pollui super morte alicuius: etiamsi esset pater, vel mater Leuit. 21. cap. ergo Eleazarus non pollutus est coram Aaron. Vel si pollui posset, non iussum esset, quod iret illuc cum Moyse.

Respon. Aucto. Respondendum est ergo, quod Moyses, & Eleazarus non incurrerunt aliquam immunditiam propter assistere Aaron morienti, nec susceperunt aliquam legalem purificationem. Causa autem videbitur alicui esse, quia intelligebatur hoc de mortibus vulgaribus. Ista autem fuit aliqua mors specialis, cum mortuus fuerit Aaron nullo præueniente languore, aut vulnere solo iussu Dei: ergo non fuit hic facta pollutio, vt in cæteris mortibus. Sed non multum stat, quia ista immunditia contracta super mortuum non erat aliquid naturale, sed legale. B Si enim fuisset naturale, potuisset assignari differentia in contrahendo hanc immunditiam, vel non contrahendo secundum differentiam morientium, & generis mortis: quia ista aliquid ponunt ex parte rei. Sed ista immunditia erat aliquid causatum solum ex voluntate Legislatoris: ideo cum de omnibus morientibus dictum sit, de omnibus intelligeretur, quod assistentes eis contraherent immunditiam: ideo dicendum, quod Moyses & Eleazarus contraxissent immunditiam si astitissent alicui morienti non iubente Deo, sed ex iussu Dei factum est specialiter; ergo non incurrerunt. Et apparet rationabile, quia ista immunditia erat ex voluntate Legislatoris, ideo cum aliqua causa subesset facile erat dispensari, ne incurreretur immunditia: sed suberat causa ad hoc, quod Moyses, & Eleazarus assisterent Aaron morienti, scilicet, vt Moyses indueret Eleazarum faciendo eum sacerdotem magnum, & vt Eleazarus coram patre suo efficeretur sacerdos: ideo non polluti sunt. Quod autem relaxaretur eis lex Dei in immunditia super mortuo satis apparebat, eo quod iubebat illos assistere morienti. Velut si Deus iuberet alicui homini, quod occideret alterum, videbatur facere ne mortaliter peccaret occidendo. *Cumque nudaueris patrem veste sua.* Hoc intelligitur de vestib. summi sacerdotis. Volebat Deus, quod succederet Eleazarus Aaron in summo sacerdotio, ideo iussit, vt indueretur Aaron vestibus pontificalibus cum ascenderent in montem, & ibi exueretur à Moyse, atque indueretur Eleazarus, vt sic videretur factus sacerdos. Et dicitur. *Veste sua.* Id est, veste pontificali: nam non debet intelligi de vestib. communibus Aaron, quia ad nihil proficiebat Eleazarum indui vestibus illis, potissimum cum dicatur immediate, quod descendit Eleazarus de monte indutus vestibus suis, id est, summi sacerdotis, tanquam in hoc innuatur transisse ad eum summum sacerdotium. Sed dicitur veste sua, id est, propria Aaron inquantum distinguitur à vestibus minorum sacerdotum. Erant enim quatuor vestes sacerdotum minorum, scilicet, tunica linea, baltheus, cidaris, & femoralia: summus autem sacerdos habebat nouem, scilicet, ista quatuor communia, & quinque alia propria, scilicet tunicam totam hyacinthinam, rationale, superhumerale, mitra hyacinthina, lamina aurea. Alterum autem addit Iosephus, scilicet cingulum. De his Exod. 28. cap. ad hoc autem quod Eleazarus videretur cõsecratus in summum sacerdotem, debebat indui omnibus his vestibus, quia istæ vestes sunt insignia ordinis illius, sic in nouo testamento ordinati recipiunt in sua promotione vestes conuenientes ordini suo: accipitur autem hic vestis singulariter pro plurali, quia non erat vnica vestis summi sacerdotis, sed multæ, vt dictum est: scriptura tamen aliquando sic loquitur.

C *Vestes sacerdotũ minorum quam summi.*

Quare Aaron exiuit in montem indutus vestibus pontificalibus tempore mortis, & de tribus priuilegiis, quæ habuit Aaron in morte sua.

QVÆSTIO XX.

QVæret aliquis quomodo Aaron exiuit in montem indutus vestibus pontificalibus, quia nunquam vtebatur summus sacerdos his vestibus, nisi in Sanctuario administrãdum, vt declaratum est Exo. 28. c. D

Respondetur, quod tunc fuit indutus illis ex speciali causa, vt eis exueretur, & significaretur, quod sacerdotium summũ transibat cum vestibus ad Eleazarum, sicut in his, qui degradantur, induuntur quippe omnibus vestibus ordinis sui, & incipitur ab vltimo ordine, & tollitur vestimentum cõsonans illi ordini, vt casula pro presbyteratu, & dalmatica pro diaconatu. & sic vsque ad primum ordinem, vt quæ sunt priora generatione sunt vltima in resolutione: licuit autem hoc, quia Deus iussit, alioquin non auderet Aaron, vel alius pontifex egredi indutus de Sanctuario vestibus hic. Alium casum legimus, in quo summus sacerdos exierat indutus de Sanctuario vestibus sacris, scilicet quando Alexander venit in Ierusalem destructurus eam, & summus sacerdos indutus vestibus pontificalibus cum cæteris sacerdotibus exiuit obuiam illi, & placatus est Alexand. De quo Alexandreidis primo & tertio libro. De hoc etiam dictum est Exo. 28.

Op. quorundã refellitur. Aliqui dicunt, quod Aaron illa die, qua mortuus est ministrauerat in Sanctuario vestibus pontificalibus, quia quandocunque locabantur castra fiebat quotidie ad minus sacrificiũ matutinum, & vespertinum, quod vocabatur iuge: Aaron autem expleto sacrificio ascendit in montem indutus vestibus, vt erat. E

Sed ista positio multum deficit, primo quia dicit, quod quandocunq; locabantur castra, fiebant quotidie sacrificium matutinum, & vespertinum: nam obligati non sunt Iudæi in deserto ad istas cæremonias, vt declaratum est supra 15. capit. Item dato, quod vellent facere sacrificium non possent: in omni enim sacrificio quotidiano requirebatur aliquod animal scilicet agnus anniculus, qui debebat dari pro sacrificio iugi infra cap. 28. etiam requirebatur farina, quæ simila dicitur, & vinum, & oleum, & thus, quæ sunt libamenta. Quod autem Iudæi potuissent habere animalia saltem ad iuge sacrificium satis constat: farinam tamen, vinum, & oleum habere non poterant, quia non cõmunicabant alicui genti, à qua ista habere possent: pecora autem de Aegypto ipsi adducebant, & vsque ad terram Chanaam duxerunt, vt patet de tribubus Ruben, & Gad, quæ petierunt dari sibi terram Galaad, quia erat illis in pecoribus infinita substantia infra 32. c. Item non attribuũt isti alicui causæ per se, quod Aaron exiuisset de Sanctuario indutus vestibus sacris dicentes, quod finiuerat sacrificium, & quia Deus iusserat illum ascendere in montem, contigit eum ascendere sicut erat: sed tunc non stat, quia oportet reddi causam quare vestes sacras duxerit extra Sanctuarium, quas communiter extrahi non licebat de loco sancto: ideo respondendum est, vt primo dicebatur, *Indues ea Eleazarum filium eius.* Id est, accipies vestes pontificales Aaron, & coram eo indues filium suum ex causa dicta. F

Quare Eleazarus extra Sanctuarium indutus est vestibus sacris.

QVÆSTIO XXI.

QVæretur quare Eleazarus fuit indutus vestibus sacris extra Sanctuarium, cum consecratio sacerdotum esset intra illud, vt patet Exo. cap. 29. & Leu. 8. Respondendum est, quod Deus voluit facere magnam gratiam Aaron: erat enim vir bonus: & quamquam peccauerit in Cades barne non sanctificando Deum, quia tamen illud accidit ex zelo Dei, vt supra declaratum est, & Deus eum priuabat possessione, & visione terræ Chanaam, voluit supplere in genere mortis dando ei consolationes aliquas in morte sua, & præcipue in duobus. Primo quia mors sua fuit pacifica, scilicet nullo præueniente, aut vulnere, vel tædio vitę: sed in plena sanitate quasi dormiens de vita assumptus est, quod aliis non conceditur. Nec dicat aliquis hoc esse ridiculum, vel saltem dubium & fictum, quia satis constat ex litera, scilicet quia ascendit Aaron in montem per seipsum, in quo patet eum fuisse sanum, & ibi cum exueretur vestibus suis, & filius eius indueretur mortuus est, quia immediate, vt indutus est Eleazarus descenderunt ipse, & Moyses de monte, & iam erat mortuus Aaron, vt patet in litera: ergo apparet nullam quasi alterationem fuisse ad mortem eius, quod est valde gloriosum inter omnia genera mortis.

Secundum fuit, quia fecit Deus, vt filius Aaron Eleazarus

eo vidente

A

eo vidente indueretur veſtibus ſanctis tamquam ſummus ſacerdos, & gauderet Aaron, quod in vita ſua videbat filium ſuũ in illo ſummo honore ſibi ſucceſſiſſe, quæ eſt magna iocunditas patrum. Tertium poterat adiungi ſi credas Rabi Sal. dicit enim quod aſcendentes iſti tres in montem, inuenerunt ſpeluncam, & lectum paratum, & lampadem ardentem, vt ſolet mortuis aptari: & tunc Moyſes cognouit, quod erat à Deo ille locus paratus pro dormitione Aaron: exutus ergo veſtibus & induto Eleazaro incubuit Aaron lecto, & clauſis oculis ſuſceptus eſt à Domino in pace: Moyſes autem videns mortem illam tranquillam deſiderauit ſimilem, ideo promiſſa eſt ei, vt patet infra 27. c. & Deut. 32. Iſtud autem pertinet ad honorem ſepulturæ: nam licet reſpectu verorum bonorum ſit hoc de paruis, & tamen bonũ eſt: nam de Meſſia dicit Scriptura Iſai. c. 11. erit ſepulchrum eius glorioſum. Ad hoc enim, vt gauderet Aaron videns filium ſuum ſibi ſuccedentem, & aſtantem funeri ſuo oportuit, vt coram ipſo induceretur. Si tamen fuiſſet indutus in Sanctuario poſt funera Aaron non vidiſſet Aaron ſuccedentem ſibi: ideo extra caſtra indutus eſt.

Aaron quomortuus eſt ſine dolore.

Honor ſepulturæ bonũ quoddã eſt.

Quomodo patre moriente potuit indui veſtibus pollutis.

QVÆSTIO XXII.

B

QVæretur tunc quomodo potuit coram patre ſuo moriente indui veſtes ſacras, quia ex hoc videbatur pollutus, & non ſolum ipſe, ſed veſtes polluerentur, & debebant aſpergi atque lauari, quia ſi aliquis incurriſſet immunditiam ſuper mortuo, poſtquam fuiſſet aſperſus die tertio, & ſeptimo, lauabat in ſeptimo veſtimenta ſua præcedenti capitu. ſed Eleazarus, quando aſſiſtebat Aaroni, erat indutus veſtibus ſacris. ergo ipſæ pollutæ fuerunt, & conſequenter aſpergendæ, atque lauandæ erant, quod inconueniens eſt.

Ad hoc reſpondebitur, quod veſtes alicuius non incurrebant immunditiam, niſi ipſe incurreret eam, ideo ſi aliquis indutus non contaminaretur in mortuo, nec veſtes eius contaminari poterant: nam potius veſtes dicebantur contaminatæ propter hominem, quam homo propter veſtes, ſed Eleazarus non incurrit immunditiam aſſiſtendo Aaron morienti, vt ſupra declaratum eſt: ergo nec veſtes eius incurrerent: & ſic non ſequebatur inconueniens.

Aliter etiam poteſt dici, ſcilicet dato, quod Eleazarus polluueretur, non polluerentur veſtes ſacræ. nam ea, quæ ſancta erant, contaminari non poterant; quod plane patet in ſummo ſacerdote in die expiationis: nam poſtquam confitebatur omnia peccata populi ſuper caput hirci emittebat eum in ſolitudinem, manebat immundus, ſicut ille, qui ducebat hircum: ideo lauabat corpus ſuum antequam inciperet ſacrificia ſequentia diei eiuſdem: & tamen non lauabat veſtes, quia erãt ſacræ Leuit. 16. capit. Si autem incurriſſent immunditiam, lauarentur: ideo etiamſi Eleazarus hic polluereturr, & deberet lauari, veſtes non eſſent immundæ. Item patet de Sanctuario: nam intra illud mortui ſunt, Nadab, & Abiu, & ipſi erant immundi, quia mortui, & tamen non contaminauerunt Sanctuarium, quia ſi contaminauiſſent, oportebat illud expiari, quod non factum eſt: ipſi tamen, qui tetigerunt Nadab, & Abiu immundi fuerunt: & propter hoc iuſſum eſt, ne fratres ſui Eleazar, & Ithamar tangerent eos Leuit. capit. 10. ſi tamen mortui fuiſſent Nadab & Abiu in aliqua domo illa fuiſſet immunda, vt patet præcedenti capitu. & ſeptem diebus manere debebat immunda, atque expiari tertio, & ſeptimo die. *Et Aaron colligetur, & morietur ibi.* Id eſt, Aaron colliget ſe ſuper lectum, quia vt dicit Rabi Salom. inuenit lectum à Deo paratum in ſpelunca, & ſuper illud incubuit, & mortuus eſt. Illud autem vocatur colligere ſe, & ſic dicitur de aliis defunctis, vt patet de Iacob. Geneſ. quadrageſimonono capit. ſcilicet finitiſque mandatis, quibus filios inſtruebat, collegit pedes ſuos ſuper lectulum, & obiit. Alio modo poteſt accipi colligetur, id eſt, congregabitur ad patres ſuos. Sic enim dixerat Deus pergat Aaron ad populos ſuos. *Et morietur ibi.* Scilicet ſuper cacumen montis aſtantibus Moyſe, & Eleazaro filio eius, ibique ſepultus eſt, vbi credendum eſt fuiſſe ſepulchrum à Deo paratum, ſicut dicit Rabi Salomon quia Moyſes, & Eleazarus non potuiſſent ita faciliter eum ſepelire in monte.

C

D

Fecit Moyſes, vt præceperat Dominus. Scilicet aſſumpſit Aaron, & Eleazarum ſecum, duxitque eos in montem, in quo Aaron fuit obediens: nam licet ſciret, quod ibat ad mortem, quia tamen Deus iuſſit obediuit: Eleazarus quoque, quamquam audiret de morte patris, tamen ad mandatum Dei nihil recuſauit. *Aſcenderunt in montem Hor coram multitudine.* Id eſt, iſti tres aſcenderunt in cacumen montis vidente tota multitudine, & nemo comitatus eſt eos prohibente Moyſe. Etiam credendum eſt, quod hoc fuerit denunciatum toti multitudini, ſcilicet, quod aſcendebat Aaron in montem ad moriendum, vt ſic non haberent occaſionem dicendi, quod Moyſes, & Eleazarus occiderant Aaron, & hoc poteſt ſignificare iſta determinatio coram omni multitudine, ſcilicet, quod tota multitudo ſciebat aſcendere Aaron ad moriendum. *Cumque Aaron ſpoliaſſet veſtibus ſuis.* Eſt Aaron accuſatiuus, ſcilicet, quod Moyſes expoliauit Aaron veſtibus ſuis, id eſt, pontificalibus ex cauſa ſupra aſſignata. Veſtes autem communes non eſt veriſimile, quod fuerunt ablatæ Aaron. nam apud Iudæos nullus ſepeliebatur nudus.

Induit eis Eleazarum filium eius. Quia ſciebat Aaron ſe aſcendiſſe ad moriendum, conſentiebat ſibi tolli veſtes, & indui filium ſuum, quia cognoſcebat ad quid illa fierent. Etiam ex hoc apparet, quod totus populos cognoſceret ad quid aſcenderet Aaron in montem: nam vidit eum tota multitudo exeuntem de caſtris, vt patet hic: & ipſe tunc erat indutus veſtibus pontificalibus, cum in monte fuerit exutus eis: ergo videret tota multitudo eum indutum illis; & quia nunquam ſummus ſacerdos exierat de Sanctuario indutus illis veſtibus, miraretur populus, & quæreret cauſam quare hoc fieret. *Induit eis Eleazarum filium eius.* Ipſe Moyſes induit Eleazarum, quia erat ibi Eleazarus tamquam ſummus ſacerdos, ideo debebat ei aliquis ſubminiſtrare. Vel forte induit eum Moyſes, quia tunc fiebat Eleazarus ſummus ſacerdos, & ad ſignandum, quod ipſe non appetebat ſummum ſacerdotium ſe ingerens, ſed iuſſu Dei non induit ſe veſtibus pontificalibus, ſed Moyſes eum induit, vel forte poteſt dici, quod in veſtibus pontificalibus erant multę ligaturæ, vt in rationali, & ſuperhumerali, de quibus patet Exo. capit. 28. & non poſſet aliquis ſe induere veſtes has, niſi aliquis eum adiuuaret.

E

Circa ipſam ſuſceptionem veſtium ſacerdotalium conſiderandum eſt, quod Eleazarus fuit conſecratus, vel factus ſummus ſacerdos ſolum induendo veſtes ad conſecrationem tamen ſummi ſacerdotis plura requirebantur: omnia enim quæ obſeruata ſunt in monte Sinai in conſecratione Aaron, obſeruari debebant in omnibus aliis ſummis ſacerdotibus: Exodi capitu. vigeſimo nono & Leuitic. octauo hic tamen nullum illorum fuit. Patet quia requirebantur oblationes multæ, & ſacrificia ſeptem dierum, & manere in Sanctuario, omneſque cæremoniæ, de quibus præallegato capitu.

F

Sed forte aliquis dicet, quod Eleazarus fuit coram patre ſuo vnctus, & factæ ſunt aliæ ſolennitates licet ſcriptura ſubticeat.

An ad cõſecrationem ſummi ſacerdõtis ire quirãtur aliæ præter ſacras veſtes cũ aliæ cæremoniæ eſſẽt in minoribus ſacerdotibus.

Dicendum eſt impoſſibile eſſe, quia illæ fiebant in Sanctuario: Leuitic. capit. octauo. Aaron tamen in monte extra tabernaculum mortuus eſt, & ibi Eleazarus indutus eſt. Item quia iſtæ ſolennitates fiebant in ſeptem diebus, vt patet præalleg. capitu. ſed immediate, vt mortuus eſt Aaron deſcenderunt de monte Moyſes, & Eleazarus: ergo non fuit aliquid tale. Sed quia Exodi. capitu. vigeſimo nono dicitur, quod ritus conſecrandi erat ſempiternus in Aaron, & in omnibus ſucceſſoribus eius dicet aliquis, quod poſt mortem Aaron completæ ſunt ſolennitates, ſed dicendum eſt quod nihil factum fuit poſt: nam dato, quod vellet Moyſes conſecrare Eleazarum, ſicut fuerat conſecratus Aaron, non poſſet, quia multa requirebantur ad conſecrationem iſtam, ſcilicet, animalia immolabilia, panes, vinum, & oleum, vt patet ex præallegato capitulo ſed iſta non poterant haberi in deſerto, vbi nunc erant Iſraelitæ: ideo non poterat conſecrari Eleazarus ſecundum formam aliorum ſacerdotum. Et ſi dicatur: quomodo ergo in monte Sinai potuerunt iſta haberi ad non conſecrationem

A Aaron,& filiorum ſuorum,reſponſum eſt Exod.ca.29.& Leu. 8.ſcilicet,quod haberentur de terra Madian,quæ erat propinqua,vbi non erant tunc hoſtes Iudæorum.Nunc autem nihil tale poterat haberi,& ex hac cauſa relictæ ſunt multæ ſolennitates in deſerto non celebratæ,quia non erant neceſſariæ ad illas,cum exigerent ſacrificia:Leui.23.c.

Dicendum ergo plenam fuiſſe conſecrationem per aſſumptionem veſtium,quia non poterant haberi alia,&quia Deus ſic fieri iuſſit,quod ſolum ſufficiebat: nam iſta cæremonialia erant ex ſola voluntate Dei. Cum ergo ipſe contrarium vellet,ſufficiebat,illud ſicut omnes cæremoniæ. Aliquis tamen dicet,quod nihil defuit Eleazaro ad conſecrationem in ſummum ſacerdotem:& quando obiicitur,quod in cõſecratione Aaron fuerunt factæ multæ Cæremoniæ, de quibus nulla habetur hic: reſpondebit illud factum eſſe, quia tunc Aaron non erat Sacerdos,ideo fuerunt in eo factæ cæremoniæ multæ ad ſacerdotium: Eleazarus autem fuerat iam factus ſacerdos,quando mortuus eſt Aaron. quia ſimul conſecratus eſt cum Aaron in monte Sinai Leu.cap.8. & ſupra cap. 3. ideo ad hoc, quod efficeretur ſummus ſacerdos, nihil videbatur ei deficere,niſi quod induceretur veſtibus pontificalibus, quia reliquæ cæremoniæ iam factæ fuerant.

Reſpondendũ eſt non ſtare, quia ſummus ſacerdos requirebat plures cæremonias ad conſecrationem ſuam,quam minores,vt patet de aſperſionibus, & vnctionibus: nam ſuper
B caput eius fundebatur oleum vnctionis,& ſuper minores nõ fundebatur: Leuit. capitu. 8.& aliæ cæremoniæ ſimiles.Item quandocunque aliquis efficeretur ſummus ſacerdos, debebat ſeptem diebus indui veſtibus pontificalibus,& facere cæremonias,de quibus habetur Exod.cap.29.ſed iſtas non fecit Moyſes,in Eleazaro, ideo non fuit completa in eo conſecracratio ſummi pontificis,vt in Aaron: ſed reſpondendum eſt, vt ſupra.De hoc latius dictum eſt Exo.cap.29.Item ſicut ſummi ſacerdotes conſecrabantur ita etiam minores, & Leuitæ, ſed non eodem ritu.De ritu conſecrationis Leuitarum patet ſupra cap.8. De ritu conſecrationis ſacerdotum minorum,& maiorum,patet etiam 29. & Leuit.c. 8.quis autem conſecret Leuitas,& quis ſacerdotes minores,& quis ſacerdotem magnum,& an ſemper fuerit modus quantum ad conſecrantem ſatis declaratum eſt.Exod.29.c. *Illo mortuo in montis ſupercilio deſcendit cum Eleazaro.* Id eſt, poſtquam mortuus eſt Aaron in cacumine montis deſcenderunt Moyſes, & Eleazarus ad caſtra:aſtiterunt enim illi dum moreretur, & reliquerunt eum tumulatum in pace in loco,quem Deus ei parauerat.Sed contra hoc videtur eſſe Deut.capit.10.vbi dicitur,quod mortuus eſt Aaron in Moſera, & ibi ſepultus eſt. Reſpondendum eſt, ſicut ibi late declaratum fuit. *Omnis autem multitudo videns occubuiſſe Aaron.* Id eſt,totus populus vidit,quod Aaron mortuꝰ fuerat.Hoc autem vidit populus, i. cognouit per electionem Moyſi & Eleazari.Nam non aſcendit in monte multitudo ad
C videndum ſepulchrum Aaron:ſoli enim Eleazarus, & Moyſes viderunt.Rab.Salom.dicit, quod poſt mortem Aaron deſcendentibus Moyſe,& Eleazaro de monte,populus non vidit Aaron deſcendentem cum eis, cum prius tres ſimul aſcẽdentes vidiſſet:putauit ergo populus,quod Moyſes, & Eleazarus occiderant Aaron propter inuidiam, vel cupiditatem ſummi ſacerdotii, ideo tota multitudo volebat eos lapidare: inclinata ſunt autem tunc cacumina montium, & viderunt omnes de populo Aaron honorifice ſepultum,& tunc ceſſauit ſeditio. Sed hoc fictitium eſt:nam ſi fuiſſent inclinata cacumina montium,cum iſtud ſit magnum miraculum,ſcriptura non ſubticuiſſet illud. *Fleuit ſuper eum triginta diebus.* Id eſt, totus populus fleuit pro Aaron triginta diebus faciendo honorabiles exequias.Item erat Aaron honorandus valde,quia erat ſummus ſacerdos: & ex hoc quaſi tenebat principatum in populo. Item diligebat eum totus populus valde, quia viderant,quod precibus eius ceſſauerat incendium ſuſcitatum contra eos pro murmuratione, de quo ſupra 16. capit. ab hoc autem trigenario dierum accepit Eccleſia morem pro defunctis faciendi triginta dierum memoriam. *Per cunctas familias ſuas.* Id eſt:plorauit totus populus,& ſinguli per familias ſuas ſcilicet,quod non conuenieb at totus populus ad plorandum ſimul,quia erat magnus populus valde: ſed ſingulæ familiæ ſeorſum plorabant.Simile eſt Zach.12. ca.de planctu magno, qui fieret in Ieruſalem vbi inducuntur ſingulæ familiæ plorantes ſeorſum, & in illis rurſum viri plorabant ſeorſum, & fœminæ ſeorſum. Alio modo poteſt accipi, quod plorabant per familias ſuas, id eſt, non erat aliqua familia, quæ non ploraret. Sed dicet aliquis cum eſſet Aaron honorabiliſſimus in populo, quare non ploratum eſt pro ipſo tot diebus, ſicut pro Iacob, ſcilicet, ſeptuaginta diebus? Geneſ.cap. vltimo. Reſpondebit aliquis.quod non erat tam honorabilis, Aaron in populo tempore ſuo, ſicut fuit Iacob tempore,quo vixit, quia erat pater totius huius populi. Sed tunc dicetur, quod Moyſes videbatur ita honorabilis in populo,ſicut Iacob,quia ipſe eduxit Iſraelitas de Aegypto:& per ipſius manum dedit omnia beneficia Iſraelitis, vt patet ex proceſſu quatuor librorum vltimorum Moyſi: & tamen pro ipſo defuncto ſolum fuit planctus dierum triginta. Deutero. cap.vltimo. Reſpondendum eſt, quod pro Iacob factæ ſunt cæremoniæ planctus ſecundum ritum Aegyptiorum, vt patet Geneſ.capitu.vltimo,apud quos erat mos, vt cum aliqua cadauera condirentur, diebus quadraginta duraret iſte ritus, & fiebant tunc aliquæ cæremoniæ planctus. conſummatis his condito cadauere incipiebant triginta dies continui in planctu, & quia Ioſeph erat vir potens in Aegypto fecit condiri cadauer patris,in qua duraturum eſt diebus quadraginta, deinde cœpit planctus dierum triginta,& ſic fuerunt ſeptuaginta, ſed triginta proprie ad planctum pertinent. Cadauer autem Aaron non fuit conditum aromatibus,quia non ſterit aliquis ad mortẽ eius,niſi Moyſes,& Eleazarus, & ſuper mõtem in ſepulchro à Deo parato recubuit. Moyſes quoque E
non fuit conditus aromatibus, quia ſolus aſcendit in montem ad moriendum,&non cognouit homo ſepulchrum eius vſque in præſentem diem Deuteronom.cap.34.ideo non potuit conditi:ploratum eſt ergo pro eo diebus triginta,nec exceſſit in hoc Iacob Moyſes,& Aaron, quia triginta dies ad planctum eius pertinuerunt,quadraginta autem ad condiendum corpus Aromatibus.

D *Quare pro Aaron non eſt factus planctus ſexagita dierum ſicut pro Iac.*

Tricesima die fiũt exequiæ mortuo rum ex emplo Hebræorum.

CAPVT XXI.

Prima pugna contra Chananæos.

QVod cum audiſſet Chananæus rex Arad, qui habitabat ad meridiem, veniſſe,ſcilicet, Iſrael per exploratorum viam, pugnauit contra illum, & victor exiſtens, duxit ex eo prædam. At Iſrael voto ſe Domino obligans ait: Si tradideris populum iſtum in manu mea, delebo vrbes eius. Exaudiuitque Dominus preces Iſrael, & tradidit Chananæum, quem ille interfecit ſubuerſis vrbibus eius, & vocauit nomen loci illius horma, id eſt, anathema.

F

Diuiſio

QVod *Cum.* Poſito ſupra impedimento itineris ex parte populi pontificem lugentis, hic ponitur impedimentum ex parte hoſtis Chananæi perſequentis, tanguntur in hoc cap.tria.Primo perſecutio Chananæorum: ſecundo pœna ſerpentum ignotorum.ibi. *Profectique ſunt.* Tertio bellum Amorrhæorum.ibi. *Miſit autem Iſrael.* Circa primum. *Quod cum audiſſet Chananæus.* Id eſt, Chananæi audiuerũt hoc, quod factum eſt.quid autem iſtud ſit ſubditur in litera,ſcil.quod veniſſet Iſrael per viam exploratorum.

Impedimentum itineris Iſraelitarum per Chananæos.

Quid audiuit rex Chananæus de Iſraelitis ſecundum Ra. Salo.

QVÆSTIO I.

RAbi Salo.dicit,quod audiuit rex iſte Chananæus,de quo hic dicitur,quod nubes reliquerat Iudæos, quæ ſolebat eos dirigere in via,& quod reliquiſſet eos puteus, qui præcedere conſueuerat, ideo putans eſſe derelictos à Deo voluit perſequi illos.Sed iſta expoſitio non ſtat. Primo, quia vtrunque præſuppoſitum falſum eſt, ſcilicet, quod puteus dereliquerit Iudæos, & nubes : nam puteus nunquam præceſſit eos,ideo nunquam dereliquit,vt probatum eſt:nubes autem ſemper præceſſit, ideo Chananæus rex non audiuit hoc. Item hic ponitur relatio,ſcilicet quod cum audiſſet : ergo oportet referri hoc ad aliquid præcedens, ſed iſta duo non erant aliquid, quod præceſſerat: ergo non refertur ad illa: Quod autem venerint Hebræi per viam exploratorum fuc-

A

rat præcedens, quia dictum fuit ſupra, quomodo Iſraelitæ venerunt in Cadesbarne, & in montem Hor, iſtud autem erat per viam exploratorum venire, vt infra declarabitur. eſt autem dubium hic, quia in Hebræo non ponitur quid eſt quod audierint Chananæi, ideo litera noſtra addidit expoſitiue, ſcilicet veniſſe Iſrael per viam exploratorum. Conſiderandum autem circa hoc, quod iſti Chananæi, de quibus dicitur hic, ſunt illi, qui pugnauerunt iterum contra Iſraelitas anno 2. ab exitu de Aegypto, cum ſtarent in Cadesbarne, vt patet ſupra 14. cap. & patet hoc, quia ibi dicitur, quod cum eſſent in Cadesbarne Iſraelitæ volentes aſcendere in montes deſcenderunt Chananæi, qui habitabant in montibus, & percuſſerunt eos vſque in Horma Hic etiam ponuntur iſti Chananæi apud Cadesbarne: nam de Cades venerunt in montem Hor, qui propinquus eſt in extremitate regni Edom, ſicut Cades, vt patet præcedenti capitu. & immediate dicitur hic de bello Chananæorum, ergo apud Cadesbarne erant, & ſic erunt iidem Chananæi iſti, qui in quadrageſimo anno exitus de Aegypto pugnauerunt contra Iudæos, & illi, qui in anno ſecundo. Conſiderandum, quod apud iſtos Chananæos erant Amalechitæ, vt patet ſupra capit. 14. & ambo populi pugnauerunt contra Iudæos anno ſecundo exitus de Aegypto. cum dicitur ibi: deſcenditque Amalechites, & Chananæus, qui habitabant in montibus, & percutientes eos perſecuti ſunt vſque Horma, nunc autem ſoli Chananæi pugnauerunt contra Iſraelitas, ideo cum venerunt Iſraelitæ deſtruere ciuitates hoſtium ſuorum ſolum deleuerunt ciuitates Chananæorum, vt patet infra. Amalechitæ autem non fuerunt tunc deleti, ſed Moyſes ante mortem ſuam iuſſit Iſraelitis, vt, data opportunitate, delerent illos Deut. ca. 26. & hoc completum eſt tempore Saulis, qui deſtruxit omnes Amalechitas tam viros quam fœminas præter regem, & pecora pinguia primo Reg. cap. 15.

Chananæi bis pugnauerunt contra Iſraelitas, & quod iſti ſunt illi, qui pugnauerunt iterum contra Iſraelitas anno 2. ab exitu de Aegypto.

B

An iſta ſint dicta poſt mortem Aaron, vel ante.

QVÆSTIO II.

QVæret aliquis, an ea, quæ dicuntur hic contingerint poſt illa, quæ ſupra habentur, vel ſit aliqua mutatio ordinis.

Reſpondendum eſt ſatis conuenienter dici, quod iſtud bellum fuerit Iudæis exiſtentibus in Cadesbarne, quia tunc magis appropinquabant terræ Chananæorum quam cum erant in monte Hor. quod patet, quia Cadesbarne eſt in extremitate regni Edom, vt patet præcedenti capitu. & hoc in parte occidentali, Chananæi autem de quibus hic, & Amalechitæ ſunt magis occidentales, quod patet, quia cum non cõcedente rege Edom tranſitum per terram ſuam, coacti ſunt

C

Iſraelitæ aſcendere verſus Orientem circueundo terram Edom, ſi terra Chananæorum, & Amalechitarum eſſet magis orientalis quam terra Edom neceſſe eſſet, quod tranſirent per illam, vel circuirent eam, ſed non fecerunt, immo cum ibant contra Orientem recedebant magis à terra Chananæorum, & Amalechitarum, vt patet ſupra 14. capit. vbi iuſſum eſt, quod recederent verſus mare rubrũ: quia Amalechitæ, & Chananæi habitabant in vallibus, ſed mare rubrum erat ibi magis orientale, ergo terra Chananæorum, aqua recedere iubentur Hebræi cum eſſent in Cadesbarne, erat magis occidentalis, quam Cadesbarne: ideo veriſimile eſt, quod exiſtentibus Hebræis in Cadesbarne, venerunt Chananæi ad pugnandũ contra eos, magis quã, quod pugnauerint, cũ eſſent in monte Hor, quia tunc erant magis diſtantes à terra illorum. Item, quia dicitur immediate, quod cum audiuerunt Chananæi veniſſe Iſraelitas per viam exploratorum pugnauerunt contra eos, ſed quando ſteterunt in Cadesbarne veniebant per viam exploratorum, quia per illam miſſi ſunt exploratores, quando erat Iſrael in Cadesbarne anno ſecundo ab exitu de Aegypto, de quo ſupra decimoquarto capit. ergo erant in Cadesbarne, quando fuit iſta pugna. In contrarium videtur ex hac litera ſecundum ordinem ſuum, quia poſtquam enarratum eſt de morte Aaron, & quomodo ſteterunt Iſraelitæ in monte Hor, ſubiungitur hic de pugna Chananæorum contra Iſraelitas. Et ſi aliquis dicat hoc factum eſſe per recapitulationem, videtur eſſe contrarium, quia infra trigeſimo tertio capit. vbi narrantur manſiones Iſraelitarum poſtquam poſita fuerat Cadesbarne, & mons Hor, ſubiungitur de bello iſto Chananæorum contra Iſrael. Dicendum ergo vtrumque iſtorum ſatis poſſe teneri, ſcilicet, quod fuerit bellum in Cadesbarne, vel quod fuerit in monte Hor, & ſi dicatur quomodo pugnarent Chananæi contra Iſraelitas, cum eſſent in monte Hor, quia tunc magis diſtabant ab eis, quam cum eſſent in Cadesbarne, vt ſupra probatum eſt. Reſpondendum eſt non multum hoc agere, quia Cadesbarne, & mons Hor ſunt manſiones propinquæ, cum vtraque manſio ſit in extremitate terræ Edom, vt patet præcedenti capit. ideo poſſent contra eos pugnare in quacunque harum eſſent, & hoc ſecundum magis videtur conſonare literæ. Sed adhuc ſtat dubium, dato quod iſtud bellum fuerit in monte Hor, an fuerit ante montem Aaron, vel poſt: nam mortuus eſt Aaron in monte iſto: Dicet aliquis fuiſſe poſt mortem Aaron, quia enarrata ſupra morte illius ſubiungitur hic de bello, & eodem modo infra trigeſimotertio. capitu. poſſet dici hoc fieri per recapitulationem; ne hiſtoriæ miſceantur, & propter hoc aliquando præponuntur, & poſtponuntur aliqua. Reſpondendum eſt, quod fuerit bellum iſtud poſt mortem Aaron: nam non eſt recedendum ab ordine literæ, niſi propter aliquam cauſam manifeſtam, ſed nulla maior appareret neceſſitas, vt dicamus hic eſſe anticipationem, vel recapitulationem, quam quod dicamus rectum ordinem. Magis ergo dicendum, quod ſit ordo rectus: & tunc præcedet mors Aaron ad bellum iſtud. *Chananæus rex Arad.* Id eſt, rex Aradiorum, qui erat Chananæus, vt aliqui exponunt: accipitur dupliciter Chananæus. Vno modo pro omnibus deſcendentibus de genere Chanaam, & iſto modo Aradii Amathæi, Sidonii, Samaritæ, Chananæi ſunt, quia de Chanaam nati ſunt, vt patet Geneſ. capit. decimo. Alio modo pro deſcendentibus de Chanaam morantibus in terra promiſſa Iudæis, à quibus denominatur terra Chanaam, & ſic Aradii Amathæi Samaritæ, Sidonii non vocantur Chananæi, vt aliqui volunt, quia terra iſtorum non fuit promiſſa Iudæis, vt patet Geneſ. decimo quinto capitu. vbi promittitur eis terra decem gentium, inter quas non ſunt iſti populi. Arad rex de quo hic dicitur non erat proprie Chananæus, ideo licet terram ſuam demoliti ſunt Hebræi non leguntur habitaſſe in ea, quia omnis habitatio eorum fuit trans Iordanem infra terminos, qui habentur infra trigeſimo quarto capit. præter terram duarum tribuum, & dimidiæ, quæ fuit ante tranſitum Iordanis ad orientem vt patet infra trigeſimo ſecundo capit. Aliqui volunt, quod iſtud ſcriptum ſit à Ioſue, quia tempore ſuo Moyſe mortuo factum eſt hoc, & probant, quia inter reges, quos Ioſue occidit numeratur rex Arad tanquam vnus: ergo à Ioſue factum eſt. de hoc Ioſue. capit. duodecimo. Reſpondendum eſt, quod non fuit tempore Ioſue, quia omnes reges, quos occidit Ioſue fuerunt trans Iordanem, vt patet Ioſue. capitu. decimo iſtud autem erat ante tranſitum Iordanis. Item cum dicitur, quod iſte rex Arad ponitur Ioſue. capit. duodecimo. Reſpondendum eſt falſum eſſe, quia dicitur rex Ered, & non Arad. Item dato, quod diceretur rex Arad, non ſtat, quia multoties eodem nomine multæ vrbes, vel oppida appellantur, vt patet Ioſue decimo quinto vbi ponũtur tres ciuitates, quarum quælibet vocatur Aſor. Sed dicetur, quod iſte rex Arad erat in terra Chananæorum, quia infra trigeſimo tertio capit. dicitur, quod audiuit rex Arad, qui habitabat ad meridiem in terra Chanaam. Ergo de Chananæis erat, & in terra ipſorum morabatur. Reſpondendum eſt, quod non habitauit in terra Chanaam proprie dicta, ſed iuxta illam in latere meridiano illius: nam ſi fuiſſet iſte rex in terra Chanaam, multi de Iſraelitis vidiſſent terram Chanaam: nam antequam recederent de Cadesbarne prima vice anno ſecundo ab exitu de Aegypto aſcenderunt Iſraelitæ in terram Chananæorum iſtorum, & deſcendentibus Chananæis de montibus percuſſerunt eos ſupra capite decimoquarto ergo tunc viderunt. tamen ante hoc eodem capitulo dicitur, quod nullus de murmuratoribus introiuit in terram Chanaam, quam Deus promiſerat, vel ſaltem intuebitur eam, ſed iſti intuiti ſunt, & erant murmuratores, ergo non pertinet ad terram Chananæorum terra hæc.

Item patet magis, quia nunc Iſraelitæ pugnauerunt contra

D

Cadesbarne & mons Hor ſũt propinquæ mãſiones.

Bellum iſtud fuit poſt mortẽ Aaron.

E

An iſte rex, de quo hic ſit ille quem occidit Ioſue. Opi. aliquorũ.

F

An iſtud bellum cũ Chananæo fuerit tempore Ioſue, vel Moyſi.

A

Chananæos istos, & deleuerunt vrbes eorum: ideo tunc introierunt in terram ipsorum, & tamen si ista esset pars terræ Chanaan, manifestum esset, quod multi de murmuratoribus introiuissent in terram Chanaam, & acquisiuissent partem illius. Dicendum est etiam, quod Iudæi non petiissent cõuenienter à rege Edom dari sibi transitum per terram Idumæorum, quousque introirent in terram sibi promissam si pertineret terra istorum Chananæorum proprie ad terram Chanaan: quia cum essent Israelitæ in Cadesbarne, poterant transire per terram istorum Chananęorum ad reliquam terram, & non oporteret dari sibi transitum per terram alienam cum essent in extremitate terræ sibi promissæ. Dicuntur igitur habitasse isti in terra Chanaan large loquendo, id est, apud terram Chanaan: erant enim in parte meridiana illius. Tenendum autem, quod isti erant Chananæi, sicut alii, qui habitabant trans Iordanem, & intra terminos assignatos infra 34. c. Terra tamen ista non vocatur proprie terra Chanaan, sed terra Arad: & Chananæi isti descendentes de prosapia aliorum Chananæorum venerunt in terram istam Arad, & habitantes in ea non perdiderunt nomen stirpis suæ: non tamen computantur cum terra Chanaan, ideo quamquam Israelitæ acceperunt terram eorum non habitauerunt in ea, nec saltem introierunt per illam in reliquam terram Chanaan. *Qui habitabat ad meridiem.* Iste rex Chananæus habitabat ad meridiem, id est, ad partem meridianam terræ Chanaan, vt colligitur infra 33. cap. Nam non potest hic accipi pars meridiana respectu loci, in quo Iudæi erant, quia tunc terra Arad erat occidentalis, sed refertur ad terram Chanaan, quam habituri erant, in cuius latere meridiano erat quædam pars terræ Edom. Et erant isti Chananæi, atque Amalechitæ, & non dicuntur habitare ad meridiem terræ Chanaan, quasi essent in terram Chanaan in meridiana parte illius, sed erant extra illam coniuncti lateri meridiano eius. Vocatur autem iste rex Chananæus, non solum, quia erat de genere Chanaan, sed etiam quia totus populus eius erat Chananæus: sic enim vocantur supra 14. cap. scilicet. Descenderunt Chananæus, & Amalechites, qui habitabant in montibus, & sic infra vocatur populus iste Chananæus. *Venisse Israel per exploratorum viam.* Id est, audiuerunt isti Chananæi, quod veniebat Israel per viam, per quam miserat exploratores. Aliqui dicũt, quod populus mittebat semper ante se aliquos viros, qui considerarent viam, per quam irent, & loca vtrum tuta, vel periculosa: viderunt autem Chananæi, quod exploratores transierant per viam illam, deinde totus populus per illam veniebat; ideo pugnauerunt. Non sunt isti exploratores, qui missi sunt de Cadesbarne ad considerandum terram promissionis, quia illi solum iuerunt ad videndum terram promissam, & non ad considerandum viam, & patet, quia pauco tempore, scilicet, 40. dieb. regressi sunt, & totam terram lustrauerunt, vt patet supr. 13. c. ideo non est verisimile, quod ipsi in circuitu incederent quẽadmodum nunc ambulabat multitudo, ideo non videbatur possibile, quia adhuc ne sciebant istam viam: si enim non peccassent, citius introiuissent: sed quia peccauerunt, oportuit eos declinare in pœnam.

B

C *Exploratores qui essent.*

Ra. Salo. dicit, quod exploratores dicuntur hic illi, qui ibãt cum arca Domini ad inquirendum locum bonum mansionis, vt patet supra cap. 10. Sed falsum est, quia procedit hoc ex defectu intelligentiæ literæ, vbi Rabi Salom. & multi existimant intelligi, quod præcesserit arca distans à castris itinere dierum trium. Sed falsum est, erat enim coniuncta castris, vt ibi declaratum est.

Sed dicendum videtur, quod isti exploratores erant illi, qui missi sunt ab Israelitis anno secundo ab exitu de Aegypto. Isti enim transierant per Cadesbarne, & apud terram istorum Chananæorum: nunc autem videntes, quod per ipsam venirent Israelitæ intellexerunt, quod vellent introire in terras illas: vnde oportebat fieri transitum per terram Chananæorum istorum, vel apud ipsam, ideo exierunt Chananæi in bellum contra Israel. Venisse enim exploratores per viam illam concitauit animos Chananæorum. Nam si non vidissent exploratores transeuntes per terram illam, quamquam Iudæi propinqui essent non curarent pugnare contra eos, quia nescirent, quo declinare vellent. sciebant enim illos à multis temporibus mansisse in terra ipsa, scilicet fere à 40. annis: ideo si non vidissent exploratores eorum nihil iudicarent, quo ire volebant, fuit autem satis præsumendum, quod cum exploratores Iudæorum transierunt apud terram horum Chananæorum, quod Israelitæ per eam transire vellent, ideo antequam transirent se disposuerunt in pugnam. *Pugnauit contra Israel.* Scilicet exiuit de terra sua ad pugnandum contra Israelitas, erant enim propinqui illis. *Victor existens duxit ex eo prædam.* Id est Chananæi præualuerunt contra Israelitas, & acceperũt prædam, & forte occiderunt aliquos: nam in magnis exercitibus vix potest fieri præda, nisi mors aliquorum: & fuga præcesserit. Traditi sunt autem Israelitæ hic in manus Chananæorum, quia forte non erat cor eorum rectum cum Deo, & tunc permittebat Deus cadere Israel in manus hostiles: Leui. ca. 26. De quantitate autem prædæ huius non patet Rab. Salom. dicit, quod solum fuit vna ancilla de Aegyptiis, quæ ascenderat cum Israelitis, & satis patet, quod loquitur hic ex affectione: non enim potuit minus quam vnam ancillam dicere, & Aegyptiam quidem, ne dehonestaret Hebræos: sed non videtur, quod Scriptura fecerit mentionem de præda pro vna ancilla, potissimum dicendo prædam, vel captiuitatem, quæ magnum aliquid important. Item, quia Israelitæ dolentes de ista præda vouerunt Deo ciuitates populi huius, si traderet illum in manus ipsorum, pro vna tamen ancilla nihil curaret totus, exercitus Iudæorum. Dicendum ergo, quod fuerit satis magna præda, & occisio, quamquam non constet de quantitate. *At Israel voto se obligans Domino ait.* Putauerunt Israelitæ, quod Deus concederet eis faciliter vindictam de hostibus, si vouerent nihil accipere de bello, sed omnia Deo tradere, & sic fecerunt vouentes. Extendebatur autem votum istud tam ad ipsos Chananæos, quam ad omnia, quæ possidebant, & ciuitates eorum, ita vt nihil Iudæi perciperent de pugna, sed totum proueniret Deo, tanquam non pro se hic, sed pro Deo pugnaretur. *Si tradideris populum istum in manu mea.* Dicit Rab. Salom. quod non dixerunt si tradideris istos Chananæos, quia populus Hebræorum ignorabat, quæ gens esset ista. Vtebatur enim vestibus Amalechitarum, & loquebatur lingua Chananæorum, ideo non distinguendo dixit. Si tradideris populum istum. *Delebo vrbes eius.* Id est. anathematizabo secundum literam Hebraicam: nam verbum positum hic in Hebræo venti de herem, quod est remotio ab vsu humano, & applicatio ad Deum. Etiam, quia in omni voto est aliqualis attributio boni ad Deum in obsequio, quid autem boni, vel obsequii Deo faciebant ciuitates solum destruendo eas? res enim isto modo destructæ applicantur Deo, & separantur ab vsu humano: illa autem, quæ non possunt Deo applicari, quia immunda sunt, ne ad homines transeant destituuntur. In vtroque autem honor, & seruitium Deo exhibetur: in primo quidem, quia aliquid sibi applicatur directe, secundo autem, quia aliquid propter nominis eius honorem ab humanis vsibus separatur. Sciendum autem, quod litera nostra est hic magis determinata, quam Hebræo, scilicet delebo vrbes: nam dictio Hæbraica hic posita significat separationem, vel destructionem, vel consecrationem. Vnde sicut apud nos aliquis vocatur excommunicatus, ita apud Hebręos est quædam execratio significata per hoc verbum. Et verum est, quod quandocunque res applicantur ad Deum fiunt omnia hæc, scilicet segregantur ab vsu humano, & consecrantur, id est, efficiuntur sacræ, vel applicatæ Deo, & destruũtur, scilicet quantum ad vsum humanum, ne liceat alicui homini eas in vsum suum conuertere. Hic tamen non erat aliquis modus applicationis rerum istarum, nisi per destructionem, scilicet, quod ciuitates delerentur, nec redirent ad vsum humanum, & homines occiderentur, & pecora atque omnia cremarentur. istud autem videbatur tendere in honorem Dei, inquantum homines separabant omnia hæc ab vsibus suis propter cultum Dei, & quia ista applicabantur Deo in modo cuiusdam sacrificii: sic enim Deus iusserat fieri sibi, quando esset aliqua ciuitas terræ Iudæorum, in qua colerentur idola, scilicet, quod occiderentur homines, & iumenta, & vniuersa viuentia, & cremaretur tota ciuitas cum omnibus suppellectilibus, quæ in ea erant Deut. c. 13. & ibi dicitur: Consumes omnia hæc Domino Deo tuo, id est, ad honorem Dei tui.

D

An Chananæi pugnãtes contra Israelitas rapuerint solũ vnã ancillã.

E

F

A

Quomodo poterat vouere occidere Chananæos, & quomodo hoc pertinebat ad cultum Dei.

QVÆSTIO III.

SEd videtur hic esse dubium de hominibus, quomodo Israelitæ potuerint vouere occidere illos, quia homo non est animal immolaticium: etiam videtur dubium quomodo votum de occidendo hominem sit acceptabile Deo. Respondendum est ad primum, quod nullus de Israel poterat vouere occidere Chananæos propter Deum, sed votum istud totus populus facere poterat: & hoc quidem non sine causa: nam si vouissent Israelitæ occidere aliquam gentem innoxiam, peccarent vouendo, nec deberent votum complere. Causa tamen hic intercidit, vt possent vouere, scilicet, quia licebat Iudæis occidere Chananæos: ergo licebat vouere, quod occiderent illos, erant quippe isti hostes Iudæorum, etiam bis pugnauerant contra illos, scilicet nunc, & iterum anno secundo ab exitu de Aegypto in Cadesbarne, de quo supra ca. 14. sine voto ergo licebat eis pugnare, & occidere hostes: ergo cum voto. Ad secundum cum dicebatur, quomodo sit acceptabile Deo votum factum de occisione hominum. Respondendum est, quod cum aliquid Deus iubet fieri, illud sibi acceptabile est, alioquin non iuberet: sed ipse iubet interdum occidi aliquos, & omnia, quæ ad eos pertinent, vt patet de ciuitatibus Iudęorum, in quibus idola colerentur: Deuteronom. cap. 13. Idem de Amalechitis, quos occidendos iussit: Deuter. capit. 26. ergo si quis voueret facere hæc, & expleret acceptabile esset Deo. Item si aliquæ gentes sunt velut hostes Dei, vt illæ, quæ repugnant cultui Dei, scilicet fidei illius, occidere illas meritorium valde est. Et quamquam ad hoc non obligemur, si fecerimus laudabiles erimus. De gente ista Chananæorum poterat esse votum laudabile alias acceptabile, quia ipsi erant hostes Dei inquantum pugnauerant contra populum eius, & inimici Iudæorum dicebantur inimici Dei Exod. c. 23. scilicet, quod si audieris vocem meam, & feceris omnia, quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligã affligentes te. Habebant ergo quasi Dei causam Israelitæ dũ pugnarent contra Chananæos, vnde bene cadebat sub voto occidere illos. Aliquis dicet, quod Iudæi poterant hoc facere valde meritorie, quia dictum erat Deut. ca. 13. quod delerent ciuitates, in quib. essent idololatræ. Respondetur non obstare, quia illud intelligitur de ciuitatibus, in quibus morabantur Iudæi si colerentur ibi idola, quia isti tenebantur specialiter colere Deum ex legis promissione: Gentiles autem quamquam tenerentur naturaliter ad colendum Deum, quia tamen non receperant legem, nõ erat in eis tam specialis obligatio, ideo quamquam colerent idola non iubebat Deus, quod occiderentur: de Iudæis autem iubebat, ideo cum isti Chananæi non recepissent legem Dei, non debebant Iudæi illos occidere, quia Deum nõ colebant. Sed stabit prima responsio, scilicet, quod licebat illos occidi, quia erant hostes Iudæorum. De pecoribus autem eorum, & de cæteris, quæ habebant, quomodo per combustionem, vel destructionem applicarentur ad Deũ, declaratum est Deutero. cap. 13. cum agebatur de ciuitatibus idololatrarum.

Votum de occisione Chananæorũ fuit Deo acceptabile.

B

Occidere immicos fidei valde meritoriũ est.

C

An aurum, & cætera metalla, quæ erant in terra Chananæorum fuerint combusta vel assumpta in thesauros Domini, & de tribus modis ponendi anathema in vrbibus.

QVÆSTIO IV.

QVæret nuncaliquis de auro, & argento, & cæteris metallis, quæ erant in terra istorum Chananæorum an fuerint destructa, & combusta, vel assumpta fuerint in thesauros domini aut alias. Et respondendum est, quod nemo de Iudæis accepit quidquam de eis, quæ erant in ciuitatibus Chananæorũ, quia positæ sunt sub anathemate, sed in anathemate nihil transibat ad ipsos Iudæos, vt patet de vrbe Iericho, quæ sub anathemate posita est: Iosue capit. 6. & nihil acceperunt inde Israelitæ, & quia vnus furatus est modicum de auro, lapidatus est: Iosue capit. 7. Stat tamen dubium an Israelitæ acceperint aurum, & argentum ad ponendum thesauris Domini. Dicunt aliqui, quod sic: nam in anathemate Iericho sic fuit, quod separaretur omne aurum, & argentum, æs, & ferrum in thesauris Domini: Iosue cap. 6. Hic autem non patet quid factum fuerit. Sciendum tamen, quod hoc perueniebat secundum formam positi anathematis. Si enim simpliciter voluissent delere vrbem cum rebus suis, nihil debebant accipere pro thesauris Domini, sed omnia erant destruenda: si autem appossuissent aliquam conditionem, vel limitationem secundum illam tenebantur. Si enim votum sit spontanea obligatio, tantum se obligat quis, quantum se obligare vult, & verbo expresserit. Pro quo sciendum, quod anathema reperitur tripliciter positum: primo modo, vt tam homines, quam pecora, & omnia, quæ in ipsa vrbe sunt consumantur nullo eorum transeunte in vsum hominum, vel thesauros Dei, & sic est de anathemate, quod fiebat in ciuitatib. idololatrarum in terra Chanaam: nam occisis hominibus, & iumentis congregabantur omnia suppellectilia in platea ciuitatis, & cremabantur Deuter. cap. 13. Alio modo fiebat anathema vrbium ita, quod ciuitas destrueretur, & homines perirent, & pecora cum suppellectilibus, reseruato auro, & argento, ferro, & ære ad vsus Sanctuarii, & sic fuit in anathemate Iericho, Israelitæ tamen nihil receperunt. Tertius modus anathematis erat, cum ciuitas destruebatur ita, vt fieret tumulus sempiternus, & nemo in ea habitaret, occidebanturque homines, pecora tamen, & omnia suppellectilia, aurum quoque, & argentum, & omnia, quæ nomine prædæ intelligi possunt, proueniebant in partem Iudæorum, sic fuit in vrbe Hai, vt patet Iosue capit. 8. quilibet modus istorum poterat esse in anathemate isto terræ Chananæorum. nam Deus non dederat hic formam anathematis, sed ipsi vouerant, vt patet hic: ideo non poterant ponere quemcunque modum ipsorum anathematis, vel alium leuiorem. Magis tamen videtur dicendum quod posuerint anathema primo modo abdicando tam à se, quam à Deo omnia, quæ erant in vrbibus Chananæorum, & cremando ea, vel delendo: nam litera dicit: Delebo vrbes eius, in quo non solum importatur deletio hominum sed etiam iumentorum & omnium, quæ in ciuitatibus erant: potissimum, quia, non potest dici, quod isti ponerent tale anathema, quale in Iericho: quia ibi aurum, argentum, ferrum, & æs pro thesauris Domini assumpta sunt: hic autem non poterant accipi ferrum, & æs, quia possent portari vsque ad terram Chanaam per longos viarum circuitus. Ideo credendum est, quod omnia fuerint destructa, & combusta, cum dicatur infra. Subuersis vrbibus eius. Subuersio autem totalem destructionem signat. *Exaudiuitque Dominus preces Israel.* Videbantur orare licite Israelitæ tum ex parte sua, tum ex parte Dei: ex parte sua, quia Chananæi pugnauerant contra eos bis, scilicet in secundo anno ab exitu de Aegypto, de quo supra ca. 14. & anno 40. de quo hic: ipsi tamen nunquam inuaserant Chananæos: ex parte Dei videbatur iusta oratio, quia vouebant, quod delerent vrbes hostium in laudem Dei, scilicet totaliter illas delendo, & nihil percipiendo ex eis, sed omnia consumendo quasi in sacrificio Dei, ita vt causam Dei solius agere viderentur, & concessit hoc Deus. De hac exauditione dubium est quomodo Iudæi cognouerint eam, scilic. antequam vouerunt, exposuerint se ad bellum non expectata aliqua responsione Dei, sed confidentes, quod adiuuaret eos, & tunc traditi sunt Chananæi in manus eorum, vel an ipsi post votum emissum expectauerint responsionem Dei, & habita, pugnauerunt contra Chananæos. Respondendum est vtrumque esse potuisse. Primus modus est nunc communis vouentibus, secundus poterat esse in Iudæis, quia habebant responsionem Dei in promptu, quodcunque enim voluissent petebat Moyses à Deo, & respondebatur, vt patet supra capit. 7. & iste credendus est magis fuisse in Iudæis, quia timidi valde erant, & non auderent aliquid sine Dei certificatione circa euentum committere. *Et tradidit Chananæum.* Id est, populum terræ Arad: qui erat de genere Chananæorum.

D

1. opi.

Ana thema tripli citer positum reperitur.

E

F

An Iudæi posuerint votum expectauerint responsum.

Respon.

A

Quis fuit modus, quo tradidit Deus Chananæum in manu Israel.

QVÆSTIO V.

QVod autem Deus traderet Chananæos in manus Iudæorum stat dupliciter, scilicet, vel quod debilitaret vires Chananæorum, vel quod augeret vires Iudæorum: Primus modus subdiuiditur: poterant enim diminui vires Chananæorum realiter, scilicet, quod Deus debilitaret corpora eorum, ita vt non possent pugnare, vel quod diminueret eorum animositatem, scilicet, quod retentis viribus pristinis tantum timerent, vt nullatenus auderent consistere coram facie Hebræorum.

Et parte Iudæorum poterat effici dupliciter. Primo modo, quod vires eorum augmentarentur, ita vt non lassarentur in bello, sed quilibet eorum posset contra multos Chananæos pugnare. Alio modo fieri poterat, vt non augmentatis viribus Iudæorum augmentarentur eorum animositates, ita vt pro nihilo ducerent hostes: & hoc est quod valde in bellis prodest. Alii autem modi specialiores poterant dari, sed ad istos reducuntur.

B

De primo modo patet, quia sicut Deus interdum disponit, aut suspendit virtutes rerum naturalium ne agant, ita potest suspendere operationes virium humanarum. De naturalibus patet, vt in igne, qui in fornace Babylonis, vbi erant tres pueri, erat verus ignis, & tamen non potuit comburere eos. Hoc autem solum est, quia suspendit Deus actionem ignis: Dan. cap. 3. Sic etiam in animatis irrationalibus, quorum qualitates naturales suspenduntur interdum à Deo, vt in Leonibus esurientibus in lacu, vbi erat Daniel, & tamen non voraverunt eum. Dan. cap. 6. & 14. Ita ergo de viribus humanis: poterunt enim laxari opere Dei, ita vt interdum nulla quasi mutatione facta in homine nihil operari posset: nam & operatione dæmonum interdum hoc fit.

Quo diminuta est audacia Chananæorii.

De secundo modo, scilicet, quod minueretur audacia Chananæorum satis patet, quia Deus poterat eis incutere tantum timorem, quod nullatenus auderent consistere ante faciem Hebræorum, sed quacunque etiam leuissima mutatione facta terrerentur, & sic promisit Deus dare Iudæis in pœnam quando conuerterentur ad malum Leuit. capit. 26. & qui remanserint in vobis, dabo pauorem in cordibus eorum in regionibus hostium, terrebit eos sonitus folii volantis, & ita fugient, quasi gladium cadent nullo sequente, & corruent singuli super fratres suos, quasi bella fugientes, & forte iste est modus, per quem Deus tradidit Chananæos in manus Iudæorum, sic enim Deus promiserat de aliis hostibus: Exod. 23. cap. scilicet terrorem meum mittam in præcursum tuum, & occidam omnem populum, ad quem introieris, cunctorumque inimicorum tuorum terga vertam. De modo qui est ex parte Iudæorum, scilicet, quod Deus augeret vires eorum, ita vt faciliter superarent Chananæos patet simile, quia interdum Deus auget vires alicuius supernaturaliter, & nulla facta mutatione deminunt illæ vires, sicut fuit in Samsone, qui erat robustissimus virorum, & semel habens solum vnam mandibulam asini percussit de Philisthæis mille viros: Iudicum c. 15. & tamen subito in eo defecerunt vires, nulla facta mutatione in corpore, scilicet quando omnes capilli illius tonsi sunt: Iudi. 16. cap. erat autem ista fortitudo à Deo solum, quia si fuisset ex aliqua dispositione corporis ablatis capillis nihil minus virium haberet. Item quia cum debuit facere maximum opus roboris sui, scilicet concutere duas columnas domus in qua erant Philisthęi vocauit Dominum, vt restitueret ei pristinam fortitudinem. Ita ergo facere potuisset Iudæis. Quod autem adauxerit animositatem Iudæorum etiam satis erat possibile: nam sicut ipse incutit timorem Leuitic. 26. capit. & Deuter. 28. ita potest animositatem inducere, quia æqualiter possibile est vtrumque contrahere. Poterat autem esse alius modus, scilicet, quod Angelus Dei percuteret Chananæos sicut fuit de castris assyriorum, in quibus Angelus Domini percussit per noctem. 180. millia virorum 4. Reg. cap. 19. Etiam aliter fieri poterat, scilicet, vt Deus percuteret Chananæos cæcitate, quæ auristia dicitur, scilicet, vt videntes omnia alia, non viderent Israelitas, & sic possent eos percutere faciliter. Sic factum est in viris Sodomorum circa Domum Loth, quia tota nocte circa portam eius steterunt, & cum domum viderent portam non inueniebant: Genes. 19. capit. Ita etiam factum est de Syriis, qui pugnabant contra Israel: nam percussit illos Dominus cæcitate, vel magis amentia, & duxit eos Elisæus in Samariam ciuitatem Hebræorum, vbi faciliter percuti poterant, nisi Elisæus prohibuisset 4. Regum cap. 6. Alii quoque modi possibiles erant, sed modus de incussione timoris verisimilior est, quia illum promisit Deus Iudæis contra hostes suos. De modis autem variis, quibus Deus Iudæos adiuuabat interdum per se pugnans, interdum autem eos pugnantes adiuuans, declaratum est Leuit. 26. cap. *Quem ille interfecit.* Id est, Israel interfecit populum Chananæorum. *Subuersis vrbibus eius.* Id est, destruxit totaliter ciuitates cremando, & omnia, quæ in eis erant, & percutiendo pecora, quia hoc pertinebat ad maximum gradum anathematis. *Et vocauit nomen loci illius horma.* Iste est locus, de quo supra cap. 14. & Deut. cap. 1. scilicet, quod Chananæi, & Amalechitæ percusserunt Iudæos vsque horma. Sed ibi ponitur per anticipationem, quia nondum vocabatur ille locus sic, cum illud acciderit anno secundo ab exitu de Aegypto, & ista impositio nominis fuit anno 40. Ex quo apparet, quod ista, quæ exprimuntur hic non fuerunt scripta immediate, vt facta sunt, sed primo accidit istud in anno 40. quam scriberetur id quod factum est anno secundo, vnde verisimile est, quod paulo ante mortem suam Moyses ista scripsit, dicitur autem hic: Vocauit autem nomen loci illius horma, cum tamen fuerint multæ ciuitates destructæ, vt patet supra, scilicet. Quem interfecit subuersis vrbibus eius: sed vocatur locus singulariter sumendo pro plurali, sicut sæpe fit. Posset tamen argui, quia supra cap. 14. dicitur, quod persecuti sunt Amalechitæ, & Chananæi Iudæos vsque horma, vbi pro loco determinatio necessario ponitur, quia dicitur Vsque. Dicendum, quod quamquam omnes ciuitates vocatæ fuerint horma, tamen supra cap. 14. & Deuter. cap. 1. accipitur horma pro extremitate terræ illius, quæ vocatur horma, quia vsque ad illam persecuti sunt Chananæi Israelitas: hic autem pro tota terra accipitur horma, scilicet vocauit nomen loci illius, id est, terræ illius horma. In litera ponitur interpretatio huius nominis, scilicet anathema, quia significat anathema destructionem, & terra illa destructa est: ideo anathema est, vel significabat anathema abdicationem, vel excommunicationem, & sic in terra ista facta est abdicatio, cum iussum est ne quis acciperet quidquam de ciuitatibus illis.

C

D

Horma quidā loc⁹ est.

E

Anathema quid significet

Profecti sunt autem de monte Hor per viam, quæ ducit ad mare rubrum, vt circumirent terram Edom. Et tædere cæpit populum itineris ac laboris: locutusque contra Deū, & Moysen, ait: Cur eduxisti nos de Aegypto vt moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquæ, anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo. Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas, & mortes plurimorum, venerunt ad Moysen, atque dixerunt: peccauimus, quia locuti sumus contra Dominū, & te: ora, vt tollat nobis serpentes. Orauit Moyses pro populo, & locutus est Dominus ad eum: Fac serpentem æneū, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, viuet. Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo. quem cum percussi aspicerent, sanabantur. Profectique filij Israel castrametati sunt in Oboth. Vnde egressi fixere tentoria in Ieabarim in solitudine, quæ respicit Moab contra orientalem plagam. Et inde mouentes, venerunt ad torrentem Zareth. Quem relinquentes castrametati sunt contra Arnon, quæ est in deserto, & prominet in finibus Amorrhæi. Siquidem Arnon terminus est Moab, diuidens Moabitas, & Amorrhæos, Vnde dicitur in libro bellorum Domini; Sicut fecit in mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon Scopuli, torrentium inclinati sunt, vt requiescerent in Arnon, & recumberent in finibus Moabitarum. Ex eo loco apparuit puteus, super quo locutus est Dominus ad Moysen: Congrega populum, & dabo ei aquam. Tunc cecinit Israel carmen istud: Ascendat puteus. Concinnebāt: Puteus, quem foderunt principes, & parauerunt

F

Murmurat populus pro labore itineris. 1. Co. 10 Serpentes igniti missi sunt. Ioan. 3. De serpēte æneo.

duces

A

duces multitudinis in datore legis, & in baculis suis. Profectique sunt de solitudine Mathana. De Mathana in nahaliel, de Nahaliel, in Bamoth De Bamoth, vallis est in regione Moab, in vertice Phasga, quod respicit contra desertum.

Profecti sunt autem. Hic ponitur de pœna serpentum ignitorum, scilicet, quod existentibus Israelitis in circuitu terræ Edom, quia murmurauerunt, misit Deus serpentes in illos. *Profecti sunt autem de monte Hor.* Ex hoc innuitur, quod factum est bellum Chananæorum contra Iudæos in monte Hor, & non receſſerunt inde Israelitæ quousque destruxerunt ciuitates Chananæorum. Hoc facto receſſerunt de monte Hor ascendentes versus partem orientalem ad mare rubrum in incircuitu terræ Edom, & peruenerunt ad extrema loca partis orientalis terræ Edom, scil. Elath, & Asiongaber, per quem transierunt versus terram Moab. *Per viam, quæ ducit ad mare rubrum.* Est enim mare rubrum orientale respectu terræ illius, in qua tunc erant Iudæi, & quia non permissi sunt transire per Cadesbarne, quæ est in extremitate occidentali terræ Edom, ascenderunt ad extremitatem orientalem terræ ipsius, circumeuntes per latus meridianum, & hoc erat ascendere ad mare rubrum, ibi enim extrema loca sunt terræ Edom. Istud est, de quo dicitur Deut. cap. 2. scilicet profecti inde venimus in solitudinem, quæ ducit ad mare rubrum, & circuiuimus montem Seir multo tempore. apud istud mare rubrū steterunt Iudæi toto tempore præterito inter annum secundum ab exitu de Aegypto, & annum 40. vt colligitur supra capit. 14. quando pugnantibus Amalechitis, & Chananæis contra Israel, iussit Deus, vt recederent contra mare rubrum. Non est intelligendum, quod redierint Israelitæ ad illam partem maris rubri, per quam transierunt in exitu de Aegypto, sed est mare rubrum diffusum per deserta Arabiæ, per quæ nunc transibant Iudæi, & flectitur ad multas partes modo fluuiorum, qui non recto itinere procedunt: ideo multoties accesserunt Iudæi circa mare rubrum, scilicet primo quando transierunt illud: Exod. capit. 14. Item autem cum steterunt in mansione Elim progressi inde fixerunt castra super mare rubrum, & istud fuit inter desertum Sin, & mansionem Elim infra 33. cap. iterum steterunt iuxta mare rubrum, quando receſſerunt de Cadesbarne supra cap. 14. Tertio steterunt apud illud nunc quando circuibant terram Edom, vt patet hic, & Deut. capit. 2. Quarto manserunt apud illud circa mortem Moysi cum incœpit exponere legem Deuteronom. cap. 1. hoc autem non contingebat nisi per varias circumlocationes maris illius. *Vt circuirent terram Edom.* Id est, ambulantes versus mare rubrum circuibant terram Idumæorum contra orientem ambulantes per latus meridianum, & istud dicitur circuire montem Seir: Deuter. capit. 2. quia terra illa est montuosa in latere suo. Dicitur autem, quod ambulabant Iudæi ad circumeundum terram Edom, quia non conceſſus fuerat ingreſſus per terram occidentalem Idumæorum, & volebat Deus, quod permitteretur ingreſſus per partem orientalem: Deus enim emolliuit cor regis Edom, vt non impediret Israelitas volentes ingredi per partem orientalem, & concitauerat eum ad impediendum eos cum ingredi parabant per Cadesbarne. Causa huius supra posita est, scilicet, vt dum circuibant terram Edom, finiretur annus 40. in quo complebatur sententia lata contra murmuratores: si autem fuisset permissus ingreſſus per Cadesbarne multi de murmuratoribus introissent in terram Chanaan. *Et tædere cœpit populum itineris, ac laboris.* Id est, circueundo terram Edom cœperunt moleste ferre Israelitæ labores itineris propter duo. Primo, quia eis occasio magni itineris apparebat cum debentes introire directe per Cadesbarne incœperunt circuire per magna terrarum spatia versus orientem, & timebant, quod sicut, quando reuersi sunt de Cadesbarne prima vice contra mare rubrum ambulauerunt 38. annis vagi, ita nunc diffidebant se intraturos in terram Chanaan timentes maiorem vagationem. Secundo incœpit populum tædere, quia labores continui itinerando eis erant, & lassabantur, maxime, quia erant eis paruuli, & fœmina non potentes itinerare, ideo ponuntur duo, scilicet iter, & labor, scilicet de itinere fatigabantur, quia putabant illud semper duraturum: de labore autem dolebant quia non poterant sustinere continue. *Locutusque contra Dominum,*

B

Quòd Iudæi steterunt apud mare rubrū diuersis temporibus.

C

& Moysen ait. Id est, Israelitæ tædio itineris locuti sunt murmurantes contra Dominum, & Moysen. Potest dupliciter intelligi: vno modo, quod locuti fuerint contra hos duos determinate, quia quilibet eorum nocebat illis, scilicet Deus, quia faciebat eos vagari per solitudines non concedendo introitum in terram promissam: Moyses autem videbatur nocuisse, quia fuerat occasio, vt egrederentur Israelitæ in desertum, vnde hæc mala secuta sunt. Alio modo potest intelligi, quod verba murmurationis solum dirigebantur ad Moysen, quia non auderent Israelitæ loqui directe contra Deum, & tamen contra Deum erant, quia Moyses nihil fecerat, nisi iussu Dei: ideo cum redarguerent eius facta, Dei mandata culpabant, & sic non poterant contra Moysen murmurare super statu regiminis, quin contra Deum murmurarent. & sic ipse dixit populo facta murmuratione contra ipsum, & Aaron in deserto Sin pro defectu ciborum, quod murmuratio illa non erat contra Moysen, & Aaron sed contra Deum, quia ipsi nihil erant: Exod. cap. 16. *Cur eduxisti nos de Aegypto.* In hoc appareret, quod murmuratio directe solum erat contra Moysen, & tamen retorquebatur in Deum. Conqueruntur autem, quod fuerunt educti de Aegypto, quia inde secuta sunt omnia mala: præeligerant enim manere in seruitute durissima, quam venire in desertum, & magis mori in Aegypto in saturitate, quam tolerare angustias solitudinis in fame, & siti, Exod. 16. & sup. 14. c. *Vt moreremur in solitudine.* Ideſt, videtur ex ista egressione de Aegypto, quod omnes perimus in solitudine, scilicet via ista deserti infinita est, cum semper vagemur: ideo necesse est, quod moriamur in solitudine nunquam peruenientes ad terram promissam. Et non accipitur hic, vt, finaliter, scilicet, quod Moyses ad hoc eduxisset Israelitas de Aegypto, vt morerentur in solitudine, nec ipsi hoc existimauerunt aliquando, quia tunc lapidassent omnes Moysen tanquam hostem totius generis Hebræorum: sed, vt importat concomitantiam, scilicet ad egressionem de Aegypto concomitabitur mors in solitudine, quia via non finitur. Et istud imponebant Moysi ad culpam, scilicet, quod indiscrete eos eduxisset in solitudinem. *Deest panis, non sunt aquæ.* Hic enarrant aduersitates solitudinis, scilicet, quia non habebant complementum in aliquo de necessariis ad viam humanam, & posita sunt duo, scilicet panis, & aqua, quia ista sunt communiora, & magis necessaria fundamenta vitæ: sic patet Ecclesiastici. 29. cap. scilicet Initium vitæ hominis panis, & aqua. non solum tamen deficiebant hæc, sed etiam omnia alia bona: nam vbi nec panis, nec aqua est, nullum de conuenientibus ad sustentationem vitæ esse potest. fuerant tamen conquesti in Cadesbarne de solitudine ista, quod non gigneret ficum, nec malogranata, & quod seri non potest nec habet aquas præcedenti. capitu. *Anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo.* Conqueruntur de Manna, quod erat mali saporis, & vocant illum cibum leuissimum, quasi in vituperium.

D

Murmuratio Israelitarū contra Dominum, & Moysen.

E

F

An sit verum, quod comedentes Manna non emittebant stercora.

QVÆSTIO VI.

DIcit Rab. Salo. quod Manna erat cibus leuissimus, quia non grauabat stomachum Iudæorum, sicut alii cibi, nec aliquid emittebant per secessum, ideo timebant, quod intra viscera eorum putrefieret, & morerentur. Sed istud ridiculum est, nullus enim cibus ita tenuis esse potest, quin aliquid habeat de impuro non conuenienti ad transeundum in substantiam corporis, quod natura non recipit, Manna autem erat de naturali materia factum, in qua non reperitur totaliter purum sine mixtione, nec etiam videbatur conueniens aliquem cibum esse ita delicatissimum, vt purus esset. Et si dicatur, quod forte non erat factus in materia sed creatus, & sic existere potuit purissimum. Respondetur, quod non fuit creatum Manna, sed de naturali, & præ existente materia ab Angelis confectum, vt patet Psalm. 77. scilicet Panem Angelorum manducauit homo, id est, panem ab Angelis confectum, non enim Angeli creant, nec creationis ministri sunt. Et patet necessario, quia ministratio est aliqua dispositio ad actum principalis agentis, sicut patet in artifice manuali, & architectonico: in creatione autem non est quid disponatur, quia dispositio competit materiæ ad leuiorem formæ inductionem.

Op. Rab Salo. cōfutatur

A creans autem materiam, & formam, & quidquid est in individuo creato de nihilo solo nutu voluntatis producit creatum igitur Manna non erat, & consequenter aliquid impuritatis habebat, & necesse erat, vt aliquid per secessum etiamsi modicum mitteretur. Vocabant tamen cibum leuissimum, quia erat eis mali saporis, & commouebat ad vomitum, sunt enim aliqui cibi, qui propter dulcedinem magnam, vel alium gradum inconuenientis saporis mouent ad nauseam, sicut est de melle, & oleo, & similibus. Et sic Iudæi nauseabant super cibo isto, scilicet euomebant illum. Nauseare enim est euomere. Et à naue dicitur, quia in naui positi à principio euomunt. Et potest intelligi dupliciter nausea Iudæorum. primo modo pro fastidio, scilicet, quod Iudæi ad nullum alium cibum assueti per 40. annos iam nimis fastidiebant illum, ita vt non possent moueri in desiderium illius. Et cum eum aspicerent desinebat ciborum appetitus, quod multi patiuntur in aliis cibis, & tunc cuiuscunque qualitatis esset Manna, quia vnicus cibus erat posset prouocare ad nauseam Iudæos tanto tempore ab eis acceptus. Alio modo potest dici, quod Manna non solum prouocabat fastidium, sed etiam nauseam veram, sicut mel, & oleum prouocant in pluribus: Manna tamen ex sapore suo materiali similabatur melli, & oleo, ideo prouocare poterat nauseam. de hoc Exod. 16. cap. scilicet erat quasi semen coriandri album, & gustus eius quasi similæ cum melle, id est, quasi si cum mederetur panis cum melle. Etiam videbatur Manna aliqualiter saporis olei, & ad hucusque sapor magis prouocabat ad nauseam supra capitulo vndecimo scilicet. Et faciebant ex eo tortulas saporis quasi panis oleati, id est, panis commixti oleo. Aliqui autem dicunt, quod iste sapor leuissimus prouocatiuus nauseæ causabatur in peccatoribus ex demeritis suis, in bonis autem conuertebatur Manna ad omnem saporem, quem voluissent, secundum verum est indistincte, vt patet Sapientiæ. 16. capitu. primum etiam satis est rationabile, vel verisimile, quod interdum malis ex demeritis suis cibus ille grauis videretur in gustu, sed propter hoc Manna habebat ex natura sua saporem quendam, quo faciliter homo verteretur in nauseam, scilicet saporis mellis, vel oleo: Exod. 16. capit. & supra 11. cap. Et non inerant isti sapores secundum conditionem peccatorum comedentium, sed ex conditione Manna, quia cum ipsum esset aliquod mixtum naturale, necesse erat, vt determinaret sibi aliquod genus saporis, & ille communis erat bonis, & malis, ideo æqualiter poterant fastidire Manna boni, & mali. Quod aût bonis conuerteretur Manna ad omnem saporem, quem voluissent ex priuilegio accidebat, sed interdum boni experirentur saporem ipsum naturalem Manna, & tunc possent nauseare, quod autem malis conuerteretur ex demeritis in malum saporem nihil refert, nam nulla facta mutatione ipse naturalis sapor ad nauseam eos concitaret, & hoc verisimilius est. Rationabiliter igitur potuerunt Israelitæ nauseare super Manna qui tamen potuisset sapor ille conuerti eis ad bonum, si ipsi non præuaricarentur, erat in eis vituperabile, quod nauseabant super Mãna, quia ex eorũ culpa hoc accidebat. *Quamobrem misit Dominus in populum serpentes ignitos.* Ista est pœna murmurantiũ, s. quod morderẽt eos serpentes igniti, & occiderẽr. De istis serpentib. aliqui dicunt, quod p aerẽ volantes flãmas emittebant, ideo vocantur igniti, id est, ignem habentes, vel emittentes. Sed videtur, quia in Hebræo non vocantur igniti, id est, ignem habentes, sed combustores, quia alios comburebant, licet in se forte calidi non essent, & huiusmodi sunt quidam serpentes, qui ponuntur Deuter. cap. 8. vbi ista recapitulantur, & venenum istorum serpentum ita vrit, quod totum hominem vsque ad ossa consumit conuertendo in humorem liquidum virulentum, vt ait Lucanus lib. 9. belli plus quam ciuilis de serpentibus Libyæ, vbi sunt plures, & diuersarum specierum, quam in alia parte orbis.

Nausea Iudæorum super Mãna dupliciter potest intelligi.

Sapor Manna assimilabatur melli & oleo.

Sapor Manna B *quomodo prouocabat ad nauseã*

C *Pœna murmurantiũ. Quare dicantur serpentes igniti.*

An serpentes isti, qui nocebant Iudæis essent à Deo nouiter creati, vel aliunde adducti. vel essent in loco illo.

QVÆSTIO VII.

QVæret aliquis de istis serpentibus, an essent in terra illa, vel Deus creauerit illos, vt Iudæis nocerent, vel aliunde educi fecit.

Respondendum est, quod omnes isti modi esse poterant, D scilicet, quod Deus creauerit serpentes istos ad pœnam eorum, sicut alia quædam nouiter fecit ad eorum refrigerium, scilicet Manna, quod in toto orbe nunquam fuerat, nec postea visum est, sed tunc ab Angelis confectum est. Etiam nubem columnarem in figura ignis creauit ad præcedendum eos per noctem, & diem. Ita igitur verisimile est, quod creauerit serpentes ad eorum punitionem, sic enim erat in plagis illatis Aegyptiis, quoniam omnes nouiter factæ sunt, vt ranæ, cyniphes, brucus, tenebræ, & sanguis, & cætera de quibus nulla præfuerant. Iudæi autem murmuratores erant hostes Dei, sicut Aegyptii, ideo sic fieri posset contra eos. Alius modus etiam satis erat possibilis, scilicet, quod serpentes illi non fuerint creati nouiter, sed adducti de alia parte terrarum per Angelos ad nocendum Iudæis, & poterant duci de partibus Libyæ, vbi plures sunt, quam in toto orbe: sic enim factum est in coturnicibus, quas Deus dedit Iudæis petentibus carnes, illæ enim non fuerunt nouiter creatæ, nec in loco castrorum erant, sed ventus concitatus à Domino arripuit illas de locis suis apud mare rubrum, & duxit in castra. supra capit. 11. Ita etiam de incantatoribus Aegyptiorum declaratum est Exodi. capitu. 7. quod serpentes, quos fecerunt ipsi apparere coram Moyse, adduxerunt dæmones de alia parte orbis. Sic quoque tempore Noe factum est, cum animalia omnium specierum introierunt in arcam, nam ipse non adduxit illa de variis partibus orbis, quia nec cognouisset, nec inquirere potuisset, nec inuenta adduxisset, sed Dei nutu Angeli portauerunt, vt declaratum est Genes. capit. 6. Tertius modus esse poterat, scilicet, quod serpentes isti fuissent in eodem loco. nam licet in partibus Libyæ abundantiores sint, non negatur illos esse in aliis partibus terrarum, potissime in terris calidis, sicut est Arabia, per quam Iudæi tunc incedebant. multos enim serpentes etiam alatos. habet, vt ait Solinus in Polistor. capitu. de Arabia: & tunc dicetur, quod isti serpentes erant in terra illa, sed non nocebant Iudæis, quousque Deus concitauit illos ad nocendum, & tunc veniebant ad populum, & plurimi percutiebantur. Cum autem Deus voluit, quod cessaret plaga non concitauit vlterius serpentes, & iste sensus innuitur Deuteronom. cap. 8. scilicet, quod isti serpentes essent in terra illa, cum dicitur: ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens, & scorpio, ac dipsas, & nullæ omnino aquæ. Sciendum, quod Rab. Salom. dicit, quod non solum Iudæos fuisse à serpentibus percussos, sed etiam pecora, & iumenta eos mordebant, serpentes tamen magis nocebant. Cui satis consonat, vt habetur Sapientiæ capit. 5. Armabit creaturam ad vltionem inimicorum, & pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos.

E

Quomodo percussi à pecoribus sanabantur si dicamus, quod non serpentes solum sed etiam pecora mordebant.

F

QVÆSTIO VIII.

QVæretur tunc quomodo percussi à pecoribus, & iumentis sanabantur, nam de morsu serpentum planum erat, quod inspecto serpente æneo sanabantur. Respondeti potest, quod morsus pecorum, & iumentorum, licet essent dolorosi, non erant moriferi, nec morbum inducentes, sicut morsus serpentum, ideo non indigebant speciali adiutorio, & populus petens remedium contra serpentes de pecoribus, & iumentis subticuit, vel quia nihil tale erat, aut quia eorum morsus parum nocebant. Alio modo potest dici, quod aspicientes serpentem æneum sanabantur, tam à morsibus serpentum, quam pecorum, & iumentorum, quod satis est verisimile, quia serpens ille æneus non habebat aliquam virtutem determinatam, secundum quam sanaret à morsibus serpentum, & non pecorum, & iumentorum, ideo nullam virtutem habebat sanatiuam, nec quidquam efficiebat, sed solo Dei nutu sanabantur percussi, ideo nihil magis proficeret sanationem morsus serpentini quam pecorum, & iumentorum, cum ex voluntate Dei sanitas induceretur, quæ non magis determinatur ad vnum quam ad alterum. Et istud signum non positum est tanquam naturaliter operatiuum, sed ad placitum, vt infra patebit.

Causa

A Causa autem quare serpentes missi sunt, fuit magna conuenientia culpæ istorum ad pœnam, vt sicut isti vilipendebant, & fastidiebant Manna, quod habebant omne saporis delectamentum Sapientiæ cap. 16. ita punirentur per serpentes, quibus omnia, qua comedunt terra videntur in sapore. Vel sicut istis Manna insipidum videbatur, ita decuit puniri per serpentes, qui solam rem insipidam, scilicet terram comedunt, patet Genes. cap. 3. *Ad quorum plagas, & mortes plurimorum venerunt ad Moysen.* Id est, quia multi percutiebantur de populo à serpentibus, & multi moriebantur, venerunt ad Moysen petentes remedium. dabat enim vexatio intellectum, & licet à principio Deo non crederent, tamen pœnalitatibus coacti quas à Deo infligi sciebant ad eum pro remedio recurrebant venientes ad Moysen, qui medius erat inter Deum, & populum. *Atque dixerunt, peccauimus, quia locuti sumus contra Dominum, & te.* Exprimento enim didicerant Israelitæ, quod Deus misericors est, & ad pœnitentiam peccantium flectitur, ideo primo confessi sunt iniquitatem suam, vt sic veniam mererentur. Dixerunt autẽ, quod peccauerant contra Dominũ, & Moysen, quod fuit murmurando, erat enim peccatum directe contra Moysen, vt patet ex verbis, scilicet: Cur eduxistis nos, &c. contra Deum autem erat murmuratio; quia redarguendo facta Moysi arguebantur facta Dei, cum vnum dependeret ex altero. Erat tamen peccatum istud contra Moysen dupliciter. Primo, quia eum de malo regimine populi arguebant, quia duxisset eos in solitudinem. Sed hoc falsum erat, quia melius erat Iudæis exire in solitudinem, quam manere in Aegyptiaca seruitute. Secundo errabant cõtra ipsum, quia dato, quod malum fuisset Iudæis educi in solitudinem, non fecerat hoc Moyses, sed Deus. Confessi autem sunt Israelitæ peccasse in Deum. & Moysen: in Deum quidem, vt remitteret, quia nisi pœnituerimus à pœna non flectitur. De Moyse confessi sunt, vt haberent propitium ad orandum pro ipsis: nam si Moyses non intercederet desperabant se habituros remedium. *Ora vt tollat à nobis serpentes.* Q. d. confitemur, quod Deus miserit serpentes istos propter peccata nostra: ora ergo, vt auferat. Deus autem non concessit penitus eorum petitionem, quia ipsi volebant auferi serpentes, id est, quod nequaquam percuterent populum amplius. Deus autem abstulit mortem, sed non percussionem, prius enim Israelitæ mordebantur, & peribant, vt patet supra, scilicet ad quorum plagas, & mortes venerunt ad Moysen. Postea autem ablata est mors, quia posito serpente æneo quicunque illum intueretur sanabatur à morsibus serpentum, vt patet infra, & tamen adhuc serpentes mordebant populum, quia si post petitionem istam nullus fuisset à serpente percussus superfluum erat serpentem fieri, ad quem percussi respicientes sanarentur, sed omnes, qui ante tempus petitionis emissæ percussi fuerant, & tamen adhuc viuebant, sanari debuissent: Deus autem voluit aliqualiter affligere populum, nec statim concedere, quia erant duri ceruice, & rebelles contra Dominum, vt patet præcedenti cap. Si autem subito fuisset ab eis ablata plaga, facilitas veniæ delinquendi præberet incentiuum. Durauit igitur aliquanto tempore plaga serpentum: nemo tamen moriebatur, quia percussi aspiciebant serpentem. postea autem paulisper omnis plaga ablata est. *Orauit Moyses pro populo.* Quamquam enim sæpissime Israelitæ offendissent Moysen tamen non desinebat orare pro eis, sicut patet supra 16. capit. vbi populus insurgens in eum voluit ipsum delere, & Aaron, ita vt ambo fugientes intra tabernaculum absconderentur, ibi tamen pro populo orauerunt ne Deus deleret eos: hoc autem quia Moyses diligebat Israelitas in visceribus charitatis, erat enim vt prælatus, & pius pater defectus Iudæorum patienter tolerans, nec vnquam odio habens. *Et dixit Dominus ad eum: fac serpentem æneum.* Ponitur remedium percussorum: non quidem eorum, qui vsque nunc percussi fuerant, quia isti, vel iam mortui fuerant, vel immediate sanati sunt post hanc concessionem, alii autem postea percussi respicientes serpentem æneum sanati sunt.

B

An Iudæi fuerint percussi à serpẽtibus postquã fuit factus serpens æneus.

C

Considerandum circa istum serpentem, quod Moyses fecit illum de ære, quia nulla materia videbatur conuenientior ad fabricandum eum. est enim multum ductile, & obediens artifici, etiam non est magni sumptus. Requirebatur enim valde magnus serpens, vt posset videri per omnia castra. Nam dicitur infra quod percussi à serpente aspicientes illum serpentem æneum sanarentur: ergo oportebat, vt esset magnus valde; quia castra Hebræorum erant nimis magna cum essent ibi plura quam sexcenta millia peditum præter senes, & paruulos, & omnes fœminas: si autem esset paruus conspici non posset. In Hebræo non ponitur: Fac serpentem æneum: sed: Fac combustorem, id est, facias similitudinem vnius de serpentibus combustoribus, vel ignitis: nec etiam dixit, quod faceret de ære, sed fecit Moyses hoc de metallo, quia erat conueniens, vt dictum est. *Et pone eum pro signo.* Id est, pone eum in signum, scilicet vt videant omnes Israelitæ, scilicet in loco alto, vel in pertica, vt dicitur in Hebræo. Oportebat enim ipsum valde exaltari: nam castra Israelitarum erant valde magna, quæ forte durarent plusquam per vnam, vel duas leucas in multitudine hominum & iumentorum: talis autem debuit esse serpens, & tam alte positus, vt posset videri de quolibet loco castrorum: vt vbicunque contingeret aliquem percuti à serpente posset sanari. Non poterat autem videri serpens in tanta castrorum latitudine, nisi valde eminenter positus esset: si enim fuisset serpens in tentorio Moysi, vel non esset eleuatus in sublime, oportebat, vt quilibet percussus à serpente de quacunque extremitate castrorum veniret ad tentorium Moysi, vt ibi videret serpentem: sed contingeret aliquem mori, dum veniebat, quia serpentes illi propter magnitudinem virus cito occidebant. Dicitur autem quod ponatur serpens pro signo, quod dupliciter intelligit: vno modo quod ponatur tanquam signum, id est, sicut signa ponuntur in loco, vbi videantur, ita poni debebat iste serpens in loco eminenti. Aliter potest intelligi pro signo, id est, ad significationem futurorum, & hoc pertinet ad Christum pendentem in Cruce, scilicet quod sicut viso serpente isto Hebræi sanabantur à languoribus, ita respicientes Christum crucifixum, & credentes in eum ab omnibus peccatis mundant. Litera tamen Hebraica non facit istum sensum saltem in superficie, cum dicat, quod poneretur serpens iste in pertica. *Qui percussus aspexerit eum viuet.* Id est, cum aliquis fuerit percussus à serpentibus istis respiciat immediate serpentem æneum, & sanabitur. Si autem aliquis differret aspicere, breuiter eum inuadebat mors. Quomodo autem sanabantur percussi infra dicetur. *Fecit ergo Moyses serpentem æneum.* Scilicet immediate, vt iussum est: nam dilatio operis multa inferebat dispendia. plurimi enim de Iudæis à serpentibus percutiebantur. *Et posuit pro signo.* Id est, posuit in pertica eleuatum in sublime in medio castrorum, vt ex quacunque parte videri posset. Hunc serpentem adduxerunt secum Iudæi per omnia loca castrorum: & etiam in itinere ferebatur eleuatus, vt si quis tunc à serpentibus morderetur, sanaretur. *Quem percussi aspicientes sanabantur.* Id est, postquam factus est, omnes qui percutiebantur à serpentibus eo viso sanabantur.

D

Serpens quare dicitur, quod ponatur pro signo.

F

Vtrum serpens iste æneus fuerit factus operatione astrologica, & magica, & an potuerit habere virtutem ad sanandum eos, qui à serpentibus mordebantur, dirigendo solum oculos in eum, & an per solam visionem possit causari aliqua realis actio.

QVÆSTIO IX.

Op. quorundã confutatur. 1. ratio.

DE isto serpente dixerunt aliqui, quod erat factus operatione astrologica seruata habitudine Astrologorum quantum ad aspectus planetarum, & varietatem ascendentium, & ob hoc virtutem sanatiuam vulnerum habuit. Sed non potest stare, quia serpens iste æneus nulla Moysi solertia, sed diuina iussione factus est: si igitur respicientes istum serpentem aliquam virtutem ex hoc contrahebant sanitatis, non erat hoc ab aliqua virtute naturaliter influxa in serpentem illum, sed Dei nutu, & opere, vt ab eodem virtus sanatiua descenderet à quo iussio de faciendo serpentem emanauit. Item quandocunque fiunt aliquæ imagines metallinæ aut de quacunque materia secundum aspectus stellarum, & motus, & astrologicam obseruationem, vel magorum superstitionem à fide, & naturali ratione deuiantium, oportet vt in magna temporum obseruantia fiat, nec in quibuslibet, sed quibusdam spiritualibus, & determinatis diebus: nam aspectus planetici, aut obseruatio ascendentium ad hoc conuenientium

Serpens quare factus est æneꝰ

2. ratio

A uenientium quotidiani non sunt, sed istum æneum serpentem mox, vt Deus iussit, expleuit: nulla igitur astrologica operatione, aut magica superstitione serpens iste fabricatus est.

3. ratio. Item Moyses fecit iustum serpentem iussu Dei, & eo modo, quo Deus voluit, alioquin peccasset: Deus tamẽ nõ iussit fieri aliquid obseruatione astrologica: ergo Moyses non fabricauit serpentem magice, aut astrologice. Antecedens patet, quia Deus intendebat erudire Iudæos, ne attribuerent aliquam virtutem similem astris, vel toti cœlo, nec crederent cœlestia corpora super operationes nostras habere aliquam causalitatem: ergo non iussisset fieri aliquid magice, vel astrologice. Quod patet Ieremiæ capit. decimo. Iuxta vias gentium nolite discere: & à signis cœli nolite metuere, quia leges populum vanæ sunt. Et sicut signa cæli dixit non esse metuenda, ita & corpora planetarum, atque cætera astra cum suis orbibus, atque horum aspectus, & quemcunque virtutis modum ab astrologis assignatum in his.

4. ratio Item si iste serpens operatione magica, vel astrologica factus esset, non consequeretur tantam efficaciam, vt eos qui morituri erant, nisi in eum aspicerent: sanaret mox, vt in eum oculorum aciem tetendissent: quod patet in cæteris vasis, aut imaginibus astrologice, aut magice factis: nullum enim horum vsque hodie visum est, quod tantam virtutem contraxerit: sed

5. ratio. iste serpens verissime sanabat morituros: ergo astrologice factus non est. Præter hoc si serpens iste astrologice causatus

B esset, & sanatiuam haberet virtutem, illa necessario naturaliter causata esset: virtutes tamen naturales successiue agunt, & nulla in instanti: sic ergo qui sanabantur, aspectu serpentis ænei non sanarentur mox, vt intuerentur eum, sed post aliquot dies, quod falsum est: nam immediate, vt respicerent sanabantur: non ergo non naturaliter, sed Dei voluntate fiebat: ergo non erat astrologice factus serpens, nec aliqua in

6. ratio eo virtus naturaliter causata. Item serpens æneus si per aliquam virtutem naturaliter causatam sanaret, non posset ista sanitas causari, nisi in parua distantia, sicut supra dicebatur de fascinatione, quod nullum animal potest fascinare alterum, nisi in parua distantia, etiamsi animal fascinans valde pestiferum sit: oportebat ergo hoc dato, quod vulnerati à serpentibus huic serpenti metallino valde appropinquarent ad sanitatem causandam. Sed falsum est, quia vbicunque existerent videntes sanabantur, hæc fuit causa quare iussum est, vt serpens iste poneretur in altum pro signo, vt patet hic, & Ioan. capit. 3. Si autem non sanarentur homines videntes vbicunque essent, sed solum à propinquo, non erat conueniens poni serpentem istum in sublimi, sed in pauimento in tabernaculo Moysi, vel in tabernaculo fœderis, vt omnes percussi illuc conuenirent.

7. ratio. Item serpentes isti erant grauissimi, ita vt morsu eorum homines velociter morerentur quasi exusti ab igne, quod patet hic cum vocantur serpentes ignei: & Deuterono. capitu.

C octauo: vbi dicuntur serpentes flatu adurentes: ideo percussi ab his citius morerentur quam venirent ad contemplandum serpentem istum: potissimum si in extremitate castrorum, vel extra castra morderentur, sed falsum est, quia omnes videntes sanabantur: ergo non erat ista virtus naturalis causata per aliquam operationem astrologicam, sed solo Dei nutu.

Item quando aliquæ virtutes naturaliter operantur in omnes æqualiter operantur nulla habita distinctione boni, & mali, deuoti, & indeuoti: ergo serpens iste sic operaretur, si naturalem virtutem haberet, ita vt nihil magis sanitatem causaret in eos, qui deuoti veniebant, & obseruantes cæremonias, quam in Iudæos contemptores omnium horum. Ex quo patet, quod omnes, qui apud serpentem hunc essent, æqualiter sanarentur qualitercunque se haberent. Vnde si aliqui apud serpentem hunc essent, & non inspicerent eum æqualiter sanarentur, vt aspicientes, cum virtus naturalis ad omnes deriuaretur. Sed falsum est, quia hic dicitur, quod quicunque aspiceret serpentem sanaretur.

8. ratio. Item quamquam astrologica, aut magica quadam obseruatione serpens iste factus foret, & sanatiuam vulnerum virtutem recepisset sola naturali influxione: tamen sola visione hoc naturaliter causari nequibat, vt percussi à serpentibus curarentur: nam per visionem nulla realis, aut naturalis immutatio causatur in animali viuente, scilicet, quod per visionem virtutem, aliquam aut naturalem qualitatem viuens recipiat, sed solam spiritualem immutationem recipit, scilicet, vt per visionem species rei visibilis in organo recipiatur: nec quidquam alterum recipi potest quamquam accidentaliter causetur fatigatio videndo, vel dolor in oculis in præsentiam lucis fortis repercutientis in oculo, vel fortiter, vel si sit color intensus illuminatus forti luce. De hoc ait Aliacensis in principio perspectiuæ: per visionem igitur infirmitas, aut sanitas in vidente recipi nequit, quoniam istæ qualitates naturales sunt. Quod patet, quia si quis ignem inspexerit solo intuitu nullus in eo causabitur calor, vel si aquam solum videat, nullatenus frigefiet: vel si serpentem venenosum intuitus sit, nullam venenositatem talem inde trahet: si tamen sola visione in vidente aliqua realis immutatio causaretur, eo quod quis ignem videret, calefieret, quoniam ignis calidus est: serpens quoque visus videntibus pestiferam talem visionem incuteret, cum ipse venenum in se teneat: in aliis tamen cæterisque naturalibus actionibus necessarium est fieri contactum, & applicationem secundum organa potentiæ tactiuæ, quod apparet in medicinis sanatiuis: nam quamquam efficaciter sanatiuam virtutem contineant, nunquam tamen ægrotus curabitur solo medicamentorum aspectu, sed cum ea degustauerit, aut carni suæ quouis modo applicauerit ad loca patientia nocumentum: liquide igitur comprobatur per visionem nullam naturalem, siue realem causari qualitatem, sed solam spiritualem immutationem, sed qui mordebantur à serpentibus viso illo serpente æneo illico sanabantur, ergo sanitas non causabatur ex aliqua virtute sanatiua, quæ in serpente illo existeret, sed solo Dei nutu efficiebatur, vt quicunque serpentem illum suo factum iussu aspexisset à serpentum morsibus sanaretur, quamquam serpens ille æneus ad hoc virtutem nullam haberet sanatiuam: velut si quis lignum, aut lapides inspexisset.

D

E

An in sola visione naturales qualitates causentur, seu aliqua realis actio, vt in Basilisco, lupo, & muliere, & paruulis fascinatis.

QVÆSTIO X.

CONtra supradicta aliquis arguet, quod serpens iste metallinus potuerit habere virtutem ad sanandum eos, quia serpentibus mordebantur, dirigendo solum oculos in eo: nam sola visione non solum qualitates spirituales, sed etiam interdum naturales virtutes, & impressiones interdum causantur, vt patet in Basilisco. Iste quippe, solo viso, animalia visa occidit, & arbores inficit: etiamsi ad illa tangenda nunquam accesserit: ideo è contrario euenit, quia si plures Basiliscus visu, quam morsu necat: naturales ergo immutatio, & valde magna solo visu effici potest: nulla namque passio, aut impressio morte fortior est, quæ sola visione inducitur.

1. argu.

F

Item cum quis lupum prope viderit, non poterit loqui, lupus tamen ei nihil nocet, nec ad eum accedit: ideo cum aliquos videmus non potentes loqui, dicimus: lupus est in fabula, id est, cum lupo locutus est, aut lupum vidit, vt ait Isidorus Etymo. libr. 12. ex sola igitur visione realis immutatio sequitur.

2. arg.

Cap. 1.

Item apparet hoc in mulieribus menstruatis: nam cum mulier patitur sanguinem menstrualem, qui per singulos menses prouenire solet, si speculum coniunctum sibi in parua distantia inspexerit magno spatio in illud oculorum aciem figens, post hoc speculum sanguineis guttis, aut penitus respersum, aut magna ex parte maculatum erit, & in nigrum vertetur colorem: nulla tamen præter visionem operatio hic est. Ergo ex sola visione realis immutatio causabitur.

3. arg.

Item in infantibus, quos vulgus fascinatos vocat, id est, oculo percussos, astruunt esse oculos quosdam sola visione rebus visis ægritudinem inducentes, ibi tamen sola visio est: & tamen naturalis atque realis immutatio fit.

4. arg.

Ad prædicta respondetur per solam visionem nullam realem,

realem,aut naturalem causari immutationem: visio enim per speciem visibilem fit,quæ est ens quasi pure spirituale nõ habens in se aliquam de naturalibus qualitatibus, nec etiã causare potest in illo, in quo terminatur. s. in oculo rei videntis, Sunt autem qualitates naturales secundum quas actio & passio causantur quatuor. s. caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas. spẽs autẽ visibilis, nec frigida est, nec calida, nec sicca, nec humida formaliter, nec effectiue, aut virtualiter. s. quod nec aliquam harum qualitatũ in se habet, nec etiam in re visa causare potest, sicut corpora cœlestia nullam harum habẽt, tñ eas in inferioribus elemẽtis, & elementatis causant. Et sicut qualitates quatuor primas non causant, ita nec aliq̃ aliam deriuatiuam ex his: sed operatio sua est, vt videre faciant res quarum species sunt, q̃ si visa res animali aliquod nocumentum inferat videnti: aut animal videns in ipsa visione aliquam ægritudinem, vel quodcunq; malum contraxerit: non fit hoc ex ipsa visione, sed aliquid alterum est, quod ad potentiam actiuam attinet. Vnde hoc nocumentum quod in videndo infertur, sequeretur etiamsi res visa non videretur, aut si animal vidẽs nihil vidisset. Causa tamen horum, quæ inducebãtur, proueniet ex hoc, quod quædam corpora sunt infecta atq; tabida, & quasi pestifera in se corruptos humores, & putridas atque venenosas continentia qualitates: hæc autem in spiritus resoluuntur atque per oculos egrediuntur, quia partes istæ tenerrimæ sunt, non potentes per alias corporis partes meatũ sibi constituere, quamq̃ per anhelitum aliquid eorum egredi contingit: hi autem spiritus per aerem tendunt, & cum in aliquam rem solidam aliqualiter, & teneram insederint, inficiunt, & corrumpunt illam. Sunt autem isti spiritus corpora subtilia, qui in modum fumositatum resoluũtur: sunt autem substantiæ calidæ, & humidæ. Cum vero de corpore alicuius per oculos aliosque meatus corporis egrediuntur præ subtilitate sua impassibiles sunt. Cum autem ad aliquod corpus tenerum peruenientes inhæserint, frigiditate superficiei corporis solidi cui inhærent, & aeris circunstantis condensantur: atque visibiles effecti corpora apparent. Sic est de muliere menstruata cum speculum respicit: spiritus enim procedens videri nequeunt, sed cum speculo inhæserint videri inchoantur iam in maculas conuersi illos namque speculi frigiditas, & aeris circunstantis condensando solidauit. Similiter patet nullam actionem naturalem fieri posse per visum, quia visio per solam speciem visibilem causatur, quæ nullam conditionem corporalem habet, sed pure spiritualem: sunt tamen quædam animalia tam in humana specie, quam in cæteris, in quibus quidam venenosi humores sunt, qui in spiritus resoluuntur per pupillas oculorum egredientes, atque valde nocent eis, quibus inhæserint, & hoc modo existimatur per visionem aliquam naturalem, vel realem causari actionem, sed non causatur: sed huius nocumenti causæ sunt ipsi spiritus egredientes per oculos animalium peruenientes vsque ad res his animalibus propinquas. Spiritus autem illi, quos nociuos, atque pestem inferentes scimus, ad actionem visiuam non pertinent, sed ad potentiam tactiuam, quæ per applicationem, & contactum operationem suam habent: sic enim isti spiritus contingendo nocent, qui vsque ad corpora perueniunt, quibus nocent atque eis insident inhærentes. Item calidum, & frigidum, siccum, & humidum sunt obiectum potentiæ tactiuæ, & ipsam immutant. Isti autem spiritus qui nocent, aut humorem, aut calorem noxium tenent. Istam ergo naturalem immutationem non secundum visionem, sed secundum potentiam tactiuam fieri manifestum est. Cum autem applicantur ista ad serpentem æneum, quem fabricauit Moyses stare non possunt, quia si in quibusdam aliis rebus videndo sanitas cõtrahitur, aut ægritudo: hic tamen fieri est impossibile: visio enim sola nullam realem, aut naturalem actionem causat: sed cum est coniuncta aliqua qualitas visioni, quæ sanitatem, aut ægritudinem causet, vt cum videndo spiritus emittuntur per oculos, qui interdum ægritudinem, & interdum bonum aliquod causant. Hoc autem non conuenit serpenti æneo, quia nulli spiritus ab eo vaporari possunt. Causa apparet, quia spiritus, vt hic accipitur est corpus valde subtile, & inuisibile humidum, & calidum, ab aliquo densiori corpore actione caloris resolutum, atque postea subtilitate sua eleuatum: quæ non conueniunt serpenti æneo. in eo quippe calor, aut humor nullus erat: quin potius duæ contrariæ qualitates, scilicet, frigidum, & siccum, quia æneus serpens erat. Item humor nullus in hoc serpente erat tanquam materiale principium, ex quo isti spiritus soluerentur: deficiebat enim calor, qui est principium effectiuum ad resoluendum spiritus: impossibile ergo erat emitti aliquos spiritus ex serpente illo metallino sanatiuos hominum percussorum, & consequẽter patet non potuisse fieri sanitatem istam per aliquam naturalem qualitatem causatam in serpente æneo astrologica, aut magica obseruatione.

A *Species visilis nullã qualitatem actiuã, aut passiuã cõtinet.*

Non fit aliquod nocumẽtum per visionẽ sed per spũs emissos p̃ visum, & quo animalia fascinẽt quare aliqua corpora infician̄t

B *alia et sine contactu.*

Spũs fascinantes, qui sunt.

Argumenta superius facta diluuntur.

QVÆSTIO XI.

AD id quod obiiciebatur de Basiliſco respondendum est, quod Basiliscus per solam visionem non potest causare aliquam naturalem immutationem, nec nocere alicui animali: nam si in sola visione possibile esset causari aliquam realem immutationem, rationabilius erat, vt res visa causaret aliquid in vidente, cum videtur, quam videns in re visa, cum eam videt: huius causa est, quia videns nihil agit, sed patitur recipiens in se speciem rei visæ vsque ad oculos suos peruenientem atque immutantem, videns tamen ad rem visam nihil emittit, sed recipit ab eadem species. Quamquam in hoc Platonici satis errauerunt dicentes visionem fieri per emissionem radiorum visualium ab oculo vsque ad rem visam peruenientium: atque ipsius formam secum in reditu vsque ad oculos videntis perducentium.

D

E

Hæc tamen positio falsa est: improbat enim eam Aristo. in libris De anima in secundo, dicens: Videmus nihil immittentes, sed intus recipiẽtes: sic apparet ex perspectiua Pisani, quæ dicitur Perspectiua communis, propositione 43. l. b. 1. cum dicitur: Mathematicos dicentes visionem fieri per emissionem frustra conari.

Visionẽ nõ fieri p extramissionẽ cõtra Platonicos ratio 1.

Item si visio fieret emittendo, & nõ recipiendo esset actio, & non passio: visio autem passio est, & non actio: ergo non fit per emissionem: quod apparet, quia cum videmus si nihil reciperemus, & aliquid emitteremus, cum emittere sit actio visio actio esset: quoniam in videndo recipere nullum esset, q̃ est passio. Plura ergo actio in videndo erit. Priscianus tamen visionem passionem esse dicit in maiori volumine li. 8. vbi dicit, quod ista verba audio, & video, & cætera significantia sensationes in voce actiua significant passionem.

2. ratio

Item si visio fieret emittendo, & non recipiendo potentia visiua esset actiua, sed est passiua: ideo visio non fit per emissionem, sed recipiendo. Quod patet, quia si fieret emittendo, cum emittere sit pure agere visio esset pura actio, q̃ autẽ potentia visiua non esset actiua satis patet, quia omnes potẽtias sensitiuas, scilicet, tactiuam, gustatiuam, odoratiuam, & cæteras passiuas appellamus: sic nominat eas Aristoteles in multis locis.

3. ratio.

F

Item si emittendo aliquid, & nihil recipiendo videremus: nemo ad tantam distantiam videre posset ad quantam videt, quia vsque ad corpus Solis, & astra fixa videndo pertingimus: inter illa tamen & nos pluriũ quam ducentarum millium leucarum interpositio est, quod Astronomi necessariis inducunt demonstrationibus. De hoc Alfraganus in libro suo de Astrologia in fine. Si autem visio emittendo causaretur, necesse esset spiritus istos ex partibus tenerrimis corporum solui, cum spiritus corpora subtilia humida, & calida resoluta ex partibus humidis corporis sint agente, atque resoluente calore: ad hoc tamen, vt spiritus isti emissi ab oculis pertingerent ad Solem, vel astra fixa necesse esset totum corpus in huiusmodi spiritus solui, nec ad locum prædictum quouis modo accederet, & si tantam spirituum resolutionem causari cõtingeret, adhuc non possent tantum eleuari, vt vsque ad cœlos pertingerent.

4. ratio

Item si fieret visio emittendo spiritus ab oculis, non possemus semper videre ea, quæ nobis directe oppositа sunt, sed interdum ea, quæ in aduersum. Videmus tamen semper ea, quæ nobis opposita sunt: ergo non fit visio per emissionem. Maior patet, quia cum spiritus ab oculis nostris ad aliquid videndum egrederentur, qui humidi, & calidi sunt, quamquam subtiles sint: ventus tamen eis obuians poterit illos

5 ratio contra Platon.

In serpẽte nõ potuerũt esse spiritus sanitatem causantes nec poterat emittere aliquos spiritus, quia erat frigidus, & siccꝰ spũs quo accipitur hic.

C

A

impellere ad aliquam differentiam positionis, quia habent veram quantitatem, & tunc cum spiritus illi non infigãtur in illa re, quæ directe ante oculos est prohibente impetu vẽtorum, sed ad aliam rem in altera positione deducantur, cõtinget, vt non videatur res, quę ante oculos est, sed quæ in aduerso iacet, ad quam peruenirent spiritus emissi ab oculo videntis, & sic quando eueniret, vt spiritus emissi vento impellente conuerterentur ad posteriora rebus illis, quæ post tergũ nostrum sunt, videremus non potentes videre, quæ sunt ante nos. Item sequitur inconueniens. s. quod ea, quæ ante oculos

6. ratio

sunt, & prope nos interdum videre non possemus, quod absurdum est, quia quidquid oculis nostris obiicitur, videmus, nisi forte immoderata distantiæ interpositio fiat: aut potentiæ visiuæ aliquid fuerit interpositum tollens visionem. Patet hoc quia spiritus, per quos causari visionem dicunt, sunt corpora subtilia humida atque calida. Cum igitur eos circumdederit frigiditas quæcunque loci condensabit in corpus solidum faciens eos iam visibiles: præsertim si magna circunstans frigiditas fuerit: sic apparet in superficiebus speculorum, cum mulier menstruata speculum à propinquo, &

Speculũ quare maculatur à mulie re menstruata

aliquanta temporis mora inspexerit: tunc enim cum speculum intueretur spiritus, qui ab oculis emittuntur à nullo videri possunt, sed cum contigerit superficiem speculi frigiditas aeris circunstantis, & speculi, in corpora aliqualiter densiora solidabit, ita vt guttæ sanguineæ, aut alterius coloris maculæ visu notabiles cuilibet relinquantur. Si igitur isto modo fieret visio, & aliquis tempore magni frigoris videre vellet ea, quæ aliqualiter à se distant: spiritus emissi ab oculis à circunstante frigiditate aeris densarentur, quæ in corpora calida, & humida sunt: opprimente autem frigore paruus calor spirituum latens in humore expiraret, & consequenter corpus illud iam densatum, & nullo calore eleuatum in terra caderet. Et si dicas calorem manere semper in illis spiritibus, quamquam circunstet frigiditas loci adhuc semper densabuntur ex frigiditate circunstante, & quandam grauitatem contrahent, atque in terram cadent motu suo. Sic apparet in ebullionibus ollarum. Cum enim humor in olla ferbuerit præfortitudine caloris inclusi in humore resoluuntur partes teneriores humoris, atque eleuantur in altum peruenientes ad operimenta ollarum, quibus inhærent, sed post aliquantam moram multis exhalationibus ad operimentum ollæ peruenientibus ingrossantur partes ex adiunctione, atque pondere suo in priorem humorem vnde surrexerant relabuntur. Idem patet siquis feruenti ollæ non opertæ in aliquali eleuatione manum directe superposuerit. Nam exhalationes leues in modum fumositatum ei prius inhærebant: postea ex adiunctione conuersæ in guttas aquæ pondere suo in ollam vnde surrexerunt relabentur. Si enim spiritus emitterentur ab oculo tempore magni frigoris densarentur, & in terram caderent non tendentes directe in res illas, quæ ante

C

oculos nostros sunt, & consequenter impossibile esset illas videri, quod falsum est, quia quantumcunque frigus fuerit, ea, quæ ante oculos nostros sunt, videbimus, etiamsi à nobis distent.

7. ratio

Item si visio fieret per emissionem nihil recipiendo, cum aliquis existeret extra aquam non posset videre ea, quæ in aqua sunt, & existentem intra aquam impossibile est videre ea, quæ sunt extra aquam, quod falsum est: ergo visio non fit emittendo, sed suscipiẽdo. Maior patet, quia cum spiritus corpora subtilia humida, & calida sint, peruenientes ad superficiem frigidarum aquarum, condensabuntur, sicut condensantur in superficie speculi spiritus emissi ab oculo mulieris menstruatæ, vt supra declaratum est. Ad ea igitur, quæ sunt intra aquam peruenire non possent, nec illorum ad nos species ferre. Idem patet de eo, qui est intra aquam, quod non posset videre ea, quæ in aere sunt. spiritus namque ab oculo emissi ad pupillæ superficiem aquarum frigore, & humore densarentur ad res visibiles exterius peruenire non potentes. Idem contingeret si aliquis lateret intra aquas calidas. Non est enim solum frigiditas condensationis causa, sed etiam humiditas magna res teneras humiditatem continentes raram & subtilem condensans. Quouis ergo modo spiritus intra aquam existentes confestim tactu aquarum densabuntur. Hoc tamen falsum est, quia existentes extra aquam ea, quæ intra sunt, clare videmus nisi aquarũ cœnositas turbans, aut profunditas magna lucem tollens impediat. Etiam qui intra aquam sunt, ea, quæ intra aquas existunt, vident. Vnde contingit interdum, vt homines intra aquam in profunditate aquarum proiectas pecunias inquirant, & inueniant.

D

Item dato, quod fieret visio per emissionem, & existentes extra aquam viderent, quæ sunt intra illam: impossibile tamen esset, vt in aqua fluente videremus aliquid versus illam partem, quam respiceremus, sed ad aliam satis distantem, quod falsum est. Visio igitur per emissionem nequaquam fit. Maior patet in aquis fluentibus naturaliter: siquis enim lapidem latentem sub vndis intueri vellet dirigeret oculos suos ad illam partem, in qua lapis est. Cum autem spiritus emissi coniungerentur superficiei aquæ, vt penetrarent ad illam partem, quam videre volebamus, aqua fluens eos ad aliquantum distantius prius perduceret: sicut cum quis proiicit lapidem in aquas velociter motas, non petit fundum recto ictu, sed aquarum impetu ad vlterius aliquantulum permouetur. Esset igitur impossibile, spiritus emissos ab oculis nostris ad illum lapidem accedere, ad quem nos oculos direxissemus, & consequenter videri non posset, quod falsum est. Recipiendo ergo, & non emittendo visio causatur.

8. ratio contra Platonem.

Item data visione per emissionem omnia animalia videntia breuiter desiccarentur, & deficerent, quod falsum est: ergo nihil emittitur videndo. Patet antecedens, quia spiritus sunt corpora humida tenera, & calida resoluta ex aliquibus partibus humidis dirigente illas calore: quandiu igitur visio fit, tandiu saltem spirituum resolutionem fieri necesse est: & sic deficerent partes istæ teneræ: vnde ad corpus animalis videndo prorsus desiccarentur.

9. ratio

E

Item si emittendo spiritus visio fieret, impossibile esset, vt aliquid penetrato speculo videremus: per omnia tamen genera vitrorũ aliquid vlterius possumus intueri, nisi sint multum obscura, aut in parte posteriori aliquid solidum habẽtia: ergo non fit visio emittendo spiritus. Maior patet, quia cum mulier menstruata, vel aliquis habens oculos infectos speculum parum distans inspexerit, spiritus ab oculis egrediens superficiei corporis adhærentis circunstantis aeris atque specularis corporis frigore condensantur conuersi in corporis soliditatem, atq; facti visibiles, nec vlterius transire potentes. Sic etiam fieret in nobis, quod non possemus vitrum videndo penetrare. contrarium tamen patet in vitris, quia quæ vltra illa sunt, videntur.

10. rat.

Item si videremus emittendo spiritus, impossibile esset, vt cœlum videremus, sed omnes cœlos clare intuemur: ergo non fit visio emittendo. Primum patet quia spiritus, quos interdum ab oculis emittimus corpora humida, & calida sunt, atque delicata nimis, vt autem vsque ad cœlum penetrarent necesse esset, vt medium aeris interstitium pertransirent, in quo aer frigidus, & niger atque densus est, in quo lapides, &

11. ratio

F

grandines, atque niues generantur: est enim locus iste in toto orbe frigidissimus, vnde illuc peruenientes spiritus condensari necesse esset: condensatos autem, & graues effectos ad inferiora trahi pondere suo oporteret: nec enim vlterius ascẽdere possent, & consequenter cœlum videri esset impossibile non peruenientibus illuc spiritibus ab oculo missis. Itẽ oporteret istos spiritus transire per sphæram ignis, & cum sint corpora humida, tenera, atque delicata cremarentur, & videri cœlum non contingeret: sed falsum est, quia omnes cœlos videmus cum astris vsque ad crystallinum, quod cœlum aqueum appellatur, omniumque visibilium extremus terminus est.

Confir.

Item si videremus emittendo spiritus impossibile esset quidquã videre mox, vt oculos aperimus, sed immediate res obiectas comprehenderemus: visio ergo emittendo non fit. Primum patet, quia si emissis spiritibus, videremus, necesse esset, vt in primis oculos aperiremus, deinde emitteremus spiritus, postea ipsi peruenientes ad id, quod nos videre volebamus figuram rei vsque ad nos perducerent secundum positionem Platonicorum. Hæc autem tempore quodam indigent: indiuisibiliter enim fieri nequit, vt spiritus ad rem visibilem perueniant, & ad nos videndam figuram perducant: nam spiritus illi corpora sunt, vt supra declaratum est: cum ergo medium transeant, necesse est moueri: motus autem tempore indiget. Etiam apparet hoc in causatione soni: fit enim

12. rat.

An possunt spiritus mitti subito per totũ orbem sicut radij Solis

ex

A

Quare ſonus nõ audi tur ſubito ſicut colorvi detur.

ex colliſione aeris, qui fractus in circulo ſe diffundit ad modum fluentorum, vel circulorum apparentium in aqua percuſſa, & ita ad aures audientium perueniunt ipſi ſonitus, vel ſpẽs eorum: ideo non immediate ſentitur ſonitus, vt cauſatus eſt, velut ſi quis diſtanter à nobis lignum ſecure percuſſerit, vox immediate, aut percuſſionem conſequitur: non tamen percuſſionem à longo videntes mox vocem audiemus, ſed ſtabimus aliquandiu ſpectantes. Sicut igitur aer corpus eſt, atque tempore quodam indiget, vt moueatur: ita ſpiritus iſti cum corpora quædam ſint, ſine ſucceſſione moueri non poterunt. Horum falſitas patet, quia mox, vt oculos aperuimus quæcunq; obiecta ſunt videmus: viſio ergo non fit emittendo, ſed recipiendo. Contra hoc arguetur, quod etiamſi fieret viſio emittendo ſpiritus in inſtanti fieri poſſet. i. vt apertis oculis immediate quæ obiecta ſunt cerneremus: maiora. n. fieri videmus: nam cum Sol apparet in Oriente in inſtanti eſt in Occidente, nec prius in locis propinquis quam remotis, nec plus in vna parte medii quam in alia: & ſic ſpiritus emiſſi ab oculo in inſtanti ad rem viſibilem perueniẽt, & figuram eius ad oculum noſtrum perducent. Reſpondẽdum eſt non ſtare, quia lux in inſtanti per oẽs quatuor angulos mundi maxime diſtantes multiplicatur eo quod contrarietatẽ nullam habet: recipitur quoq; in aere, qui diaphanus eſt, atq; ex hoc obeditiuus luci: nec in ſe aer aliquam habet poſitiuam qualitatẽ repugnantem luci ſuſcipiendæ: nam quamquã tenebra ſit in aere ante lucis diffuſionem, qualis tamẽ non eſt, ſed priuatio q̃dam, ideo nulla actio ei debetur, cum ſolum formæ poſitiuæ actio competat. Cum vero eſt actio alicuius formæ ad quam nulla eſt contrarietas, nulla reſiſtentia eſt poſſibilis: vnde in inſtanti fieri neceſſe eſt, nullo reſiſtente. De hoc Ariſt. 4. Phyſic. cum de vacuo agit dicens, quod ſi aliquod vacuum dandũ foret, motus in loco in inſtanti fieret non reſiſtente qualitate medii: in emiſſione autem ſpirituum nullatenus fieri poſſibile erat hoc: nam ſpiritus emiſſi corpora calida, & humida, atque delicata ſunt in medio aliquam contrarietatem habentia. Impoſſibile eſt igitur, vt ab oculo emiſſi in inſtanti vſque ad rem viſam perueniant, eiuſque formam ad videntes oculos ſuſceptam perducant. Dato ergo hoc modo impoſſibile erat fieri viſionem in inſtanti. ſcilicet quod videremus ſtatim vt oculos aperiremus. Item ſi fieret viſio emittendo ſpiritus, neceſſe eſt, vt prius videremus ea, quæ coniuncta ſunt nobis, quam ea, quæ diſtant, ſed falſum eſt, ergo non fit viſio emittendo.

Inſtantia contra iſtã 12. rat.

Solutio Lux multiplicatur in inſtãti.

B

Tex. 71

13. rat. contra Platonẽ

Primum patet, quia ſpiritus corpora calida, & humida ſunt, & quamquam ſubtilia ſint corpora, tamen ſunt aliquam reſiſtentiam habentia in aere, per quem moueri debẽt: ergo citius tranſibunt in partes propinquas, quam in remotiſſimas. Item ſpiritus emiſſi cum ſint corpora calida, & humida ex humiditate contrahent quandam grauitatem, quæ impedit inſtantaneam actionem: ergo ſpiritus emiſſi cum per medium moueantur, neceſſe eſt, vt prius perueniant ad propinqua quam ad remota: & contrahuntur citius videbimus quod prope eſt, quam quod longe. Sed hoc falſum eſt, quia ſi ſit aliquid viſibile nobis oppoſitum ad mediam leucam, & verſus eandem partem ſit aliud viſibile oppoſitum ad 20. leucas, ita tamen quod vtrumque viſibile ſit, ita cito videmus quod per 20. leucas diſtat, ſicut per mediam: viſio igitur non fit emiſſis ſpiritibus. Item ſi videremus emittendo, impoſſibile eſſet, vt oculis apertis Solem aut cætera aſtra cerneremus, ſed aliquali interiecta mora, nec parua quidem: ſed mox, vt oculos apertos habuerimus, Solem, & cætera aſtra videbimus. ergo non videmus emittendo. Primum patet, quia ſpiritus, per quos videmus corpora ſunt, ideo in inſtanti moueri non poſſunt. Cum ergo diſtet aliquantum id ad quod emittuntur, neceſſe eſt moram contrahi perueniendo à nobis: & tamen vſque ad cœlum Solis, & vlterius vſque ad octauam fixarum ſtellarum ſphæram eſt ſpatium plurium quam ducentarum millium leucarum: neceſſe eſt igitur, vt in hac pertranſione magna mora trahatur: ergo non videbitur Sol immediate, vt ad eum oculos direxerimus, ſed falſum eſt, ideo non fit viſio emittendo. Item poſitio Platonica de emiſſione ſpirituum ad viſionem ſtare nequit: nam ad hoc, vt ſpiritus ab oculis noſtris emiſſis rebus videndis ſe applicarent, earum ad nos perducentes figuram, oporteret eos eſſe agentia rationalia: nam cum ab oculis ſemel emiſſi forent ad oculos emittentis remeare impoſſibile eſt, niſi aut quiſquam redire compelleret, aut ipſi quadam ratione ſua ad hoc mouerentur. Quod autem iſti ſpiritus à nullo agente ad oculos emittentium reducantur, ſatis conſtare videtur: nullum namque naturaliter, aut ſecũdum aliquam rationem tale agens conſtitui poſſe videtur. quod aut iſti ſpiritus ab aliqua ratione ſua in oculos emittẽtium redire nequeant, ex hoc patet, quoniam nec rationales animæ, nec Angeli, nec dæmones ſunt, nec aliqua altera ſubſtantia intelligens, cum præter has nulla ſit niſi Deus. Item dato, quod ſpiritus eſſent ad viſionem non ſufficiebat miſſio eorum: nulla enim res videtur, niſi eius figura conſtiterit in vidẽte: hi autem ſpiritus emiſſi rebus videndis ſe applicantes earum ad oculos noſtros perducere figuram dicũt: nos autem cum quippiam videmus eius extenſionem in longum, & latum cõſpicimus: tantæ igitur extenſionis ſpiritus ad huiuſmodi viſionem cauſandam neceſſe eſſet, quanta ſit rei viſæ extenſio ſecundum eam partem, quæ videtur: vt ſic ſpiritus rerum videndarum ſuperficies operiant, rerumque ad nos perducant figuras: alioquin, dato quod ſpiritus ab oculis videntium egredientes quandam partem rerum viſarum operirent, nec tamen totam obiectam ſuperficiem, neceſſe eſſet, vt ea ſolum pars videretur, quæ ſpiritibus emiſſis tegeretur, cum aliarum partium quas non tegerent ad vidẽtes perducere imagines nullatenus poſſent: difficile tamen nimis, & prorſus impoſſibile videretur, vt ſpiritus ab oculis noſtris egrediẽtes 10. aut 20. leucarum tegerent latitudinem, & diſtantiam, quarum nos totam multitudinem oculis cõſpicimus. Viſionem ergo fieri emiſſis ſpiritibus falſum apparet.

D

16. rat.

E

17. rat. contra Platon. Quo ſit neceſſe viſionẽ fieri nihilomit tendo, ſed recipiendo ſpecies venientes à qualibet re De imagine, q̃ apparet in pupilla.

Item omnia, quæ videntur, aut lucida, aut colorata ſunt: quorum conditio eſt, vt totum ſimilitudinem ſuam in circuitu ſuũipſorum per totum aerem diaphanum diffundant: & cum ad animalium peruenerint oculos, imago eorum ibi ſiſtat: ipſumque animal videre faciat. Hoc autem ſuſcepto nullum euenit de inconuenientibus ſupra adnotatis ad Platonicam poſitionem. Hoc apparet, quia ſi quodcunque corporum noſtris oculis obiiceremus, mox eius imago in pupilla noſtra eſt, & ſi ſteterimus ante oculos cuiuſcunque hominis, vel animalis erit in ambobus oculis eius figura noſtra duplex. Quod ſi oculis eius lapidem, aut papyrum oppoſuerimus, in oculis illius lapidis, vel papyri forma ineſſe videbitur. Idem de quibuſcunque corporibus, quæ opponantur. Hoc autem impoſſibile eſſet euenire, niſi cuiuſlibet corporis eſſet conditio per totum medium ſui imaginem multiplicare atque diffundere, & ſic cum coram aliquo ſteterimus duplicem imaginem noſtram oculis eius videmus.

Opin. fatua.

F

Improbatio Prima.

Aliqui tamen ſimplices exiſtimant figuras hominum, quę in oculis videntur oculis ſcriptas, & connaturales eſſe. Cuius falſitas apparet, quia ſi aliquis ſe alteri obiecerit, videbit in oculis illius imaginem ſuam. Si autem illo ſemoto alius ſe oppoſuerit in oculis eiuſdem videbit ſuam figuram: non ergo vident eandem imaginem omnes aſpicientes, ſed quilibet ſuã intuetur: ergo illa imago, q̃ in oculis eſt, non eſt connaturalis oculis, quia ſic eadem ad omnes exiſteret. Item hoc patet manifeſtius, quia ſi quis obiecerit ſe oculis alterius ſubſiſtens recto corpore, imago illa, quam cernit in oculis alterius recto corpore ſtare videbitur: quod ſi videns ſe paululum depreſſerit, aut in aduerſum ſe contorſerit, imago quoque viſa paululum deprimetur, aut cõtorquebitur in aduerſum: omnis quoque motus perfecte exprimet, quos aſpiciens in ſe præmonſtrauerit. Hoc tamen impoſſibile eſſet niſi imago viſa eſſet hominis videntis.

Secũda

18 rat. contra Platon.

Item patet à quolibet corpore diffundi ſpeciem ſuam per totum medium diaphanum in circuitu: nã ſi 20. aut triginta quaſi ſpecula in circulo poſita fuerint, & quiſquam in eorum medio ſteterit, in quolibet ſpeculorum hominis illius imago videbitur, quod ſi eis lignum, aut lapidem in medio prominentem poſuerimus in quolibet eorum lapidis, aut ligni apparebit effigies: & ſic de cęteris corporibus ibi poſitis. Falſum eſt ergo fieri viſionem emittendo ſpiritus iuxta platonicam poſitionem, ſed aliquid recipiendo, ſc. vt ſingulæ res ſpecies ſuas per totum medium multiplicantes ad videntium oculos eas extendant, & ſic videre faciant.

Confir.

C

14. rat.

15. rat. contra Platonẽ

A *Redit ad solutionem primi argumenti. Videns nihil agit in rē visam natura liter nec è cōtrario: si tamē esset aliqua actio magis ageret res visa in videntem q̄ è contrario. Concludit solutionē argumēti* B *primi. Quare homo videns basiliscū immutatur. Quo basiliscus videndo occidat*

Nunc autem redeundum est ad inchoatum argumentum vnde ingressi sumus, scilicet, rationabilius videtur, atque naturæ conformius, vt res visa aliquam causalitatem super rem videntem habeat quam videns super visibile: visio namque passio est, & non actio. Cum ergo videns solum sumit imaginem rei visibilis in se nihil emittens, vt ex præcedentibus liquet, impossibile videtur, vt super rem visam operationem, aut immutationem aliquam realem, vel naturalem habeat, cum hic nullus actionis modus relinquatur. Res visa habet aliquem modum actionis super rem vidētem, quoniam speciem suam multiplicans dirigit vsque ad videntem, ipsum quoque immutat: videns autem illam speciem suscipiens, vt videns est, immutatur. Ista tamen actio non est realis, aut naturalis, sed spiritualis, cum species, per quam huiusmodi visio causatur aliquid spirituale sit ad spirituales pertinens qualitates.

Ex prædictis ergo inductum patet in sola actione nullam esse posse immutationem realem videntis super rem visam, aut rei viſę super viuentem, & sic basiliscus videns hominem, vel aliud animal nullam habet actionem super illum, sed magis homo super basiliscum. nam homo visus inquantum visus est à basilisco speciem suam ad basiliscum mittit, nec basiliscus quidquam in hominem mittit inquantum videns est. Actio tamen & naturalis immutatio, quam basiliscus super hominem visum habet, quia basiliscus est animal pestiferum valde ex cuius oculis spiritus quidam egredientes vsque ad hominem perueniunt, eum corrumpentes atque illico occidentes. Si tamen contingeret, vt basiliscus hominem videret nullis emissis spiritibus, nihil magis homini basiliscus videns noceret, quam si ab altero homine videretur, vel ab asino, quia tamen non cōtingit basiliscum videre aliquem quin spiritus illos emittat nunquam eueniret, vt hominem à propinquo inspiciat, quin eum occidat.

Ad secundum argumentum. Quare homo visus à lupo clamare non potest.

QVÆSTIO XII.

AD alteram rationem cum arguebatur de lupo, quod p eius visionem causetur aliqua actio realis, scilicet, quod facit hominem impotentem ad loquēdum per aliquam mutilam: ibi tamē præter visionem nulla actio esse videtur. Respondendum est, quod ex sola visione lupi ad hominem nihil potest causari realiter in hominem. Cum ergo dicitur, quare homo à lupo visus ad modicum clamare nequit? respondendum est oculos luporum infectos fore, atque per eos venenatos quosdam emitti spiritus, qui cum ad hominem de propinquo existentem peruenerint, eum inficiunt atque locutionis impediunt organa: manebitque ista impotentia clamādi quandiu emissorum spirituum virtus permanserit. Si autē lupus à longinquo hominem conspexerit nullum ad loquēdum obstaculum inferet. Hos autem spiritus ab oculis emitti, eosque cum emissi fuerint res, quibus adhæserint, realiter permutare ad visiuam potentiam nihil attinet, sed ad tactiuā magis, quæ per applicationem realem operationem suam habet: spiritus autem isti emissi rei, ad quam perueniunt, applicantur. Item isti spiritus sunt corpora calida & humida, sed huiusmodi qualitates ad potentiam visiuam nullatenus pertinent, sed magis potentiæ tactiuæ obiectum sunt.

Ad tertium. Speculum maculari à muliere menstruata quomodo accidit.

QVÆSTIO XIII.

AD tertium argumentum cum dicitur mulierem menstruatam speculum à propinquo respicientem sola visione nulla applicatione facta illud sanguineis guttis, aut maculis quibusdam deformibus respergere: macula igitur, quæ per realem immutationem fit sola visione causabitur. Respōdendum est visionem mulieris menstruatæ in speculo nihil reale causare, cum visio passio solum sit: sed quia tempore mēstruorum mulier habet oculos aliqualiter infectos, spiritus, qui ab oculis egredientes aerem medium transeunt, ad speculum venientes, quoniam illud densum corpus atq; compactum est, superficiei illius adhærentes circunstantis aeris atq; ipsius speculi frigore condensati in maculas solidas atq; visibiles conuertuntur. Hæc autem visioni non conueniunt: nā cū quis huiusmodi oculos infectos habuerit etiāsi nihil videat nihilq; aspiciat tenens oculos apertos, quidquid sibi directe obiectum est atq; vicinum, inficietur.

D

Vtrum sit aliqua fascinatio catholice loquendo, & an sit necesse dari: & quomodo solum oculi infecti possunt inficere alia membra.

QVÆSTIO XIV.

AD vltimum argumentum, quando supr. dicebatur vulgariter pueros teneros, & aliqua de aliis animalib. inter dū fascinari. s. quasdam ægritudines pati, quæ per visionem ab aliis animalib. inducuntur: & dicūtur ista vulgariter oculo p- cussa, sed ad mutationes reales ista pertinent: in sola igitur visione realis erit immutatio.

Ad 4. arg. positū supra in q. 10.

Dicendum est, quod plurimi eorum, qui catholicæ veritati valde inhærent, fascinationem nihil esse dicunt: nullū quoque animal fascinari. i. oculo percuti, nullumq; bonū aut malum per oculos posse causari. Horum autem modus sane, vt isti accipiunt, solidam veritatem habet. Vulgares namq;, qui secundum nomen suum insipientes sunt, arbitrātur, & astruunt quosdam homines esse malorum oculorum: addentes, q̄ si isti oculo furibundo, aut inuido, vel qualitercunque ad malum moto aliquid aspicere voluerint, illud lædent, atque occident: & si benigno oculo illud conspexerint nihil nocebūt. Hæc autem penitus falsa sunt, & naturæ dissona. Nam si aliquis oculus nequam, aut liuidus esset res visas fascinans, aliquando hoc ex ægritudine quadam oculi, vel totius corporis proueniret: nec esset in potestate videntis fascinare, aut non fascinare: sed cum videret necesse esset, vt læderet etiam inuitus: velut si quis sit calidus intense, & alteri coniungatur, necesse est, vt alterum calefaciat quamquam ad hoc non sit spōtaneus. Hoc modo etiam nos fatebimur nullum oculum esse fascinantem, nec quidquam oculo fascinari: si autem fascinari dicatur videndo rei visæ nocere, siue spontanee, siue inuolūtarie hoc fiat, oportet confiteri aliquid esse fascinationem, & oculos aliquorum hominum, aliorumque animalium esse fascinantes. Nec aliquis existimet nos fidei catholicæ in hoc repugnare: nam fides catholica solida veritas est: vero autē iuxta Arist. 1. Ethic. omnia consonant: ei igitur nulla veritas naturalis repugnabit. Ad cuius euidentiam considerandum, quod sicut in cæteris membris corporis ægritudinem esse contingit, ita & oculos ægrotari eueniet: si igitur læso vno corporis membro, vapor aut spiritus inde egrediens, aut humor rapidus inde solutus cætera membra contactu suo inficit, q̄ contigerit; non dispariter si oculum ęgrotari cōtingat, inde egredientes spiritus pestiferi eis, quibus inhæserint, nocumentū præstabunt. Hoc inconueniens nullum infert, quin potius secundum naturam concedi necesse est: alioquin specialius aliquid in oculis, quam in cęteris corporis partibus fateremur s. cætera corporis membra ęgrotare, aut in dispositā esse: oculos autem nequaquam. Vel si oculos ægrotare, aut disponi sicut in cæteris accidit fateamur, aliquid adhuc specialius hoc modo in oculis ad cætera membra quam prius confiteri necesse erit. s. q̄ cæteri corporis artus, cum infecti sunt, cōtagione sua nocere possunt aliis membris, aut cæteris rebus: oculi autem, cum eos ægrotare contigerit, nulli rei læsionem vllā inferre possent. Rationabiliter ergo dicendum est aliquos indispositos oculos, aut infectos habere, qui rebus, ad quas se conuerterint, nocere possunt: & hoc fascinare, siue oculo p- cutere vulgariter dicitur. Apparet igitur fascinationem aliquid esse, & quosdam posse fascinari. Amplius considerandum est secundum Medicorum doctrinam quosdam morbos contagiosos fore, id est, quod per contactum à quibusdā in alios transeunt: velut scabies, lepra, morbus pestilentiæ, atque consimiles. Conformiter igitur in oculis accidere poterit, vt si quis infectum habuit oculum, eius infectio in alios

Op. cō- E munis.

Quō fascinatio confitetur ăcatholicis esse, vide infra q. 18.

F

Lepra, q̄ vulgariter in Italia appellatur mal frances & in Gallia, morbo Italico: & in Hispania bubas: pōt alicui adhærere seu eum inficere

per

A

re ex ſo la collo cutione ſeu ſimultaneacibo rũ ſumptione ſine ali qua rea li corpo rum ap plicatio ne. idẽ dicẽdũ de peſte

per contactum quendam deriuetur. Nam ſi quis quoddam ſcabiei genus, quod in capite eſt, patiatur: & quis ei adhęſerit: quamquam eorum capita nullam habeant coniunctionem in eo, qui nullam habet ſcabiem ex hoc accellũ inducitur ſcabies: conformiter ſiquis leproſus fuerit & alteri de vicino colloquatur, aut cum eo cibos ſumat & bibat, ſi hæc aliquã moram traxerint, qui ſanus erat, lepram induet, quamquam horum corpora nulla vnquam ſe reali applicatione contigerint.

Si igitur in his, qui ſani ſunt communicantib. ad leproſos, & ſcabidos, lepra, aut ſcabies inducuntur, quamquam in his corporum nullus contactus ſit, cur in eis, qui infectos oculos habent hoc nõ eueniet, vt eis, quos viderint à propinquo noceant, quamquam in hoc coniunctio nulla ſit? hæc autem faſcinatio dicitur, vel læſio inducta per oculos: faſcinatio ergo aliquid eſt. Amplius hoc in morbo epidemiæ apparet, qui vt frequenter ex corruptione aeris gignitur: imo cum proprie peſtem dicimus, ſemper aeris corruptionem appellamus: in eis autem qui peſte percuſſi ſunt, hoc accidit, vt ſiquis eorum ad aliquem non peſte percuſſum frequenter è vicino, aut aliquanta contracta mora loquatur, inficiet eum: vnde horum plurimi moriuntur. Ex quo ſequitur, vt in tempore vehemẽtium epidemiarum in ea domo, in qua aliquis mortuus fuerit, multi poſterius moriantur. Sicut ergo in peſtifero morbo, qui percuſſus eſt quadam contagione alios inficit, & occidit, ita & in oculorum ægritudine ſiquis eam patiatur, eos, quos viderit, ex hoc lædet.

B

Qũo in homine cauſatur peſtis.

Amplius manifeſtatur hoc. peſtifer enim morbus ſic in hominibus cauſatur: nam primo aer cœleſtium corporum ſpiritualibus influentiis corrumpitur, aut ex aliqua diſconuenienti naturæ noſtræ mixtione in elementis facta ex qua grauis exhalatur odor inficiens eos, quos tetigerit. Huncautem infectum aerẽ ore accipientes ad vitalia introrſus trahimus inſpirantes atq; reſpirantes: ſic.n. infectis vitalibus, ſ. corde, & præcordiis homines moriuntur. Cum aũt aliquis hoc modo infectus ſit, totus aer, quem inſpirando atq; reſpirãdo trahit, contagione eius infectus eſt: vnde & coniunctum ſibi aerem, quem tetigerit ſua tabe inficiet: alii autem hominum, qui ab hoc peſtifero morbo immunes ſunt, hunc aerem inſpirantes infectione ſimili corrumpentur, niſi valde bene complexionati fuerint, aut magna adiumenta habeant, ita vt natura reſiſtat aeris nocumento. Conformiter ergo cum quis oculos infectos habet, aut aliquas corporis partes, quarum infectio in ſpiritus per oculos egredientes ſoluenda eſt: egredientur per oculos quædam corpora ſubtilia valde calida, & humida, quæ præ ſui ſubtilitate viſibilia non ſunt, quæ ſi alicui rei ad corruptionem propinque adhæſerint, inficiunt eam, atque lædunt: quod faſcinare vulgariter appellatur. Hoc igitur modo faſcinationem aliquid eſſe patet, nec quouis modo neganda eſt.

Qũo fiat faſcinatio.

C

An quilibet homo, aut quodlibet animal poßit vniuerſaliter vbi, & quando voluerit alium hominem, aut brutum animal faſcinare.

QVÆSTIO XV.

Faſcinatio quid: et q eſt ponenda.

ITem conſiderandum eſt ad maiorem euidentiam prædictorum de faſcinatione, quæ ſunt, quæ inferunt faſcinationem, & quomodo quidam oculi faſcinantes ſunt, vt faſcinologia non ſit prorſus de non ente: faſcinationem enim appellamus cum aliquis quempiam videns ad eum corporaliter nõ coniunctus, nec in eum alterum quippiam agens eum lædit: horum tamen frequentiſſima atq; vulgaria exempla ſunt, ita vt inductione non egeant. Baſiliſcus enim hoc facit: nam ſi quempiam hominum viderit, etiamſi eum mordẽs, aut alias non tetigerit, morietur. Hic nullus negat eum, qui moritur, à baſiliſco occiſum eſſe. Dici tamẽ nequit, quod baſiliſcus hominem morſu laniauerit, vel intoxicauerit, aut quouis modo tetigerit: ergo ſolum eum occidit. Homines autem quamquã non habeant complexionem baſiliſcorum, quoniam eorum natura ita peſtifera eſſe nequit: aliqua tamen interdum in eis corruptio eſſe poteſt: quæ per oculos egrediens reſoluta in ſpiritus, eos, qui propinqui fuerint atq; ad corruptionem diſpoſiti, inficiet: inuiſibiliter tamen iſta per ſpirituum ſubtilitatẽ fiunt. Hoc aũt in lupo adhuc apparet. Cum enim hominẽ viderit à propinquo eum ad emittendas voces aliquãta temporis mora impotentem reddet: nullam tamen tunc actionẽ lupus ſuper hominem habet: ſed eum duntaxat videt. de quo Iſidorus Etymo. lib. 12. neceſſe eſt igitur confiteri hominem à lupo faſcinari, cum eum ſolo viſu lædat. Item in mulieribus menſtruatis hoc apparet, quæ ſi ſpecula à propinquo contẽplentur, ea ſanguineis guttis inficient, aut aliis reſpergẽt maculis: manifeſtum igitur eſt ex earum oculis corpora quædam calida, atque humida egredi, quæ ſpiritus vocantur: hi autem ſunt ſanitatis, aut ægritudinum inductiui: ſi enim ſanitatis alicuius cauſatiui ſunt ei, cui inhæſerint, non nocebũt. Si autem ægritudinum inductiui ſunt rebus, quibus adhæſerint, morbos quoſdam inducent: ſed cum ſpiritus iſti nocent eos faſcinationem cauſare dicimus: faſcinatio igitur aliquid eſt.

D

Cap. 1.

Cõditiones faſcinationis. 1. cõclu ſio.

Ad cuidentiam maiorem prædictorum ponendæ ſunt tres concluſiones de tribus conditionibus, quæ ad quamcunque faſcinationem neceſſariæ ſunt. Prima eſt, quod non poteſt quilibet homo, aut quodcunque animal alium hominẽ, aut brutum animal faſcinare: ſed quædam ſunt, quæ faſcinandi virtutem habent, quædam vero non; quædam vero ſunt, quæ à faſcinantibus pati poſſunt: alia autem faſcinationem pati nequeunt. Huius fundamentum eſt, quoniam faſcinatio ex hoc ortum habet, quod quis oculos infectos habeat, aut aliquam corporis partem: & ex illo peſtifero humore agente calore quidam ſpiritus, qui corpora calida, & humida ſunt, reſoluantur, & per oculos egredientes præ ſui leuitate vicinum aerem tranſeant, quouſque ad aliquod corpus ſolidum perueniant, cui inhæreant. Si autem corpus iſtud corruptioni diſpoſitum ſit. ſ. faciliter paſſibile aliqualiter inficietur: aut ſi dicamus totum animalis corpus infectum eſſe, humorem tamen illum reſolutum per oculorum ſpiritus egredi idem fiet nocumentum: hoc autem faſcinare eſt. Tale autem in quolibet animali reperiri nequit: non enim habent homines omnes infectos oculos, aut aliquam corporis particulam, ex qua humores reſoluti per oculos exituri ſint. De animalibus autem cæteris idem patet: non enim ſunt cuncta peſtifera, alioquin in omnibus indiuiduis animalibus ſemper morbum dari neceſſe eſſet, ita vt nullum animal ſanum foret, quod falſum eſt. Dicendum eſt igitur animalia quædam ſecundum ſpecies ſuas peſtifera eſſe, ſemperque ſpiritus ex hoc venenato humore reſoluentia: vnde quoties hæc aliqua animantia viderint alterius ſpeciei, quæ ad corruptionem diſpoſita ſint, lædent ea. Hoc enim baſiliſcis euenit peſtifera quidem eorũ natura eſt, nullum ergo baſiliſcum vnquam eſſe continget, qui videndo alia animalia non faſcinet, ſcilicet, quod cum hominem, aut alterum animal viderit ſolo viſu mortem inducet. Idem autem lupis accidit: eſt enim eorum natura humanæ conditioni contraria, ideo omnes lupi quantum ad homines peſtiferi quodammodo ſunt. Cum enim aliquem hominem è vicino viderint, eum ad tunc voces emittendas facient impotentem: lupis enim vniuerſaliter euenit homines faſcinare. Conformiter autem quædam alia animalia ſunt, quibus ex conditione ſpeciei conuenit, vt homines debeant faſcinare: vnde in talibus animalium ſpeciebus nullum animal erit, quod hominem viſum à propinquo non faſcinet, aut ſaltem faſcinare non valeat.

Quædã animalia habent ex cõditione ſpeciei faſcinare. Baſiliſ.

Lupus.

F

Alia autem animalia ſunt, quibus ſecundum ſpeciei conditionem non conuenit, vt homines faſcinare poſſint: euenit tamen quibuſdam eorum aliqua ſpecialis corruptio, qua omnibus, quæ viderint faſcinationis nocumentum inducant. Quædam namq; horum magnam læſionem habent ſemperque manentem: vnde ea, quæ viderint ad corruptionem diſpoſita neceſſarium eſt, vt ſemper faſcinent: alia autem ſunt, quibus morbus iſte perpetuus nõ eſt. ſed ad aliquam temporis moram manens, ſicut in cæteris temporalibus ægritudinib accidit. Hæc autem quidquid viderint hoc tempore ad corruptionem diſpoſitum, faſcinabunt.

An ſpecies humana habeat cõditionẽ faſcinandi.

Circa ſpeciem autem humanam dicendum eſt, quod non habet conditionem, vt ſemper faſcinare poſſit: hoc enim modo tota natura humana corrupta foret: ſed falſum eſt: quidam enim homines ſunt, qui nulli videndo nocent, alii autẽ ſunt, qui res viſas faſcinant: non euenit igitur ex conditione ſpeciei, ſed eſt conditio quorundam humanorum indiuiduorũ ſcilicet ægritudo, ſiue temporali, ſiue perpetua ſit. Item ſi

A

potestas fascinandi humanam cõsequeretur speciem, necesse esset, vt omnes homines possent fascinare, ex quo sequitur nullum hominum posse alterum oculo lædere. Sed hoc falsum est: quidam namq; alios vidētes nocent eis solo visu possum est: quidam namq; alios vidētes nocent eis solo visu potissimum illis, qui adhuc ætate teneri sunt. Primum patet, nã secundum Aristo. 5. Physic. & est positio omnium loquentiũ de natura, omnis actio per contrarietatem fit. Cum aliquid autem in alterum secundum naturam agere debet, necesse est, vt inter se aliquam habeant contrarietatem: & ob hoc Aristoteles non concessit motum inter duo similia, nec inter duo contradictoria, sed inter duo contraria: sic patet 5. Physi. cap. 2. Si enim vnum agens alterum naturaliter calefacere debet, necesse est, vt alterum eorum secundum naturam frigidum sit, aut saltem non calidum, alterum autem calidum. Si enim duo æqualiter calida forent, neutrum in alterum caliditatem causaret, aut duobus frigidis existentibus neutrum alterum frigefaceret: sed vnum in alterum aget, cum in extremitatibus contrarietates steterint, aut quouis modo contraria fuerint. Item ista magis manifestantur in his, quæ nos experimur. Nam si quisquam calidus fuerit, eique quippiam calidum appositum fuerit, nihil sentiet, velut si nihil ei appositum foret: siquis autem frigidus intense fuerit, & carni eius aliquid frigidum adiungatur, sentire non poterit: & sic in cæteris actiuis qualitatibus: simile enim non agit in simile: sed actio extremitatis contraria est. In quo tamẽ dicendum, quod quamquam actio, & passio in contrario semper sint: finis tamen actionis in similitudine est, aut actio non consummata erit secundum naturam, quod patet quia calidum in frigidũ agit. Si autem vtrumque calidum foret neutrum super alterum agendi haberet potestatem: id tamen quod calidum est valde, in frigidum nunquam desinet agere, donec illud ad caloris sui gradum perduxerit. Cum vero patiens ad tantum caloris deuenit gradum, actio nulla nec motus erit; idem sequitur si valde frigidum agat in calidum. Hoc modo omnis motus secundum naturam in contrarietate inchoat, sed in similitudine perfecta consummatur, si actio sit de consummatis secundum naturam. Ex hoc ergo patet si omnes homines secundum speciem suam fascinatiuam haberent virtutem, nullus alterum fascinaret, actio namque in similibus nunquam est, sed in contrariis. Hoc tamen dato omnes homines similes essent, scilicet, continentes vniuersaliter virtutem fascinatiuam, & nullus eorum posset alterum fascinare. Item in basiliscis hoc accidit, vt pestiferi sint, & fascinare possint atque homines, cęteraque animalium solo visu interimere, hoc autem ex conditione speciei inest, ideo omnibus inest, nec vnus poterit alterum lædere, sed alii visu lædent: in hominibus ergo conformiter dicendum, scilicet, quod si ex cõditione speciei hominibus eueniret, vt fascinatiuam haberent virtutem, nullus alterum fascinaret, sed ipsi alia animalia fascinarent. Item actio nulla causari potest agendi, & patiente æqualibus secundum potentiam agendi, & resistendi, & hoc in qualitate illa, secundum quam motus fieri debet, sed ad omnem motum excellentia agentis in actiua virtute, defectus autem patientis exigitur: si tamen ex conditione humanæ speciei proueniret, vt homines fascinare possent, omnibus inesset qualitas secundum istam fascinatiuam virtutem. Nullus igitur alterum posset fascinare. Quod patet, nam cum omnibus indiuiduis specierum passio insit ex principiis speciei, communicatur omnibus æqualiter, quia natura in omnibus æqualis est: passiones autem, quæ accidunt ex singularibus cõditionibus indiuiduorum, non sunt æquales in omnibus indiuiduis eiusdem speciei: patet ergo, quod si ex conditione humana proueniret virtus fascinandi, nullus posset alterum fascinare. Sed falsum est, non habet ergo natura humana cõditionem fascinatiuam, sed prouenit hoc ex singularibus defectibus humanorum indiuiduorum. Est autem ista fascinãdi conditio in quibusdam tanquam perpetuus languor, in aliis autem velut temporanea ægritudo. Hi vero quibus hoc euenit alios homines fascinare possent, nec tamen omnes, sed solum illos, qui ad corruptionem dispositi sunt, fascinatiua ergo virtus non inest omnibus hominibus, vel animalibus, sed quibusdam. Item considerandum est, quod isti quibus pestifera fascinandi qualitas inest, non habent ex arbitrio pendentem, quando fascinare velint, sed etiam, & si nolint fascinabunt. Amplius non subest eorum libertati istam rem, vel aliam fascinare, sed id quod ad corruptionem dispositum est fascinabunt aliqua nociua expressa in eodem. Quo fit, vt interdum fascinatiuam potentiam habens, & hoc sciens eligat aliquam rem non fascinare, & tamen fascinabit, quoniam ad corruptionem disposita est. Aliud autem erit, quod forte fascinare vellet, quia ei nocere cupit, & non poterit fascinare, quia est potens ad resistendum nocumento. Hoc patet, quia fascinare in animalibus prouenit ex quadam pestifera qualitate existente in aliquo animali per modum cuiusdam ægritudinis, qualitates autem naturales operantur naturaliter non subditæ arbitrio nostro, non enim subiicitur voluntati nostræ si quis manum calidam habuit, & eam alteri adiunxerit, vt eum calidum reddat. Nam etiam eo inuito manus calida eum, cui adiuncta fuerit, calefaciet. Idem de cæteris actiuis qualitatibus diffiniendum est. Qualitas ergo fascinatiua non subest arbitrio, sed naturaliter operatur, apertis enim oculis fascinatiui egredientur spiritus, qui inuitis eis quorum spiritus sunt quoscunque obuios parum distantes atque ad corruptionem dispositos fascinabunt. Haber tamen qui huiusmodi est aliquid in sua potestate, quoniam si clausos semper oculos tenere voluerit, neminem vnquam fascinabit, aut cũ se voluerit ab aliqua re custodire, ne eã fascinet, claudet oculos, & erit impossibile eam fascinare. Si tamen id quod fascinare voluerit, semel aspexerit, & id ad corruptionem dispositum sit, etiam inuitus fascinabit. Hoc autem satis paret exemplo eius, qui manum calidam aut frigidam habet. Si enim illam cuiuis approximauerit eum calidam reddet, si tamen ab aliquo abstinuerit eum nunquam calefaciet. Si vero alicui eã adiunxerit non subest eius arbitrio illud tale fieri, quoniam necessario calefiet: idem de eo, qui fascinatiuam habet potẽtiam, quia clausis oculis sibi subest potentia non fascinandi, apertis autem necessario fascinabit.

D

E

F

Tex. 7. Simile non agere in simile, sed in cõtrariũ.

Omnis motus in contrarietate inchoat & in similitudine cõsummatur.

Anqua litas fascinadi sit perpetua in hominibus. Habẽtes potẽtiã fascinãdi non habent libertatẽ vt fascinent quoscunque voluerint.

Quare cœlum, Lunanõ crematur ab igne sibi cõiũctissimo

Secunda conclusio in materia fascinationis. Et quod animalia habentia potentiam fascinandi non possunt hoc agere nisi à propinquo, nisi sit magna virtus fascinandi.

QVÆSTIO XVI.

SEcunda conclusio de fascinatione est. Animal habens fascinatiuam virtutem non poterit quodlibet animal sibi appositum à propinquo fascinare, sed illud solum, quod ad corruptionem hanc dispositum est, sicut patet in rebus teneris, nisi hæc pestifera fascinandi potestas excedens valde sit: tunc enim quodcunque animal visum fascinabitur, quia relatum ad hoc dispositum est, hoc patet in quibusdam hominibus, in quibus virtutem fascinatiuam esse confitemur, isti tamen nequeũt omnes homines, quos inspexerint aut animalia singula fascinare, sed quibusdam nocumentum inferunt, aliis autem nequaquam nocent, res enim paruæ ætatis leuiter fascinantur, dura autem, & annosiora hoc non recipiunt. Hoc patet ex sententia Aristo. 2. De anima, scilicet actus actiuorum sunt in patiente dispositio, id est, talis est actio agentis in patiente qualis est conditio patientis ad suscipiendum: nõ enim agit agens sicut actiuum est, sed sicut patiens susceptiuũ est, si enim passiuum ad actionem suscipiendam plene dispositum sit, agens secundum virtutem suam plene agere poterit. Si autem passiuum nullatenus dispositum sit, nequaquam valebit agens efficere. Si vero passiuum parum disponatur, parua in eo agentis actio recipietur. quod patet: si enim calidum ponatur apud aliquid dispositum ad cõbustionem causabitur incensio. Si autem sit prorsus indispositum, nullus inducetur ardor, idem de frigiditate, & cæteris actiuis qualitatibus iudicandum est. Ex quo sequitur, quod cœlum nunquam cremari possit: nam quamquam sphæra ignis orbi Lunæ coniunctissima sit, nullo posito medio, sed superficies vnius alteri coniungitur, quia tamen cœlum nullam habet dispositionem, secundum quam cremari aut perire possit, nunquam cremabitur, nec peribit. sic enim Aristotel. secundo de cœlo, & mundo corpora supra cœlestia non suscipiunt peregrinas impressiones, scilicet non suscipiunt aliquam alterationem, vel corruptionem ab extrinseco prouenientem, secundum quam cœlum permutari possit, & illa dispositio in cœlis peregrina. i. extranea appellatur. Item patet

hoc

A

Quare cum aliqua ciuitas, vel domus eſt æqualiter infecta morbo epidemiæ nõ ſequitur mors æqualiter in omnibus partibus.

hoc in morbo epidemiæ: contingit enim interdum, vt morbus iſte ex aeris corruptione in tota vna ciuitate æqualis ſit, ſed non æqualiter in omnibus partibus ciuitatis nocet, nec omnes in loco illo pereunt: ſed quibuſdam morientibus alii illæſi manent. Conformiter cum aliquam domum aer iſte peſtifer inuaſerit, tota domus illa æqualiter infecta eſt in omnibus ſuis partibus, tamen non contingit ſemper omnes in illa mori, ſed quoſdam aliis permanentibus. Huius cauſa eſt, quia mors in animalibus efficitur, quia natura non poteſt damno reſiſtere ſuccumbit. Cum enim eſt robuſtior natura atque conuenientioris complexionis, magis nocumento illato reſiſtit. Ex quo ſequitur, vt ſiue illatis vulneribus, ſiue quibuſcunque appoſitis malis, vel innatis tardius moriãtur: aut magis reſiſtant, qui robuſtioris naturæ atque conuenientioris complexionis ſunt, niſi Deus aliter diſponendum ab æterno dignatus ſit: cuius diſpoſitioni nullum naturæ iudicium, regula, vel inclinatio reſiſtere valet. Cum autem aer peſtifer in aliqua ciuitate aut domo eſt, ipſi naturæ humanæ repugnans ſemper in eam agit nocendo quantum poteſt, qui vero naturam debilem, atq; inordinatam complexionẽ habent, nocumento illato reſiſtere impotẽtes ſuccumbunt peſtiferæ qualitati, atque perimuntur, qui vero robuſtioris naturæ ſunt reſiſtere ſufficientes nocumento non ſuccumbunt, ſed viuentes permanent. Similiter ergo de qualitate faſcinatiua dicendum eſt, quod ſiquis corruptioni diſpoſitus ſit, ita vt faciliter permutari poſſit, patietur. Si autem reſiſtere potens ſit, non faſcinabitur. Item dicebatur, quod ſi teneri ſunt tam in hominibus, quam in brutis ad faſcinationem diſpoſiti ſunt, duri autem non patiuntur. Cuius fundamentum eſt, quoniam durities eſt, quædam naturalis potentia ad non faciliter patiendum, ſcilicet, ſecundum quam patiens reſiſtit agenti ne in illud faciliter agere valeat, mollicies autem, & teneritudo qualitates ſunt, quæ naturales impotentiæ dicuntur, ſcilicet, ad faciliter patiendum, quoniam ſecundum eas faciens poteſt faciliter in patiens quidquid voluerit: dura namque nec faciliter frangere, nec ſcindere poſſumus: mollia vero faciliter præſcinduntur, & ſicut in fractione, & amputatione accidit, ita & incombuſtione dicendum eſt, ea namque, quæ tenera ſunt, ſi deſiccata fuerint, facillime comburuntur, atque paruo igne opus eſt, quæ autem dura ſunt, etiamſi deſiccata ſunt, nec faciliter exuruntur, nec poſſunt, niſi à magno igne cremari, ſic patet in ſtuppis, capillis, & lana, quæ tenera, & ſicca ſunt, ligna tamen duritiem magnam habent, vt ex nucea materia, & moro, & ilice, hæc enim difficulter cremantur. Hoc modo ſacra Scriptura Metaphoris quibuſdam vtens durum, & molle accipit, eos namque duros vocat, qui gratiam Dei vocantem non exaudiunt, nec ſacris monitis obediunt, nec à facinoribus, & culparum enormitatibus diſcedere curant, qui alio nomine obſtinati vocantur, ſic enim dixit de Pharaone rege Ægypti: Ego indurabo cor Pharaonis Exodi cap. 4. 8. & 9. Hoc autem quoniam Pharao quantumcunque à Deo plagis vrgeretur, iuſſis eius obtemperare noluit, quouſque finali percuſſus plaga Iudæos exire compulit. Nec tamen tunc eos penitus ire permiſit: nam illos recedentes vſque ad mare rubrum inſecutus eſt, Exodi capit. 14. Mollem autem Scriptura vocat eum, qui gratiæ Dei nihil reſiſtit, ſed mox, vt à Deo vocantur monenti, & vocanti obedit, & ad bona prouocanti conſentit, & ſi interdum peccauerit ab eo admonitus faciliter ceſſat. Patet igitur faſcinatiuam qualitatem ſuper homines duros, aut bruta animalia duram actionem habere nullam, vt cum iſta ætatis ſunt maturæ: ſed ſuper ea, quæ tenera valde ſunt, quæ enim dura ſunt, illi peſtiferi qualitati reſiſtunt, ſecundum quam faſcinatio cauſatur. Cum ergo homo, vel aliquod animal aliquid faſcinauerit neceſſe vt illud tenerum ſit. & paruæ ætatis, ſicut in infantibus teneris, aut in animalibus brutis nouis, ſicut in pullis, & porcis, atque ſimilibus, in animalibus autem magnæ ætatis, & duris faſcinatio non cauſatur, niſi illa valde magna ſit. Ob hoc autem euenit, vt tempore epidemiæ plures de paruulis quam de perfectis viris, & ſenibus moriantur: teneri enim valde ſunt, & complexiones eorum nimis paſſibiles, vnde aer infectus in eis maiorem immutationem quam in cæteris cauſare poteſt. De virtute faſcinatiua ſic eſt, quod in rebus teneris immutatiuam qualitatem habet. In duris autem nequaquam. Ex hoc ſequitur id, quod apud vulgares notiſſimum eſt, ſcilicet quod pueri teneri aliquando faſcinati ſunt, de viris autem perfectis raro, aut nunquam dicunt, quod faſcinentur. Sic quoque de pullis, quando parui ſunt, & de porcis: de duris autem animalibus raro hoc prædicant. Patet ergo faſcinationem in rebus teneris cauſari. in duris autem nequaquam. Item dicebatur in prædicta concluſione, quod faſcinatio cauſatur ſolum in rebus teneris niſi qualitas faſcinatiua exceſſiua ſit: tunc enim non ſolum tenera corrumpentur, ſed etiam dura. Quod patet in baſiliſco, videns enim omnia animalia faſcinat, & perimit, nec quidem ſolum teneros pueros, ſed etiam viros magnos, & cætera animalia nulla habita differentia duri & teneri. Cauſa eſt, quia virtus faſcinatiua baſiliſci tanta eſt, vt ad eam collata quælibet potentia reſiſtendi animalis inferior ſit: omnia ergo animalia conſpiciendo interimit. De lupis autem ad hominem idem dicendum eſt: ſunt enim vniuerſaliter infecti collati ad humanam complexionem, quia eos nobis natura contrarios fecit. Quemcunque ergo hominẽ viderint, faſcinabunt reddentes impotentem ad voces emittendas. eſt enim eorum qualitas faſcinatiua: non ſolum ergo pueros teneros faſcinabunt, ſed etiam integræ ætatis viros. Hominibus autem quandocunq; talis faſcinatiua qualitas accidat: tanta eſſe nequit, vt in baſiliſcis, quoniã eis ex conditione ſpeciei non euenit, vnde ſolum pueros teneros faſcinare poterunt, aut animalia tenera paruæ ætatis, qualia ſunt, quæ in domibus nutrita ſunt, cum nouiter nata ſunt: in magnis autem hoc non efficient. ſi tamen interdum accidat, ꝙ rarum eſt, vt aliquis ętatis integrę vir, aut animal brutum magnæ ætatis faſcinetur, hoc euenit, quia grauis fuit potentia faſcinandi.

B

2. Pars concluſio. ſecunda.

Res dura reſiſtunt faſcinationi: & res molles cito faſcinãtur.

Sacra ſcriptura accipit durum & molle metapho.

C

In animalib. paruis & teneris cauſatur faſcinatio

D

3. Pars concluſionis.

In animalib⁹ magnis cauſatur quã do⁹ faſcinatio

E

F

Tertia concluſio in materia faſcinationis. Animal habens potentiam faſcinandi non poteſt alterum faſcinare, niſi in parua diſtantia.

QVÆSTIO XVII.

TErtia concluſio de faſcinatione eſt: Quodcunque animal potentiam faſcinatiuam habens, non poteſt animalia diſpoſita ad faſcinationem vbicunque faſcinare, ſed ſolum cum à propinquo viderit. Si enim homo, aut alterum animal faſcinatiuam virtutem habens aliquod animal tenerum, & ad faſcinationem diſpoſitum à dimidiæ leucæ ſpatio intueatur, vel à quatuor, vel quinque iactibus lapidis, faſcinare non poterit, quaſi nullam haberet virtutem faſcinandi: nec ſolum hoc in hominibus eſt, ſed etiam in aliis animalibus, quibus proueniat faſcinare ex conditione ſpeciei, & magna ſit qualitas faſcinandi: ipſa enim nihil poterunt, niſi in parua diſtantia faſcinare. In baſiliſco autem hoc patet: nihil enim ſic natura peſtiferum fecit, cui tanta inſit virtus faſcinandi. nam occidere poteſt, & illi ex conditione ſpeciei prouenit. Si tamen per tres aut quatuor iactus lapidis ab homine diſtet, quanquam perſpicue hominem videre poſſit, & videat, nihil nocere valebit. In lupis autem idem eſt, cum enim homines à diſtanti conſpexerint nullum faſcinabunt, ſed homo viſus libere loqui valebit, vt prius: cum tamen baſiliſcus à propinquo hominem conſpexerit, eum videns interimit, lupus quoque è vicino videns hominem faſcinabit. Ratio huius eſt, quoniam faſcinatio cauſatur ſecundum virtutem ſpirituum emiſſorum ab oculis rerum illarum, quæ faſcinatiuam potentiam habent, hi autem ſpiritus ſolis corporibus adhærent, vt hominibus aut aliis animalibus: in aere namque nec manere ſemper tranſeuntes, nec inhærere infixi poſſunt, hanc autem rem cui inhæſerint lædunt. Cum vero id ꝙ faſcinandum ſic longe diſtet, illuc emiſſi ſpiritus peruenire nequeunt à qualitate circunſtantis aeris condenſati, & in terram cadentes, aut ſi peruenire potuerint, iam eorum excluſo, aut debilitato vigore nihil immutare poſſunt. Cum autem quod faſcinandum eſſet, faſcinanti propinquus fuerit, intenſius poterit faſcinari cum ſpiritus cauſantur faſcinationem in breuiori ſpatio maiores teneant vires. In hominibus idem diffiniendum eſt: ſiquis enim faſcinatiuam habuerit virtutem longe poſitam, faſcinare non poterit: vnde quantocunque aliquid ſit diſpoſitum ad ſuſcipiendam faſcinatiuam qualitatem, ſi à rebus faſcinantibus valde diſtans ſit, non poterit faſcinari: ſi vero propinquum lædetur. In hoc tamen

magna differentia est ex comparatione fascinatiuæ virtutis: dum enim virtus hæc maior fuerit, fascinans à longiori poterit fascinare, quanto autem minor, tanto in propinquiori solum lædet.

Item inquantum ad id, quod est fascinabile nimis differt, quædam enim aliis teneriora, & alia duriora sunt: ꝙ autem tenerius est, facilius poterit fascinari, & à remotiori: quæ vero dura sunt difficulter fascinantur, & à propinquo.

Quomodo quanquam fascinatio asseratur tamen non eo modo quo vulgares intelligunt.

QVÆSTIO XVIII.

CVncta autem, quæ in superioribus asseruimus catholicorum Ecclesia vniuersaliter confitebitur: nemo enim, qui rationi innitatur inspectis fundamentis superiorum, & multis aliis, quæ induci poterant, poterit negare, quæ inducta sunt. His tamen in suo vigore subsistentibus nos quoque cum tota catholicorum Ecclesia fascinationem improbamus, quam accipiunt vulgariter intelligentes: qui enim vulgo loquuntur in pueris teneris, pullis, atque paruis porcis, fascinationem, interdum asserunt euenire. Similiter in aliis domesticis animalibus, nescientes quid fascinatio sit, aut ex quibus agentibus, vel quibus suppositis dispositionibus æstimantes longe fore alterum quam sit, vnde illi, quos ipsi fascinantes asserunt fascinatis quanquã non sint: aut si qui paruulorum interdũ fascinantur eos quibusdã veteribus benedicẽdos offerunt, has enim vulgus ex officio suo benedicẽtes vocat: quas non iniuria conueniens magis est maledicentes appellare, qm̃ miserabiles animas insipientium illaqueantes in æternã gehennæ maledictionem adducunt. In his namq; vetustas habuit plurimos, tam viros, quã fœminas superstitiosos, quos adhuc ex parte iunior tenet ætas: hi autẽ super eos, quos fascinatos perhibent, impertinentia valde verba proferunt, atq; inutiles cæremonias, quæ superstitiones dicuntur, obseruant, quibus se curare putãt eos, quos fascinatos enuntiant. Hæc autem infanda quædã, & catholicorum mentibus valde fugenda sunt, qm̃ hæc, quæ istæ maledictæ fœminæ faciunt, & proferunt, illicita valde atq; superstitiosa sunt, nullã sanatiuã virtutem continentia, siue à Deo collatã, siue inexistentem secundum naturã, ipsæ tamen miserabiles fœminæ his verbis fascinatos sanitatem integrã recipere dicunt, quod hæreticum valde est, quoniã sanitatem, quã Deus interdũ naturaliter quibusdã simplicibus, vel compositis medicinis, interdum super operatione naturæ illã largitur, iste miserabiles fœminæ superstitiosis atq; prophanis verbis, & stultis cæremoniis adscribunt, nullã naturalẽ, aut supernaturalẽ ad sanitatem inducendã causalitatẽ habentibus. Rectissime ergo catholicorũ Ecclesia spiritu sancto ducta oẽs fascinatorũ curatrices prohibet, aut potius insipientium deceptrices districte prohibuit. Nos autem quanquã iuxta veritatem naturæ fidei catholicæ nimis consentaneã aliquid fascinari interdum asseramus, illud tamen curandum vetustarum maledicarũ cæremoniis, aut verbis non tribuimus: sed hæc potius abhorremus, illud medicorũ operi, vt cęteras ægritudines, aut diuturnitati temporis sanandum relinquentes. Quædã namq; ipsa per se natura nullo appositio curat. Nullã ergo in hoc superstitiosam cæremoniã obseruamus. Quanquã autem prædicta, solida veritate fulciantur fidei catholicæ in nullo repugnando, satis tamen nobis molestum est confiteri publice aliquã posse fieri fascinationẽ: hoc autẽ non ideo, quod veritas latere debeat, desiderat enim veritas in publicũ collocari, sed quia simplices impotentes distinguere à falsis vera cum audirent fascinationem possibilẽ: arbitrarentur aliquid, ꝙ inconueniens esset, & ad superstitiones varias verterentur, vnde coram simplicibus quasdã veritates melius est silentio tegi, quã publice enunciari. De fascinatione hæc breuiter suffecerint. Redeuntes ad supra inchoata dicere oportebit sola visione nullã posse fieri realem immutationẽ, sed si interdum aliquod animal alteri videndo nocet aut proficit, hoc non est, quia aliꝙ animal videt, aut videtur, sed quia aliqua animalia vidẽdo spiritus per oculos emittunt, quæ interdum nocent. Et forte interdum prodesse possunt. Istos non poterat emittere serpens æneus, quẽ fabricauit Moyses, quia calidus & humidus non exat iuxta conditionem spirituum, sed siccus & frigidus erat. Apparet igitur serpentem illum æneũ operatione astrologica aut magica obseruatione non fuisse fabricatũ & sanitatẽ, quæ in videntibus causabatur, non causari ab eo, sed diuino nutu.

An naturaliter & astrologice possit causari aliqua virtus rationalis respondens ad quæsita. Et de capite metallino his pono, & alio Alberti Magni. Et qui sunt qui respondent in his capitibus metallinis, & de lucernis B. Isidori Hispalensis.

QVÆSTIO XIX.

ALiquis adhuc instabit serpentem istum factum fuisse astrologice, & naturalem virtutem acquisiuisse. Nam si natura per astrologicam obseruationem temporum & punctorum aliquid perfectius serpente isto, producere valebat, poterit quoque hunc producere, quia potens in excellentius potest in minus: natura tamen potest causare aliquid perfectius serpente curatiuo à morsibus serpentum verorum, ergo & eum causare potest. Hoc patet, quia causare aliquam substantiam rationalem perfectius est, quam causare quamcunque virtutem, quæ sit de conditione corporis: sed hoc fieri potest, ergo, &c. Curatio autem à morsibus serpentum ad virtutem corporalem pertinet, sicut patet in medicinis tam simplicibus, quam compositis: natura tamen potest astrologica obseruatione causare aliquam rationalem virtutem in aliqua figura ferrea, aut qualitercunque metallina, hæc autem perfectior forma est, quam sit in tota natura, ergo facilius causari poterit quæcunque virtus vulnerum sanatiua. Quod virtus rationalis operatione astrologica causetur apparet in capitibus metallinis, quæ ab antiquis astronomis fabricata ad omnia quæsita respõdebant, sic enim Albertus Magnus Teutonicus caput metallinum fabricasse dicitur: fuit autem iste beati Thomæ de Aquino, magno tempore magister. Cum autem semel beatus Thomas cameram Alberti Magni introisset adhuc discipulus eius existens istud caput, quod ad omnia respondebat, fregit. Alterum autem metallinum caput simile fuit in territorio Numantino, scil. ciuitatis Zamorensis, in loco, qui Tauara dicitur, quod adhoc specialiter positum erat, vt Iudæos cum in eodem loco essent proderet, vnde si aliquando quisquam de Iudæis in loco esset, etiamsi à nemine cognitus ipsum caput per se clamabat Iudæum in loco illo esse, & sæpius hoc frequentabat, ab hoc clamore nunquam cessans quousque Iudæus egrederetur de loco. Hoc autem oppidanorum imperitia confractum est ipso veritatem clamante, cum illud falsum dicere existimarent. Quod autem talia capita astrologice fieri possent dubitari nequit. Quod etiam in his virtus naturalis sit satis appareat, cum ad quęsita respondeant, quod ad rationem pertinet, & non ad quamlibet, sed ad magnã. His respondendum est, impossibile esse secundum naturam fieri aliquam figuram ex materia metallina, quæ vulnerum curatiua sit, & liberet percussos à serpentibus mortiferis. cuius multæ causæ satis fundamentales super assignatæ sunt, plurimæ tamen induci possunt. Sed adhuc concesso, hoc possibile fore per naturam, erit penitus impossibile, per quamcunque operationem excogitatam, nec per obseruationes astrologicas in aliquo capite metallino causari rationalem virtutem ad omnia respondentem. Cum autem obiicitur de capite metallino fabricato ab Alberto Magno, & de illo quod erat in territorio Numãtino. Respondendum est, quod fabricata fuerunt, & ad inquisita respondebant, multa quoque capita similia poterant fabricari, sed nulla virtus naturaliter causata in capite illo ad inquisita respondet, sed magica operatione, & dæmonum adiutorio hoc fit. Nec tamen quisquam existimet, quod dæmones possint in aliqua materia metallina causare virtutem aliquam rationalem. Hoc enim excedit omnem virtutem naturalem etiam secundum Aristotelem, ipse enim, inquit, cęteras formas educi de potentia materiæ, animam autem rationalem solam esse supra conditionem, & diuinam atque solam venire ab extra. Cum ergo omnis operatio dæmonũ sit naturalis, scilicet, solum in applicationem agentium & passiuorum, vt late declaratum est, Exodi cap. 7. virtus tamen rationalis secũdum Aristot. est super conditionem materiæ: ergo excedit naturalem actionem. Item non solum excedit potestatem dæmo-

num causare

C *Multa sũt scripta quæ nõ sunt populo prædicãda in lingua Hispanica vel Italica, quia populus bestia est multorum capitum iuxta Aristo. Concludit conclusionẽ principaliter inentam à q. 9. vsque hunc.*

Zamora est numantia, & non soria: vnde deficit Ptolomeus in 2. tabula Europæ. Dicit Ægidius Histor. Hispan quod astutia cuiusdã Iudæi hoc caput confractũ est.

Omnia opera dæmonum est naturalis.

num causare virtutem rationalem in capite metallino, sed etiam similiter est impossibile causari virtutem illam tanquam conditionem, vel proprietatem capitis metallini. Si enim aliqua virtus rationalis illa est, necesse est esse dæmonem, aut angelum bonum, aut animam rationalem, vel Deum. Nequaquam autem dici potest Deum esse, qui in capite illo metallino respondit: Deus namque non seruiret ad nutum hominum malorum inducendo grauissimos errores ad respondendum in tali capite: ita impossibile est esse Deum, qui loquitur in capite illo. Nam Deum loqui est impossibile, cum nihil possit agere per motum, vt declaratum est Exodi. 23. & 25. cap. Item non potest esse angelus, qui hic loquitur, si intelligamus angelum bonum, quia angelus nullis naturalibus aut magicis operationibus cogi potest, vt in aliquo loco sit, & respondeat. Item non potest esse anima humana, quæ in capite illo respondeat: nam tunc aut nouiter creata foret ad hoc solum, vt responderet in illo capite, aut est de animabus primo creatis, scilicet, quod fuerit anima alicuius hominis. Non potest dici primo modo: nam Deus ad expletionem stultorum, & sceleratorum desideriorum humanorum animas nō creat: magni enim errores sequuntur datis animabus in corporibus metallinis. Item anima humana cum sit forma, & pars speciei, determinat sibi certam figuram corporis, & quantitatem, & harmoniam qualitatum: vnde anima humana stare non potest in quolibet corpore, sed in solo humano: in capitibus autem metallinis nulla istarum dispositionū est: ergo anima rationalis ibi non erit. Item inquirendo magis in radice dicendum, quod simplicia inter se minus differre non possunt quā in specie, quia simplicia aut formæ sunt, aut simplicis essentię, cum autem harum formarum, vel essentiarum aliqua ab altera differt, non potest differre, nisi per seipsam cum nihil habeat, nisi seipsam: sed ipsa est essentia, vel forma: ergo necesse est esse differentiam per formam, vel essentiam, quæ vocatur differentia essentialis: differentia autem per essentiam non potest esse minor differentia specifica, cum in essentiis species sint vltimæ, & genera superiora: nam indiuidua specierum ad species essentiales nihil addunt. & ob hoc quilibet angelus ab altero ad minus secundum speciē differt, vel essentialiter, quia in eis nihil est, nisi species, vel essentia, in quo recipiatur differentia: vnde necesse est confiteri tot esse species dæmonum & angelorum, quot dæmones, & angeli sunt: cum ergo animæ humanæ simplices sint non habentes in seipsis nisi seipsa: necesse est, vt quælibet anima ab alia in specie saltem differret, nisi esset aliquid ad quod coniunctionem nō haberet, & ex quo sortiretur differentiam ad alias animas. Si autē animæ humanæ, quæ formæ sunt in specie differrent, necesse esset, vt omnes quoq; homines in specie differrent, ita quod nulli duo homines essent in eadem specie, sed tot naturæ, & species essent, quot homines: & sicut homo & asinus differunt, quoniam duæ species sunt, ita quilibet homo ab alio homine differret, quod falsum est. Ideo dicendum, inter animas humanas non esse specificam differentiam, erat tamen necesse istam esse in omnibus animabus, cum quęlibet anima simplex sit nihil in se habens, secundum quod differentiam ab altero suscipiat, nisi seipsam. Quæ est ergo differentia in specie, nisi anima ad aliquid haberet adhærentiam secundum, quod recipiat differentiam ab altera anima, hoc autem est corpus. Recepit namque quælibet anima, quod sit vna numero, & distincta indiuidualiter, & non in specie ab altera anima, quia in hoc corpore, vel illo creatur recipiens esse: alia autem recepit, quod sit altera numero, quia in altero corpore creatur. Si autem corpora ad inuicem non præstarent animabus originē differendi, differrent animæ ab inuicem in specie, sicut anima hominis, & asini. Oportet ergo, quod sicut quælibet res recipit distinctum esse numero, vel specie ab aliqua alia, in eo instanti, quo esse suscipit, quod cum anima humana recipiat distinctū esse numero, à qualibet altera per corpus, quod in ipso corpore esse simpliciter suscipiat. Ex hoc patet quamlibet animam humanam in corpore creari, nec est possibile aliquam extra gigni sicut multi simplices arbitrati sunt dicentes quamlibet animam in cœlo à Deo creatam fore: deinde in corpus tempore aliquo infundi. quod aliqualiter Plato secutus est, dicens: animas esse in astris, deinde temporibus quibusdam descendere in corpora hominū, & calodæmonum, & cacodæmonum, sc bonorum & malorum angelorum, deinde mortuis his redibant in astra. Sic patet per Boetium, de consolatione libro 3. Metro. 9. cum dicitur.

Tu causis animas paribus, vitaſque minores.
Prouehis & leuibus sublimes curribus aptans.
In cœlum, terramque seris, quas lege benigna.
Ad te conuersas reduci facis igne reuerte.

Hoc tangit Augustinus de ciuitate Dei, libro. 19. Ex dictis tollitur positio insana quorundam dicentium, omnes animas hominum simul creatas fuisse à Deo in cœlo, deinde temporibus suis in corpora fundi, impossibile tamen est omnium animas ab exordio sæculorum simul fuisse creatas. Item impossibile est aliquam animam creari extra corpus suum, aut antequam corpus organizatum sit, sed quælibet in corpore creatur cum eius cōpleta sit organizatio: satis tamen possibile erat omnes humanas animas ab exordio simul creatas fuisse, si inuicem in specie differrent: tunc enim nō erat eis opus, vt in corporibus esse reciperent: cū per ipsa corpora mutuo non differrent, sed secundū seipsas, sicut omnes angeli simul creati sunt, & pariter esse susceperunt, quia inter se in specie differunt: anima autem humana susscepit esse, & differre per corpus. Necesse est igitur, vt in corpore creetur, & esse suscipiat. Item patet hoc ex alia radice, scilicet, per comparationē animæ ad corpus: nam si ista anima nouiter creata esset, quæritur an esset vnita illi corpori formaliter, aut solum, non motor mobili: formaliter autem vniri non potest anima capiti metallino, quia anima requirit dispositionem in corpore, scilicet, certam harmoniam elementalium qualitatum, ideo dicitur, quod fundatur vita in humido radicali, & calido naturali, scilicet, quod ista duo sunt contemperata, mors autem sequitur propter istorum duorum consonantem harmoniam: tale tamen nihil est in capite illo metallino, cum sit valde frigidum, & siccum: impossibile est ergo corpus aliquod sub talibus dispositionibus animatum esse quocunque gradu animæ. Item dato, quod possit vniri anima illi capiti, cum anima sit pars speciei, & detinfrinsece essentialiter esse hominem, sequeretur illud caput esse hominem, quod absurdissimum est. Si autem daretur, quod vniretur anima illi capiti, vt motor mobili: aut vniretur, vt mouens motu impulsiuo, aut motu operatiuo. Si autem motu impulsiuo requiritur prima vnionum, scilicet, applicatio virtutis motiuæ ad exteriorem partem corporis, & isto modo concedendum est dæmonem, & animā humanam posse corporibus vniri, sed anima humana non potest maiori corpori vniri quam humano, vel non tanto, quia magis mouebit anima habens organa, per quæ virtutem suam deriuare potest quam nō habens organa, habens tamen organa non potest corpus cuiuscunque qualitatis mouere, & vegetare, quia dicimus, quod anima humana non poterit informare vnum corpus ita magnum sicut turris, quia vegetare illud, aut mouere non potest: data tamen ista vnione prima non fieret locutio in capite metallino, sed solus motus impulsiuus localis. Si autem vniretur anima capiti metallino motu operatiuo, oporteret vniri organice, & ista est magna vnio, atque requirit magnam dispositionem, quia in alia vnione deriuabatur virtus ad rem motam: hic autem deriuatur non quidem ad organum, sed per organum. Et patet differentia, quia in rebus motis solum est pati. in organis autem est agere, & pati. quia mouentur ab anima, & res exteriores mouent: ideo valde maior vnio, & concordia hic requiritur, quam solum ad mouendum impulsiue. Patet, quia anima vnitur manui, & martello per virtutem, sed cum martello nullam requirit dispositionē, cum manu autē valde multas: ideo requiritur, quod si anima vniretur capiti ferreo ad loquendum, quod requireret omnes dispositiones organicas, quas in homine requirit ad idem faciendū: vel dabitur aliquid frustra à Deo, & natura, quod negat Philosophus primo Politicorum: sed nullam talem dispositionē habet: ergo non est anima humana. Sed argues contra hoc, quia anima & dæmon in corpore aereo voces formant. De dæmone nullus negat: de anima patet, quia sancti post mortē multis apparuerunt, & locuti sunt, vt tenet sacra fides, & habetur Matth. 27. capit. de resurgentibus cum Christo, qui apparuerunt in Ierusalem, & locuti sunt. Respondeo, quod secus est de aere quam de ferro, quia aer est corpus multum passibile, & receptiuum dispositionum organicarum, quanquam non vita-

A *Nō potest naturaliter causari virtus ad loquendū in capite metallino, nec est illa Deus, nec angelus nec anima.*

B *Angelos oēs, & oēs spiritus ad minus differre specie, & de differentia ānimarum dæmoniū & angelorū, in quibusdam per speciem, in aliis per naturā*

C *Scotus tenet q̄ non per corpus, sed per adhærētiā, seu propriā differentiam in diuiduali. sed ille modus non est Physicꝰ sed Metaphysicus. Author tamen hic physice loquitur.*

D *Anima humana differūt per sua corpora. 2. Ratio principalis q̄ virtus*

E *in capite metallino non sit anima. 3. Ratio*

F *cap. 5.*

De triplici vnione animæ

A

ad corpus: & quid exigat ꝗli bet ista rum de dispositione in corpore

non vitalium: tres namque sunt gradus vnionum. Primus est ad moueri solum, & hic non requiritur aliqua specialis dispositio, sed solum, quod sit corpus habens superficiem tangibilem ad recipiendum impulsum. Secundus gradus vnionis est operatiuus organicus, & iste requirit multas dispositiones, quæ solum in aere reperiuntur, vt infra patebit. Tertius gradus est vnionis vitalis: & iste solum reperitur in carne multum dispositа loquendo de vnione animæ humanæ, vel alicuius spiritus. Ad vnionem autem organicam operatiuam duo requiruntur, scilicet, debita densitas, & raritas, & harmonia calidi, & humidi: ista autem in puro aeris elemento naturaliter propter mediam elementorum concatenationem reperiuntur: potest enim aer condensari ad satis magnã soliditatem: rarefieri autem quantum voluerimus, Potest etiam satis humidus fieri, & satis calidus, quæ sunt ex sua complexione: his autem duobus existentibus, scilicet, humiditate, & caliditate proportionatis adueniente aliquali condensatione organum operatiuum fieri potest, quia anima teneritudinem quandam quærit. De igne autem puro tale corpus fieri non potest, cum nullam recipiat humiditatẽ. Item, quia organum ad operationem dimensionem exigit determinatam, & figuram, particulæ autem ignis ad figuram cohærere non possunt, quia principium huius operationis est humidum tenerum, quod igni dissonat. De aqua autem tale corpus fieri non potest, quia licet aqua ad debitam densitatem reduci possit, & ad contemperatam caliditatem cum humiditate reducatur simul, tamen non potest temporare calida, & mediocriter densa esse. Ratio autem est, quia aqua reducitur ad soliditatem, seu densitatem per excedentem frigiditatem. Si autem reduceretur ad caliditatem, cessaret frigiditas condensans, & effluerent particulæ dissolutæ, quia ex causis contrariis reducitur ad densitatem, & caliditatem. Item in terra hoc fieri non potest, quia ipsa est solida supra modum: anima autem requirit teneritudinem in organo, ad quam non potest terra reduci, nisi per mixtionem alterius elementi. Item, quia terrestreitas multum repugnat vegetationi nisi transmutatione facta ad alterum genus mixti: aer autem totum habet, contemperantiam enim calidi, & humidi naturaliter habet, quia medius est in catena elementorum. Densitatem autem habere non potest ex natura materiæ, quia multum passibilis est, ista est ergo ratio quare spiritꝰ boni siue mali de aere solum sibi corpora formant. Ferrum autem habet terræ indispositionem, scilicet, soliditatem, & frigiditatem excedentem, ideo vniri organice non potest: posset tamen esse, quod si caput esset satis magnum de ferro, anima, siue dæmon assumens corpus aereum intus loqueretur. non tamen, vt vnita organice capite metallino, sed corpori aereo. Et hoc patet in Magis, qui videtur facere resurgere mortuos, accipiunt enim cadauera, in quibus non sit humiditas multum deperdita in mortuis post vnum, vel duos dies, & factis quibusdam cæremoniis lotionis in sanguine, & aqua per interiora dæmones subintrant cadauera, & loquuntur. Si tamẽ cadauera essent ih multum desiccata lęsis organis, vt post mensem vnum, vel alterius, etiamsi de carne nihil periisset dæmõ subintrare posset, & mouere corpus: loqui autem minime. Datis etiam omnibus istis pro possibilibus anima nouiter creata, & isti capiti coniuncta nihil respondere posset, quia nihil scit: anima enim secundum Philosophum 3. De anima est tanquam tabula rasa, nec cognoscit aliquam veritatem in vnione sua: postea autem via sensitiua acquirit interius cognitionẽ. Item si ponatur secundum Platonem, quod anima ante vnionem omnia sciuerit possibilia homini: tamen in coniunctione obliuiscitur: oporteret ergo addiscere ad respondendum: sed in capitibus metallinis non est sic, quia immediate, vt facta sunt de omnibus respondent euidenter: ergo patet, quod cum talia non possint fieri, nisi substantia intelligente, & talis non potest esse Deus, nec bonus angelus, nec anima creata ad manendum in corpore illo: ergo erit dæmon. Sed dicet aliquis, quod erit anima, quæ iam præfuit in aliquo corpore humano, sed per mortem transiens à corpore clausa est in capite metallino. Sed non stat, quia oportet, quod anima exuta à corpore vitam æternam, aut locum gehennæ, aut purgatorias pœnas petat, si autem ista iuisset in cœlum nullatenus potuisset claudi in capite metallino: nam beatarum animarũ fruitio est in diuina contemplatione: hoc autem ab anima nequit auferri: nec anima inde subtrahi quouis modo solertia dæmonum, aut potestate, aut alicuius naturalis agentis vigore: nihil enim in eam facultatis quidquam præter Deum habet. Item non potest esse ista anima de his, quæ in purgatorio exercentur: hæc enim à dæmonibus non puniuntur, nec in eas quidquam possunt, iam ciues sunt ciuitatis Dei, & angelorum participes, quanquam illuc non peruenerunt, ideo nec etiam ipsi dæmones possunt videre eas torqueri astantes illis, ne in illis gaudeant, atq; saturentur de pœnis earum, nulla ergo de his in capite metallino includi potest. Item nõ potest esse aliqua anima in capite de his, quæ ad inferos damnatæ sunt, est enim infernus quidam locus determinatus in terra, in quo omnes animæ damnatorum manent, nec alicui inde exire conceditur nisi dispensatione aliqua, vt à viuentibus videatur ad eorum vtilitatem, vt ait Greg. 4. Dialogorum. non possunt ergo dæmones aliquam de damnatis animabus educere, vt eam claudant in capite metallino. Item dato, quod aliqua anima de damnatis in capite tali claudi posset, nesciret ad inquisita singula respondere: talia enim responsa dantur in istis capitibus: ita vt omnem facultatem damnatarum animarum excedant. Maior huius patet, quoniam animæ solutæ à corpore non possunt intelligere plura, quam in corpore intelligebant, nisi fiat in eis aliqua illustratio per reuelationem alicuius superioris, animæ tamen damnatorum nullã cognitionem recipiunt in diuina essentia, quæ vocatur cognitio in verbo, cum ista sit potissima pars fœlicitatis, & quasi tota fœlicitas beatorum. Ab angelis etiam nullam cognitionem susCipiunt: diuina enim iustitia exigit, ne in aliquo lætentur aliquid tale cognoscentes. Animæ ergo apud inferos nihil magis cognoscere poterunt, quam hic cognoscebant, cum recesserunt, nisi intelligatur de cognitione experimentali: isti tamen spiritus, qui in metallinis capitibus sunt quædam respondent quibus omnes homines conuenientes in vnum respondere nescirent, animæ igitur damnatæ nequaquam sunt. Item nihil prodest temporum, & punctorum, & aspectuum planetarum obseruatio ad inclusionem animæ, quæ esset in capite metallino, si anima illa esset cuiuscunque conditionis. virtus enim, quæ ad cæremoniales obseruationes consequi potest, naturalis est deriuata ex influxu cęlestium corporum: nulla tamen naturæ potestas aliquatenus animę à corpore solutæ præest, cum illa sit spiritus simplex nullam habens corporietatem per cuius coniunctionem in eam cœlestia corpora, dominẽtur: anima igitur nulla in capite metallino esse potest: vel saltem nulla est, quæ talia respondeat qualia audiuntur: est tamen dæmon ille, qui loquitur, cum iam nulla alia spiritualis substantia relinquatur. Sed aliquis dicet, quod ex superioribus patet dæmonem non posse vniri capiti metallino ad loquendum, sed soli corpori aereo. Dicendum, quod illud quod reperiebatur in aere, simul causari poterat in ferro per magnum tempus in ductum à virtute cœli, tanta est enim virtus cœli, vt per magnum tempus rem ad extraneas suæ naturæ qualitates deducat, & ad aliquam imperfectam harmoniam suę complexioni repugnantem. Nec est mirum, quia de terra facit ferrum admixto sulphure: quanto magis ferrum ad spirituales dispositiones adducere poterit? potissimum adh. bita cura humana secundum regulationem motuum, & figurationem astrorum. Hoc autem quod tanto tempore cœli virtute inducitur, non poterit diabolus per se facere, quia operario dæmonis in naturalibus non est per aliquam virtutẽ intrinsecam, cum non sit agens naturale, sicut nec intelligentiæ cœlestes, quas ponimus mouere orbes si cessarent à motu nihil influere possent, etiamsi vellẽt: quia causalitas sua solum est deriuatio virtutis cœlestis per motum: ideo dicit Philosophus duodecimo Metaphys. quod intelligentiæ secundæ volentes participare esse diuinum mouent, vt amantes, & desiderantes, prima autem intelligentia, siue Deus, quæ secundum nos infinitæ virtutis est sine motu causare potest: quia continet eminenter omnem virtutem, & perfectionem. Est ergo operatio dæmonis solum, vt applicatio agentis ad passum, quando autem agentia, & passa proportionata, & dispositа ad inducendum immediate aliquem naturalem effectum existunt in aliquibus partibus mundi quantumcunque remotis, dæmones subtilitate sua immensa aeris spatia breuissime transeuntes coniungere possunt, & sic res cito efficitur, vt patet in ranis, & colubris Ægypti factis

per dæmo-

D

Io nõ potest respõdere in capite metallino.

De hoc S. Bonauẽtura, & Tho. 4 Sent. dist. 20.

Dæmones sunt qui in capitibus metallinis correspondẽt

E

F

Quid desit obseruatio Astrologica incõficiendo caput metallinum.

Non potest anima sumere corpꝰ de igne ad loquendũ, nec de aqua nec de terra, sed solũ de aere, & quare hoc.

C

Tex. 14 Anima si capiti metallino conligatur nihil potest respõdere.

Anima quæ est in purgatorio aut inferno, aut cœ-

A

per dæmones, & magos. Si autem cauſæ actiuæ inducentes effectum non ſint in toto orbe actualiter exiſtentes, ſed dependeant ex motu, & figuratione aſtrorum, nunquam dæmon poterit talem rem facere donec compleatur naturaliter ille motus, nec poteſt dæmon mouere cœlum citius, vt inducatur velociter aliquis effectus, quem intendit: non enim permittitur dæmoni talis motus: alioquin omnia forte iam fuiſſent deſtructa. non poterit ergo velocius dæmon facere aliquid, quod naturaliter fieri poterat, poteſt tamen diſponere materiam ad bene patiendum ponendo eam in loco, ad quem talis influentia deriuetur ex figuratione, vel aſpectu aſtrorum ad horizontem illius loci: & in hoc non eſt maioris potentiæ dæmon quam homo multum peritus in aſtris, niſi inquantum dæmon plura nouit. & iſta eſt cauſa errandi multis ſuperficialiter conſiderantibus, putant enim ſola natura agente talia perfici poſſe, quia in eorum cauſationibus magna temporis requiritur pertranſitio. Iſta enim ſunt quædam præſuppoſita ad id quod dæmon finaliter intendit, ſed quia facere non poteſt, niſi in iſtis præſuppoſitis cogitur iſta à tempore, & motu cœli expectare: deinde per talem actionem deducta materia illa ad extraneas qualitates, & aliqualem harmoniam, facta etiam à dæmone intra caput illud quadam aeris diſpoſitione conuenienti qualitatibus illius materiæ ad continuationem virtutis locutiuæ dæmon loqui poteſt, & per ſolum ferrum ante loqui non poterat. Iſta eſt dæmonum ſubtiliſſima fraus per quam miſerrimas animas magno tempore grauibus facinoribus detinent alligatas. Et ſi obiicias, quod dæmones in ſtatuis, quę nihil huiuſmodi habebant loquebantur. Reſpondendum, quod hoc erat intra concauitates magnas ſtatuarum, & ibi ſumebantur aliqua corpora aerea ad loquendum, aliquando autem ſub aliqua figura viſibili reſpondebant, vel linguam, & palatum, & cætera inſtrumenta hominis mouebant ad plenam vocis informationem, vt patet in arrepticiis, & iſte fuit communiſſimus modus ab antiquo. Vnde Phœbus, qui in diuinatione maximus inter deos gentilium erat, ſemper per arrepticiam virginem loquebatur in Delphos Græciæ inſula antiquiſſima, & hoc omnes antiqui etiam poetæ voluerunt, vt ponit manifeſte Lucanus in fine primi libri, de bello pluſquam ciuili, & in medio tertii. Et ſi aliquis dicat, quod caput taliter loquens pure naturaliter effici poteſt. quia multa mirabilia naturalia videmus, multa quoq; à maioribus noſtris fuiſſe facta accepimus, quæ ab occultiſſimis naturæ peruenerunt.

Dæmon non poteſt mouere cœlos.

B

Apollo Delphicus quo reſpondebat ad interrogata.

Reſpondendum eſt, quod vis naturæ magna eſt, & nobis incognita: in tantum, vt multa de paruis eius miraculis admiremur, ſed tantam virtutem naturæ impoſſibile eſt eſſe, quæ ſimplicem intelligentiam cauſare poſſit. Licet enim aliqua res ſuum gradum materialem agendi adiuta ab aliquo extrinſeco tranſcendere valeat, formalem tamen gradum agendi tranſcendere impoſſibile eſt: poteſt enim canis ab influentia cœleſti adiutus canem perfectiſſimum generare, equum tamen generare impoſſibile eſt. ſi oculus per adiutorium alicuius cauſæ multum diſponentis poteſt videre in maiorem diſtantiam quam alias videre poſſet, & tamen nullo modo audire poterit quantumcunque iuuetur. Si autem arguas de generationibus æquiuocis. Reſpondendum eſt, quod iſtæ non poſſunt fieri in quibuſdam animalibus diuerſarum ſpecierum, ſed in illis ſolum, quæ magnam habent ſeminis conformitatem, & tunc aliquando reducitur æquiuocus coitus ad vniuocam generationem ſecundum ſpeciem ſeminis fortioris aliud totaliter abſorbentis, aliquando autem medio modo ſecundum variam ſeminis harmoniam, & gradum conſonantiæ: ſic enim eſt de potentiis paſſiuis, vt auditus, qui non poteſt niſi in certa diſtantia immutari, poteſt naturaliter adiuuari, vt in valde maiori audiat, quod autem auditus videat impoſſibile eſt: tranſcenderet enim ſuum formale obiectum. Naturaliter ergo corpora, & virtutes corporum ſolum efficere poſſunt. Poteſt enim effici lucerna inextinguibilis aquæ, vel aeri naturaliter, vt fecit beatus Iſidorus duas naturaliter, quæ poſt mortem eius ad caput, & pedes ſepulchri ipſis permanſerunt quaſi per ducentos annos, ita quod nihil de eis videretur conſumptum, ſed poſtea inde ſublatæ ſunt. Teſtantur hoc maiores, & ponit Iacobus de voragine in hiſtoria B. Iſidori. Sed etiam Romæ tempore Caroli Magni ſepulchrum gentilis viri repertum eſt intra quod candela ardens inuenta fuit, quę à valde magnis temporibus ante Chriſti aduentum ibi fuerat, vt ex inſcriptione ſepulchri patuit, poſt extracta lucerna nec vento, nec aqua extingue batur, ſed perforato lychno quodam terebro ſubintrante aere extincta eſt, quæ prius aqua extingui non poterat, vt ait Helinandus in chronicis, & Ioannes Ægidii Zamorenſis.

C

De quibuſdã miraculis naturalibus vt de lucernis B. Iſidori, & de alia Romæ inuẽta in quodã ſepulchro.

D

An dæmones poſſint in capitibus metallinis aut aliis vaſis includi, vel à corporibus expelli, aut ad aliquid à nobis cogi verbis, aut herbis, ſeu aliis rebus naturalibus.

QVÆSTIO XX.

CIrca prædicta tamen videbatur dubium vtrum dæmones ad corpora congregari poſſunt, aut à corporibus expelli aliquibus herbarum, aut aliarum rerum ſuffumigationibus. In quo dicendum dæmones ex his non poſſe cogi, vt veniant, nec vt totaliter recedant, aliquid tamẽ eſſe poterit, quod faciat eos non poſſe loqui: nam locutio eorum eſt modo organico, in quo ſunt diſpoſitiones naturales, & quia aliquid eſt, quod impediat diſpoſitiones illas, quas dæmones exigunt ad locutionem, poterit eſſe aliquid naturale, quod faciat eos non loqui: quod tamen per aliqua naturalia, aut operationem humanam dæmones cogi poſſent, vt intrent in aliqua corpora, vel ab eis recedant, impoſſibile eſt. Si autem arguatur de exorciſtis, qui coniurationibus quibuſdam de obſeſſis corporibus dæmones excludunt. Reſpondendum eſt, dæmones inuitos de obſeſſorum corporibus expelli: hoc tamen hominum nulla virtute fit nec verborum viribus, ſed Dei nutu atque præcepto, eſt enim exorciſtarum ordo vnus de minoribus Eccleſiæ ordinibus. Verba igitur ipſorum, & ſingulæ operationes ex Dei voluntate vigorem accipiunt: ſic enim de presbyteris conſecrantibus eſt, nulla enim in ſacerdote poteſtas eſt, nec tam efficacia verba proferre poteſt quantumcunque clamaret, vt panis ſubſtantiam in verum Chriſti corpus conuertat, quia tamen à Deo miniſter inſtitutus eſt, ſtupenda Dei bonitas dignatur, vt prolatis verbis conſecrationis panis in verum corpus, & vinum in verum ſanguinem conuertatur. Cuncta etiã de hoc exemplorum plena ſunt: multi namque viri boni ſola præceptionis forma prolato nomine Chriſti ſuper eos, qui ægrotabant, dæmones expulerunt, hoc autem non ex eorum viribus erat, ſed ex meritis fidei conceſſum eſt. Chriſtus namque dixerat, quod ſiquis tantam haberet fidem, vt granum vnum ſinapis: dicit monti huic, tranſi, & tranſibit, & nihil erit impoſſibile, vt patet Matth. 17. capit. & Lucæ 17. ſcilicet, ſi habueritis fidem ſicut granum ſinapis, & dixeritis huic arbori moro eradicare, & tranſplantare in profundum maris, obediet vobis. Patet igitur ex prædictis, quod naturaliter homines dæmonibus præſidere non poſſunt: nam ſi ex natura excellenti eis proueniret, vt dæmonibus præeſſent, fruſtra Chriſtus dixiſſet tanquam aliquid miraculoſum, quod concedebat baptizatis poteſtatem ſuper dæmones: ſed magis naturaliter dæmones ſuper homines poſſunt, quia eorum natura excellentior eſt, quantum ad ſpecificam perfectionem. Illi tamen, qui iſta metallina capita faciunt ſecundum obſeruationes aſtrologicas ad introducendum virtutem naturalem ſolum, obſeruant hoc propter dæmones introducendos. Nullam ergo virtutem per iſta habent ad hoc, quod introducantur, vel quod poſtea introducti maneant. Idem autem de dæmonibus, qui in vitreis phialis tenentur, vt ad inquiſita reſpondeant. Si enim tenentur, voluntarie tenentur, quia fallere, & nocere cupiunt: abſit enim à cordibus fidelium, vt dæmones aliquibus verbis noſtris, vel naturalibus factis cogi poſſint ad manendum, vel ad exeundum de aliquo corpore, aut ad loquendum de illo. Modus autem, & origo horum eſt, quia dæmones humani generis ſæuiſſimi hoſtes modis, & verſutiis omnes homines decipere atque ſubuertere moliuntur. Ipſi igitur induſtriauerunt, & docuerunt, vt homines talibus artibus inducti eſſent, in quibus cum eis aliqua contraheretur participatio. Induxerunt quoque, vt homines exiſtimarent eos verbis quibuſdam aut cæremoniis poſſe premi, nihil tamen eſt in re, ſiue in verbis, quo aſtringi poſſint ad aliquid faciendũ, niſi quantũ Deus illos cogi interdũ voluerit. euidentiſſime enim hoc cognoſcunt, qui

E

F

Maleſſumitur contra Albertum Magnũ & aliũ Hiſpanũ, qui capita

A

fecerũt. Albertus tamen pœnitẽtiã egit & miraculis claret.

de naturarum perfectione,& ſubſtantiarum gradibus aliquid cognouerunt,nõ enim poſſunt corpora in ſpiritus agere, ſed magis è contrario. Dum vero homines his ſceleratiſſimis atque ſuperſtitioſis artibus dediti hæc metallina capita fabricant,quanquam cæremoniæ, quas in fabricando obſeruant, nihil poſſint,vt dæmones in his capitibus,aut alicubi eſſe cogantur,quia tamen in hoc aliquis cultus diuinus eis impenditur,& ipſi laborant homines fallere his factis,ingrediũtur in illa capita metallina. Si tamen his obſeruatis nollent introire in illa,non cogerentur. Quare autẽ aſtrologi capita iſta aut ſimiles imagines ſub talibus obſeruationibus temporũ & punctorum,& non alias faciunt,ſupra declaratum eſt. nam iſta aliquid conferunt,licet non cogant,diſponendo materiam,vt ibi conuenienter locutio fieri poſſit.

Quare Deus voluit ſerpentem in altum tolli, & per illum Iudæos ſanare,cum poſſet aliter eis dare ſanitatem,& an ſignificet in ſenſu literali Meſſiam in cruce morituru. Et de duplici cauſa eorum, quæ in veteri teſtamento fiebant.

QVÆSTIO XXI.

QVæret aliquis circa ſerpentem iſtum æneum,quare Deus illum fieri iuſſerit ad inducendum ſanitatem : nam ipſe poterat inducere ſanitatem, in quolibet Iudæorum à ſerpentibus percuſſorum immediate, vt percuſſus fuerat,nulla

B

cæremonia exhibita, aut mora habita temporis.

Reſpondendum eſt , quod Deus voluit ſanitatem iſtam cauſari eo modo, quo Iudæis magis beneficium iſtud appreciarentur:quia autem vulgus ſolis ſenſibilibus aſſuetum magis per corporalia , quam per ſpiritualia intelligere valet , ſignum quoddam in huius ſanitatis collatione corporeum tribuit , quod ad duo proficiebat, ſcilicet, ad futurarum rerum ſtatum ſignandum, & ad exprimendam conditionem quandam ſtatus ipſius populi Iudaici in percuſſis. Quantum enim ad ſtatum Iudæorum,tunc exiſtentium conueniens valde fuit hunc ſerpentem æneum fabricari, ſcilicet, vt actio ex contrariis fieret, vt quemadmodum à veris ſerpentibus percuſſi in mortis periculum, incidebant, ita ſanitas viſo ſerpente æneo induceretur, hoc autem non fiebat tanquam ſerpens iſte metallinus , aliquam virtutem naturalem ſanatiuam contraxiſſet,vel Deus in eum ſupernaturaliter virtutem aliquam deriuaſſet,ſed volebat Deus , vt percuſſi à ſerpentibus illum ſerpentem æneum intuerentur , & ipſe mox perfectam tribueret ſanitatem , & tamen non erat in ſerpente illo maior virtus ſanatiua naturalis, aut ſupernaturalis , quam in lapidibus , vel lignis ſyluarum. Vnde ſi iuſſiſſet Deus,quod percuſſi à ſerpentibus terram reſpicerent,& hoc facerent immediate ſanarentur, ſed licet iſte ſerpens æneus non haberet aliquam virtutem ſanandi, nullus poterat ſanari à morſibus ſerpentum , niſi eum intueretur : huius ratio eſt, quoniam iſta

C

ſanitas inducta in percuſſis cauſabatur ſupernaturaliter à Deo : ipſe tamen nulli hoc conferret negligenti præceptum eius,cum ad ſanitatis conſecutionem aliquid ſpecialiter diffiniuiſſet agendum.

Deus iuſſit ſerpente æneo inſpecto ſanari propter ſui ſtatus, & conuenientiam, & ad futurorum bonorum ſignificationem.

QVÆSTIO XXII.

QVæret tunc aliquis , cum percuſſi à ſerpentibus non contraherent aliquam virtutem ab illo ſerpente æneo inſpecto magis , quam à lapidibus, vel lignis ſyluarum,ſed ſanitas immediate à Deo cauſabatur , quare iuſſit fieri ſerpentem, & in altum tolli? videbatur enim ſuperfluum.

Reſpondendum eſt, quod cæremoniæ veteris teſtamenti habebant duas cauſes finales , ſcilicet, vnam ad conuenientiam ſtatus Iudæorum , qui tunc erat : alia autem ad futurorum bonorum ſignificationem : in his duobus ſecundus finis erat architectonicus, quia erat vltimus , & propter quem omnes alii : finis autem prior, ſcilicet, conuenientia ad ſtatum Iudaicum erat , vt Iudæi ſanitatem à Deo ſuſceptam cognoſcerent manifeſtiſſime eſſe à Deo: & quia oportunius per ſenſibilia , quam per ſpiritualia mouerentur , decuit aliquod ſignum corporale dari,& quia ipſi à ſerpentibus percuſſi erãt, decentius fuit ſerpentem in ſignum poni , quam aliquid alterum. Secundus finis erat architectonicus cæremoniarum veteris teſtamenti,ſcilicet,vt ſignarentur ea,quæ tempore Meſſiæ in nouo , & perfecto teſtamento euentura erant:ſtatus enim Iudaicus ante Meſſiæ aduentum fuit ſtatus imperfectus: ſic dicit Apoſtolus ad Hebr. c.7. Neminem ad perfectum deduxit lex,ſcilicet,lex Moſaica, quæ diſtinguitur contra Euangelium,quod non vocatur lex,ſed gratia,vt patet Ioan.c.1.ſcilicet , lex per Moyſen data eſt , ſed gratia & veritas per Chriſtum facta eſt. Vnde cuncta,quæ in veteri teſtamento data erant, futurorum bonorum tempore Meſſiæ erant ſigna : ſic Apoſtolus ad Hebr.capit.10. vmbra futurorum lex,id eſt, lex continebat tanquam in vmbra, vel figura ea, quæ futura erant tempore Meſſiæ , & ob hoc in cæremoniis veteris teſtamenti , quia ſignatiue erant Meſſiæ futuri nulla erat efficacia, niſi ſecundum fidem Meſſiæ futuri,& his cæremoniis exercitati nullam conſequebantur efficaciam,niſi in fide Meſſiæ eo quod per vſum harum profitebantur futurũ Meſſiam : quanquam hoc non obligabantur explicite credere aut confiteri, ſed ſufficiebat, quod eis , vterentur ad eum finem , ad quem Deus inſtituerat. Ob hoc autem in omnibus cæremoniis à Deo datis in veteri teſtamento , & cæteris , quæ facta narrantur , erat aliqua ratio ſignificandi ad ea , quæ tempore Meſſiæ ventura eſſent : ſic ait Apoſtolus , 1. Corinth.cap.10. ſcilicet, omnia in figura cõtingebant illis,id eſt,in figura eorum, quæ acciderent in nouo teſtamento. Meſſias autem venturus erat ad humani generis redemptionem procurandam , & inter cætera , quæ fecit , nihil tam efficax fuit quantum mors eius. Decuit ergo , vt in hoc cæremoniali ſigno mors redemptoris notaretur. Nam quemadmodum Iudæi à ſerpentibus percuſſi illum metallinum ſerpentem intuentes perfectam conſequebantur ſanitatem:ita & nos perfectiori modo per mortem Saluatoris ſanamur. Et quoniam Meſſias in cruce mori deſtinauit, ad perfectam expreſſionem ſigni decuit hunc ſerpentem in ligno in altum tolli , & ſicut qui ſerpentem illum metallinum à ſerpentibus percuſſi aſpicerent eleuatum in ſublime , ſanabatur , ita & in toto corde nos compuncti peccatorum veterum pœnitentes ſi ad Meſſiam conuertamur eius doctrinam fide,& opere aſſumentes, omnium peccatorum integram indulgentiam conſequemur. Conueniens fuit igitur ſerpentem iſtum æneum fieri , ad quem omnes percuſſi aſpicerent,& ſanarentur. Et Chriſtus de ſeipſo ſimilitudinem hanc expreſſit,Ioan.3.cap.ſcilicet,ſicut exaltauit Moyſes ſerpentem in deſerto : ita oportet exaltari filium hominis. Et iterum,Ioan.12.capit. Si exaltatus fuero à terra omnia mecum traham , id eſt , ſi fuero poſitus in cruce , traham ad me omnia redimendo. De iſto ſerpente dicendum eſt , quod Iſraelitæ duxerunt eum per omnes manſiones deſerti etiam poſtquam ceſſauerunt ſerpentes , & attulerunt illum trans Iordanem in terra Chanaan. Poſtea tamen , quia valde rudes erant , & virtutis Dei ignari incœperunt errare grauiter circa hunc ſerpentem æſtimantes,quod ab illo ſanitas cauſata fuerit: ideo cum tanquam Deum plurimi coluerunt ei aliquid numinis attribuentes. Manſit autem in populo Iſraelitico ſerpens iſte vſque ad tempora regis Ezechiæ , qui videns multos errare circa illum , confregit eum , & combuſſit,poſuitque in torrentem Cedron. De hoc 4. Regum 18. capit. *Profectique filii Iſrael caſtrametati ſunt in Oboth.* In hoc ſignificatur , quod ſerpentes non perculſerunt Iſraelitas poſtquam venerunt ad manſionem iſtam:nam videtur innui,quod poſt percuſſionem ſerpentem venerunt in Oboth. Non eſt autem iſta manſio poſt illam , quæ habetur ſupra , ſcilicet , poſt montem Hor , quia duæ aliæ ponuntur intermediæ , vt patet infra 33. capit., ſcilicet , Salmona , & Phunon, & in illis videtur , quod fuerint ſerpentes , vel ſaltem in vltima earum, ſcilicet , in Phunon. Nam non fuerunt ſerpentes in monte Hor , quia dicitur ſupra poſt montem Hor , quod cœpit populus dolere,& tædere propter laborem itineris, & tunc miſit Dominus ſerpentes ignitos : ergo videtur,quod aliquanto tempore ambulauerint poſt montem Hor antequam inuenirent ſerpentes : ideo forte ſolum fuerunt in manſione vltima harum,ſcilicet in Phunon,& inde venerunt in Oboth, vbi iam nulli erant ſerpentes. De hoc infra capp.33. *Vnde egreſſi*

D

E

F

Nota, contra Mediolanẽſes, quiſe glorian tur habere ſerpentem Moyſi in Eccleſia ſancti Ambroſii.

fxerunt

A

fixerunt tentoria in Ieabarim. Ista est alia mansio, & est in terra deserti apud terram Edom, & Moabitarum, vt patet infra 33. cap. scilicet de Oboth venerunt in Ieabarim, quæ est in finibus Moabitarum: inter has enim non intercidit aliqua mansio. Sciendum autem, quod istæ mansiones fuerũt postquam Israelitæ introierunt in terram Edom. Nam primo circuierunt terram Edom per latus meridianum ascendentes versus orientem: & tunc serpentes surrexerunt contra eos, & factus est serpens æneus, de quo supra: deinde cum accessissent ad partem orientalem terræ Edom, introierunt per eam declinantes ad latus aquilonare: & transierũt per Elath, & Asiongaber, quæ erant in terra Edom, & hoc est quod dicitur Deuteron. cap. 2. scilicet, sufficit vobis circuire montem istum: ite contra Aquilonem, scilicet, introeundo in terram Edom, quæ erat eis tunc Aquilonaris: cum ipsi mouerentur tunc extra eam per latus Meridianum eius: & ibi fecerunt aliquam de mansionibus supra positis, scilicet, Phunon, vel Oboth, aut vtramque. Cum autem venerunt in Ieabarim, erant extra terram Edom, scilicet, in deserto quodam, quod est apud terram Moab: nam dicitur Deuteron. capit. 2. quod transierunt filios Esau, & venerunt in desertum, quod inducit in terram Moab, scilicet, quod Israelitæ primo transierunt per filios Esau, & postea venerunt in desertum Moab: ergo desertum illud erat extra terram filiorum Esau: sed dicitur infra 33. capit. quod Ieabarim est in finibus Moabitarum: ergo est extra terram Edom. In Hebræo autem scribitur Ieabarim, quod significat foueas transeuntium: quia erat quidam locus infimus inter montes: & per illum erat transitus, ideo vocauerunt eum foueas transeuntium. nec est hic Ieabarim nomen proprium, sed commune compositum. Potest tamen accipi pro nomine proprio, scilicet, quod vocaretur illa terra Ieabarim: & dato quod significet hic foueas transeuntium, non est nomen appellatiuum, quia specialiter ponitur ad significandum illum locum, & non alium. Si enim significaret hic istud nomen foueas transeuntium appellatiue, signaret omnes foueas, & tunc non esset aliquod nomen mansionis determinate, quod falsum est, cum ponatur hic tanquam nomen vnius mansionis. & sic est de multis nominibus propriis locorum, quæ sunt composita de duobus appellatiuis. *In solitudine, quæ respicit Moab contra orientalem plagam.* Id est, ista mansio Ieabarim est in solitudine, scilicet, quod terra illa est deserta, quia erat aliqua pars terræ inter regnũ Moabitarum, & Idumæorum, in qua nullus habitabat: & ista est ab orientali parte terræ Moab, id est, respicit terram Moab existens ad latus eius orientale. Aliqui enim intelligunt per hoc, quod esset Ieabarim intra terram Moabitarum versus Occidentem. Et dicitur respicere cõtra Orientem, quia aliqua pars terræ Moab erat magis orientalis, quã Ieabarim. Sed falsum est, quia erat introitus Iudæorum in terram Moab post Ieabarim, ideo necesse est, quod ipsi introirent per partem Orientalem terræ Moab, vel per Occidentalem, aut per Septentrionem, vel Meridiem: non potest autem intelligi de Occidentali parte, quia illa erat in confinibus terræ Chanaan super Iordanem: & ad ipsum locum peruenerunt Iudæi ad vltimum, cum ibi fuerint duæ mansiones, quæ dicuntur esse in terra Moab, vt patet infra 33. cap. si tamen ipsi ingrederentur per partem Occidentalem, peruenissent ad latus Orientale ad vltimum, sed falsum est.

B *Ieabarim locus est.*

C

Per quẽ latus introierunt in terram Chanaan.

Item non introierunt per latus Meridianum, vel Aquilonare in terram Moab. non per Meridianum, quia tunc oportebat, vt transirent ipsam terram Moab per transuersum, sed non transierunt per eam, sed solum in ciuitate Ar Deut. cap. 2. & ibi erant in confinibus Moabitarum, Madianitarum, & Amorrhæorum. Etiam non poterant introire per latus Aquilonare, quia veniebant de terra Ægypti, quæ erat Meridiana respectu terrarum harum. Solum ergo manet latus Orientale, per quod intrauerint, & dicebatur Ieabarim contra Orientalem plagam terræ Moab, id est, in Oriente eius, & tamen extra terram Moab, ita quod non esset aliqua pars Orientalis tantum in terra Moab, sicut Ieabarim, quæ erat extra. Est tamen occasio errandi, quia dicitur, quod respicit ista solitudo Moab contra Orientalem plagam, quod potest intelligi de Orientali plaga terræ Moab, vel de Orientali istius solitudinis. Primo modo intelligeretur, quod esset Ieabarim ad Orientalem plagam terræ Moab. Secundo modo, quod esset ad Occidentalem plagam eius. *Et inde mouentes venerunt ad torrentem Zareth.* Iste est quidam torrens ante introitum terræ Moab in extremitate solitudinis, in qua erat Ieabarim: & est magis Orientalis, quam Moab, quod patet Deut. cap. 2. vbi dicitur, quod venerunt in torrentem Zareth: & postea sequitur, quod venerint in ciuitatem nomine Ar, quæ erat in introitu terræ Moabitarum. Ista autem mansio non computatur in Catalogo mansionum infra 33. cap. sed post Ieabarim ponitur Dibongad, & illa mansio videtur esse intra terram Amorrhæorum regum, hic autem computantur multa alia loca, quæ non fuerunt mansiones, sed transiuerunt Israelitæ per illa, vt patet infra in litera, & tamen de torrente Zareth satis videtur, quod ibi manserint Iudæi aliquo tempore. quia dicitur Deuter. cap. 1. quod non transierunt Israelitæ torrentem Zareth quousque mortui sunt omnes murmuratores, supra quos lata est sententia supra c. 14. & tunc dicitur, quod surrexerunt Israelitæ, & transierunt torrentem Zareth. *Quem relinquentes castrametati sunt contra Arnon.* Id est, post torrentem Zareth venerunt ad Arnon. est enim Arnon nomen scopuli altissimi diuidentis terram Moab, & duorum regum Amorrhæorum. Alij autem dicũt, quod est ciuitas posita in locis altissimis, in quo nihil differt. Et ab isto scopulo nominatur quidam fluuius Arnon, quia transit ad pedem illius: & sic dicitur hic de torrentibus Arnon: & Deuter. c. 2. atque Iosue 12. & 13. dicitur de Aroer, qui est super ripam torrentis Arnõ. Apud locum istum manserunt Israelitæ, sed non nominatur inf. 33. c. in catalogo mansionum. *Quæ est in deserto, & prominet in finibus Amorrhæi.* Id est, Arnon in deserto est. scil. quia principium terræ Moab, & duorum regum Amorrhæorum est montuosa, & vocatur desertum. Videtur autem ex hac litera, quod Arnon sit nomẽ vrbis, cum dicatur. quæ est in deserto. Si tamen esset nomẽ scopuli, diceretur, qui est in deserto, vel quod Arnon est desertum, & dicitur, quod prominet in finibus Amorrhæi. i. eleuatur in extremitate terræ Amorrhæorum: sed an sit ipsa terra Amorrhæorum, vel Moabitarũ, non patet. Aliquis dicet manifestum esse, quod sit in terra Amorrhæorum, quia dicitur, quod prominet in finibus Amorrhęi, sed nõ sequitur, quia quamquã sit in terra Moab, si tñ sit in extremitatibus eius, dicetur etiã esse in finibus Amorrhæi: quia ista duo regna copulãtur in extremitatibus suis, necesse est ergo, ꝙ illud quod est terminus vnius, sit terminꝰ alterius, quia continua copulãtur ad terminum communem: si fuerit ergo Arnon in copulatione terræ Moab, & Amorrhæorũ, dicitur esse in finibus Amorrhæi, & in finibus Moabitarũ, & sic non patet ex hoc, in qua harum terrarum sit. Sed verisimilius est, quod sit in terra Amorrhæorũ, quia ipsa nominatur hic. *Siquidem Arnon est terminus Moab diuidens Moabitas, & Amorrhæos.* Hic declaratur supra positum. ſquod sit Arnon in finibus Amorrhæi, quia est terminus diuidens Moabitas, & Amorrhæos: sunt n. ista regna coniuncta, quia latus Septentrionale terræ Moab, & latus Meridianũ terræ Amorrhæorum sunt idẽ latus: & est terra Moab magis Meridiana, quã terra Amorrhęorum. ista aũt copulatio est in terra illa, quã acceperunt Amorrhæi de manibus Moabitarum, & olim pertinuerat ad Moabitas: sic patet infra de rege Sehon, qui accepit ciuitatem Esebon à Moabitis, & alias vrbes, de quibus infra. Diuidebatur autem terra Moab à terra Amorrhęorum per torrentẽ transeuntem inter vtramque. & ille vocatur torrens Arnon, quia transit apud scopulos Arnon, vel ciuitatem sic dictam: ideo quando ponitur per se terminus terræ Amorrhæorum, dicitur ab Aroer, qui est supra ripam torrẽtis Arnon, quasi dicat, quod ibi incipit regnum Amorrhęorum, & separatur à Moabitis. extenduntur autem duo latera istorum regnorũ simul, scil. Moab, & Amorrhæorum vsque ad occidentalem plagam: & terminantur ambo in Iordane, vbi incipit in terra Chanaan. Et quando dicitur hic de Amorrhæo, intelligitur de duobus regibus Amorrhæorum solum. scil. de Sehon, & Og, qui habitabant apud terram Moab. Alij autem reges Amorrhæi habitabant in terra Chanaan ad occidentalem partem Iordanis, & isti nihil attinebant ad terram Moabitarum. De istis dicitur Iosue cap. 5. *Vnde dicitur in libro bellorum Domini.* Hoc additur dupliciter. Vno modo ad probationem superioris dicti. Alio modo ad enarrationem cuiusdam facti. Primo modo dicitur hic de torrentibus Arnon: quia positum fuerat, quod Arnon esset terminus diuidens Moabitas

D

Zareth torrẽs.

Arnon nomen scopuli.

E

F

A

&Amorrhæos,hic autem probatur idem ex dicto libri bellorum Domini.scil.scopuli torrentum inclinati sunt,vt requiescerent in Arnon, & recumberent in finibus Moabitarum, & sic ponuntur esse isti scopuli in Amorrhæis,& in Moabitis,& sunt apud torrentem Arnon: ideo coniungẽtur ibi termini Moabitarum,& Amorrhæorum,quod dicebatur supra. & in concordantiam huius videtur adduci litera ista, cum dicatur. Vnde dicitur in libro bellorum. Alio modo ponitur hic ad signandum quandã historiam specialem, quæ Iudæis accidit in finibus Moabitarum, & Amorrhæorum apud Arnon: & litera eam subticet. inducit tamen probationem de libro bellorum. Dicitur autẽ fuisse historia, vt colligitur ex verbis inf.positis,scil.quod cum Iudæi vellent intrare per terminos terræ Amorrhæorũ latuerunt Amorrhæi in scopulis cauernosis, qui erant apud torrentem Arnon in vtraque parte torrentis: erat autem inter scopulos angustia viarum, per quam transituri erant Iudæi. Latuerunt autem Amorrhæi in cauernis scopulorum: vt inde insidiose sagittarent Iudæos, & lapidibus obruerent. Deus autem fecit,quod scopuli illi inclinarentur super torrentem. scil. quod altitudo montis humiliaretur vsque ad planitiẽ: & ibi mortui sunt omnes Amorrhæi latentes in cauernis super torrentem Arnon. Iudæi autem videbant illos exeuntes mortuos,quando aqua educebat eos sub scopulis inclinatis. sic autem transiuerunt Israelitæ ad introeundum in terram Amorrhæorum, & Moabitarum: & tunc introducitur ista litera. scil. quia ista historia non exprimebatur in litera, quia tamen fuit in torrentibus Arnon, allegauit Moyses auctoritatem libri bellorum Domini, in quo primo fuerat scripta historia hæc. Sic fit Iosue cap. 10. nam cum dictum fuisset de Statione Solis, subiungitur testimonium de libro iustorum. s.nonne hoc scriptum in libro iustorum? Stetit itaq; Sol in medio cœli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei. Sic autẽ inducitur testimoniũ 2.Reg.1.

De historia Iudæorũ super torrentem Arnõ.

Nota grande miraculũ pro Iudæis ingratis.

B

Quis sit iste liber bellorum Domini, & quando, & à quo scriptus: & quomodo multi libri sunt, de quibus fit mentio in Scriptura sacra, qui apud nos non inueniuntur.

QVÆSTIO XXIII.

1. Opinio.

QVæret aliquis de isto libro bellorum Domini, quis sit, vel quomodo scriptus sit. Aliqui enim respondent, quod non obligamur dicere librum bellorum, sed narrationem bellorum,quia vbi nos habemus librum, litera Hebraica dicit sefer, quod significat librum, vel narrationem. ideo Iudæi accipiunt pro narratione: & est sensus, quod dicitur in narratione bellorum Domini,id est,quando narrabũtur prælia Domini facta pro Iudæis,etiã narrabitur istud bellũ, quod factum est in torrentibus Arnon:sicut narrabatur bellum factum in mari rubro, & alia bella facta pro Iudæis, quia istud æquiparatur hic bello facto in mari rubro. sed magis proprie accipitur litera secundum Hebræos pro libro,& sic transtulit noster Translator: hoc modo dari oportet aliquem librũ de bellis Domini. Quidam aũt dicunt esse librum hunc volumẽ magnum, quod continebat bella, quæ Deus fecerat ex viris bonis à tempore Abrahæ magis diffuse, quam continetur in libris legis, & istud bellum scriptum erat ibi, sed non reperitur liber iste, sicut nec multi alij, vt liber Enoch iusti, de quo meminit beatus Iudas allegans auctoritatem eius in Canonica sua cap.vnico.nec reperitur liber iustorum,de quo Iosue cap.10. & 2.Reg.cap.1. nec libri Nathan, nec Gad Prophetarum, de quibus 1.Paral. cap. vlt. nec liber Ahiæ Silonitis, & Abdo Prophetarum, de quibus dicitur 2. Paralip. c. 9. nec liber Semeiæ Prophetæ, de quo 2. Paralip. cap.11.nec libri carminum Salomonis,& aliqui alij de naturis rerum, & parabolarum: nam locutus est Salomon tria millia parabolas,& fuerunt carmina eius quinque millia, & disputauit super lignis à cedro, quæ est in Libano vsque ad hyssopum, & egreditur de pariete: & disseruit de iumentis, & volucribus,& reptilibus, & piscibus, vt patet 3.Reg. cap.4. multi quoque alij libri non inueniuntur, de quibus fit mentio in sacra Scriptura. Aliqui autem dicunt, quod iste liber bellorum est liber Numerorum,in quo narrantur gesta ista à Deo pro Hebræis: & tunc dicunt,quod in libro bellorum dicitur, sicut fecit in mari rubro, ita faciet in torrentibus Arnon, &hoc continetur hic. Sed non conuenit, quia iste est modus allegationis, cum dicat hic Moyses: Vnde dicitur in libro bellorum: non tamen allegaret ipse istum librum,quem nunc scribebat: non est enim intelligibile, sed aliquem alium allegaret. Sic enim sæpe fit in sacra Scriptura, vbi Scriptores adduxerunt libros aliquos in testimonium eorum,quæ dicebant.Sed magis dicendum est istum fuisse librum, qui alio nomine vocatur liber iustorum,de quo habetur Iosue cap.10.& 2.Reg.cap.1. est autem iste liber, in quo enarrantur multa gesta temporum futurorum, & quædam recitantur per modum historiæ quamquam nondum facta essent,sicut sæpe fit in Prophetis. Quædam vero per modum præcepti: alia autem per modum annunciationis propheticæ de futuro. Isti tres modi patent in Scriptura. De primo habetur Iosue cap. 10. scil. nonne scriptum est in libro iustorum. Stetit itaq; Sol in medio cœli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei. De secundo modo habetur 2.Reg.c.1.cum dicitur,& præcepit,vt docerent filios Hebræorum arcum,sicut scriptum est in libro iustorum. Considera Israel pro his, qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati.De tertio modo habetur hic. scil.vnde dicitur in libro bellorum Domini: sicut fecit in mari rubro, ita faciet in torrentibus Arnon. De isto libro dicendum est, quod sit valde antiquus, & descriptus antequam scriberentur isti libri Moysi. fuit autem iste liber scriptus per Moysen à principio: reuelauit enim Deus illi notabilissima facta, quæ euentura erant toto tempore status Iudæorum: & ibi scripsit aliqua aliqualiter prophetice,& aliqualiter historice: per illum librũ tamen non poterant plene intelligi ea,quæ futura erant,quia erat nimis ambiguus,cum non determinaret tempora euentuum, necipsos euentus scriberet in particulari, sed sub quibusdam vniuersalitatibus:erat tamen talis liber,vt postquam acciderent ea, quæ ibi narrabantur, cognosceretur quid illa signarent. Similis liber est apud nos Apocalypsis, in quo describuntur notabiliora facta Ecclesiæ,quæ acciderunt à morte Saluatoris vsque ad nunc,& accident vsque ad consummationem sæculi, sed ita obscura sunt,vt vix quidpiam intelligere possimus, potissimum ea, qnæ nondum euenisse creduntur. Iste liber est valde authenticus, alioquin non allegasset eum hic Moyses in probationem eorũ,quæ dicuntur, postea tamen abolitus est: nec Scriptura de eo facit mentionem: non quidem,quod eius auctoritas improbata sit, cum semel, & multoties eum sacra Scriptura approbauerit, vt patet ex dictis sæpe eum allegando, sed abolitus est, quia non habetur, & hoc fuit, quia forte ab antiquo peritissimi Hebræorũ, aut Doctores Catholici in Ecclesia primitiua de eo non curauerint, quia ab hæreticis, vel quibusdam imperitis corruptus fuerat: sicut patet de libro iusti Enoch,in quo plura prophetice prædicta sunt. Vnde Iudas Apostolus in sua Canonica eum allegauit. Hebræi tamen, & periti Doctores nostri antiqui videntes hunc librum hæreticorum mendacio depraua tum, vbi auctoritate libri hæretici sua falsa dogmata miscentes totaliter veritatem, & auctoritatem corruperunt: vnde nunc Ecclesia veritates eius in Canone scripturarum suarum non recipit: nec pariter falsa cogatur confiteri. De hoc August.de ciuitate Dei lib.15.De isto libro declaratum est Exo.17.& Iosue cap.10.*Sicut fecit in mari rubro.* In Hebræo non habetur in mari rubro, sed nominantur duo alia loca. & dicit Aben Ezra,quod in his Dominus pugnauit valde pro Iudæis, & pro patribus eorum, sicut dicitur in libro bellorum Domini,quem nos non habemus. Litera tamen nostra translata est quantum ad partem istam de Chaldæo, quia ibi habetur de mari rubro,& de torrentibus Arnon.Et tunc stat similitudo,quia sicut apud mare rubrum Ægyptij persecuti sunt Hebræos intrantes in mare post illos, & suffocati sunt: atque eduxit eos aqua cum armis suis,& spoliis ad littus,in quo erant Iudæi,vt gauderẽt videntes defecisse hostes,& locupletarentur de spoliis eorum,vt patet Exo.c.14.& 15. ita in torrentibus Arnon factum est,scil.quod Israelitæ transire debebant apud torrentes Arnon, & in scopulis torrentum latebant Amorrhæi volentes sagittare, & lapidibus obruere Iudæos. Inclinauit autem Deus scopulos per torrẽtem aquarum, & mortui sunt ibi Amorrhæi: atque eduxerunt illos aquæ torrentis, vt viderent Iudæi,& lætarentur.*Scopuli torrentum inclinati sunt.* Hic explicatur historia, scil. quod scopuli, qui erant ex vtraq;

2. Opinio.

3. Opinio.

C

D

4. Opinio auctoris.

E

Quare iste liber bellorum Domini, & alij non apparent apud Latinos.

F

parte

A

parte torrentis, inter quos erat via media inclinati sunt ad occidendum Amorrhæos: postea autem eleuati sunt nemine impediente, & transierunt Iudæi per viam angustam, nullo existente ibi de Amorrhæis latentibus. *Vt requiescerent in Arnon, & recumberent in finibus Moabitarum.* Ad idem ista pertinent, quia Arnon, & fines Moabitarum idem sunt, vt patet supra, cum dicatur primo, quod Arnon est in finibus Amorrhæi: & immediate subiungitur, quod Arnon est terminus Moab diuidens Moabitas, & Amorrhæos. Per istum locum transituri erant Iudæi antequam transirent per extremitates Moabitarum, & erat via inter scopulos, in quibus latebant Amorrhæi armati. Ideo Deus inclinauit scopulos, vt transirent Iudæi: non quidem, vt transirent super scopulos iam inclinatos, sed vt morerentur Amorrhæi latentes inter scopulos, & transirent Iudæi redeuntibus scopulis ad pristinum statum: ista tamen verba recumberent, & requiescerent, possunt referri ad duo, sc. ad Iudæos, vel ad scopulos. Primo modo est sensus, quod scopuli inclinati sunt. Et hoc, vt Iudæi recumberent in finibus Moabitarum, & requiescerent in Arnon, scil. quod non poterant transire Iudæi ad figendum castra apud Arnon in finibus Moabitarum, nisi primo transirent inter scopulos: & quia ibi latebant Amorrhæi, qui non permitterent, inclinati sunt scopuli, vt Israelitæ requiescerent in Arnon, & recumberẽt in finibus Moabitarum, quod idem est, scilicet, figendo ibi castra. Alio modo referuntur ista verba ad scopulos, scilicet, quod inclinati sunt, vt requiescerent in Arnon, id est, vt iacerent super torrentem Arnon, quasi dicat, prius erant scopuli erecti: nunc quando inclinati sunt, recubuerunt in finibus Moabitarum, & requieuerunt super Arnon, scilicet, quia humiliata sunt cacumina scopulorum vsque ad planum super aquas torrentis: & ibi iacuerunt tanquam requiescerent. Et hoc erat super Arnon, scilicet, super aquas torrentis Arnon, & super terminos Moabitarum, quod idem est. Vterque sensus conuenit: sed magis iste secundus.

B

Ex eo loco apparuit puteus. Hic ponitur aliud bonum Dei in collatione aquarum, scilicet, quia forte aquæ defecerant, & Deus dedit puteum, de quo biberent. Et potest intelligi dupliciter. Vno modo, quod ex eo loco apparuit puteus, id est, cum essent Iudæi apud scopulos Arnon, qui inclinati sunt, viderunt puteum, quem Deus eis monstrauit. Alio modo potest intelligi, quod de scopulis venerunt Iudæi in alium locum, in quo apparuit puteus, & nunc accipitur ex, pro postquam, & significat ordinem, scilicet, quod post illum locum, vel postquam steterunt in eo, venerunt ad locum, in quo apparuit puteus. Et iste secundus est conuenientior, quia cum essent apud scopulos Iudæi erant apud torrentem Arnon: ideo ibi non indigerent aliquo puteo, sed cum venerunt in alium locum forte defecerunt aquæ, & ibi apparuit puteus.

C

Dicitur autem apparere, quia Iudæi prius non viderant, nec sciebant ibi esse locum putei.

Super quo locutus est Dominus ad Moysen. Litera ista est decurtata. Est autem subintelligendum, quod Israelitis venientibus in locum istum defecerunt aquæ: super quo locutus est Moyses Deo quærens, quid fieri deberet. Respondit autem Deus, quod congregaretur populus, & daret ei aquam: tunc vero apparuit puteus iste. Dicitur tamen, quod de isto puteo locutus est Dominus Moysi, quia subintelligitur, quod primo Moyses consuluerat Dominum, quam Deus loqueretur ei in talibus, & est iste quidam modus abbreuiationis sententiarum, scil. quando ponuntur solum ea, quæ sunt posteriora ex quibus necessario intelliguntur priora.

Aqua miraculose datur Iudæis.

Congrega populum, & dabo ei aquam. Quia populus petierat aquam, & Deus dispossuerat dare eam miraculose; voluit, quod congregaretur totus populus ad vidẽdum miraculum, vt sic laudarent Deum: & tunc iussit, vt percuterent terram baculis suis, tam Moyses, quam principes populi, & tunc exiret aqua, sicut aliàs factum fuerat solo Moyse percutiente lapidem in Horeb in mansione Raphadim Exo. 17. c. & iterum in Cadesbarne, præceden. cap. Nunc autem omnes percusserunt, vt colligitur inf. s. quod principes populi, & Moyses foderunt puteũ istum. *Tunc cecinit Israel carmen istud.* Dederat Deus Iudæis beneficium aquarũ, & pro illo incœperunt gratulari Deo, & gaudere inter se, cantauerunt autem carmen quod sequitur. scil. Ascendat puteus, quem foderunt principes, & parauerunt duces multitudinis in datore legis, & baculis suis. Iste est enim tenor carminis, vt patet immediate ex litera: sic enim concinuerunt Israelitæ Deo pro beneficio apud mare rubrum liberatis ipsis & deletis hostibus dicentes: Cãtemus Domino: gloriose enim magnificatus est, &c. Exo. 15. c. & sic in aliis beneficiis faciebant. Hoc autem non fuit in datione aquarum de petra in Cadesbarne; quia Moyses, & Aaron increpuerunt valde populum vocantes eos incredulos, & rebelles: ideo populus non potuit esse attentus, vt laudaret Dominum pro susceptο beneficio, & quia hoc aliqualiter prouenit ex actu Moysi, & Aaron fuit eis datum in pœnam, quod non introirent in terram Chanaan, vt patet præcedenti cap. *Ascẽdat puteus.* Iste est tenor carminis vsque ad locum illum: *De solitudine Matthana.* Dixerunt autem: Ascendat puteus, quia congregatis Israelitis ex mandatis Dei principes populi, & Moyses percusserunt leuiter terram, & exiuit continuo aqua. ipsi autem congratulantes rogabant, vt illa emanatio aquæ continuaretur, vt satiarentur homines, & iumenta, & dicebant: Ascendat puteus. i. aqua putealis eleuetur. Erat autem ascendere, quia aqua manans de cauernis terræ cũ apparuerit super terræ superficiem videtur ascendere: quia de profundis manat. tamen secundum veritatẽ aqua non ascendit altius quã nascatur. Maxima n. eleuatio aquæ est ad æquilibrationem suæ originis, sed respectu aliquorum locorum ascendit: si n. aquæ origo sit in montis altitudine, quæ per secreta viscera terræ labatur ad valles, postea de vallibus ascendere poterit, vt in alia montis altitudine renascatur. Hoc patet in vasis habẽtibus duo colla, si per vnum infundatur aqua seu vinum ascendet per aliud vsquequo æquilibretur. Hic tamen non erat necesse, quod aqua veniret de alio loco altiori, sed satis proprie dici poterat, quod ascendebat, quia quod aqua solum ascendat ad æquilibrã suæ originis naturale est, hic tamen miraculose actum est, ideo poterat aqua vere ascendere vltra æquilibram suæ originis. *Concinebant.* Istud verbum non est de carmine, sed est interpositum à Moyse, & ordinatur cum litera superiori. scil. *Tunc cecinit Israel carmen istud.* Scil. quod sequitur. *Et concinebant.* Scil. sic. *Ascendat puteus, &c.* Vsque ad partem illam. *De Matthana.*

D

Carminis Iudæorũ expositio.

E

An ista aqua aqua putei fuerit de nouo à Deo creata, vel esset in visceribus terræ.

QVÆSTIO XXIV.

QVæret aliquis de ista aqua, quæ fuit data Iudæis. an primo fuisset in eodem loco naturaliter genita, sed non prorumpebat ad superficiem terræ, vel Deus illam nouiter creauit. Dicet aliquis, quod Deus nouiter creauit istam aquã, quia hic erat operatio miraculosa in dando aquam, cum supra dixerit Deus: congrega populum, & dabo ei aquam: si tamen ista aqua fuisset primo naturaliter genita non videretur esse miraculum, ideo creata est nouiter. Respondendũ est, quod vterque modus stare potest. scil. quod fuit nouiter creata, vel naturaliter prius genita, & tunc nouiter erupit: vtroq; modo tamen est miraculum: si enim dicatur nouiter creata miraculum satis patet. Si vero fuerit genita naturaliter, etiam erit miraculum & beneficium. Miraculum quidem inquantum ista aqua erat in visceribus terræ, sicut aquæ puteales, & non poterat ascendere ad superficiem terræ, quia erat vltra æquilibram suæ originis: Deus autem fecit illam ascendere. Item dato quod Iudæi foderent locum illum ad inueniendas aquas, non haberent eas quousque ascenderent ad profundum, vbi erant meatus aquarum. Nunc autem cum solum percussissent terram leuiter exiuerunt aquæ. Item erat beneficiũ, quia dato quod essent aquæ circa superficiem terræ, & Israelitæ possent eas leuiter educere fodiendo terram, tamen nesciebant locum, in quo erant: Deus autem monstrauit eis locum. Nihil ergo refert an Deus nouiter illas creauerit, vel ibi primo naturaliter genitæ extitissent. *Puteus, quem foderunt principes.* Ista sunt verba carminis. Non est sensus, quia principes foderunt istum puteum, reperirent aquam, quia tunc non fuisset aliquod miraculum, quia supra dicebatur, quod cõgregaretur populus, & Deus daret aquam. ergo miraculum erat, sed est sensus, quod mãdato Dei omnes principes populi cõgregati cum Moyse percusserunt terrã, & tunc exiuit aqua, & patet hoc, quia non poterant baculis suis fodere ad tantam

F

Aliam quæstionem simile de aqua petra quare 20. c. q. 4.

A profunditatem, vt manaret aqua: & tamen etiamsi principes fodissent puteum istum vsq; ad aquam, esset Dei beneficium dando hic aquam, quia ipsi nesciebant, vbi erat aqua. Quod ergo fuit demonstratus locus, beneficium erat. Dicitur autem, quod foderunt principes, quia ipsi maiores multitudinis sumpserunt baculos in manibus ad fodiendum terram, vel leuiter percutiendum.

Et parauerunt duces multitudinis. Ista est replicatio eiusdem sententiæ: quod maxime conuenit in carminibus. Et dicuntur duces multitudinis ipsi, qui sunt principes: quamquam dux pertinet magis ad principatum bellicum. Princeps autem denominat omne genus principatus. Etiam accipitur hic parare, id est, fodere, quia nulla alia apparitio fuit facta hic præterquam leuem percussionem terræ, aut ablationem crustæ superioris, & continue exiuit aqua.

In datore legis, & baculis suis. Id est, principes foderunt puteum istum in datore legis, id est, cum datore legis, scilicet, cum Moyse enim adiuuit eos. Et accipitur hic, in, pro cum. sic habetur Gen. cap. 32. Scilicet. In baculo meo transiui Iordanem, id est, cum baculo. Et dicitur in baculis suis, id est, cum baculis, scil. quod principes percusserunt terram baculis: & exiuit aqua. Dicitur autem de datore legis, id est, de Moyse: non quod ipse legem dederit, sed quod à Deo datam populo annunciauerit. Vel dicitur dari respectu populi, quia ipse eam populo proponebat, nec quisquam hominũ in hoc ei consilium, aut auctoritatem præstabat, velut si à se ipse leges daret: non tamen dabat eas simpliciter. In Hebræo habetur. *In sculptore.* Vbi nos dicimus in datore legis: est enim sculpere per concauationẽ aliquas figuras reddere, vel solum aliquid figurare. Et potest referre ad principes solum, scilicet, quod principes foderunt puteum istum in sculptore, & baculis suis, id est, faciendo aliquam sculpturam cum baculis. Et hoc est, quia baculis terram suam cauabant, & aliqua signa relinquebant, quæ vocantur sculpturæ. Vel potest referri ad Moysen, quia erat sculptor, id est, scriptor legis, scilicet, quia attulit tabulas legis sculptas ex vtraque parte, vbi patet Exo. 32. vel sculptor, id est, scriptor, quia legem scribebat in membranis. Reliquit enim ipse istos quinque libros scriptos, qui vocantur Pentateuchus: & scripsit Deuteron. quem posuit in latere arcæ, vt patet Deuteron. 31. capitu. & istam sensum secuta est litera nostra, dicens: Legis datorem, pro sculptore. Et tunc intelligitur, quod principes populi cum legis datore, id est, cum Moyse foderunt puteum istum. Et tunc intelligetur adhuc dupliciter. Vno modo, quod principes cum Moyse foderunt puteum, scilicet quod tam Moyses quam principes tenuerunt baculos in manibus ad fodiẽdum. Alio modo, quod principes foderunt in legis datore, scilicet quod principes soli tenuerunt baculos, & Legislator iussit eis, vt foderent. *De solitudine Matthana.* Hic ponuntur aliqua loca, per quæ transierunt Israelitæ, & non sunt posita in mansionibus, quæ habentur infra 33. cap. quia forte non manserunt Iudæi in illis, sed transierunt per illa, & non sunt ista aliqua loca, per quæ transiuissent Israelitæ antequam peruenirent ad scopulos Arnon, sed postea transierunt per ea, quia tamen immediate ponuntur historiæ bellorum contra duos reges Amorrhæorum, per quorum terram factæ sunt istæ mansiones, quæ ponuntur hic, descriptæ fuerunt hic, & patet hoc, quia vltima harum est Bamoth. Et ista est quasi in extremitate terræ duorum regum Amorrhæorum apud montem Phasga, vt patet in litera. Et tamen mons iste est in extremitate terræ horum regum apud mare salsissimum, & Iordanem, vt patet Deut. cap. 3. & ibi est extremitas occidentalis terræ istorum duorum regum Amorrhæorum. Dicendum autem de istis mansionibus, quæ ponuntur hic: quod quamquam non sint penitus eædem cum illis, quæ habentur 33. cap. tamen satis est verisimile aliquam harum coincidere cum aliqua de illis: nam hic ponuntur mansiones de torrente Arnon vsque ad montem Phasga, & ponuntur tres, scil. Matthana, Nahaliel, Bamoth: & infra 33. c. ponuntur aliæ tres, scil. Dibongab, Elmonteblathaim, & montes Abarim. Non est ergo irrationabile, quod isti aliquo modo coincidant, licet habent diuersa nomina, quia sic frequenter accidit in aliis nominibus locorum, & personarum, & magis est ista turbatio in Latino, quam in Hebræo, quia cum quælibet res possit nominari proprio nomine, & nomine communi cum quibusdam determinationibus, vt Tolletum potest nominari Tolletum, & ciuitas fortissima: & per vtrumque notificatur idem: nomina autem appellatiua composita locorum transtulit Hieronymus apud nos, sicut erant in Hebræo, & nomina propria, vt erant ibidem. Apud nos igitur, qui in Hebraicum non distinguimus, videntur nomen proprium, & nomen appellatiuum eiusdem loci esse duo nomina propria, ideo putamus esse duo loca: accidit autem alia diuersitas, quia infra 33. capit. solum nominantur loca mansionum: hic autem, & alibi contingit non solum computari mansiones, sed etiam loca, per quæ transibant Iudæi, quamquam non figerent ibi castra. *De solitudine Matthana.* Aliqui putant esse vnum locum, scilicet, quod sit aliqua solitudo, quæ vocetur Matthana. Sed non stat, quia tunc veniretur de solitudine Matthana in Nahaliel, sed hic ponuntur tanquam diuersa, quia venitur de solitudine in Matthana, & de Matthana in Nahaliel: ideo est ibi Matthana accusatiuus, & non ablatiuus. Ista autem solitudo, de qua dicitur hic, est in terra Idumæorum, & Moabitarum antequam peruenirẽt Iudæi in Arnon: & cum transierunt illam, venerunt in Matthana, quæ debet poni intra terram Amorrhæorum, & etiam Nahaliel. *De Nahaliel in Bamoth.* Ista ponitur hic tanquam mansio, & satis coincidit cum illa, quæ vocatur mansio apud montem Abarim, vt patet infra 33. cap. quia Bamoth est apud montem Abarim circa radices Phasga, vt patet hic: & non accipitur hic Bamoth pro aliqua ciuitate, sicut accipitur Iosue capit. 13 in sorte Ruben, vbi dicitur: Bamoth Baal. sed significat quandam vallem, vt patet hic: satis tamen posset dici, quod ista vallis sit apud ciuitatem illam, cum vtrumque videatur esse propinquum monti Abarim. *Bamoth vallu est in regione Moab.* Determinatur hic de ista mansione quid sit: & dicit esse Bamoth nomen vallis, & esse in terra Moab. Non est tamen intelligendum, quod Israelitæ cum essent in Bamoth erant in terra Moab, quia nunquam introierunt in terram illam, nisi à principio cum transierunt per ciuitatem nomine Ar, antequam introierint in terram regum Amorrhæorum, sed postquam illuc venerunt, semper transierunt per terram istam vsque ad terram Chanaan, vt colligitur Deuter. cap. 2. & tamen quando erant Israelitæ in Bamoth, iam erant in fine terræ regum Amorrhæorum, quia erant apud montem Abarim, & ibi fuit vltima mansio, atque mortuus est Moyses. Sed dicitur hic terra Moab dupliciter, scilicet, quia ista terra olim pertinuerat ad Moab, quamquam nunc esset in potestate regum Amorrhæorum, quia Sehon rex Esebon cœpit magnam partem regni Moab, vt patet infra, & semper mansit nomen terræ illi, quod vocaretur terra Moab. Alio modo potest dici terra Moab, quia mons Abarim diuidebat terram Moabitarum, & Amorrhæorum: ideo erat communis vtrique terræ. & sic licet pars illa, quæ declinabat versus terram Amorrhæorum, pertineret ad illos, tamen poterat vocari terra Moab. *In vertice Phasga, quod respicit contra desertum.* Ponitur situs istius loci, scilicet, quod esset in vertice Phasga: est enim Phasga nomen appellatiuum, & significat collem, vel montem: littera autem nostra accepit illud tanquam nomen proprium: & hoc rationabilius est, quia hic ponitur tanquam locus determinatus: si tamen esset nomen appellatiuum, non significaret aliquid determinatũ. Et dicitur: In vertice Phasga, id est, in altitudine illius montis, nõ quidem quod esset ista vallis in vertice Phasga, quia super maximam altitudinem montis non potest esse vallis: maxime, quia Hebræi venientes per terram Amorrhæorũ nunquam ascenderunt in verticem Phasga, sed apud montes illos manserũt: ideo dicetur, quod Bamoth est in vertice Phasga. i. apud verticem: si tñ aliquis contendat, quod sit Bamoth super verticem Phasga non est multũ insistendum. *Quod respicit desertũ.* Hoc intelligitur de Phasga, scil. quod respiciat desertũ, quod est extra terrã Moab ad partem orientalem, per quã transierunt Israelitæ antequã introirent in terram Moab, & Amorrhæorum. Dicitur autem respicere partem illam, quia est inclinata vallis magis contra partem illam, quã contra aliquam aliam. Non ponuntur autem hic plures mansiones, quia hic finitæ sunt omnes. scil. apud montem Abarim, vt patet inf. 33. c. quamquam ibi ponuntur magis determinate quam hic.

Misit autem Israel nuncios ad Sehon regem Amorrhæorum, dicens: Obsecro, vt transire mihi liceat per terram tuam:

B C D E F

Matthana.

Bãoth quis locus sit.

Phasga quid significet.

Multa mansiones Israelitarum.

Legatio Israel ad Sehon

A *rege Amorrhæorum Supra 20. Deut. 2. c. 1. Macha. 2. Sehon percutitur ab Israel.*

ram tuam: non declinabimus in agros, & vineas, non bibemus aquas ex puteis, via regia gradiemur, donec transeamus terminos tuos. Qui concedere noluit, vt transiret Israel per fines suos: quin potius exercitu congregato egressus est obuiam in desertum, & venit in Iasa, pugnauitque contra eum. A quo percussus est in ore gladij, & possessa est terra eius ab Arnon vsque in Ieboc, & filios Ammon, quia forti præsidio tenebantur termini Ammonitarum. Tulit ergo Israel omnes ciuitates eius, & habitauit in vrbibus Amorrhæi, in Esebon, scil. & viculis eius. Vrbs Esebon fuit Sehon regis Amorrhæi, qui pugnauit contra regem Moab, & tulit omnem terram, quæ ditionis illius fuerat vsque Arnon. Idcirco dicitur in prouerbio: Venite in Esebon, ædificetur, & construatur ciuitas Sehon. Ignis egressus est de Esebon, flamma de oppido Sehõ, & deuorauit Ar Moabitarum, & habitatores excelsorũ Arnon. Væ tibi Moab, periisti populo Chamos. Dedi filios eius in fugam, & filias in captiuitatem regi Amorrhæorum Sehon. Iugum ipsorum disperiit ab Esebon vsque Dibon, lassi peruenerunt in Nophe, & vsque Medaba. Habitauit itaque Israel in terra Amorrhæi.

B *Misit autem Israel.* Hic ponitur bellum contra reges Amorrhæorum: & diuiditur in duo, quia primo pugnatur contra Sehon. Secundo contra Og. ibi.

Bellum contra Reges Amorrhæorũ.

Misit Moyses. Circa primum. *Misit Israel nuncios.* Non continuatur hoc cum præcedentibus. scil. quod postquam Israelitæ venerunt in Bamoth, miserunt nuncios ad regem Sehon, quia cum steterunt in Bamoth, iam deleuerant duos reges Amorrhæos, & erant in extremitate terræ eorum circa Iordanem, sed ab ipso positæ sunt mansiones, vt hic per se describerentur bella. Miserunt autem Israelitæ nuncios ad Sehon, quia erant in extremitate regni ipsius, scil. in Arnon, & iam transierant per terram Idumæorum, & per partem terræ Moabitarum, vt patet Deuteronom. cap. 2. petebant autem ab hoc, vt similiter concederet eis transitum per terram suam, quousque venirent in terram Chanaan. In quo sciendum est, quod ista terra, quam possidebant isti duo reges Amorrhæi, non erat de terra Chanann, quia terra Chanaan incipit à Iordane procedendo ad occidentẽ, vt patet infra 34. cap. ista autem est ante Iordanem, ideo Israelitę dicebant specialiter esse terram suam terram Chanaan. Isti tamen reges erant de genere Chananæorum, & terra eorum fuerat promissa Israelitis, scilicet terra Raphaim, vt patet Gen. cap. 15. & tamen erat in regno Og regis Basan, vt magis declaratum est Iosue 14. cap. & sic potuerunt Israelitæ accipere terram istam in possessionem, quia promissa erat eis, alioquin nunquam accepissent. Quod igitur miserint Israelitæ nuncios ad regem Sehon, fuit quidam modus coloratus, vt haberent occasionem pugnandi contra ipsum, cum ipse non concederet trãsitum: tamen quomodocunque Deus erat daturus Israelitis terram illam, ideo indurauit cor regis Sehon, vt non concederet illis transitum, & vt pugnaret contra illos. Et patet hoc, quia antequam mitterent Israelitę nuncios, dixit Deus Moysi: ecce ego tradidi regem Sehon, & terram eius in manu tua: Incipe possidere, & committe aduersus eum prælium. Et postea iussum est, quod mitterentur nuncij: & subiungitur, quod rex Sehon noluit acquiescere, quia Dominus indurauerat cor eius, vt traderetur in manus Israel. Deuteron. capit. 2. non fuerat autem sic factum de Idumæis, & Moabitis: nam ad eos miserunt Israelitæ nuncios, vt permitterent trãsitum per terram suam, & repugnauerunt primo Idumæi præcedenti capit. immo occurrerunt armati Israelitis, sed non pugnauerunt contra eos Israelitæ recedentes ab eis, postea vero concesserunt introitum. Sic etiam factum est cum Moabitis. Nam à principio non concesserunt introitum, vt patet Deuteron. capit. 23. & tamen Israelitæ non pugnauerunt contra eos; immo quamquam ipsi conduxissent Balaam maleficum ad maledicendum Israelitis, & decepissent eos ducentes ad sacrificia per virgines positas apud castra Hebræorum, vt patet infra 25. capit. tamen nunquam contra eos pugnauerunt. Contra Amorrhæos autem iussit Deus, vt disponerentur ad pugnam etiam prius quam aliquid facerent

Terra Sehon an esset de terra Chanaan, & de situ eius.

C

Amorrhæi: ideo hoc solum erat, quia Deus volebat tradere terram istam in manus Hebræorum, & non volebat tradere terram Moabitarum, nec Idumæorum, ideo indurauit Deus cor regis Sehon, vt non concederet transitum per terram suam, & sic Iudæi possent pugnare contra eum: & tamen dato, quod concessisset transitum, aliquis alius modus fuisset ad pugnandum contra eum. *Ad Sehon regem Amorrhæorum.* vocabatur rex Amorrhæorum, quasi esset rex omnium Amorrhæorum, quia etiam rex Og erat Amorrhæorum, vt patet Deuteron. capit. 3. etiam præter istos dominos erant alij reges Amorrhæi: nam quidam de regibus Amorrhæis habitabant ad partem orientalem Iordanis, scilicet, isti duo: alij vero ad occidentalem, quod patet Iosue cap. 5. cum dicitur: Postquam audierunt omnes reges Amorrhæorum, qui habitabant trans Iordanem ad occidentalem plagam: sed vocatur iste rex Amorrhæorum ad differentiam regum supra positorum, scilicet regis Edom, & regis Moab, de quorum terris supra dictum est. Etiam exprimitur, quod esset iste de regibus Amorrhæis, ad significandum quomodo liceret Iudæis pugnare contra eum, quia erat Amorrhæus, & Deus promiserat illis terram septem populorum, de quibus erat vnus Amorrhæus.

D

An rex Og, & Sehon receperint tributa à Chananæis, ne permitterent Iudæos introire in terram eorum.

E

QVÆSTIO XXV.

DE isto rege, & de rege Og dicunt Iudæi, quod Chananæi, qui erant vltra Iordanem, sciebant, quod venirent Israel ad expellendum eos de terra sua, quia audierant illis esse promissam: sciebant etiam quomodo proficiscebantur per solitudinem contra eos: ideo regi Sehon, & regi Og, qui erãt fortissimi reges tributa annua persoluebant, vt non permitterent Israelitas intrare in terram eorum, & ob hoc isti egressi sunt armati contra Israelitas. Sed hoc nihil est, quia via Israelitarum ad introeundum in terram Chanaan non erat per terram Amorrhæorum, sed per terram Idumæorum, vel Amalechitarũ. Quod patet, quia Israelitæ venerunt in Cadesbarne petentes transitũ à rege Idumæorum, & quia non permisit, coacti sunt circuire montem Seir magno tempore, vt patet præced. cap. & tunc venerunt ad terrã Amorrhæorum. Etiã non erat magis introitus dispositus per terram Amorrhæorum, quã per terram Moabitarum, vel Ammonitarũ. Fecit tñ Deus, quod transirent per terrã Amorrhæorum, vt pugnarent contra illos: nõ possent ergo scire Chananæi, quod Israelitæ transituri erant per terram istorum Amorrhæorum. *Obsecro, vt transire mihi liceat per terram tuam.* Hic narratur breuiter istud factum: magis autem exponitur Deut. c. 2. vbi ponuntur aliæ suasiones in petitione ista. Et non dicitur hic, de quo loco missi sunt isti nuncij: sed Deut. c. 2. dicitur, quod missi sunt de solitudine Cademoth. Et videtur illa esse, quæ vocatur, scil. solitudo ante Matthana: nam in torrente Arnon erant, quando missi sunt nuncij, vt patet eodem cap. Surgite & transite torrentem Arnon: ecce tradidi in manu tua regem Sehon. Ponuntur autem hic verba obsecrationis, quia licet Israelitæ intenderẽt pugnare contra regem Sehon: vt tamen haberent maiorem colorem pugnandi petierunt introitum verbis pacificis. *Nõ declinabimus in agros, nec in vineas.* Apposuerunt hoc Israelitæ, quia posset respondere rex Sehon, quod si permitterent eis introitũ, lædetur valde terra sua transeuntibus Israelitis per agros, & vineas: erat enim magna multitudo exercitus, & pecorum atq; iumentorum, ita vt difficile esset omnes transire per viã: ideo ipsi primo excluserunt in petitione sua hanc excusationẽ dicentes: Non transibimus per agros, nec per vineas. Agri autem vocantur specialiter terræ cultæ. *Non bibemus aquas ex puteis.* Dixerunt hoc Israelitæ, quia terra illa est deficiens aquis, ideo erant congregatæ aquæ in cisternis per agros ad necessitatem hominum, & iumentorum: si autem transirent Israelitæ per terram Sehon, possent bibere de aquis illis ad libitum suum, in quo læderentur Amorrhæi: ideo subditur. Nõ bibemus aquas de puteis, & dixerunt specialiter de puteis, id est, de cisternis, quia si essent aliquæ aquæ fontales, vel fluuiales de illis biberẽt, cum in hoc nihil damnificarẽtur Amorrhæi, sicut si biberent de aquis cisternarũ, quia cum ibi non sit aqua manãs cito consumeretur.

F

A Non est etiam intelligendum: quod Israelitæ dicerent se non bibituros de aquis puteorum in terra Amorrhæorum, quia tunc forte nihil haberent ad bibendum, cum terra illa nimis sit deficiens aquis: sed intelligebant, Non bibemus aquas de puteis, id est, non bibemus te nolente, vel non bibemus, nisi data pecunia. Et hoc patet Deuter. capit. 2. vbi ponitur eadem petitio, scilicet, alimenta pretio vende nobis, quibus vescamur, & aquam pretio tribue, & sic bibemus: tantum est, vt nobis concedas transitum. *Via regia gradiemur.* Hoc refertur ad supra posita, scilicet, quod non declinarent in agros, nec vineas, nec facerent noua itinera etiam per aliquas solitudines, vel loca inculta: sicut dicitur. Via regia transiemus. est enim via regia publica, & consueta ab omnibus. & sic dicitur Deuter. cap. 2. publica gradiemur via, non declinabimus, nec ad dextram, nec ad sinistram. *Donec transeamus terminos tuos.* Quasi dicat, in terra tua nihil damnificabimus: cum autem transierimus illam erimus in terminis hostium nostrorum, & tunc poterimus hostiliter agere. Deuter. cap. 2. habentur plura in hac petitione, scilicet, sicut fecerunt filij Esau, qui habitabant in Seir, & Moabitæ, qui morantur in Ar. Hoc autem posuerunt ad facilius suadendum, vt non æstimaret Sehon se esse primum, qui transitum concederet, quia alij reges, & populi concesserant iam, scil. Idumæi, & Moabitæ: & sic in ipsis nulla damna secuta fuerant ex transitu Israelitarum, ita nec sequerentur in terra Sehon. Poterant autem ista manifesta esse regi Sehon, quia terra Moabitarum coniuncta est terræ eius, ideo terra ipsius habebat magnam partem de terra Moabitarum: etiam terra Idumæorum non multum distat à terra Sehon: ideo cognoscere poterat, an aliqua damna intulissent in eis Iudæi transeuntes. *Qui concedere noluit, vt transiret Israel per fines suos.* Id est, quamquam Israelitæ conati fuerint suadere regi Sehon nequaquam assensit eis, sed magis exiuit armatus obuiam illis. Hic non ponitur causa quare rex Sehon non concesserit transitum, sed Deuter. cap. 2. dicitur: Noluit rex Sehon dare nobis transitum, quia indurauerat Dominus spiritum eius, & obfirmauerat cor illius, vt traderetur in manus tuas: sic enim à principio factū est de rege Idumæorum: indurauit enim cor illius, vt non permitteret transire Israelitas per Cadesbarne, sed occurrit eis armatus, vt patet præcedenti capit. postea tamen permisit eis transire per extremitatem regni sui ad partem orientalem, scil. per Elath, & Asiongaber, vt patet Deuter. cap. 2. & hoc fuit, vt cogerentur Israelitæ post transitum Idumæorum venire in terram Amorrhæorum, & pugnare contra eos, quod non fuisset si permissus esset transitus per Cadesbarne. *Quin potius exercitu congregato.* Cum enim petierunt Israelitæ transitum, & noluit concedere rex Sehon, existimauit, quod ipsi vellent vendicare sibi transitum pugnantes contra eum, ideo ipse prius se disposuit ad bellum.

B

Egressus est obuiam in desertum. Id est, venit contra Iudæos in desertum ad pugnandum. Non est istud desertum, per quod ambulauerunt Israelitæ antequam venirēt in terram Moab, & est medium inter terram Moab, & Edom, de quo patet supra, quia iam transierant istud desertum, & introierant in terram Moab: nam quando petierunt transitum à rege Edom, iam transierant per terram Moab, vt patet Deuteron. capit. 2. scil. tantum est, vt nobis concedas transitum, sicut fecerunt filij Esau, qui habitant in Seir, & Moabitæ, qui morantur in Ar: sed erant iam Israelitæ in terra Sehon, & ipse habet quandam partem, quæ vocatur desertum contra Orientem terræ ipsius, quia non est bene populata, quod patet, quia venit pugnaturus in Basa: tamen iste locus est in terra sua, vt infra dicetur, sed dicitur, quod venit in desertum: ergo istud desertum erat in terra sua. Pro quo est intelligendum, quod quando Israelitæ miserunt nuncios ad regem Sehon, erant in extremitate regni sui apud torrentem Arnon. Redeuntibus autem nunciis, cum rex Sehon nollet concedere transitum, introierunt in terram eius, & perambulauerunt aliquam particulam, priusquam ipse occurreret eis armatus, ideo ipse occurrit eis in terra deserti, quæ erat in regno suo. Et hoc colligitur Deuteron. cap. 2. scil. Surgite, & transite torrentem Arnon: ecce tradidi in manu tua regem Sehon. *Et venit in Iasa contra eum.* Id est, Sehon venit apud vrbem quandam in desertum, quæ vocatur Iasa: & ibi pugnauit contra eum, id est, contra Israel.

C

Sed dicetur contra, quia Deuteron. capit. 2. dicitur, quod exiuit in prælium Sehon contra Israelitas in Iessa. Respondendum est, quod ista sunt nomina eiusdem loci. nam frequenter vnus locus plura nomina habet, sicut Ierusalem vocatur Iebus, & Ierusalem, & Hebron vocatur Cariatharbe, Hebron, & Mambre. Iste autem locus est in regno Sehon, & postea fuit datus filiis Ruben in sortem, vt patet Iosue cap. 13. vbi ponitur Iessa. *A quo percussus est in ore gladij.* Id est, rex Sehon pugnauit contra Israel, & occisus est ipse cum toto populo suo ab Israel, & hoc in ore gladij, id est, more bellico, vbi omnis deletio dicitur esse facta per gladium, quomodocunque fiat, etiamsi sint ibi alia genera armorum. De isto rege dicunt Israelitæ, quod occiderit eum Moyses per seipsum, quia litera videtur dicere interdum, quod ipse Moyses hoc fecerit. Sed nihil refert, quia ea, quæ conueniunt toti populo, interdum attribuuntur ducibus belli. *Et possessa est terra eius ab Arnon vsque Ieboc.* Id est, deleuerunt Israelitæ totum populum regis Sehon: & possederunt loca illius. In quo appareret, quod ista terra erat promissa Israelitis. alioquin non accepissent eum ad possidendum, quamquam pugnauissent contra populum istum. Sic factum est in terra Chananæi regis Arad: nam destruxerunt totum populum eius Israelitæ, sed non occupauerunt loca: quin potius posuerunt anathema vocantes nomen loci horma, vt patet supra in litera. Hanc autem terram possederunt, & Deus eis hoc iussit, vt patet Deuteron. capit. 2. ergo permissa erat illis. Ponuntur autem hic termini terræ Sehon. scil. ab Arnon vsque Ieboc: isti duo termini sunt maxime distantes in terra regis Sehon, & est vnus orientalis, alius vero septentrionalis. Nam Arnon erat in parte orientali terræ Sehon, & per istam partem introierunt Israelitæ: ideo quandocunque describitur oriens terræ huius dicitur, Ab Aroer, quæ est sita super ripam torrentis Arnon, vt patet Deuteron. cap. 2. & Iosue 13. Ieboc autem est in parte septentrionali iuxta terram Ammonitarum, & est etiam circa latus occidentis. Nam dicitur esse Ieboc distans quasi duobus milliariis à flumine Iordanis, apud quem luctatus est Iacob cum Angelo: & ob hoc mutatum est nomen torrentis, cum deberet dici torrens Iaboc, vocatus est Ieboc. De hoc patet Gen. 32. cap. & tamen ibi erat Iaboc coniunctus Iordani, vt satis colligitur ex litera. Terminus autem occidentalis terræ istius regis erat Iordanis, & ibi incipit terra Chanaan: ideo Iosue c. 13. vbi describuntur possessiones Ruben, & Gad in terra duorum regum Amorrhæorum, ponitur in possessione Ruben Arnon tanquam terminus orientalis, & Iordanis terminus occidentalis: terra tamen Chanaan, in qua habitauerunt duæ tribus, & dimidia habet ab oriente Iordanem, vt patet inf. 34. cap. terminus autem terræ Sehon à parte meridiana à terra Moabitarum: extenduntur enim simul istæ duę terræ ab oriente in occidentem: ambæ enim incipiunt in torrente Arnon ab oriente, & ambæ terminantur in Iordane ab occidente: totum autem latus meridianum terræ Sehon est coniunctum lateri aquilonari terræ Moab: in latere autē septentrionali sunt Ammonitæ: & apud istos est torrēs Ieboc, vt colligitur Deut. c. 2. poterat autem ponere hic litera alios terminos terræ huius, sed voluit ponere eos, qui magis distabant, scil. ab angulo orientis in angulum septentrionis apud occidentem, sicut si aliquis describat quadratum maxima linea, est diameter, quia prouenit ab angulo in angulum: lineę autem costarum sunt minores: ideo si duceretur in regione Sehon linea ab oriente in occidentem, minor esset, quam illa, quę ducitur ab angulo oriētis apud latus meridianum ad angulum occidentis apud latus septentrionale. Sed dicetur contra, quia Deut. c. 2. ponuntur alij termini terrę huius, sc. quod Israelitæ cœperunt ab Aroer, vsq; ad terram Galaad. Respondendum est, quod ista terra habet multos terminos, ideo poterant multipliciter designari limites eius. scil. ab oriente in occidentem, vel à meridie in septentrionem, aut ab angulo in angulum, vel quomodocunq; transuersaliter. Hic autē positi sunt termini ab angulo in angulum, vt supra dictum est, sed adhuc termini, qui ponuntur Deut. c. 2. non differunt ab istis, quia sicut hic ponitur Arnon, ita & ibi, cum dicatur: cœpimus ab Aroer, quæ sita est super ripam torrentis Arnon: ergo ab ipso torrente Arnon sumitur limes. etiam non differt terminus secundus. scil. quia dicitur hic vsque ad torrentem Ieboc. & Deuter. cap. 2. dicitur: Vsque Galaad: nam torrens

D *Rex Sehon an venerit contra Israelitas in Iasa.*

Rex Sehon occisus à Moyse.

De torrente Ieboc, & Arnon, & quomodo sunt tanquā duo termini maxime distantes in terra duorū regum. Ieboc est torrens, q deberet dici Iaboc.

E

F

Dubitatio.

Responsio. Terra Sehon habet multos terminos.

A Ieboch est apud montem Galaad: est n. mons Galaad in latere septentrionali terræ Sehon: vnde medietas montis pertinet ad regem Sehon, & medietas ad regem Og. Deuter. c. 2. & Iosue 12. ideo non differunt istæ assignationes terminorum. *Et filios Ammon.* Id est, etiam terra Sehon accepta est vsque ad filios Ammon: sunt enim Ammonitæ in latere septentrionali regni Sehon, sicut Moabitæ in latere australi: totam autem terram mediam Amorrhæorum acceperunt Israelitæ. De Moabitis autem, & Ammonitis nihil sumpserunt, sed accesserunt vsque ad terminos eorum. Potest tamen aliquis istam literam dupliciter intelligere. Vno modo, quod referatur ad præpositionem superiorem. scil. quod acceperunt Israelitæ vsque ad torrentem Ieboc, & filios Ammon, id est, & vsq; ad filios Ammon, & tunc ponuntur ipsi, vt terminus. Alio modo potest referri ad verbum supra positum. scil. possederunt, vel ceperunt: & erit sensus, quod ceperunt totam terram regis Sehon à torrente Arnon vsque ad torrentem Ieboc, & filios Ammon, id est, etiam ceperunt filios Ammon. Sed iste sensus secundus non stat, quia Deut. c. 2. dicitur: Non fuit vicus, & ciuitas, quæ nostras effugeret manus absq; terra filiorum Ammon, ad quam non accessimus. Item satis apparet ex hac litera, quia dicitur: Quia forti præsidio tenebantur termini Ammonitarũ. Sed ista clausula est redditiua rationis quantum ad hoc, quod non potuerint Israelitę accipere terrã Ammonitarum: ergo non acceperunt eam, & sic intelligeretur primo modo, scil. quod acceperunt terram omnem vsque ad torrentem Ieboc, & vsque ad filios Ammon.

B Sed arguetur, quod Israelitę ceperint aliquid de terra Ammonitarum, quia Iosue 13. c. dicitur, quod ceperunt filij Gad possessionem terræ Galaad, & mediam partem terræ filiorum Ammon.

An Israelitæ acceperunt aliquid de terra Moabitarũ & Ammonitarum, quam possidebant.

Respondendum est, quod non ceperunt Israelitæ aliquid de terra Ammonitarum, quia Deus vetuerat hoc Deut. cap. 2. dicens, quod non pugnarent contra Moabitas, nec Ammonitas, nec Idumæos, & non pugnauerunt, sed acceperunt filij Gad mediam partem terræ Ammon, quia rex Sehon erat potens, & acceperat magnam partem de regni confinibus: nam contra Moabitas pugnauit, & accepit ab eis magnam partem terræ, scilicet, vrbem Esebon, & alias, de quibus infra: sic etiam pugnauit contra Ammonitas, quia terra Ammon est coniuncta terræ regis Sehon in latere septentrionali, & fecit eis, sicut fecerat Moabitis: & postea autem terra ista capta de manu Ammonitarum, diuisa fuit in duas medietates, quarum vna data est filiis Ruben, & alia filiis Gad, quia ipsi Israelitæ non ceperunt terram istam de manu Ammonitarum, sed de manu Amorrhæorum, qui possederant eam magno tempore: ideo nunquam postea restituerunt eam Ammonitis. Sic etiam fuit de terra Moabitarum, quia quamquam acceperunt eam de manu regis Sehon, & postea petiuerunt illam Moabitæ, & pugnauerunt contra Israel pro ipsa tempore Iephte Galaaditis, vt patet Iudicum 11. capit. tamen nunquam fuit reddita: hic autem accipitur terra filiorum

C Ammon pro illa, quæ non erat capta, quando Israelitæ introierunt in terram Amorrhæorum: & de illa nihil ipsi cœperunt, cum nunquam pugnauerint contra Ammonitas. *Quia forti præsidio tenebantur termini Ammonitarum.* Id est, non acceperunt aliquid Israelitæ de terra Ammonitarum, sed solum accesserunt vsque ad ipsam, quia erat terminus eorum inexpugnabilis eo, quod essent vrbes eorum munitissimę, & in montibus positæ, vt patet Deuter. cap. 2. scilicet, absque terra filiorum Ammon, ad quam non accessimus, & cunctis, quæ adiacent torrenti Ieboc, & vrbibus Montanis. Alio modo potest intelligi forte præsidium pro ipsa Dei prohibitione, scilicet, quia Deus vetuerat Israelitas accedere ad terram Ammonitarum: & dato, quod terra illa non haberet aliquod præsidium hoc sufficiebat ad hoc, quod nunquam caperetur, & hoc erat fortius, quam si esset valde munita: nam aliàs poterant capere illam Iudæi: nunc autem non: & iste sensus videtur rationabilior quam præcedens, quia Israelitæ non tentauerant pugnare contra Ammonitas, nec eligerant vnquam pugnare: ideo nihil attinebat dicere, quod non acceperunt terram Ammonitarum, quia forti præsidio tenebantur termini Ammonitarum, quia hoc est pro illo, qui pugnare incœpit, & non præualuit propter locorum fortitudinem, vel saltem pro illo, qui pugnaturus fuisset, & tamen locorum præsidia exterruerunt eum ad pugnandum: Israelitæ autem non erant pugnaturi contra Ammonitas, etiamsi terra eorum nulla haberet præsidia, quia Deus pugnare vetuerat: non debet ergo assignari pro causa, sed in alio sensu quasi metaphorico, scilicet, quod tenebãtur termini Ammonitarum forti præsidio, scilicet diuina prohibitione de pugnando. D

Tulit ergo Israel omnes ciuitates eius. Id est, quando pugnauerunt, & occiderunt regem Sehon cum populo suo, acceperunt omnia loca regni eius, quia rari erant, qui eam tuerentur, & alia viribus confracta sunt. *Et habitauit in vrbibus Amorrhæi.* Id est, habitauit Israel in terra Sehon regis Amorrhæi: nõ quidem, quod totus Israel ibi habitauerit, sed quod postea data sunt omnia loca ista duabus tribubus, & dimidiæ, scil. Gad, & Ruben, & dimidiæ tribui Manasse. In regno tamen Sehon solum accepit sortem Ruben, quasi pro maiori parte regni. Gad autem accepit quandã partem regni Sehon, & quandam partem regni Og: reliquum autem regni Og prouenit tribui Manasse, vt patet Iosue cap. 13. vbi ponuntur istæ diuisiones. Sciendum tamẽ, quod istud ponitur hic per anticipationem, quia non fuit habitatio Israelitarum in terra ista vsque ad diuisionem: diuisio tamen non fuit vsquequo, fuerunt consummata bella contra regem Sehon, & Og circa montem Moysi. De hoc infra 32. cap. quia tamen fuit scriptus iste liber postea, potuit poni per anticipationem. *In Esebon, & viculis eius.* Id est, Israelitæ habitauerunt in Esebon, & in paruis locis, quæ ei adiacent: vocatur viculus paruus vicus, scil. rura adiacentia vrbibus, & oppidis. Non est autem intelligendum, quod solum acceperunt Israelitæ vrbem Esebon, & viculos eius, quia non fuit aliquis vicus aut ciuitas in terra regis Sehon, quia eorum manus effugeret, vt patet Deut. c. 2. multæ tamen vrbes erant in regno Sehon, scilicet illæ, quas acceperat de terra Moab, de quibus infra, & omnes aliæ, quæ prius pertinuerãt ad regnum suum, & illæ, quas acceperat de terra Ammonitarum, de quibus Iosue 13. sed facta est hic solum mentio de Esebon, quia de ea intendit litera dicere aliquid, vt infra patet. *Vrbs Esebon fuit regis Sehon Amorrhæi.* Istud introducitur, quia hic supra dictum fuerat de acquisitione Esebon, hic autem dicit, quomodo fuit, & respondet tacitæ quæstioni. Argueret enim aliquis, quomodo filij Israel habuerunt vrbem Esebon, quæ erat ciuitas Moabitarum, cum veritum eis fuisset pugnare contra Moabitas, quia nihil de terra eorum accepturi erãt: ideo respondetur in litera, quod ista vrbs fuit Moabitarum, & rex Sehon pugnauit contra regem Moab, & tulit ab eo iure belli, per quod de iure gentium transfertur dominium, sicut per venditionem: quia captiuatio bellica, & venditio sunt æqualiter de iure gentium, vt patet ff. de iustit. & iur. in l. ex hoc iure. maxime in bello iusto, vbi res acceptæ tenebantur ante raptoribus obligatæ: ideo Hebræi potuerunt accipere Esebon, quia non erat iam de terra Moabitarum, sed de terra Amorrhæorum. E

F

Quomodo rex Moab post multa tempora petierit terram, quam habebant Iudæi, & quid responderit Iephte.

QVÆSTIO XXVI.

SCiendum autem, quod rex Moab post multos annos, scilicet plures quam trecentos petiuit terram istam, & terram, quæ fuerat capta de regione Ammonitarum, & erat tũc iudex Iephte Galaadites, & respondit, quod Israelitæ non pugnauerunt cõtra Moabitas, nec contra Ammonitas, sed contra regem Sehon, & habuerunt iustam causam pugnandi. Acceperunt igitur terram illius, non terram Ammonitarum, nec Moabitarum. Item dixit, quia sicut ea, quæ Chamos Deus Moabitarum obtinuit, pertinebant ad Moab, ita ea, quæ obtinuit Deus Israel, pertinebat ad Israel, & sic fuerat de terra ista. Item dato, quod aliquid ius haberet rex Ammon, vel rex Moab super terram illam quasi per 300. annos, & amplius super hac repetitione nihil tentauerant. vnde videbantur iura præscripta. postea autem exiuit Iephte in bellum contra filios Ammon, qui ista petierant, & armati illa volebant sibi vendicare, & contritus est Ammon à facie Israel, vt patet Iudic. c. 11. *Qui pugnauit contra regem Moab.* Non dicitur contra quem regem Moab pugnauerit Sehon ad habendã terram istam, sed

A

satis videtur, quod pugnauerit contra Balac filium Sephor, qui erat tunc rex Moab, vt patet seq. cap. & erant ambo contemporanei. Hoc autem videtur innui Iudicum cap. 11. cum arguit Iephte regem Ammon, quod pugnare velit contra Israelitas, repetens vrbes, quæ fuerunt regni sui, cum rex Balac non petierit vrbes, quæ pertinebat ad terram Moab, cum dicitur: Nisi forte melior es Balac filio Sephor rege Moab, quasi dicat, ipse perdidit ciuitates regni sui accipiente eas Amorrhæo, & tamen non repetiit eas postea de manu Israel, ergo tu, qui repetis vrbes captas de regno Ammon, videris melior Balac filio Sephor: Si tamẽ ille non perdidisset ciuitates istas, non videtur aliqua causa, quare debuisset nominari. *Et tulit omnem terram, quæ ditionis eius erat vsque Arnon.* Id est, cũ pugnauit contra regẽ, abstulit omnia, quæ olim pertinuerant ad dominium Moabitarum, & hoc vsq; Arnon. Ditio n. dominiũ, vel potestatẽ signat, & inde dicitur iurisditio. Dicitur autem vsq; ad Arnon, non quidem accipiẽdo à parte meridiana torrentis Arnon, sed à parte septentrionali: olim n. extendebatur terra Moabitarum, ita vt torrens esset intra illam, & perueniebat vltra versus septentrionem iuxta terram Ammon. Rex autem Sehon accepit omnem terram Moabitarum, quę erat septentrionalis torrenti Arnon, & sic fuit regnum eius inter Moabitas à meridie, & Ammonitas à septentrione, & sic dicitur supra, quod Arnon erat locus diuidens Moabitas,

B

& Amorrhæos, non quidem, quod à principio sic fuisset, sed post captã terram de manu Moabitarum. In Hebræo dicitur. *Contra primum regem Moab.* Vbi nos dicimus, contra regem Moab, & aliqui intelligunt, quod non accepit Sehon ciuitatem Esebon in vita regis Balac, qui tunc erat rex Moabitarũ, vt patet seq. cap. sed tempore alterius regis ante istum. Et ex hoc videbatur melius, quod possent Israelitæ accipere ciuitatem istã Esebon, & alias, cum Moabitæ tãdiu super repetitione tacuerint. Sed magis dicendum est, quod rex, qui ista perdidit, fuit Balac filius Sephor, qui tũc dominabatur, quia eum allegat Iephte Galaadites in repetitione terræ Ammonitarũ, vt patet Iudi. c. 11. de quo supra dictum est. Posset tamen forte dici, quod iste Balac erat primus rex Moabitarũ, vtpote si ante eum Moabitæ nullos reges habuerint, sed duces, sicut fuit de Idumæis, qui primo habuerunt duces magno tempore: deinde habuerunt reges, postea cessantibus ipsis habuerũt duces, vt patet Gen. c. 36. vbi numerantur reges, & duces. *Iccirco dicitur in prouerbio.* Hic allegat Scriptura quandam probationem superioris dicti, & est prouerbialis, scil. quod capta vrbe Esebon, & multis aliis de terra Moab factum est quoddam carmen de captione, & destructione Moabitarum, sic n. in talibus bellis semper aliqua carmina fiunt ad laudem victorum, vel ad exprimendam calamitatem eorum, qui victi sunt: sic patet 1. Reg. c. 18. de Dauid, quando percussit Goliath, puellæ cantabant exeuntes in occursum eius: Percussit Saul mille, & Dauid 10. millia. Sic quoque fiunt tragœdiæ, quæ sunt de calamitatibus magnorum, & Regum, vel populorum debellatorum, vel aliàs incidentium in infortunia: sicut sunt tragœdiæ

C

Prouerbium quod dicatur.

Senecæ, & aliorum antiquorum. Vocatur autem istud carmen prouerbium, quia erat multum commune, scil. quod cantabatur ab omnibus, & hoc signat prouerbiũ, quasi procul à verbo, nam verba dicuntur esse ea, quæ quilibet profert: id autem quod omnes proferunt, est magis quam verbum: & vocatur prouerbium. Alio modo vocatur prouerbium, quia est certissimum: nam verbum multum differt à rebus, cum autem est aliquod verbum significans manifestam veritatem videtur illud differre ab aliis verbis, & accedens ad naturam rerum: ideo procul à verbis dicitur. *Venite in Esebon.* Hic incipit prouerbiale carmen, & durat vsque ad illam partem. *Habitauit itaque Israel.* Et ponitur hic calamitas Moabitarum, quia perdiderunt multa loca, & fugerunt de ciuitatibus suis ad alias vrbes expugnati à Sehon Amorrhæo. *Venite in Esebon.* Istud est verbum regnorum, qui erãt in circuitu terræ Moab, & Amorrhæorum, scil. Idumæorum, & Ammonitarum, isti enim cantabant hoc de Moabitis. Vel potest esse verbũ ipsorum Amorrhæorum, qui fecerunt hoc carmẽ ad memoriam facti sui, & quicunque hoc fecerit, necesse est, vt referat se ad Amorrhæos, scil. venite in Esebon, id est, quod illi, qui erant in terra Amorrhæorum, venerunt in Esebon ad habitandum ibi expulsis inde Moabitis. *Ædificetur, & construatur ciuitas Sehon.* Hic ponitur Sehon in datiuo, & est nomen regis victoris. est autem sensus, ædificetur ciuitas ad honorem regis Sehon, & dicitur, ædificetur, quia quamquam primo facta fuisset ista ciuitas, tamen quando cœpit eam rex Sehon forte pugnando destruxit magnam partem eius, & hanc postea reædificauit, vt esset firmissima contra hostes: ponitur aũt ædificare, & construere, quod ad idem pertinet, quia aliquando in carminibus replicantur dictiones, & clausulæ integræ ad cõplementum consonantiæ carminum. & ita erat istud carmen. *Ignis egressus est de Esebon.* Hoc intelligit Nicolaus de igne, quo ciuitas arsit, quando capta est: sed non videtur posse intelligi, quia dicitur immediate. Et deuorauit Arnon Moabitarum, & habitatores excelsorum Arnon. Ignis tamen incensus in Esebon, non potuerat consumere Arnon, quia multum inde distat, sed intelligendum est hoc figurate, sicut frequenter loquimur, & hoc, quia in Esebon fuerunt aliqui de Moabitis, qui locuti sunt Sehon, & dederunt ei modum ad capiendum ciuitatem saltem concitando eum ad pugnandum contra eã, & isti vocantur ignis, quia totam illam terrã consumpserunt cum eorum occasione perierit. *Et flamma de oppido Sehon.* Ista est repetitio eiusdem sententiæ sub aliis verbis ad exornandũ, & est modus rhetoricus, quo frequẽter vtitur Scriptura maxime in libris Salomonis, & in Prophetis, & prẽcipue in Isaia, & propter hoc aliqui turbantur, cum putant illas esse diuersas sententias. In libris autem historialibus Bibliæ raro, vel nunquam fit, nisi cum dicta ab aliquo recitantur, vt hic. Obseruatur autem modus consonantiarum hic in extremitatibus cadentiarum, vt cum dicitur. Venite in Esebon, & ædificetur ciuitas Sehon. Et iterum: ignis egressus est de Esebon: flamma de oppido Sehon. Et sic per totum carmen. Sermo tamen Latinus non potuit per omnia obseruare istas consonãtias, quia istud carmen habebat consonantias in alio idiomate: cum aũt transfertur in Latinum de Amorrhæo sermone, vel Idumæo non manent consonãtiæ, nisi in nominibus propriis, quæ eadẽ sunt in omni sermone, vt Arnon, Sehon, Esebon, Dibon, in aliis aũt est diuersitas. *Et deuorauit Arnon Moabitarũ.* Id est, ignis egressus de Esebon destruxit Arnon, in quo videtur, quod Arnon sit ciuitas, & non solum scopulus, est tamen in locis altissimis, vt patet immediate, cum dicitur: De habitatoribus excelsorum Arnon, & in hoc aliqualiter videtur, quod Arnon pertineat ad terram Amorrhæorum, quia destruxerunt illã Amorrhæi, cũ dicatur, quod ignis egressus de Esebon destruxit Arnon, sed Esebon redacta est in potestatẽ Amorrhæorum. ergo ẽt Arnon. Aliqui autem dicũt, quod non capta fuit Arnon, cum hic vocetur Arnon Moabitarum. Sed hoc nihil est, quia etiam ciuitas Esebon vocatur Moabitarum, scilicet, quod olim pertinuit ad Moabitas: postea tamen rediit ad Amorrhæos, sed magis dicendum, quod Arnon pertinuit ad Amorrhæos. *Et habitatores excelsorum Arnon.* Vocantur autem excelsa Arnon aliqua loca parua, quæ erant in scopulis altissimis, & ad illa etiam accessit rex Sehon, & cepit illa: ignis autẽ egressus de Esebon combussit Arnon, quia proditores, qui fuerunt in vrbe illa, fecerũt perire totam terram propinquam. *Væ tibi Moab.* Hic conuertitur carmen ad miseriam Moabitarum, quia perdiderant terram magnam, & dominium. est autem væ interiectio tristitiam signans. *Peristi populę Chamos.* Eadem sententia est. Vocatur enim Moab populus Chamos, est enim Chamos nomen idoli, & erat Deus Moabitarum, atque Ammonitarum, vt patet 3. Reg. cap. 11. vbi dicitur, quod Salomon coluit Chamos Deum Moabitarum: & Iudi. 11. cap. vocatur Chamos Deus Ammonitarum, quia cum ibi loqueretur Iephte ad regem Ammon dixit Chamos esse Deum illius, & tamen 3. Reg. c. 11. ponitur Chamos tanquam Deus Moab: & Moloch tanquam Deus Ammonitarum, sed vtrumque verum est, quia Chamos erat Deus specialis Moabitarum, & Moloch erat Deus Ammonitarũ generaliter. ideo cum Salomon fecit templa Diis vxorum suarum, fecit templum Chamos Deo Moabitarum, quia specialiter illum colebant, & Moloch Deo Ammonitarum, quia nullum specialius habebant in Deo. *Dedit filios eius in fugam.* Hoc potest referri ad vrbem Esebon, scilicet, quod ipsa dedit filios suos in fugam, id est, habitatores suos fecit fugere, ne occideret eos Sehon. Vocantur autem filij alicuius loci illi, qui habitant in eo, & sic dicuntur filij Sion, vel filij Ierusalem, & est conueniens modus loquendi, quia filius refertur ad patrem, sed sicut vir est pater respectu filij, ita etiam locus, in

D

E

F

Chamos nomẽ idoli, & Moab dicitur populus eius.

quo aliquis gignitur, & conseruatur, vocatur pater, quia habet rationem conferentis ad esse. & sic dicimus patrem, & patriam esse genus, quia vtraq; ad esse conferunt in rebus genitis secundum Porphyrium. Alio modo potest intelligi de rege Sehon, scilicet, quod dedit filios eius in fugam, id est, fecit fugere omnes habitatores Esebon, timore enim eius fugerunt, cum viderunt capi vrbem, vel potest referri ad Deum Chamos, scil. quod iste dedit in fugam filios Esebon, quasi dicat, non potuit Deus iste conseruare cultores suos Esebonitas, sed dedit illos in fugam. *Et filias in captiuitatem regi Amorrhæorum.* Omnes mulieres vrbis Esebon vocantur filiæ Esebon, & istæ datæ sunt in captiuitatem regi Sehon, id est, cepit eas captiuas: nam viri, qui expeditiores sunt ad fugam, recesserunt de vrbe: fœminæ autem, quæ fugere non possunt, captæ sunt à rege Sehon. *Iugum eorum disperiit ab Esebon vsq; Dibon.* Iugum dicitur dominiũ, vel potestas & ista cessauit, quia dicitur supra, quod rex Sehon tulit omnem terram regis Moab, quæ erat ditionis illius vsque Arnon. & dicitur hic, quod periit ab Esebon vsque Dibon, quia ista sunt duo loca in terra illa, quæ capta est per regem Amorrhæorum. Esebon autem est ciuitas maior in tota terra capta de manu Moabitarum: ideo rex Sehon fecit illam Metropolim in regno suo, ita vt vocaretur ab illa vrbe rex Esebon, vel dicebatur regnare in Esebon: sicut alij reges communiter habent aliquas vrbes speciales in regnis suis, quæ vocantur sedes regnorum suorum. Fuit autem ista ciuitas Esebon postea data in sortem filiis Ruben, vt patet Iosue cap. 13. sed cum transierunt Rubenitæ Gaditæ, & dimidia tribus Manasse Iordanem ad pugnandum cum aliis tribubus relinquentes filios suos, & vxores in vrbibus regum Amorrhæorum extruxerunt eam filij Gad pro vxoribus suis, vt patet infra 32. cap. quamquam non pertineret ad sortem eorum. Dibon autem alia est ciuitas, quæ olim fuit Moabitarum, & est versus occidentem terræ regis Sehon: ista quoque data est in sortem filiis Ruben, vt patet Iosue cap. 13. sed extruxerunt eam filij Gad pro vxoribus suis, & filiis infra cap. 32. Quare autem acciderit ista varietas, declaratum est Iosue cap. 13. cum dicebatur de eisdem vrbibus. *Lassi peruenerunt vsque in Nophe, & vsque Madaba.* Ista etiam sunt loca in terra Moab quæ capta sunt per regem Amorrhæorum, & quando Moabitæ fugiebant de locis, in quibus erant propter metum Sehon regis, peruenerunt lassi vsque ad Nophe, & vsque ad Madaba, id est, quod quando accesserunt ad istas vrbes, iam erant lassi non potentes fugere. Aliqui dicunt, quod Madaba, & Nophe erant ciuitates terræ Moab, & manserunt in extremitatibus terræ Moab, quæ non capta est, & terræ, quæ capta est ab Amorrhæis: ideo cũ fugerẽt Moabitę de vrbibus captis, peruenerunt lassi vsque Madaba, & Nophe confugiẽtes ad illas, quia pertinebant semper ad regẽ Moab. Sed magis videtur, quod istæ duæ vrbes pertinuerint ad regem Sehon: quia cepit eas sicut cæteras de manu Moabitarum. Et patet, quia Madaba ponitur in sorte filiorum Ruben, Iosue 13. c. sed etiam accipiendo, quod istæ vrbes captæ fuerint Esebon, & Dibon, & Madaba, & Nophe non fuerint captæ: erit sensus, quod tota terra, quæ est inter Esebon, & Dibon, versus Nophe, & Madaba capta est à rege Amorrhæorum. *Habitauitque Israel in terra Amorrhæi.* Hic finitum fuit carmen de pugna Amorrhæi regis contra Moabitas, quod adduxerat Moyses in probationem, quia pertinuisset ciuitas Esebon ad Moabitas. Hic redit ad historiam, scilicet, quod postquam terra ista capta est de manu Amorrhæi, quam ipse olim ceperat de manu Moab, incœpit Israel habitare in illa, quia iam pertinebat ad eum iure bellico, cum habuerit bellũ iustum contra Sehon, vt inducit Iephte Galaadites Iudi. c. 11. & dicitur, quod habitauit Israel in terra Amorrhæi, id est, in terra Sehon Amorrhæi regis, & non solum in terra, quam ceperat de manu Moabitarum, sed etiã de terra, quæ olim pertinebat ad ipsum, nec habitauit totus Israel in terra illa, sed tribus Ruben cepit ibi possessionem, & pars tribus Gad, vt patet Iosue cap. 13.

Misitq; Moyses, qui explorarent Iazer: cuius ceperunt viculos, & possederunt habitatores. Verteruntque se, & ascenderunt per viam Basan, & occurrit eis Og rex Basan cum omni populo suo, pugnaturus in Edrai. Dixitque Dominus ad Moysen. Ne timeas eum, quia in manu tua tradidi illum, & omnem populum ac terram eius: faciesque illi sicut feciſti Sehon regi Amorrhæorum habitatori Esebon. Percusserunt igitur & hunc cum filiis suis, vniuersumque populum eius vsque ad internetionem, & possederunt terram illius.

Deut. c. 3.

Misitque Moyses. Hic ponitur bellum contra secundum regem Amorrhæorum, scil. contra Og, qui habitabat in terra illa ante Iordanem, & occiderũt eum sicut regem Sehon. Nec habuit rex iste talem causam pugnandi contra Israelitas, sicut Sehon: nam non petierunt ab eo transitum per terram suam, sicut à rege Sehon, nec quidquam ei dixerunt, sed ipse exiuit pugnaturus contra Israel in Edrai, vt patet infra, & Deut. c. 3. *Misitque Moyses, qui explorarent Iazer.* Ista ciuitas est pertinens ad regem Og, & misit Moyses ad explorandum eam, quia volebat occupare terram illam. Erant autem isti exploratores aliqui viri Israelitæ missi ad cognoscendum statum illius vrbis, vt scirent Israelitæ qualiter pugnandum esset contra habitatores terræ: ista autem ciuitas postea data est filiis Gad ad extruendum pro pecoribus suis filiis, & vxoribus, vt patet infra 32. cap. & in eorum sortem cecidit. *Cuius cœperunt viculos, & habitatores possederunt.* Id est, acceperunt isti exploratores viculos vrbis Iazer sine adiutorio reliqui populi, & hoc, quia leue erat: nam viculi sunt parua rura non murata, quæ quilibet acciperet. Vrbem autem Iazer non acceperunt ipsi, sed postea accepit Israel. Dicuntur possedisse habitatores terræ huius, non quidem quod possederunt eos in seruos, quia non licebat Israelitas dimittere viuentem aliquem de Chananęis interposito aliquo pacto pacis, siue redigendo in seruitutem, siue constituendo tributarium, vel amicum faciendo; sed omnes occidere debebant, vt patet Deut. c. 20. Cum autem dimitterent aliquem, peccabant: ideo increpuit Angelus Domini Israelitas post mortem Moysi, quia reliquerant multos de gentibus Chananæorum facientes cum eis pactum, vt patet Iudi. c. 2. tempore tamen Moysi nihil tale fecerunt, quia non permitteret ipse aliquid fieri contra legem, sed dicuntur possedisse, quia acceperunt eos in potestate sua cum occiderint eos. Vel posset hoc referri commutando verba, scilicet, quod possederunt viculos, & cœperunt habitatores. Sed non est talis modus loquendi Scripturæ: ideo primus sensus est melior. *Verteruntque se, & ascenderunt per viam Basan.* Id est, postquam exploraverunt Iazer, conuertit se Israel, vt ascenderet per viam regni Basan. Hoc dicitur, quia regnum Basan est ad latus regni Sehon, scilicet ad Septentrionem, & ante hoc erant Israelitæ in regno Sehon, nunc autem ascenderunt ad regnum Og. Et dicitur, quod iuerunt per viam Basan, quia Basan est quædam regio in terra regis Og, quæ est principalis in regno suo. & quamquam haberet alias regiones, denominabatur ab ista, scilicet rex Basan, & fuit tota ista terra olim pertinens ad gigantes, qui vocabantur Raphaim, vt patet Deut. cap. 3. scilicet cuncta Basan vocatur terra Gigantum, & fuit rex de stirpe istorum Gigantum: ideo tenuit ipse Raphaim, vt patet eod. cap. Solus quippe Og restiterat de stirpe Gigantum: ideo tenuit ipse principatum in terra illa, in qua olim fuit sua progenies. *Et occurrit eis Og rex Basan.* Iste veniebat ad pugnandum, quia cum videret Israelitas esse circa regnum suum, cum sciret periisse Sehon, & populum suum, parauit se ad bellum priusquã ingrederentur Israelitæ magnam partem regni sui. *Cum omni populo pugnaturus in Edrai.* Ista est ciuitas pertinens ad regem Og, & erat principalis in regno suo, vnde aliquando dicitur regnauisse in Edrai, vt patet Iosue cap. 12. & 13. ista ciuitas data est postea in possessionem dimidiæ tribui Manasse, vt patet Iosue cap. 13. *Dixitque Dominus ad Moysen.* Hic ponitur punitio ad pugnandum contra regem illum, quia Moyses forte timebat regem illum, cum esset de genere Gigantũ, & occurrebat intrepidus in bellum, ideo Deus dixit ei, quod nõ timeret. *Ne timeas eos.* Ad Moysen loquitur, quia ipse erat dux totius populi, & timor in nullo magis est pernitiosus, quam in duce: nam si dux timeat totus exercitus vacillabit: ideo dux confortatus est. Item quia cum hoc modo Moyses confortaretur, poterat ipse cæteros corroborare ad pugnam, enarrando eis ista verba Dei: sicut fecit Iudas Machabæus recitans se vidisse per somnium Ieremiam Prophetam, & Oniam sacerdotem magnum astantes sibi, & loquentes verba consolatoria, quibus totum exercitum roborauit

A B C D E F

Percussio Og regis Basan.

Vicul' quid sit

Regni Basan situs.

Pugna cũ Og rege Basan in Edrai.

A 2. Macha. cap. 15. *Quia in manu tua tradidi illum.* Nondum tradiderat in manus eius, quia non pugnauerat, sed dicitur propter certitudinem, quia ea, quæ præterita sunt, impossibile est aliter esse. Nam iuxta Arist. 6. Eth. hoc solo priuatur Deus, quod non potest facere non esse genita, quæ iam sunt facta, quæ autem futura sunt, incerta sunt: ideo locutus est Deus de præterito, & sic fit sæpissime in Prophetis. Vel dicitur: In manu tua tradidi illum, id est, ita modicum laborabis ad capiendum eum, & regnum suum, ac si iam traditus esset in manus tuas. *Et omnem populum ac terram eius.* Id est, non solum in bello expugnabis eum, sed etiam postea subiicietur tibi populus eius, & accipies omnem terram illius. Et sic factum est: nam postea diuisa est ista terra cum terra regis Sehon duabus tribubus, & dimidiæ. *Faciesq; illi sicut feciſti Sehon regi Amorrhæorum.* Non ponitur hic istud verbum per modum mandati, sed per modum enunciandi rem futuram ad certificādum de victoria belli, scil. ego denuncio tibi, quod facies illi sicut regi Sehon, id est, ita occides eum, & accipies terram illius, sicut in rege Sehon factum est. Si aliquis dicat, quod potest accipi per modum imperij. scil. quod Deus iuberet Moysi, vt occideret istum regem, sicut occiderat regē Sehon, superfluum videretur, quia supra idem dictum fuerat, scil. quod rex ille, & populus eius, & tota terra illius tradita erant in manus Moysi. Ideo primus sensus est melior. *Habitatori Eſebon.* Id est, rex

B Sehon erat habitator vrbis Esebon, scil. qui a capta vrbe illa de manu Moabitarum ibi, vt communiter morabatur, quia erat melior inter alias vrbes regni sui, ita vt ab illa specialiter nominaretur, scil. Sehon rex Elebon. *Percuſſerunt igitur hunc cum filiis ſuis.* Id est, occiderunt regem istum in bello, & filios suos: percutere n. in bello accipitur communiter in historiis pro occidere. De filiis suis potest dici, quod isti erant filij eius geniti ab ipso, & iuerant cum eo ad bellum, atq; simul mortui sunt, sicut rex Saul simul in bello mortuus est cum filiis suis. 1. Reg. c. vlt. possunt vocari filij sui omnes de regno suo, sicut dixit Ephron Hethæus ad Abraham, quod dabat sibi sepulchrum præsentibus omnibus filiis populi sui: Gen. cap. 23. & ibi vocantur filij Ephron omnes, qui erāt de vrbe, in qua morabatur Ephron. Sed magis videtur hic primus sensus, cum immediate dicatur. Et vniuersum populum. Si tamen acciperentur filij pro habitatoribus populi sui, non adderetur, Et vniuersum populum: ideo dicendum, quod habuit aliquos filios, & isti mortui sunt in bello. Sed tunc arguetur, quia Deut. cap. 3. quando agitur de morte regis Og, dicitur: Solus quippe Og restiterat de stirpe Gigantum. Vel, vt dicitur in litera Hebraica, de stirpe Raphaim. si tamen haberet filios rex Og, isti essent de stirpe Raphaim: ergo non esset ipse tunc solus de stirpe illa. Respondetur, quod habebat filios, & tamen illi non erant Gigantes: ideo nullus manebat de stirpe Raphaim: nam Raphaim non solum significabat lineam progeniei, sed etiam signabat homines staturæ magnæ, filij autem regis Og non erant huiusmodi. *Vniuersumq; populum eius vsque ad internetionem.* Id est, etiam percusserunt totum populum

C suum, vsquequo occiderent: & non solum intelligitur de populo, qui conuenerat ad bellum cum rege Og, sed etiam de populo, qui manebat in vrbibus, quoniam debellato rege in campo, occupauit omnia loca Moyses in regno illius, in quibus nullum omnino viuere permittebat, quia sic Deus iusserat, vt patet Deut. cap. 20. & infra 33. *Et poſſederunt terram illius.* Scil. totum regnum, quod fuerat regis huius, & postea datum est partem tribui Gad, & partem dimidiæ tribui Manasse, vt patet Iosue cap. 13.

De fabula Thalmudiſtarum de rege Og, & eius magnitudine.

QVÆSTIO XXVII.

Ex hoc cognoſces, q̃ falſe, quā beſtialiter Iudæi intelligũt legem

DE isto rege Og Thalmudistæ Iudæorum quædam incredibilia, immo vere impossibilia fabulantur, scilicet, quod erat tantæ quantitatis, quod montem, qui duas vel tres Leucas occupabat, eradicauit, & imposuit capiti suo, vt omnes Israelitas vno montis iactu obrueret. Deus autē misit formicas, quæ à summo vsq; ad infimum montē suis aculeis perforantes ipsum descendere fecerūt ad humeros regis Og: tūc, mox crescentibus miraculose dentibus eius quasi ad 10. cubitos, non potuit montē à se iacere. Videns autem Moyses accepit securim altitudinis cubitorum 10. & ipse Moyses erat 10. cubitorum, & saltauit in altum per 10. cubitos, atque attigit ad coniunctionem tibiæ cum pede, & percussit atq; occidit cadente monte super eum. Addunt etiam, quod postquam caro eius consumpta fuerat, & manserant ossa disiuncta, quadam die venator insecutus ceruum casu intrauit post ceruum per aperturam tibiæ illius, ambulauitq; per eam insecutus ceruum die fere medio. De dentibus etiam regis Og, qui creuerunt per 10. cubitos, exponunt illud quod habetur Psal. 3. quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa: & dentes eorum contriuisti. Dicunt autem, quod ibi debet scribi accreuisti, id est, feciſti crescere.

Hæc autem omnia impossibilia sunt, & omni rationi dissona, nec impugnari ea oportet, quia seipsa destruunt. Hebræi autem glossatores Thalmud quandam sententiam impropriam parabolicā commentati sunt dicentes, quod mons quem sumpsit rex Og super se, erant merita sua apud Abraham, quia ipse nunciauerat Abrahę Loth consobrinum suum captum à regibus, de quo Gen. 14. c. & intelligebat precibus Abrahæ ad Deum liberari, sed formicæ, id est, populus Hebræorum perforauerunt montem, id est, rogauerunt, & obtinuerunt à Deo, merita illa nihil sibi proficere.

Sed ista sententia est inconsona, quia sensus mysticus fundantur super veritatem historiæ. Item ista expositio præsupponit falsum, scil. quod vixerit rex Og à tempore Abrahæ vsque nunc: sed falsum est, nam tunc haberet quasi quingentos annos: nullus tamen tantam ætatem attigit post tempora Abrahæ, vt patet in Abraham, & sequacibus suis, quia aliqui ad centum, & decem annos, alij ad centum, & triginta, & qui plus ad centum, & octoginta attigit, sicut fuit de Isaac Gen. 35. cap. quod autem vixisset rex Og fere quingētis annis, si à tempore Abrahæ vixisset vsque nunc, patet, quia bellum, in quo venit profugus quidam ad nunciandum Abrahæ captum esse Loth, fuit à principio ingressionis Abrahæ in terram Chanaan, vt colligitur ex processu Gen. à 12. vsque ad 14. cap. sed ab eo tempore vsque ad tempus, quo pugnatum est contra regem Og fluxerunt anni 470. & Og rex esset 20. annorum, aut plurium, quando venit profugus ad nunciandum ista Abrahæ, quia aliàs venire posset fugiens de bello: ergo quasi anni quingenta transierant. Antecedens patet, quia ab introitu Abrahæ in terram Chanaan, quando cœpit esse peregrinus vsque ad exitum de Ægypto fluxerunt anni quadringenti, & triginta, vt patet Exo. c. 12. sed ab exitu de Ægypto vsque ad pugnam cum rege Og fluxerunt anni 40. quia anno 40. ab exitu de Ægypto fuit factū bellum istud: ergo erant 470. anni. non stat ergo aliqualiter dictum Thalmudistarum, nec aliorum Hebræorum exponentium dictum illorum, sed rex Og occisus est in bello gladio cum cæteris de populo suo, sicut fuerat occisus rex Sehon.

D *suam. Et si in his clarissimis errant, quanto magis in aliis mysteriis obscuris, vt de Messia, &c. excæcauit n. eos malitia sua.*

E *An rex Og viueret tēpore quo Iudæi ingressi sunt in terram Chanaan.*

F

CAPVT XXII.

PROFECTIQVE *castrametati sunt in campestribus Moab, vbi trans Iordanē Iericho sita est. Videns autem Balac filius Sephor omnia, quæ fecerat Israel Amorrhæo, & quod pertimuissent eum Moabitæ, & impetum eius ferre non possent, dixit ad maiores natu Madian. Ita delebit hic populus omnes, qui in nostris finibus commorantur, quomodo solet bos herbas vsque ad radices carpere. Ipse erat eo tempore rex in Moab.* Ios. 24.

Profecti que. Dicto supra de impedimento itineris propter Amorrhæos dicitur de impedimēto propter Moabitas: nam deceperunt Moabitę Israelitas ponendo filias suas apud castra Hebræorū, quæ induxerunt Israelitas ad idololatriā, & ex hoc irato Deo mortui sunt multi de Israel, vt patet inf. 25. c. Aliter potest continuari, sc. supra dictum est de destructione Amorrhæorum, hic autē agitur de timore Moabitarū, & tanguntur tria. Primo iusti timoris ratio. Secundo remediatoris

vocatio.

A

vocatio. Tertio eiusdem itineratio. Secunda ibi. *Misit nuncios.* Tertia ibi. *Surrexit Balaam.* Circa primum. *Profectique castrametati sunt in campestribus Moab.* Id est, postquam occiderunt reges istos, & acceperunt populum eorum mota sunt castra, & venerunt ad campestria Moab.

Quomodo se habebant Israelitæ quantum ad castrametationem, quando pugnabant contra reges Amorrhæos, & quid vocantur campestria Moab.

QVÆSTIO I.

PRo quo sciendum est, quod quando Israelitæ pugnauerunt contra reges istos, castra manebantur in aliquo loco fixa, & ipsi Israelitæ disponebantur per loca ad pugnam: nam ex Ægypto venerant omnes Israelitæ cum filiis, & vxoribus, pecoribus, atque iumentis, & omnia ista non iuerunt in bellum, quia non poterant commode duci, potissimũ cum bellatores discurrerent per plurima loca, sed à principio antequam committeretur bellum contra regem Sehon, erant castra Israelitarum in aliqua mansione: egredientibus autem viris bellatoribus in pugnam, manserunt castra in loco eodem, vt sic discurrerent Israelitæ per omnia loca regni Sehon ad capiendum ea. Deinde autem cum pugnatum est contra regem Og, eo modo manserunt castra, & postea redibant Israelitæ pugnatores in castra. Finitis autem istis bellis, mouerunt castra de montibus Abarim, & venerunt ad campestria Moab, vbi est quædam ciuitas, quæ vocatur Bethsimon, & ista mansio ponitur hic, scilicet campestria Iordanis: sed non ponitur mansio, de quo profecti fuerunt. Dicendum autem, quod profecti fuerunt de montibus Abarim, quia ista mansio est ante campestria Iordanis, vt patet infra 33. cap. Vocantur autem campestria loca aliqualiter aspera, sed non totaliter montuosa. Distinguit enim Scriptura terram in montanam, campestria, & planitiem: Montana autẽ dicuntur loca montuosa, & excelsa: planities autem est terra multum æqualis, sicut est in vallibus, vel aliis locis totaliter planis. Campestria autem dicuntur media inter montes, & planum secundum dispositionem, scilicet, quod non sunt totaliter montuosa, nec totaliter plana, sed aliqualiter aspera: istud colligitur inf. c. 33. vbi dicitur, quod Israelitæ venientes de montibus Abarim castrametati sunt in campestribus Moab, & inde venerunt ad planiora loca Moabitarum, & sic vocantur ibi campestria loca inter montes, & valles plana. Ista autem differentia dispositionis terrarum habetur Iosue cap. 11. vbi diuiditur omnis terra in tres dispositiones prædictas, cum dicitur: Misit ad reges Aquilonis, qui habitant in montanis, & planitie, & in campestribus. Non est autem intelligendum, quod steterint Israelitæ nunc in terra Moab: non enim introierunt in illam, sed à principio antequam introirent in terram Amorrhæorum, transierunt per extremitatem terræ Moab, scilicet ciuitatem nomine Ar, vt patet Deuteron. cap. 2. sed dicuntur castrametati in campestribus Moab, id est, in quibusdã campis, quæ olim pertinuerant ad regem Moab: postea tamen pertinuerant ad regem Sehon, qui bello abstulit eos de manu Moabitarum, quod apparet: nam in istis campestribus Moab est Bethsimon, vt patet infra 33. c. & tamen Bethsimon pertinet ad terrã regum Amorrhæorum, vt patet Iosue c. 12. Alio modo potest intelligi, quod ista vocãtur cãpestria Moab, quia erant coniuncta terræ Moab, scil. quod mons Phasga, siue Abarim erat medius inter terram Amorrhæorum, & Moabitarum, & erat communis vtrique terræ: ideo campestria illa, quæ pendebant descendentia à monte Phasga versus terram Amorrhæorum, possunt vocari campestria Moab, quia pendent ex monte Moab. Aliquis forte dicet, quod Israelitæ nunc transierunt per terram Moab facientes aliquam mansionem in terra illa in extremitatibus eius. Respondendum est non stare, quia Deus iusserat, ne mouerentur in bellũ Israelitæ contra Moabitas. Deut. c. 2. & tamen Moabitæ timebant valde Israelitas, vt patet in litera: ergo si introirent per terram illorum Moabitæ resisterent, & sic oporteret cõmitti bellum. Item non stat, quia Israelitæ petebant transitum per ista regna, scilicet Idumæorum, & Moabitarum, quia à principio non habebant locum, per quem transirent in terram Chanaan, vt patet Iudi. c. 11. sed nunc quãdo castrametati sunt

B

Campestria quid.

C

An Israelitæ transierint per terram Moabitarum. Responsio.

Israelitę in campestribus Moab habebant locum transeundi, quia tota terra duorum regum Amorrhæorum erat sibi subdita, quæ coniungitur terræ Chanaan in Iordane, & monti Hermon atq; mari Cenereth: vt patet Deut. c. iuncto c. 34. infra, ideo non erat aliqua causa, quare ipsi vellent facere trãsitum per terram Moab. Item nullo modo stat, quia castrametati sunt in istis campestribus, fixerunt castra apud Bethsimon, vt patet inf. 33. sed Bethsimon est in terra Amorrhæorum, vt probatum est: ergo non fecerunt transitum per terram Moab. *Vbi trans Iordanem Iericho sita est.* Id est, erant in campestribus Moab apud Iordanem contra locum illum, in quo Iericho sita est ex alia parte Iordanis: Pro quo sciendum, quod campestria Moab, & planiora loca sunt duæ mansiones vltimæ, quas Israelitæ fecerunt venientes de Ægypto, & sunt super Iordanem, vt patet inf. 33. cap. hoc est ad partem orientalem Iordanis: ex parte autẽ occidentali erat tota terra Chanaan, vt patet infra 34. cap. vbi ponitur Iordanis terminus orientalis terræ illius, & ibi apud Iordanem est ciuitas Iericho: vnde quando transierunt Israelitæ Iordanem prima ciuitas, in quam venerunt, & ad quam venerunt exploratores fuit primo, fuit Iericho, vt patet Iosue c. 2. & sic distinguebantur terra Chanaan, & terra istorum duorum regum Amorrhæorum per Iordanem intermedium, & sic campestria Moab ex parte orientali, & Iericho ex parte occidentali respiciebant se, & hoc significatur hic. Non tamen est intelligẽdum, quod vbi erant ista campestria esset Iericho, scilicet ad occidentem Iordanis: ideo non dixit litera: Vbi Iericho sita est, trans, autem significat ibi partem occidentalem, quamquam aliquando significat partem orientalem. & sic dicuntur accepisse duę tribus, & dimidia possessionem suam trans Iordanem, scil. ad orientem eius, vt patet Iosue c. 1. & vterque modus habetur inf. c. 32. ideo ad tollendum dubium, aliquando ponuntur determinationes, vt cum dicitur trans Iordanem ad occidentalem plagam, vel ad orientalem plagam, vt patet Iosue c. 5. & 13. *Videns autem Balac filius Sephor.* Iste est rex Moab, vt infra patet. & ponitur hic timor eius: nam Israelitæ deleuerant Amorrhæos, ita ergo timuit, quod delerent Moabitas. Dicũt quidam de isto Balac, quod non erat de genere Moabitarum, sed de aliis gentibus: acceperat autem regnum Moab: sic rex Sehon acceperat partem regni Moabitarum ipso regnante. Sed hoc non apparet ex litera, nec oportet poni istam variationem præter necessitatem. *Omnia, quæ fecerat Israel Amorrhæo.* Ex his habuit iustam causam timoris, quia rex Og, & rex Sehon erant reges potentissimi, & tamen vtrumque deleuit populus Israel, à fortiori ergo deleret ipsos Moabitas, cũ rex Sehon præualuisset primo contra Moabitas accipiens terrã de manu eorum, vt patet præced. c. Et dicitur hic, quæ fecerat Amorrhæo, id est, populo Amorrhæorum, quia non accipitur hic Amorrhæus pro aliquo istorum regum, vtrumque n. occiderunt Israelitæ, & vterque habebat partem populi Amorrhæi, & tamen isti duo reges non dominabantur toti terræ Amorrhæorum, quia erant alij reges Amorrhæi trans Iordanem ad occidentalem plagam, vt patet Iosue c. 5 scil. postquam audierunt reges Amorrhæorum, qui habitabant trans Iordanem ad occidentalem plagam, &c. *Et quod pertimuissent eum Moabitæ.* Ista est alia ratio ad mouendum eum ad timorem: nam dato, quod Israelitæ nulla mala intulissent Amorrhæis: si tamen timerent eos Moabitæ, non possent conuenienter pugnare: nemo enim contra eum conuenienter pugnat, à quo se æstimat superandum, sed pugnantes de victoria confidere oportet: licet alteri viribus impar sit. Cum ergo rex Moabitarum videret Moabitas timentes habuit causam timendi. Etiam quia erant propinqui Israelitæ terræ Moab, & faciliter damnum inferri poterat. erat tamen timor iste ex ignorantia. nesciebant n. quod Deus mandasset Hebræis, ne inirent bellum contra Moabitas, quia non erãt accepturi de terra eorum saltem vestigium vnum Deut. c. 2. Si autem hoc sciuissent Moabitæ non timuissent. Et ob hoc dato, quod Moabitæ hostiliter se habuerint contra Israelitas prouocãdo contra eos Balaam ariolum ad maledicendum ipsis, & allexerunt eos ad idololatriam positis filiabus suis apud castra, ex quo secuta est mors magna in Hebræos: tamen non pugnauerunt propter hoc contra illos, quamquam haberent iustissimam causam pugnæ, sed solum contra Madianitas, qui fuerunt comparticipes huius rei, vt patet inf. 25. & 31. c. Si tamen

D

Campestria Moab, planiora loca sunt secunda mansiones.

E

F

A non fuiſſet interdictum eis pugnare contra Moabitas deleuiſſent eos ſicut deleuerunt Madian. *Et impetum eius ferre non poſſent.* Iſta eſt alia cauſa mouẽs regem Moabitarum ad timorem, ſcilicet, quod etiam dato, quod Moabitæ non timerent Iſraelitas: erant tamen veraciter impares eis viribus: ideo ſi congrederentur, non poſſent Moabitæ ſuſtinere impetum Hebræorum, ſed perirent. Iſta omnia dicta ſunt ad introductionem eorum, quæ ſequuntur de vocatione Balaam. viderat enim Balac rex Moab Iſraelitas eſſe in extremitate regni ſui, ſcilicet in campeſtribus Moab, & viderat, quod deſtruxerant duos reges Amorthæos, ideo credidit, quod ſic vellẽt deſtruere terram ſuam. Volens autem prouidere ſibi & regno, inquiſiuit an poſſet bellando expellere eos de terra, & concluſit, quod non inducens rationes ſupra poſitas, ſcil. quia præualuerat Iſrael contra Amorrhæos, quod Moabitæ timerent illos: ideo recurrit ad aliud remedium, ſcil. ad artem magicam: erat autem in terra Meſopotamiæ Balaam ariolus opinatiſſimus tempore illo, ideo miſit ad eum rex Moab, vt veniret ad maledicendum Iudæis, vt ſic ſaltem poſſet eos expellere de terra ſua, & quia iſte erat modus inhoneſtus pugnandi, vt ſup. patet. primo inquiſiuit, an viriliter poſſet eos expellere pugnando. vt ſup. patet. reputans autem eſſe impoſſibile, confugit ad hoc. *Dixitq; ad maiores natu Madian.* Ad iſtos locutus fuit rex Balac, quia voluit iſtos eſſe mediatores ad vocandum, & ducendum Balaam ariolum, & ſic factum eſt.

Balac quaſi uit à Balaã, vt arte magica expelleret Hebræos.

B

Moabitæ, & Madianitæ qui ſint, & de genere eorum, & quomodo Madianitæ habebant familiaritatem ad Ammonitas, qui populi erant de genere Loth.

QVÆSTIO II.

COnſiderandum autem, quod Moabitæ, & Madianitæ ſunt duo populi in deſertis Arabię, & ſatis ſunt ſibi coniuncti. nam cum eſſet Moyſes in terra Madian, & paſceret greges Iethro ſoceri ſui, venit in montem Sinai, vt patet Exo. c. 3. in quo patet, terram Madian eſſe coniunctam monte Sinai, & iterum cum Iſraelitæ exeuntes de Ægypto eſſent in monte Sinai, venit Iethro de terra Madian ad Moyſen, Exo. c. 18. terra etiam Moabitarum eſt in deſerto Arabiæ: nam Iſraelitæ venientes per deſertum peruenerunt ad extremitatem eius, vt colligitur præceden. c. & Deuter. c. 2. ideo poterant iſtæ duæ gentes communicare ex aliqua parte, & ſic erant Madianitæ aliqui in terra Moab, ad quos locutus eſt rex Moab. Sciendum eſt etiam, quod iſti populi veniebãt de conſanguinitate Abrahæ, quia Moabitæ erant de genere Loth. habuit enim duos filios. ſcil. Moab, & Ammon, à quibus denominati ſunt duo populi Moabitæ, & Ammonitæ Gen. 19. c. erat etiam Loth conſobrinus Abrahæ, ſcil. filius fratris ſui,

C vt patet Geneſ. c. 11. ideo pertinebant iſti duo populi aliquo modo ad Abraham, Madianitæ autem erant directe de linea Abrahæ, quoniam habuit Abraham vxores tres, ſcil. Saram, Agar, & Cethuram. De Agar Gen. 16. c. de Sara Gen. 12. c. de Cethura Gen. 25. c. de Agar autem genuit Iſmahel, à quo venerunt populi Iſmahelitarum, vt patet Gen. 16. c. De Sara autem venerunt duo populi, ſcil. Idumæi, & Iſraelitæ, nam Sara genuit Iſaac. Gen. 21. c. Iſaac autem genuit Iacob, & Eſau. Geneſ. 25. c. de Eſau autẽ venerunt Idumæi, vt patet Gen. 36. c. & Deuteron. cap. 2. de Iacob autem venerunt Iſraelitæ. Abraham autem genuit ex Cethura filios ſex, quorum vnus fuit Madian, & ex eo natus eſt populus Madianitarum, vt patet Gen. 25. c. & ſic patet, quod Moabitæ, & Madianitę pertinebant ad genus Abrahæ, & etiam iſta cauſa erat aliquo modo, quare iſti duo populi communicarent, ita quod eſſent Madianitæ in terra Moab. dicunt autem aliqui, quod Balac rex Moabitarum erat de genere Madianitarum, ideo morabantur in regno ſuo Madianitæ, & cum his faciebat conſilium ſuum: vnde confidens magis eis, quam Moabitis, miſit eos tanquam mediatores in facto iſto ad Balaam ariolum, ſed non patet ex hoc aliquid, quia Madianitæ erant populi, qui ſubiiciebantur cuicunque potenti: vnde non ſolum habebant familiaritatem iſtam cum rege Moab, ſed etiã cum rege Amorrhæorum, qui erat hoſtis Moabitarum, ſeruiebant enim illi, & omnes quinque principes terræ Madian, qui vocantur reges infra 31. c. erant duces ſub rege Sehon, vt patet Iudi. c. 13. vbi vocantur duces illius. Poſt mortem autem eius potuerunt contrahere amicitiam cum rege Moabitarum, & manerent in terra illius: tunc autem ipſe locutus eſt ad maiores natu Madian, id eſt, ad eos, qui erant nobiliores in tota terra Madian. Dicuntur enim dupliciter maiores natu: aliquando n. vocantur maiores natu illi, qui ſunt ſeniores, ſcil. quia præceſſerunt alios natiuitate: aliquando autem dicuntur maiores natu, id eſt, de meliori genere, ſiue de maioribus natalibus, & iſto modo accipitur hic, quod locutus fuerit ad nobiliores de tota terra Madian, quamquam ſatis poterat accipi, quod loqueretur ad maiores natu, id eſt, ad ſenes, quia illi prudentiores ſunt propter experientiam, eſt enim iudicium de particularibus prudentiale, & particularia apprehenduntur per experiẽtiam, quæ tempore indiget, ideo non contingit, quod ſit aliquis prudens in magna iuuentute, niſi rariſſime: ſic ait Ariſtot. 6. Ethic. quod facile eſt iuuenes eſſe Mathematicos, ſed prudentes eſſe non contingit, & ſic loqueretur Balac ad veteres terrę Madian, vt ipſi prudentius procurarent hoc negotium. Aliquì autem ſemper conantur dicere Balac regem Moab fuiſſe Madianitam, quia punitio, quę ſecuta eſt ex conſilio, & opere Balac regis Moabitarum non venit ſuper Moabitas, ſed ſuper Madianitas, de quo inf. 25. & 31. Si tamen fuiſſet Balac rex Moabitarum de genere Moabitarum, veniſſet punitio ſuper Moabitas.

D

Maiores natu. qui dicantur.

Cap. 8.

Balac an fuerit rex Moabitarum, vel Madianitarum:

E

& an fuerit rex Moabitarum de ſtirpe Madiã, & quare pugnauerunt Iudæi contra Madianitas, & non contra Moabitas.

Reſpondendum eſt non ſequi ex hoc, nam verum eſt, quod Moabitæ mala meruerunt: tamen non receperunt illa, quia Iudæi vetiti erant facere eis malum, vt patet Deut. c. 2. de Madianitis autẽ non fuit vetitum, immo iuſſum eſt, quod pugnarent contra eos. inf. 31. cap. ideo intulerunt eis malum, hoc enim ipſi merebantur, quia conſuluerunt hoc regi Moabitarum, & dederunt ei fauorem adducendo Balaam de terra longinqua ad maledicendum Iudæis. Moabitæ autem non fuerunt puniti in hoc, ſed in aliquo alio, ſcil. quod non poterant ingredi in Eccleſiam Domini in æternum, quod licebat aliis nationibus: etiam nunquam debebant habere pacem Iſraelitæ cum eis. De hoc Deuteron. cap. 3. ſcil. Ammonites, & Moabites etiam poſt decimam generationem non intrabunt Eccleſiam Domini in æternum, & ſequitur ibi, quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Meſopotamia, vt malediceret tibi. Et ſequitur, Non facies cum eis pacem, nec quæres eis bona cunctis diebus vitæ tuæ vſque in ſempiternum. Et ſic tam Moabitæ, quam Madianitę puniti ſunt pro hoc facinore: ſed Madianitæ immediate deleti ſunt, Moabitis vero impoſita eſt pœna pro ſequentibus generationibus: ideo non patet ex hoc, quod Balac rex Moabitarum eſt de genere Madianitarum. Sciendum, quod Hebræi dicunt, quod Balac habuit conſilium cum Madianitis, quia iſti cognoſcebant mores Moyſi, cum Moyſes magno tempore vixiſſet in terra Madian, quando fugit à facie Pharaonis, vt patet Exo. c. 2. & 3. & dixerunt iſti duces, quod Moyſes magis verbis quam armis populum defendebat, & vincere faciebat, & verum eſt, quia Exo. c. 17. habetur, quomodo eleuatis manibus Moyſi in oratione vincebat Iſrael, ſi autem deprimerentur manus eius, vincebatur Iſrael: tunc ergo dixit Balac rex Moab: Ego adducam alium, qui in benedictionibus, & maledictionibus ei reſiſtat, & propter hoc vocauit Balaam ariolum. Sed iſtud non ſtat ex ſuperioribus: nam ſatis patet ſupra, quod ipſe inquiſiuit, an poſſet reſiſtere Iſraelitis pugnando, & inuenit ſibi eſſe impoſſibile, quia Iſraelitæ confregerant alios reges fortiores ſe, & quia Moabitæ timuerant Iſraelitas non potentes ferre impetum eorum, ideo recurrit ad ſubſidium magicum, inuocando ariolos. Satis etiam patet ex verbis eius ad Balaam ariolum. ſcil. Veni ergo, & maledic populo huic, quia fortior me eſt, ſi quo modo poſſim percutere, & eiicere eum de terra, quaſi dicat, quamuis nõ poſſim opere bellico, tamen poſſum aliquo modo, ſcil. opere magico. *Ita delebit hic populus omnes, qui in noſtris finibus commorantur, quomodo ſolet bos herbas vſque ad radices carpere.* Hic admiratur rex Moabitarum de potentia Iudæorum loquens modo deſperantis, ſcil. quod ipſe nullo modo poſſit cum Iudæis congredi, quia fortiores valde erant, & dicit, quod omnes populos terræ ipſi delebunt, ſicut bos deſtruit herbas. Poſuit ſimilitudinẽ de boue, quia ouis, & capra herbarum ſummitates decerpunt, ita vt multũ de herbis remaneat: bos autem vſq; ad radices vorat, ita vt nihil maneat: ita populus Iudęorũ ſe habebat, & in hoc mirabatur Balac rex

Opin. Hebræorũ de Balac, quare vocauit Balaam.

F

Moabi-

A

Moabitarum, quia quando alii reges gentium aliquas terras bellando vincebant, accipiebant incolas in sua potestate. Hebræi autem occidebant omnes, quia sic mandauerat eis Dominus. vt habetur infra 33. cap. & Deut. 20. capit. Hoc autem apparebat in rege Sehon, & rege Og: nam ipsos cum populis suis destruxerant Iudæi nihil relinquendo, vt patet præced. capit. & sic putabat Balac, quod futurum erat de aliis populis, & regibus. *Ipse eo tempore rex erat in Moab.* Ponitur hoc ad significandum quomodo pertinuerit ad Balac facere ea, quæ infra sequuntur, scilicet, mittere nuncios ad Balaam ariolum, vt veniret in Moab ad maledicendum Iudæis, nam si non esset habens curam de Moabitis non pertineret ad eum ista facere, ideo dicitur, quod erat rex in terra Moab. Ad regem autem pertinet habere curam de omnibus, quæ in regno fieri debent.

Misit ergo nuncios ad Balaam, filium Beor ariolũ, qui habitabat super flumen terræ filiorum Ammon, vt vocarent eum, & dicerent: Ecce, egressus est populus ex Aegypto, qui operuit superficiem terræ sedens contra me. Veni igitur, & maledic populo huic: quia fortior me est: siquo modo possim percutere, & eiicere eum de terra mea. Noui enim, quod benedictus sit cui benedixeris, & maledictus in quem maledicta congesseris. Perrexeruntque seniores Moab, & maiores natu Madian habentes diuinationis pretium in manibus. Cumque venissent ad Balaam, & narrassent ei omnia verba Balac, ille respondit: Manete hic nocte, & respondebo quidquid mihi dixerit Dominus. Manentibus autem illis apud Balaam, venit Deus, & ait ad eum: Quid sibi volunt homines isti apud te? Respondit: Balac filius Sephor, rex Moabitarum misit ad me, dicens: Ecce populus, qui egressus est de Aegypto, operuit superficiem terræ: veni, & maledic ei, siquo modo possim pugnans abigere eum. Dixitque Deus ad Balaam: Noli ire cum eis, neque maledicas populo, quia benedictus est. Qui mane consurgens dixit ad principes: Ite in terram vestram, quia prohibuit me Dominus, venire vobiscum. Reuersi principes, dixerunt ad Balac: Noluit Balaam venire nobiscum. Rursum ille multo plures, & nobiliores quam ante miserat, misit. Qui cum venissent ad Balaam, dixerunt: Sic dicit Balai filius Sephor: Ne cunctaris venire ad me. Paratum habeo honorare te, & quidquid volueris, dabo tibi. Veni, & maledic populo isti. Respondit Balaam: Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti, & auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, vt, vel plus, vel minus loquar. Obsecro, vt hic maneatis etiam hac nocte, vt scire queam quid mihi rursum, respondeat Dominus. Venit ergo Deus ad Balaam nocte, & ait ei: Si vocare te venerunt homines isti, surge, & vade cum eis, ita dunt taxat, vt quod tibi præcepero, facias.

Legatio 1. Moabitarũ ad Balaã ariolum. up. eod.

B

Legatio 2. eorundẽ.

Infr. 24

Sup. eo.

C

Misit ergo nuncios. Hic ponitur secundum, scil. remediatoris vocatio, & quanquam non ponantur superius plura, quia Scriptura loquitur breuiter, tamen intelligendum est, quod habuerint consilium Madianitæ cum rege Moab, & determinauerint vocandum esse Balaam ariolum: ideo dicitur hic, q̃ misit nuncios rex Moab ad Balaam promittens ei pecuniam, vt malediceret Iudæis. *Ad Balaam filium Beor ariolum.* Vocatur hic Balaam ariolus, id est, magicus, vel maleficus.

Qui dicantur arioli, & quomodo ista ars inuenta est: & an Balaam esset astrologus magnus, & ariolus, & an verus Propheta Dei, vel idolorum.

QVÆSTIO III.

PLures modi sunt maleficiorum, qui pertinent ad artes speciales, de quibus habetur aliquid Deuter. cap. 18. scilicet, non inueniatur in te, q̃ lustrat filium, aut filiam per ignem aut maleficos sciscitetur, aut obseruet somnia, aut augurio, nec sit maleficus, nec incantator, nec fictiones consulat, nec diuinos, & quærat à mortuis veritatem: omnes isti modi, & plurimi alii in sacra Scriptura vocantur maleficia. Balaam autem erat maleficus, quia in omnibus his peritus erat, hic tamen vocatur ariolus, quod pertinet ad vnum genus maleficii: & hoc, quia ipse solum monstrauit operationẽ ariolandi, nec vsus est aliis maleficiis. Dicuntur autem arioli ab aris, & sunt illi, qui in aris futura perscrutantur. Et hoc fit occidendo animalia in aris: ibi autem inquisitis venis præcordialibus quæ dicuntur fibræ, conãtur qui huiusmodi sunt, prænosticare veritatẽ. Et iste fuit modus cõissimus apud antiquos gentiles ad inquisitionẽ futurorum. Sic patet in tragœdiis Senecæ 5. tragœdia, quæ dicitur Oedippus, & frequẽter in Tito Liuio, & Aug. de ciuitate Dei, & aliis Romanorum historiis, quod satis clare ponit Lucanus lib. 1. de bello plusquã ciuili Iulii, & Pompeii. Ista ars fuit inuenta à quodam qui dicebatur Teges, & inuentus est prosiliisse de gleba quodam arante, & subito locutus est, atq; artem istam docuit. Sic ait Marcianus fẽlix capella, libro 2. de nuptiis Mercurii, & Phisiologiæ prosa vlti. Nunc autem vocantur arioli illi, qui de aris Ecclesiarum aliquam partem assumunt, vt inde maleficia operentur: sed valde improprie tale nomen eis imponitur, quia arioli sunt futurorum diuinatores, qui autem ararum consecratarum partem sumunt, futura non dicunt, sed solis præsentibus malefaciunt. Balaam autem ariolus vocatur, quia isto modo inquirebat aliquas veritates futurorum, & patuit hoc ex eis, quæ sequuntur cap. seq. vbi iussit poni sibi 7. altaria, & immolari septem animalia, nihil autem sine immolatione tali inquirebat: ideo litera nostra vocauit eum magis ariolum, quam alio nomine. Secundum veritatem autem Balaam erat magnus astrologus in iudicialibus cognoscens quantum cognosci ex astris datur, quid hominibus futurum esset: cum autem consideraret in astris alicui infortunia euentura prædicabat palam. Cum autem audientes populi rudes postea viderent sic euenire: putabant, quod ex maledictione, vel benedictione Balaam infortunia, vel eufortunia venissent, ideo dixit rex Moab ad illum: Noui, quod ille benedictus sit, cui benedixeris, & maledictus, in quẽ maledicta congesseris. Erat etiã ariolus, & ea, quæ per astra cognoscere non poterat, quadam dæmonum familiaritate in talibus aliquando cognoscebat, vel dæmonibus immolabat, vt ei veritatem demonstrarent, vel vt eos per obsequia ad nocendum aliquibus quantum posset incitaret, & hoc commune est apud omnes maleficos. Sed dicet aliquis impossibile esse hoc, quia dæmones quantum eis permittitur à Deo in homines desæuiunt, nec indigent ad nocaliquo commouente. Respondendum est, non stare, quia licet dæmones prompti sunt nobis nocere quantũ possunt inquantum nobis inuident: tamen non curant nocere quantum ad omnia, quia non inuident nobis quantum ad omnia: non enim inuident, quia diuites sumus, vel quia corpore robusti, vel ingenio acuti, & vt generaliter dicam nec in aliquo naturæ bono inuident. In his enim multo superiores nobis sunt secundum gradum: sed inuident, quia secundum Dei gratiam, & virtutes vitam beatam attingere possumus, à qua ipsi ex quadam præsumptione defecerunt: inuident ergo bonis, quia talia habere prompti sunt: vnde summe laborãt, vt bonos à bonitate conuertant, siue directe ad vitia deducendo, siue in temporalibus affligendo: non enim cupiunt temporalia nostra destruere, nisi vt per ea ad impatientiam, & vitia perducamur, vel de vno vitio ad plura transeamus: vnde si aliquem ita in bono firmissimum esse cognoscant, vt nulla sæuientis fortunæ aduersitate à bono deiici possit, tunc tentari nullatenus audent, & si aliquos malos temporalibus bonis abundantes esse conspiciant aliquãdo vexare non audent, ne afflicti ad Dominũ conuertantur, quia solet afflictio dare intellectum: si tamen dæmon maleficiis, vel adoratione, quã maxime cupit incitetur, aliquibus nocebit, quibus ante nocere non curauerat, siue bonis, siue malis, vt patet de dæmonibus, qui circuibant domum, in qua beatus Iacobus hospitabatur ab Hermogene ad hoc per maleficia incitati, & sic aliquibus quandoque nocere cupiunt corporaliter, vt suasores suos spiritualiter lædant. Erat etiam Balaam iste Propheta, & verus Propheta, quia Deus ei multa reuelabat, & ei apparebat, vt patet hic in litera: multa etiam prophetice dixit de populo Iudæorum, & de Messia, vt patet infra 24. cap. erat etiam

D

Ariol⁹ vnde dicatur.

Inuentor artis ariolandi. Arioli qui nũc vocantur in eccl̃ia

E

Balaã magn⁹ Astrologus. An dæmones cõmouentur ab aliquo contra alios homines, vt eis noceant, cũ hoc sit eis officium.

F

Balaã laus, & an esset Propheta Domini, vel idolorum

A

Balaam propheta Dei ficut Moyſes, quanquam aliqui dicũt, quod Balaam erat propheta dęmonum,&ſic aliquando Scriptura frequẽter nominat aliquos prophetas idolorum, ſicut nominat prophetas Baal, de quibus 3.Reg.18.c.cum Elias occidit quadringentos de prophetis Baal.Sed nõ vocantur proprie prophetæ dæmonũm, quia prophetia eſt reuelatio veritatis, quæ naturaliter cognoſci non poteſt: veritates autem, quas dæmones nouerunt multæ, & ſubtiles ſunt, ſed naturaliter cognoſci poſſunt. Sola autem quæ Deus reuelat naturaliter non cognoſcuntur: imo quod plus eſt, ſi dæmones aliqua, quæ nobis Deus reuelat, reuelarent: adhuc prophetæ non eſſemus, quia illa naturaliter cognoſci potuerunt, cum dæmones illa reuelauerint. Quod autem aliquis modus,vel bonus ſit,nihil attinet ad prophetiam,vt patet in Caipha, Ioan.11.c.qui prophetauit, & tamen vir malus erat, cum procurauerit mortem Chriſti: ſed nihil impedit prophetiam, quia malitia voluntatem tangit,&intellectum practicum:prophetia autem ſolum intellectum ſpeculatiuum, cum ſit nuda cognitio,ſiue reuelatio ad agendum. Si ergo aliquis idola colat, non propter hoc vocabitur propheta idolorum, quia cultus voluntatem reſpicit,prophetia aut intellectum. Dico autem hoc denominando propheram à proprio actu, ſcilicet, à cognoſcendo ſuper naturaliter reuelata. Si autem velimus à quolibet accidenti poſteriori rem denominare, eſt confuſio artis,& iſto modo, ſicut aliquis vocatur propheta idolorum, per aliquid accidentale, ſc. quia idola colit: ita vocabitur propheta vini, ſi vinum vendiderit, nec eſt maior ratio de vno, quam de alio, quia vtrunq; ad cognitionem ſupernaturalem ſpeculatiuã æqualiter poſterius eſt, ſicut muſicus à ſono proprie nomen accipit. Si autem aliquis muſicus à triangulis denominet, quia accidentaliter in eo, quod geometra eſt trianguli cõſiderat paſſionem, cuncta pereunt, natura deſtruitur, nihilque diſtinctum permanet. Si ergo cunctas res,vt decet propriis velimus nominibus appellare, Balaam Dei propheta vocabitur: vt res, vnde naſcendi, inquantum talis eſt, originem habet,inde notificatiuum nomen recipiat. Nec etiam Scriptura vocat aliquos prophetas idolorũ, quia ſolum idola colebant, ſed quia à dæmonibus reſponſa recipiebant, vt patet de prophetis, quos decepit ſpiritus malus, vt habetur 3. Reg.c.22. Balaam autem prophetiam ſuam ex Deo, & non ex dæmonibus habebat: ideo propheta Dei erat. alias autem veritates futuras per aſtra naturaliter,& incerte, & per artem ariolorum confuſe inueniebat,ſed quantum ad iſtas propheta non dicebantur. *Qui habitabat ſuper flumẽ terræ filiorum Ammon.* Ponitur locus, vbi habitabat, quoniam mittebantur illuc ſeniores Madian ad inquirendum ab eo,& ducendum ipſum in terram Moab.

Malitia non impedit prophetare.

B

An Balaam vocatus fuerit de terra Ammonitarum, vel de Meſopotamia & vbi habitauerit.

C

QVÆSTIO IV.

SEd arguet aliquis, quod non habitauerit in terra Ammonitarum,quia infra 31.c.dicitur,quod occiderunt Iſraelitę Madianitas,& ibi cum eis occiderũt Balaam ariolum. ergo in terra illa habitabat:& tamẽ ipſe dixit, quod redibat in terram ſuam,quando receſſit de terra Moab,vt patet infra 24.c.ergo non habitauit ſuper flumen terræ filiorum Ammon.

In contrarium videtur, ſcilic. quod habitauerit in alia terra,ſcilicet,in Meſopotamia,vt patet ſeq.cap.dum dixit ipſe ad regem Moab.De Haram adduxit me Balac, rex Moabitarum de montibus orientis. & iſta ciuitas Haram,vel terra eſt Meſopotamia, quod patet, quia Abraham, & tota cognatio ſua,& domus patris ſui habitauerunt magno tempore in Haram,vt patet Gen.11.cap. & manſit ibi cognatio tota Abrahæ ipſo egrediente,& veniente in terra Chanaan,vt patet Geneſ. cap.11.& cum poſtea miſit Abraham ſeruum ſuum Eliezer ad terrã iſtam,& dicitur,quod mittebat eum in Meſopotamiam Gen.24. Item patet quia Rebecca miſit filium ſuum Iacob in Meſopotamiam ad Laban fratrem ſuum,Gen.39.cap.dicitur, quod venit Iacob ad Laban in Haram: ergo idem eſt Haram, & Meſopotamia. Item patet,quod iſta regio Haram,de qua hic dicitur,ſit idem,quod Meſopotamia, quia hic dixit Balaam, quod adduxerat eum rex Moabitarum de Haram, & tamen Deut.23. cap. dicitur, quod Moabitæ duxerunt Balaam, de Meſopotamia Siriæ ad maledicendum Iſraelitis : ergo idem eſt Meſopotamia & Haram : ſed terra Meſopotamiæ diſtat à terra Ammonitarum, & de terra Madianitarum: ergo non habitauit Balaam in terra Ammonitarum nec Madianitarum, ſed in terra Meſopotamiæ. Reſpondendum eſt,quod Balaam ariolus habitauerat in terra Meſopotamiæ, & quando miſit pro eo rex Balac ibi habitabat, vt patet ſequenti capitulo, vbi dicitur, quod vocatus eſt de Haram, & Deuter. capit.23. vbi dicitur,quod vocatus eſt de Meſopotamia, quod idem eſt.Hic autem dicitur,quod habitabat in terra Ammon: multum enim iſta differunt:quia flumen terræ filiorum Ammon,dicitur eſſe flumen, quod per illam fluit, ideo ſi aliquis habitet apud flumen illud, etiamſi ſit in terra alia dicetur habitare ſuper flumen terræ filiorum Ammon, & ita erat de Balaam: nam ipſe habitabat in Meſopotamia, & ibi habitabat ſuper flumen, quia omnes habitantes in Meſopotamia ſunt ſuper flumen, cum ipſa ciuitas ſit inter duo flumina,ſiue inter duas diuiſiones eiuſdem fluminis : ideo vocatur in Hebræo Haram fluuiorum, & in litera noſtra vocatur Meſopotamia, id eſt, ciuitas in medio aquarum. Fluuius autem iſte eſt Euphrates, qui veniens per vrbem Babylonem tranſit in Meſopotamiam Syriæ, & inde fluit per terram Ammonitarum,atque tranſit per latus Septentrionale terram Chanaan: ſic patet Gen.cap.15. vbi ponitur Euphrates ad latus Aquilonare terræ promiſſionis, & ſatis eſt veriſimile, quod deriuetur iſte fluuius per terras prædictas, quia de Meſopotamia in terram Chanaan,eſt recta via per terram Ammonitarũ,quod patet ex itinere Iacob, Geneſ. 31 capit. ipſe enim veniebat de Meſopotamia, & tranſiuit per montem Galaad,vt patet eodẽ capit. mons tamen Galaad eſt in extremitate terræ Ammonitarum,vt colligitur ex eis, quæ habentur præcedenti capit. & Deut.capit.2.vbi ponitur Iabocapud montem Galaad, & tamen Iaboc eſt terminus Ammonitarum, vt ibi patet, tranſit ergo Euphrates per terram Ammonitarum,& quia ille tranſit per Meſopotamiam, dicitur habitans in Meſopotamia habitare ſuper flumen terræ filiorum Ammon. Denominauit autem Scriptura fluuium iſtum magis à terra Ammon,quam à Meſopotamia,quia Iudęi erant nunc in extremitatibus terræ Ammon, & habuerunt in partem ſuam quandam portionem terræ Ammon, vt patet Ioſue capit.13.ergo magis poterant cognoſcere fluuium iſtum de nominata terra Ammon, quam de nominata terra Meſopotamiæ. Cum autem arguebatur,quod habitaret Balaam in terra Madianitarum,quia ibi occiſus eſt cum aliis Madianitis, infra 31.c.& Ioſue cap.13.Reſpondendum eſt, quod Balaam aliquando habitauit in terra Madianitarum, & tamen à principio quando vocauit eum rex Moab, non habitauit in terra Madian, ſed in Meſopotamia: eſt tamen veriſimile, quod illi maiores natu terræ Madian,qui vocauerunt eum de Meſopotamia ſuaſerint ei,quod habitaret in terra eorum Madian, & quod eum valde honorarent, atque ditarent: vnde quando rediit de terra Moab, non reuerſus eſt ad habitandum in Meſopotamia, vbi ante fuerat, ſed habitauit in terra Madian: & ſic potuit ibi interfici cum aliis Madianitis. Sed obiicietur, quia infra 24.capit.dixerit Balaam,veruntamen pergens ad populum meum dabo conſilium quid populus tuus huic populo faciet: ergo rediit in populum ſuum: ſed populus ſuus erat in Meſopotamia,vbi prius habitauerat: ergo illuc rediit, & non iuit in terram Madian.

D

Fluuius rigãs Meſopotamiã eſt Euphrates

E

F

Contra prædicta arguitur.

Sed reſpondebitur, quod quanquam hoc dixerit Balaam, vel propoſuerit facere, tamen poſtea perſuaſus à Madianitis non fecit,ſed magis habitauit in terra Madian. Sed non ſtat, quia eod. cap. 24. in fine dicit,ſurrexit Balaam,& abiit in locũ ſuum : ergo videtur, quod in Meſopotamiam reuerſus ſit, & non in terram Madian. Reſpondendum eſt, quod Balaam habitauit in terra Madian poſtquam venit ad regem Moab: & tamen prius quam locaret ſedem ſuam in terra Madian, rediit in Meſopotamiam, vbi prius habitauerat ad expediendum negotia ſua, quia ibi reliquerat omnia, quæ poſſidebat. *Vt vocarent eum.* Scilicet, quia non poterat Balaam ex loco illo, in quo erat maledicere Iſraelitis, quod volebat rex Moabitarum : ſic enim ſolebat maledicere alicui in præſentia, quia forte iſte erat ritus maleficorum. & hoc apparet, quia quando venit Balaam, duxit eum rex Moabitarum ſuper montem excel-

A

rem excelsum, vbi posset videre quandam partem populi, & ibi constituit aras, & occidit victimas, vt patet infra, & sequenti capitulo. *Et dicerent: ecce, egressus est populus ex Aegypto.* Hic ponitur narratio facti quæ debebat præponi Balaam ad hoc, quod veniret ad regem Moab. Et dicuntur Iudæi populus egressus ex Ægypto, quia à principio fuerant in terra Ægypti, & nunquam fuerunt populus nisi ibi. Nam à principio pauci erant, scilicet, Iacob & filii sui, & quidam nepotes eius satis parui. omnes autem erant 66. quando introierunt in Ægyptum: ibi vero facti sunt populus magnus. Primum patet Gen. ca. 46. & secundum Exod. cap. 1. Cum vero egressi sunt de Ægypto, erant viri pugnatores de Israelitis numero sexcentorum millium præter paruulos, & senes, & fœminas, Exod. cap. 12. *Qui operuit superficiem terræ.* Iste est modus loquendi parabolicus: nam non operiebant Israelitæ superficiem terræ, sed, quia erant multi, videbantur operire eam: sic sunt multæ hyperbolæ in Scriptura, vt Gen. 41. cap. scilic. omnes populi veniebant in Ægyptum, vt emerent sibi escas: sed manifestum est, quod non ibant illuc omnes. Et sic multa exempla sunt.

Sedens contra me. Et iste est populus dispositus ad aduersandum mihi: & dicebatur sedere contra eum, sicut cum sunt duæ acies in campo, & vna est contra aliam disposita, ita Hebræi erant in extremitate regni Moab: nam dicitur supra, quod erant in campestribus Moab, scilicet, in quibusdam campestribus in extremitate terræ Moab, & illa olim fuerant de terra Moab.

B

Veni ergo, & maledic populo huic. Dixit enim, quod malediceret, quia ipse non poterat præualere cõtra eum in pugna, ideo volebat saltem per maledictionem eum à se expellere. Dixit quod veniret, quia intelligebat, quod quanquã malediceret exiitens in terra sua quod illa maledictio non proficeret, quæ non noceret Iudæis, cum non esset in præsentia, secundum quod exigebat modus maleficorum.

Sciendum tamen, quod hoc non proficiebat ex natura rei: nam si illud quod faciebat, vel proferebat Balaam poterat nocere, vel proficere in propinquo posset etiam hoc facere in remoto: sed dæmones volunt sibi quasdam cæremonias obseruari, etiamsi superfluæ sint, vt magis honorentur, quæ ab eis sunt, & propter hoc vocantur ista superstitiones.

Vnde sunt dicta superstitiones.

Quia fortior me est. Id est, populus iste Iudaicus erat fortior populo Moabitarum. Hoc arguebat rex Moab ex operibus eorum, scilicet, quia destruxerant regem Sehon, & regem Og delentes eos vno impetu, & tamen illi erant potentissimi reges: sed non erat ista fortitudo Iudæorum, sed magis à Deo: alias autem non erant Iudæi fortiores aliis populis, quia nec numero plures erant, nec viribus fortiores, sed quia Deus adiuuabat eos, vt patet Deuteronom. capitulo septimo: ideo admonebat Deus, vt quando omnia ista fecissent non dicerent in corde suo, fortitudo mea, & robur manus meæ hæc mihi omnia præstiterunt, sed recordarentur, quod Deus vires eis præbuisset, Deuteron. capit. 8. Dicebat autem hoc rex Moabitarum ad exprimendum causam missionis suæ ad vocandum Balaam: nam posset dicere Balaam, quod non erat opus maledictione: nam poterat pugnando delere populum illum: & respondetur, quod iste populus erat fortior Moabitis, & in hoc innuitur, quod non poterat præualere contra eos rex Moab: ideo recurrendum sibi erat ad subsidium magicum. *Si quo modo possim percutere eos.* Id est, si saltem aliquo modo possim eos destruere, quasi dicat, non possum superare illos bellando, ideo saltem vellem eos opere magico superare.

C

Et eiicere eum de terra mea. Id est, quod possim populum istum Israeliticum eiicere de terminis terræ meæ. Erant enim Israelitæ in finibus terræ Moab, scilicet, in campestribus Moabitarum, vt patet supra: ideo timebat rex Moab, quod introirent in terram ipsius, & delerent eum, sicut deleuerant duos reges Amorrhæorum, & vere sic fecissent, nisi Deus vetuisset pugnare contra Moabitas, Deuteronom. capitulo secundo.

Noui enim quod benedictus sit, cum benedixeris. Hic exprimit magis causam missionis huius rex Moab: nam posset dicere Balaam: Ad quid mittis ad me, vt maledicam populo huic ad hoc, vt possis expugnare eum, quia maledictio nihil ad hoc proficit. Respondet rex Balac, quod ipse certissime cognoscebat, quod maledictio, & benedictio Balaam erant magnæ efficaciæ: ita quod ille, cui ipse benedixisset esset vere benedictus, & è contrario de maledictione. Benedicere autem est bona annunciare, esse autem benedictum est bona euenire alicui, quia ea, quæ iste prænunciabat eueniebant, & non dicebat ista rex Moabitarum Balaam ariolo adulando ei, sicut aliqui solent alios interdum extollere, vt aliquid inde habeant, quanquam contrarium nouerint: rex tamen Moab vere intelligebat, quod Balaam posset efficaciter benedicere, & maledicere, alioquin non misisset eum ad vocandum de Mesopotamia cum tantis sumptibus mittendo illuc maiores natu Madian: intelligebat autem hoc rex Moabitarum, & alii vulgares, quia viderant, quod Balaam aliquando prænunciabat aliquibus mala, & eueniebant: aliquando autem prænũciabat bona, & similiter veniebant: ideo credebant ista esse ex virtute verborum Balaam, vel ex aliqua potestate eius occulta: sed hoc eueniebat per notitiam eius in astris, quantum ad partem iudicialem, per quam possunt comprehendi aliqui euentus saltem in vniuersali: & plurima cognoscebat ex consortio dæmonum in arte ariolandi, & cæteris maleficiis. Dicunt autem Iudæi, quod iste Balaam prædixerat tempore belli regis Moab cum rege Sehon, quod Moabitæ vincerentur: & sic factum est: ideo credidit rex Moab, quod si diceret nunc Moabitas victuros in bello contra Iudæos, ipsi certissime vincerent: & hoc erat benedicere.

D

Et maledictus, in quem maledicta congesseris. Id est, noui quod ille incurrat maledictionem, super quem tu protuleris maledictionem. Esse aliquid maledictum, est quod veniat super eum aliquod malum, siue infortunium: & hoc putabant vulgares prouenire per sola verba Balaam. Congerere autem maledicta, est congregare maledictiones super aliquẽ, vt cum proferuntur multæ maledictiones super aliquem: & ita faciebat Balaam. Sic dicitur supra cap. 5. de aquis, quas sumebat mulier, contra quam fiebat exprimentum de zelotypia: nam dicitur, quod sacerdos congerebat maledicta super aquas amarissimas, & dabat in potum mulieri.

E

Perrexerunt seniores Moab, & maiores natu Madian. Supra dicebatur, quod miserat rex Moabitarum seniores, siue maiores natu Madian, & quod cum eis locutus fuerat: hic autem dicitur de Moabitis & Madianitis, scil. quod missi fuerunt seniores Moab, & maiores natu Madian, id est, nobiliores de terra Madian, vel senes terræ illius.

Et dicunt aliqui causam huius esse, quia rex Balac erat rex Moabitarum, & Madianitarum, & quia in hoc vertebatur periculum vtrorumque de vtrisque missum est ad vocandum Balaam.

Sed hoc non stat, quia Madianitæ habebant alios reges, scilicet, quinque reges infra 31. capitulo. sed missi sunt Moabitæ, & Madianitæ, quia Madianitæ erant consiliarii regis Moab, & ad ipsos locutus est quando inquirebat quid faciendum esset in hoc, vt patet supra de ipsis, ideo missi sunt quidam: Moabitæ autem erant de regno Balac, & ad eos pertinebat principaliter istud negotium, ideo etiam de eis quidam missi sunt.

F

Quare missi sunt Madianitæ cum Moabitis secundum Hebræos ad vocandum Balaam.

QVÆSTIO V.

HEbræi dicunt, quod ideo missi sunt Madianitæ cum Moabitis, quia Madianitæ magicis artibus instructi erant: vt si Balaam diceret, quod non erat tempus eundi, quia tempus astrorum erat contrarium, quod illi sibi responderent non esse: vel si diceret, quod indigebat aliquibus instrumentis ad perscrutandum aliquid in arte illa, ipsi sibi darent, vel si opponeret aliquam excusationem, isti sibi responderent.

Sed ista magis pertinent ad fabulas: ideo dicendum, quod isti erant secretarii regis Moab, cum quibus habitum erat consilium: vt ergo secretius, & prudentius ageretur, isti missi sunt habentes diuinationis pretium in manibus, id est, isti abstulerunt pretium in manibus suis pro diuinatione, quã facturus erat Balaam. & hoc fiebat, vt promptius veniret:

A

nam si forte nihil afferretur sibi, venire nollet existimans, quod postquam esset in terra Moab, rex nollet ei quidquam dare: non tamen est intelligendum, quod fuit ei allatum totum quod dandum erat pro diuinatione, sed aliqua munera ad concitandum eum, vt veniret, sed maiora ei postea promittebantur: & iste erat modus ad magis persuadendum: promittebatur tamen postea aliquid magnum, vt patet infra. Nã cum non venisset prima vice Balaam vocatus à rege Moab, dixit ei rex: cur non statim venisti ad me, an quia mercedem aduentui tuo reddere non queo: ergo videtur, quod postea daturus erat mercedem. Item patet ex verbis nunciorum ad eum, scilicet, ne cuncteris venire ad me paratum honorare te, & quidquid volueris, dabo tibi: ergo adhuc dandum erat pretium: sed istud quod missum est, datum est tanquam allicitiuum ad veniendum, & non tanquam pretium aduentus, vel diuinationis. Dicitur autem diuinatio illa, quam faciebat Balaam. Diuinatio enim à Deo dicitur: & est proprie actus Dei, sicut humanificare est actus hominis. Qui autem id, quod ad Deum pertinet, agere possunt, dicuntur diuinare, id est, agere sicut Deus. Est autem cognitio futurorum contingentium propria Deo: ideo illi, qui aliquo modo futura pure contingentia per seipsos cognoscunt diuinare dicuntur. Sic patet Isaiæ capitulo quadragesimo primo. Annunciate, quæ futura sunt in futurum, & sciemus, quia dii estis, id est, per hoc cognoscetur manifeste vos esse deos: tamen si hoc non esset proprium Dei, non posset per illud cognosci aliquem esse Deum. In Hebræo dicitur.

Diuinare cuius sit pars.

B

Diuinationes in manibus suis. Et potest intelligi diuinatio, id est, pretium diuinationis, vel vt vult Aben Ezra diuinationes erant in manibus eorum, id est, diuinatores erant cum eis, scilicet, quod cum istis nunciis ibant aliqui diuinatores ad faciendum ea, quæ dicta sunt, vel vt isti diuinatores intelligerent an aduentus eius prodesset, vel non. Et dicunt Hebræi, quod isti diuinatores inquirebant per sua auguria, & artes quid eis peruenturum esset ex hoc, & inuenerunt, quod si eis Balaam ad primum verbum faueret, bene esset, sin autẽ pessime. Cum autem audierunt responsum eius, scilicet, quod prius consuleret Dominum, defecerunt in cordibus suis non inuenientes, quod volebant. Sed in hoc ipsi expositores Iudæorum auguria faciunt, & etiam non proueniunt eis ad verum. Nam dato, quod Balaam fauisset Moabitis ad primum verbum, non sequebatur ex hoc, quod ipsi possent aliquid proficere ex benedictione, vel maledictione Balaã: nam nullam efficaciam habebat Balaam in verbis, vel in factis: ideo quomodocunque responderet, nihil proficiebat. *Cumque venissent ad Balaam.* Iuerunt enim ad ipsum ad terram Mesopotamiæ, in qua tunc morabatur, vt patet sequenti capitulo, & Deut. 23.

Expositio Rabbi Aben Ezra.

Et narrassent ei verba Balac. Iste erat rex Moabitarum: & omnia quæ supra ipse dixerat ad mouendum Balaam, vt veniret, retulerunt isti seniores ipsi Balaam.

C

Ille respondit, manete hic hac nocte. Ista dicebat Balaam, quia volebat respondere subito, ne forte postea reperiret Deum contrarium in responsione: sic enim aliquando fecerunt viri perfecti, qui primo responderunt aliquid ex corde suo, postea autem contrarium locuti sunt Deo inspirante, vt patet de Propheta Nathan, ad quem locutus est Dauid, quod vellet facere domum Domino: Et respondit Propheta: Omne quod est in corde tuo, vade, & fac, quoniam Dominus tecum est: in eadem tamen nocte apparuit Dominus Nathan prophetæ, & iussit ei contrarium dicere, vt patet 2. Reg. capit. 7. In quo sciendum est, quod cognitio prophetica non est, sicut cognitio scientifica, quæ est per habitum: nam cum aliquis agat habitum semper per illum potest exire in operationem, nisi sit indispositus: sicut habitus, qui est in homine ebrio, & in dormiente, quia ibi est ligatus, vt patet 7. Ethic. est enim ille habitus aliquid per quod semper operari possumus, sicut per potentiam visiuam quantum est ex nobis semper videre possumus.

Quomodo prophetæ aliquãdo loquentes ex iudicio suo errarũt Spiritu prophetico nõ est habitus, sed status transiens

Cognitio autem prophetica non est aliquod lumen habitualiter manens, per q̃ semper possimus exire in operationem, sed est aliqua illustratio raptim transiens, & dum illa manet intellectus Propheræ eleuatur ad cognoscendum aliqua supernaturaliter. Cum autem cessauerit illa illustratio Propheræ nihil magis intelligunt quam prius, quia non manet in eis habitus aliquis, nec actus, nisi quantum ad illud quod primo reuelatum est: quia postquam semel illud cognouerint ad retinendum illud, & intelligendum, non indiget aliquo lumine supernaturali: & sic Prophetæ, quando actualiter nõ illustrantur lumine prophetico, non sunt sapientiores aliis viris: immo aliquando sunt minus sapientes, vt patet de Moyse, qui fuit maximus inter prophetas, & ipse nesciuit ordinare politiam Iudaicam, quæ consistit in habitudine principantium & subiectorũ, vel iudiciũ, & populi iudicati: sed consumebatur labore stulto: Ietro autem, qui non erat Propheta Dñi, sed quidam de sacerdotibus gentilibus, ordinauit optime politiã Iudaicam distribuendo iudices, vt patet Exod. 18. c. ideo si aliquando prophetæ non requisito Dño responderẽt. poterant frequentissime errare, quod cognoscens Balaã dixit, vt expectarent nuncii regis Moabitarum nocte illa.

Et potest dici, quod iussit expectare per noctẽ illam, quia in nocte apparebat Dominus Balaam, vt communiter. Et patet hoc etiam in aliis nunciis, quibus etiam dixit, vt expectarent nocte vna, vt apparet infra, & tamen in constructione altarium apparuit ei Dominus per diem, vt patet sequenti cap. & infra 24. sed hoc fuit, vt impediretur Balaam ab eo, quod intendebat, scilicet, quia volebat maledicere Israelitas: & fuit ad gloriam Israelitarum: quia propter eos apparebat illi Dominus.

D

Rabbi Salom. dicit, quod Deus apparebat in nocte Balaam id est, latenter, sicut homo latenter accedit ad eam, quæ non est eius vxor: & hoc, quia gentiles non erãt populus Dei: prophetis autem Iudæorum apparebat Deus etiam in die, & maxime Moysi, vt patet supra 12. cap.

Quare Deus loquebatur per noctem ad Balaam.

E

Aliqui autem volunt, quod ideo fiebat apparitio per noctem, quia ista locutio erat facta à dæmonibus, qui communiter per noctem loquuntur: & hoc aliqualiter videbatur verisimile. Sed non stat, quia Balaam erat vere Propheta Dei, vt satis apparet sequenti cap. & infra 24. & supra declaratum est. Et dicunt aliqui, quod istę erant reuelationes primę, quas habuit Balaam à Deo. Sed etiam non videtur, quia tunc non fuisset tam famosus si ante hoc solum fuisset ariolus, vel à dæmonibus reuelationes recipiens, quia in terra illa erant alii astrologi, & arioli præter ipsum. Item quia Hebræi dicunt, quod iste erat magnus Propheta, & maior quam Moyses in cognitione, quia plura cognoscebat: sed erat minor in miraculorum operatione: & vocatur infra 24. cap. auditor sermonum Dei, & considerator visionis illius.

Dicã Hebræorum ad Balaã.

Dicendum tamen, q̃ ista visio fiebat per noctem, quia iste erat minimus grad⁹ in modo prophetiæ, vt satis colligitur supra 12. c. vbi fecit Deus differentiam de gradu prophetię Moysi ad omnes alios prophetas, qui tunc erant dicens: si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum: at non talis seruus meus Moyses: ore ad os loquor illi, & palam, & non per enigmata, & figuras Deum videt, & sic posuit prophetis minoribus apparitionem in somnio, vel in visione: pro Moyse autem alium gradum superiorem: sed adhuc in istis duobus gradibus minimus gradus erat in somnio. Causa est, quia ibi solum causantur quædam species in phantasia de nouo, vel illæ, quæ præfuerant, illustrantur, & nouiter ordinantur: in vigilia autem fit aliqua apparitio exterius in corpore assumpto, vel formatur aliqua vox ad Prophetam sine apparitione corporis, vel simul apparente corpore: & istud perfectus est, quam per somnium immutari: ideo communiter apparebat Deus omnibus minoribus per noctem. Sic enim apparuit Abimelech regi Palæsthinorum, Gen. 20. cap. sic etiam aliis gentilibus: ideo apparebat sic Balaam: postea tamen apparuit per viam, quia necesse erat sic fieri ad repugnandum peruersitati Balaam volentis maledicere Iudæis.

F

Quid sibi volunt isti homines apud te? Loquitur Deus ad Balaam, id est, angelus eius: nam Deus nulli vnquam locutus est, nec loqui potest, vt declaratum est Exodi 23. & 25. capit. Vocat tamen Scriptura angelos sæpissime deos, quia ex nomine Dei apparent, & ex nomine eius loquuntur: & quærit à Balaam, quid velint homines illi apud eum? non quasi ignoret, sed ad mõdum hominis, qui cognitam veritatem ex verbis alicuius declarari vult ad conuincendum eum: videbat enim Deus malam intentionem Balaam, quod propter pecuniam ad maledicendum ire volebat: voluit ergo quod

intentio-

A intentionem ſuam ipſe Balaam ſaltem in modo proferendi demonſtraret, vt ei mandatum imponeret, ne populo malediceret: aliter autem non poneretur conuenienter mandatum: nam ſi Deus diceret Balaam non maledicas populo huic, & nihil quæſiuiſſet à Balaam: reſponderet Balaam, quod non intendebat maledicere populo, cum autem patuerit ex verbis eius, quod intendebat illucire, conuenienter ſibi poſita eſt prohibitio.

Reſpondit: Balac filius Sephor rex Moabitarum, miſit ad me. Exprimit Balaam, quid velint illi homines apud eum, & dicit, quod rex Moab mittebat ad vocandum ipſum: ecce, enim patet hic ex modo verborum Balaam praua intentio eius: illi enim, qui ſecundum rogata facere nolunt, rogationes factas perfecte non dicunt aliis de hoc quærentibus, quaſi talia rogamina dedignantes, vel ne viſa precum continentia ab audientibus recitantes ad faciendum incitentur: quæ enim facere cupimus in referendo exaggeramus, vt animorum inclinatiuam virtutem magis habeant: magnum enim cognoſcendæ voluntatis ſignum datum eſt, niſi diſſimulare velimus: quę enim placent, perfecte, & pluſquam perfecte proferimus. In his autem, quæ diſplicent vix ad mediam verborum ſeriem, cum indignatione peruenimus. Balaam autem diligenter perſonæ rogantis dignitatem expreſſit, vt demonſtraret ſe rationabiliter ad hoc moueri debere, quaſi ipſe vellet Deo ſuadere.

B *Ecce populus qui egreſſus eſt de Aegypto operuit ſuperficiem terræ.* Iſta verba miſerat Balac ad Balaam: & dicebatur hoc de Iudæis, quia erant in magno numero: non tamen erant ipſi plures aliis populis, ſed timor, quem conceperant Moabitæ faciebat eos videri multos, & fortes. Etiam Balac rex vtebatur modo iſto loquendi ad Balaam, vt ſuaderet ei venire ad maledicendum: ſi enim non expreſſiſſet, quod erat valde magnus populus, diceret Balaam non eſſe opus maledicere illi, quia pugnando aliter poterat ſuperari. Expreſſit autem hoc, vt crederet Balaam neceſſariam eſſe maledictionem.

Veni, & maledic ei. Id eſt, iſti populo Iudæorum, dixit, vt veniret ex cauſa ſupra aſſignata, quia non putabat proficere maledictionem, niſi fieret in præſentia eorum, qui maledicebantur.

Siquo modo poſſim pugnans abigere eum. Id eſt, ſi non poſſum aliter expellere Iſraelitas de terra mea pugnando ſaltem ſic expellam. Semper enim intendebat rex Moabitarum Hebræos eſſe expellendos de terra opere bellico: ſi tamen ſimpliciter congrederentur Moabitæ cum Iſraelitis ſuperarentur ab eis: ideo intendebat Balac præponere aliqua maleficia maledicendo Iudæis, vt cum iret ad bellum contra eos faciliter illos deſtrueret. Et dicitur: ſi poſſim abigere eum, id eſt, expellere, vel remouere à me, & proprie pertinet ad aues, vel ad pecora. Ad aues autem cum aliquis facit illas de aliquo loco auolare, in quo ipſæ manere volebant, vel ad quem accedere nitebantur, & ſic patet Geneſ. 25. cap. deſcenderuntque volucres ſuper cadauera: Abraham autem abigebat eas. Pertinet etiã ad pecora, vt cum aliquis facit turbationem in pecoribus, vt fugiant, & diſpergantur, & furtim capi poſſint, & hinc dicuntur abigei, & crimen abigeatus, id eſt, quia pecora abiguntur, id eſt, diſperguntur. Accipitur tamen large pro expellere, & ſic pertinet ad homines, & ad omnia alia. *Dixit Dominus ad Balaam, noli ire cum eis.* Non permiſit Deus hac vice ire Balaam cum Moabitis, vt intelligeret Balaam, q̃ volebat Deus ne malediceret Iudæis: poſtea tamen permiſit ſecunda vice, cum miſſi ſunt ſecũdi nuncii Moabitarum propter importunitatem eorum. *Nec maledicas populo, quia benedictus eſt.* Id eſt, non ſolum non eas illuc cum eis ad maledicendum, ſed etiam non maledicas ex loco iſto. Balaam enim cupiditate motus, vt aliquid lucraretur, volebat ſaltem de loco illo maledicere, non vadens in terrã Moab, & quæſiuit à Deo, vtrum ex loco illo maledicere poſſit. Et reſpondit Deus: Nec etiã ex iſto loco maledicas: & ſubiungitur cauſa, ſc. quia benedictus eſt, id eſt, ego benedixi illi: ideo tu nõ debes maledicere. Dicitur enim benedictus, cui bona proueniunt, vel bona certiſſime promiſſa, Iudæis autem vtrunque fuerat, ſc. quod Deus dabat eis bona ſpecialia ſuper alios populos, per quę tollebantur eis aduerſitates, quæ poterãt infligi ab aliis populis. etiam bona promiſerat. ſ. quod ſpecialiter prouideret eis tanquã populo ſuo. Alii dicunt, q̃ benedictus erat, quia dictũ eſt Abrahæ: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes, vt patet Geneſ. 22. cap. ſed hoc non multum agit, quia iſta benedictio pertinebat ad Meſſiam: hic autem intelligitur de benedictione, quæ eſt quoddam bonum tollens omne malum euenire potens ex Iudæorum maledictione ſuſcepta à Balaam: ideo primus modus eſt melior. D

Benedictio quis dicatur & qua re populus Iſrael dicatur benedictus.

Cur Deus tanta diligentia prohibuit Balaam maledicere Iſraelitas, cum ſciret verba ſua nullius eſſe efficaciæ.

QVÆSTIO VI.

SEd quæret aliquis, quare Deus cum tanta diligentia prohibuit Balaam maledictionem proferre ſuper Iſraelitas: non enim videbatur neceſſarium, quia verba Balaam, & obſeruationes eius magicæ non habebant aliquam efficaciam bonorum aut malorum inferendorum, cum eſſent quædam ſuperſtitiones: ideo etiamſi Iudæi non eſſent ſpecialiter benedicti à Deo, nihil nocere poſſet maledictio Balaã. Item dato, q̃ operatio magica adiuta à dæmonibus poſſet aliquid ex permiſſione Dei, ſicut ſępe experimur aliquos maleficiari, ita vt ad coitum impotentes ſint, & plurima alia, quæ vſus manifeſta reddit: tamen hic non poterat maledictio nocere, quia Deus ſpecialiter conſeruabat illum populum, cum dicat eum benedictum: ergo nihil videbatur proficere inhibere Balaam maledicere Iudæos. Reſpondendum, quod iſtud fiebat ad vtilitatem, & conſeruationem Moabitarum. Deus enim meritis Loth, & præcipue Abrahæ cuius conſobrinus erat Loth, nolebat pro tunc Moabitas punire, vt patet Deut. capit. 2. vbi iubet ne Iſraelitæ moueantur in bellum contra illos: ſi autem permiſiſſet Balaam maledicere Iſraelitis forte Moabitæ confidentes propter maledictionem ſe potentes factos ad Iudæos delendum congrederentur cum Iſraelitis. & tunc multi Moabitarum, vel forte omnes caderent in bello gladio Hebræorum, ſicut fuerat de Amorrhæis: & hoc eſt ſatis veriſimile, quia Moabitæ confidebant totaliter, quod ſi Balaã malediceret Hebræis, quod maledicti eſſent. Sic enim dixit rex Moab: Noui, quod benedictus ſit, cui benedixeris: & maledictus, in quem maledicta congeſſeris. Etiam dixit: Veni, & maledic ei, ſi quo modo poſſim pugnans abigere eum, id eſt, quod ſi malediceret Balaam Iſraelitis, ipſe poſſet pugnare contra illos, & vincere. Abſtulit autem Deus in hoc Moabitis occaſionem mortis: nec fuit hoc propter aliquod bonum Iudæorum, ſed ſolum propter bonum Moabitarum: nam ſi Moabitæ veniſſent in pugnam contra Iudæos, quanquam prohibitum eis eſſet pugnare contra Moabitas, tamen pugnarent, quia illud præceptum intelligebatur de non mouendo bellum: defenſio tamen nunquam fuit alicui prohibita. *Qui mane conſurgens, dixit ad principes.* Hoc fuit, quia per noctem acceperat à Deo reſponſum eorum, quæ quæſierat, & iuſſum eſt, ne iret cum Moabitis, & dicitur, quod locutus eſt ad principes, quia iſti, qui venerant ad eum, erant viri de nobilioribus terræ Moab, & terræ Madian. *Ite in terram veſtram, quia prohibuit me Dominus ire vobiſcum.* Poteſt intelligi dupliciter. Vno modo, quod Deus prohibebat eum ire cum eis, id eſt, vt non iret ad id, ad quod vocauerant eum Moabitæ: & ſic reſpondet formæ verborum ſuperiorum, quia ſupra dixit Deus. Non eas cum eis, ſic autem ipſe retulit, dicens: Dominus prohibuit me, venire vobiſcum. Aliter poteſt intelligi, ſcilicet, prohibuit me venire vobiſcum, id eſt, non ſum totaliter prohibitus ire, ſed vobiſcum ire: & hoc poteſt dupliciter intelligi, vno modo, quod diceret hoc Balaam, quia cupidus honoris erat, & volebat à pluribus & maioribus aſſociari, & vocari, & forte in hoc ſenſu intellexit rex Moab: vnde in ſecunda vice miſit multo plures, & nobiliores, quam ante miſerat, vt patet infra. Vel aliter & forte verius, quia Balaam ſciebat ſibi ſimpliciter à Deo prohibitum eſſe ire cum Moabitis, ſed dixit illis, quod erat prohibitus ire cum eis, vt alii iterum ad vocandum mitterentur: & Dominus ex importunitate precantium ſaltem affectus eum mitteret. Iſte enim eſt modus humanus, quod multa aliquando propter importunitatem precantium, & faſtidium concedant, quæ non eſſent aliter conceſſuri: ſicut patet de iudice, qui Deum non timebat, nec homines reuerebatur, tamen viduæ ſæpe petenti iuſtitiam de aduerſario ſuo conceſſit, di-

Multa per importunitatem conſequuntur homines.

A

ceſſit, dicens intra ſe: & ſi Deum non timeo, nec hominem reuereor: quia tamen moleſta eſt mihi hæc vidua vindicabo illam, nec in nouiſſimo veniens ſugillet me, vt patet Lucæ 18. cap. ſic etiam importuna Chananæa meruit à Domino exaudiri, Matth. 15. cap.

Ecce enim patet ex his verbis, quod Balaam appeteret maledicere Iudæis: nam ſi non appeteret cum cognouiſſet voluntatem Domini diceret nolo ire vobiſcum in terram Moab, ſed dixit: Dominus prohibuit me venire vobiſcum, quaſi dicat, propter me non impeditur, quin vobiſcum eam. ſed Dominus hoc impedit. *Reuerſi principes, dixerunt ad Balac.* Iſti ſunt principes Moabitarum, & Madianitarum, qui miſſi ſunt ad Balaam, & nolente ipſo venire reuerſi ſunt ad regem Moab.

Noluit Balaam venire nobiſcum. Eandem formam tenuerunt in reſpondendo, quam tenuerat Balaam ad eos: non enim dixerunt: non vult Balaam venire, ſed non vult venire nobiſcum.

Rurſum ille multo plures, & nobiliores quam ante miſerat, miſit. Hoc fecit Balac propter duo, ſcilicet, quia forte intellexit ex verbis nunciorum, quod Balaam nollet venire cum illis, ſed cum aliis honoratioribus: ideo miſit alios nobiliores tam de Moabitis, quam de Madianatis, ſicut prius, vt ſic honoratior veniret Balaam. Aliter poteſt dici, quod licet Balaam nullo modo intendiſſet venire à principio, tamen poterat perſuaderi ad contrarium: & ad hoc inquiſiuit Balac magnam perſuaſionem, ſcilicet, honorem excellentem: nimis enim immutat humana corda honor, potiſſimum corda generoſa, & animos ad magna eleuatos: quanquam ergo prius recuſaſſet Balaam ire in Moab, cum tamen videret ſecundos nuncios multo excellentiores prioribus in magno honore venientes ad eum mouerentur viſcera illius, & forte faceret quod prius negauerat. Nam licet Balaam dixiſſet, quod Deus prohibuerat eum venire, tamen rex Moab non credebat hoc magis putans eſſe excuſationem confictam, & ſic locutus eſt, dicens: Cur non ſtatim veniſti ad me? an quia mercedē aduentui tuo reddere non queo? *Qui cum veniſſent ad Balaam.* Iſti erant ſecundi nuncii, & iuerunt in Meſopotamiam, vbi tunc manebat Balaam: nam de illo loco dicit ſe adductum, vt patet ſequenti capitulo, & Deut. 23. *Sic dicit Balac filius Sephor.* Iſte erat rex Moab, & quia ab eo miſſi fuerant præpoſuerunt in narratione ſua eum iſta dicere. *Ne cunctēris venire ad me.* Id eſt, non moreris. Cunctor, cunctaris tarditatem ſignat. Cunctor etiam ſignat inquirere. & inde percunctor, aris. *Paratum honorare te.* Iſtud poſuerunt in narratione, quia intelligebat rex Moab, quod ideo non venerat Balaam, quia non fuerat cum magno honore vocatus, vel quia non curaret honorare ipſum rex Moab, poſtquam eſſet in terra illius, & hoc excluditur hic, cum dicat ſe eſſe paratum honorare Balaam: poterat accipi hic honorare, id eſt, dare pecuniam: ſic enim accipit Ariſtot. 9. Ethic. vbi introducit dictum Pythagoræ ad diſcipulos ſuos petentis remunerationem, ſcilicet, quod quilibet tantū honoraret magiſtrum, quantum plura ſciret, id eſt, tanto daret plus de pecuniis, vt patet ibidem. Sed non accipitur ſic hic cum ſubiungatur: Quidquid volueris dabo tibi: ſed accipitur honor proprie pro exhibitione reuerentię magnæ in ſignum excellentiæ, quod erat in apparatu magno ſuſcipiendo eum, & faciendo ciuitatem, vel ludos propter ipſum, & ſic factum eſt, quia cum audiſſet rex Moab venire Balaam exiuit ei in occurſum vſque ad extremitatem regni ſui, & forte non poterat ei exhiberi maior honor. De hoc patet infra.

Et quidquid volueris, dabo tibi. Id eſt, omnes diuitias, quas petieris: ſic enim dixit rex iſte, infra 24. capitulo, decreueram quidem magnifice honorare te, ſed Deus priuauit te honore diſpoſito. Nec erat iniuſtum, quod daret rex Balac ipſi Balaam quidquid peteret: immo, quod eum regem faceret: nam ſi per maleficia Balaam præualeret rex Moab contra Iſraelitas, acciperet omnia, quæ ipſi habebant, quæ profecto erant innumerabilia ſpolia. Etiam quod maius erat, acciperet regna duorum regum Amorrhæorum, quæ Iudæi eripuerant de manibus illorum, quod magis erat, quam eſſe regem Moab. ideo quidquid peteret Balaam à rege Moab dare deberet illi, etiamſi peteret pluſquam regnum Moab. Promiſit autem hic rex duo, ſcilicet, honorem, & diuitias, quæ maxime cordā hominum mutant. Beatus autem, qui ſuperauit, atq; ſpreuerit illa.

D

Veni, & maledic populo iſti. Quaſi dicat, non precor magna: non enim dico, quod te periculis exponas, aut morti obiicias: ſolum autem maledic populo iſti, quod nihil tibi conſtat.

Reſpondit Balaam, ſi dederit mihi Balac plenam domum ſuam auri & argenti. Reſpondet ad modum ſuaſionis, quia volebat rex Moab ſuadere illi ad maledicendum, & hoc promittendo magnitudinem diuitiarum, & honoris: ſed dicit, quod per iſta non ſuadebitur, quia licet Balac det ei totam domum ſuam plenam auri, & argenti, quod impoſſibile erat non poſſet maledicere ſi Deus prohiberet, & ſic nihil operabatur ſuaſio.

Non potero immutare verbum Domini, vt plus, vel minus loquar. Id eſt, quodcunque detur ego non potero facere aliter, quam Deus iubet. Hoc poteſt dupliciter intelligi propter illud verbum potero. Vno modo non potero immutare, ſcilic. de iure quanquā poſſim de facto, quaſi dicat, grauiſſimum peccatum eſt agere contra id, quod Deus expreſſe prohibet, ideo licet det mihi Balac totam domum ſuam plenam auri & argenti, non immutabo: & iſtud erat valde laudabile.

B

Aliter poteſt intelligi non potero, id eſt, non potero de facto: quanquam enim coner contra Dei præceptum maledicere Iudæis: tamen non potero immutare verbum Dei. id eſt, non potero maledicere, etiamſi velim. Et etiam iſte ſenſus eſt duplex, ſcilicet, quantum ad effectum maledictionis, vel quantum ad prolationem verborum. Primo modo intelligitur, quod quanquam malediceret Balaam Iſraelitis: ſi tamen Deus prohiberet maledictionem, nihil operaretur illa maledictio: cauſa eſt, quia maleficia, quia à magis fiunt per dæmones procurantur & exercentur, ideo ſi Deus non permittat dæmones operari, maledictio illa carebit effectu, & ſic aliquando malefici conſequuntur, quæ volunt. Interdum autem non valent, quia Deus non permittit. Sic enim fuit in magis Ægyptiorum, qui conuerterunt virgas in colubros, & aquam in ſanguinem mutare viſi ſunt, & conuertere atque facere ranas, ſed cum peruentum eſt ad faciendum cyniphes non valuerunt, ſed dixerunt: Digitus Dei eſt hic. Exodi capit. 8. Id eſt, Deus impedit nos hic ab operando. Et ratio eſt, quia malefici, & dæmones ſunt inſtrumenta quædā Dei, ad percutiendum eos, quibus ipſe nocere voluerit, quanquam iſti mouentur interdum præter Dei voluntatem: vnde qui nocere volunt eis, quos Deus puniri vult, quanquam Deus puniri non iubeat: efficaciam habent maleficia, quia Deus permittit. Cum vero conētur in illos, qui ſancti viri ſunt, vel quibus Deus noceri non vult, maleficia effectu carent, quia Deus non permittit.

Verbū Dei non poſſe immutari à Balaā dupliciter intelligitur: & quomodo nō poterat Balaam loqui contra id q̄ Deꝰ inſpirabat.

E

Alio modo intelligitur litera iſta, quantum ad prolationē verborum, ſcilicet, quod non ſolum verba maledictionis ſi proferrentur, carent efficacia, ſed etiam non poſſent proferri. Nam ſi quomodocunque proferri poſſent intelligeret rex Moab illa eſſe efficacia, & moueretur in bellum contra Iſraelitas, & ſic factum eſt, quod cum veniſſet Balaam in terram Moab, quanquam conaretur proferre maledictionem, tamen non prævaluit: quia Deus conuertebat eum immediate ad benedicendum, licet ipſe poſuiſſet cæremonias ariolorum faciendo altaria, & occidendo victimas, & quærendo auguria: & intellexit Balaam in verbis ſuis, ſcilicet, quod non poſſet quidquam loqui contra Dei mandatum: poſſunt tamen iſta verba poni hic tanquam excuſatiua, quaſi dicat, ſuperuacuum eſt, quod me vocetis, quia licet illuc vadam, ſi Deus iubet, q̄ non maledicam, impoſſibile eſt, quod maledicam. Etiam erant ad excuſationem ſuam, ſcilicet, ſi iret ad terram Moab, & contingeret, quod non poſſet maledicere haberet iſtam excuſationem, ſcilicet, quod prius dixerat, ſe non poſſe facere contra verbum Domini: & ſic poſtea reſpondit. Nam infr. 24. c. cum rex Balac conquereretur, quod vocauerat eum ad maledicendum inimicis ſuis, & ipſe benedicebat illis. Reſpondit Balaam: Nonne nunciis tuis, quos miſiſti ad me dixi: ſi dederit mihi Balac plenam domum ſuam auri & argenti, non potero præterire ſermonem Domini, vt boni quid, vel mali proferam ex corde meo, ſed quidquid Dominus dixerit, hoc loquar: ſatis enim voluiſſet Balaam proferre maledictionem, etiamſi ſciret eam carituram effectu, vt ſaltem ſic

C

F

conſequ re-

A

consequeretur aliquem honorem, & diuitias à Moabitis: tamen non permittebatur, quia Moabitæ credentes verba sua esse efficacia mouerent bellum contra Israelitas, quod Deus nolebat. *Obsecro, vt hic maneatis etiam hac nocte.* In hoc apparet nequitia Balaam, quia ista, quæ supra dixerat coactus à Domino dicebat: nihil enim aliud dicere poterat, sed adhuc attentabat aliquo modo persuadere Deo, vt eum dimitteret ire in terram Moab, & dixit: Obsecro, vt maneatis hic, quia Moabitæ audito verbo isto superiori desperarent de maledictione eius, & immediate recederent, orauit, vt manerent ibi illa nocte, & dixit: etiam hac nocte, id est, sicut alii manserunt vna nocte, vt ego scirem responsum à Deo, ita & vos maneatis. Vel dicitur, etiam hac nocte, quia manserant per totum diem præcedentem, & orauit, vt etiam per noctem manerent.

Vt scire queam, quid mihi rursum respondeat Dominus. Id est, & nunc scire potero secunda vice, quid Deus iubeat, quod iterum responderet Deus, ne irem cum Moabitis: nunc autem sciam rursus quid iubeat, quasi dicat, licet ante responderim, & sciam, quid dixerit: tamen scire volo, si aliquo casu mutetur: tanta est enim malæ voluntatis peruersitas, vt etiam impossibile cupiat: sciebat enim, quod Deus illum populum benedixerat diffinitiue, nec in hoc aliqua mutatio erat possibilis, vt ipse confessus est sequenti capitulo, scilicet, quia non est Deus, quasi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur: sed tamen postea ex nequitia voluntatis cupiebat Dei determinationem mutari, & conabatur quantum poterat mutare illam. Dixit autem, quod spectarent per noctem, quia intelligebat, quod tunc Deus veniret ad eum. Non est tamen putandum, quod Deus qualibet nocte veniret ad Balaam, quia etiam hoc in maximis prophetis Iudæorum nunquam visum est, sed apparebat raro: sic enim dicitur 1. Reg. capit. 3. Erat sermo Domini pretiosus, id est, charus, scilicet, quia raro fiebat, sed confidebat Balaam, quod Deus ad eum veniret per noctem, quia aliquando sic venerat: non tamen credendum est, quod hoc fieret ex meritis fidei Balaam, sicut est in aliis credentibus, quibus nihil impossibile est si in eis fides abundat, Matth. 17. & 21. cap. Balaam enim nullam fidem habebat, sed erat nimis infidelis, & nequam, cum conaretur contra expressam Dei sententiam.

B

Item non est intelligendum, quod Deus veniret ad eum per noctem, scilicet, quod faceret per noctem aliquas cæremonias, quibus expletis, Deus loqueretur ad ipsum: sicut fit in maleficiis, qui faciunt aliquas cæremonias ad congregandum dæmones, & tunc veniunt, & faciunt aliquas, vt recedant, & recedunt. Deus enim non est de spiritibus nequam, vt obediat voluntati humanæ in illicitis, & ad superstitiosas cæremonias vocatus confestim responsa det, sed solum Deus monit cor Balaam ad confidendum, quod ipse appareret illi in ipsa nocte, & sic dixit Balaam nuncius regis Moab, quod spectarent illa nocte: hæc tamen fiebant propter gloriam Israelitarum: ideo cum vellet Balaam habere à Deo responsum iacebat in lecto, & cum dormiret loquebatur ei Deus per somnium. Cum autem vellet habere responsa à dæmonibus, per maleficia præponebat quasdam cæremonias, vt patet infra, scilicet, quod primo iussit ædificari aras, & poni victimas super illas, & dixit ad regem: Sta paulisper iuxta holocaustum tuum, donec vadam si forte occurrat mihi Dominus. Tamen hoc non erat ad quærendum Dominum, sed ad inquirendum auguria, vt patet infra 24. capit. Cumque vidisset Balaam, quod placeret Domino, vt benediceret Israeli, nequaquam abiit, vt ante perrexerat, vt augurium quæreret. & sic videtur, quod postquam ipse constituebat altaria, & faciebat victimas, inquirebat augurium: & illud erat per quandam communicationem cum dæmonibus. Ergo dæmones sine cæremoniis aliquibus præpositis non consuluntur. *Venit ergo Deus ad Balaam nocte.* Sic enim veniebat quandocunq; ad eum veniret. Causa quare per noctem veniret supra exposita est: & erat iste aduentus solum per somnium immutando phantasiam illius, & non audiebatur aliqua vox, nec videbatur figura, quia qui dormientes sunt, non percipiunt aliquid per exteriora organa: dicitur tamen Deus apparere illis, vel loqui ad eos, quia in phantasia eorum fingit speciem loquentis, & apparentis, sicut nobis in somnio fit, tamen in re extra nihil sunt, sufficiunt tamen in prophetis ad mouendũ eos, & certificandum de aliqua re, quia illæ impressiones sunt fortiores quam quæ in somnio nostro fiunt, cum à Deo specialiter immittantur: ideo multum certificant.

D

Si vocare te venerunt homines isti, surge, & vade cum eis. Dixit hoc Deus non quasi ignotum sibi esset an venissent illi ad vocandũ eum, sed ad declarandum, ꝙ non erat directe intentio sua, vt iret cum illis, quasi dicat, quod propter eius pertinaciã, & illorum permittebat eum ire, sed non perficeret: imo noceret illis itineratio Balaam. Si enim non iuisset Balaam, & consuluisset fornicationem Moabitarum, & Madianitarum mulierum cum Iudæis: forte non deleti fuissent Madianitæ, quia terra eorum non erat promissa Israelitis, nec in ea habitauerunt licet habitatores locorum occiderunt: quia loca, & domus destruxerunt cum omni supellectili. In terra tamen quam habitaturi erant non comburebant domos, nec supellectilia, vt patet Deut. c. 6. scilicet, possedisti domos plenas diuitiarum quas non ædificasti. Hic autem præter aurum & argentum, & pecora cum iumentis omnia gladio, & igne consumpta sunt, vt patet infra 31. cap. etiam quia citra Iordanem non habitauerunt Israelitæ præterquam in terra duorum regum Amorrhæorum, vt patet infra 32. & Deut. capit. 3. Item non fuissent destructi, vel puniti Moabitæ, quantũ ad aliquid: tamen Deut. 23. c. impositum est in pœnam, quod Moabitæ & Ammonitæ non intrarent Ecclesiam Domini vsque in æternum, quia conduxerunt Balaam ariolum contra filios Israel. Si autem non venisset non imponeretur pœna hæc. *Ita dumtaxat, vt quod tibi præcepero facias.* Ista ponitur hic in modum conditionalis quanquam proprie significet taxationem, id est, dico, ꝙ eas, dum tamen non facias aliquid contra id, quod dixero tibi. non potest autẽ esse pure conditionalis, sed magis rẽdit in modalẽ, quia ea, quę sub conditione permittuntur, non dantur quouisq; conditio fuerit adimpleta. Promissio autem, vel donatio modalis secundum ius immediate transit, etiamsi non fuerit impletus modus, vel finis pro quo datur. Hoc autem non erat in ista promissione Dei ad modum conditionalis, sed ad modũ modalis, quia necesse erat, vt permitteretur prius ire, quam compleretur conditio siue modus. Sciendum autem, quod Deus non apposuit istum modum tanquam sine eius appositione non cogeretur Balaã facere, quod Deus iubebat, quia etiamsi Deus hoc non dixisset Balaã non potuisset agere contra mandatum Dei, Deo non permittente, sed hoc expressit ad gloriã nominis sui, & ostensionem potestatis: si enim nihil dixisset ei Deus, & postea mandaret ei aliquid dicere, vel facere, & contra illud non posset agere: forte putaret se ab aliquo naturali casu, vel magis ab aliquo spiritu à parte aduersa inuocato impediri. Nunc autem immediate cognosceret se à Deo impediri secundum propositum prauæ voluntatis suæ: & sic cogeretur laudes dare Deo saltem ore, sicut postea fecit declarando, quod Deus impediebat eum maledicere, vt patet seq. cap.

E

Surrexit Balaam mane, & strata asina sua profectus est cum eis. Et iratus est Deus. Stetitq; angelus Domini in via contra Balaam, qui insidebat asinæ, & duos pueros habebat secum. Cernens asina angelum stantem in via, euaginato gladio, auertit se de itinere, & ibat per agrum. Quã cum verberaret Balaam, & vellet ad semitam reducere, stetit angelus in angustiis duarum maceriarum, quibus vineæ cingebantur. Quem videns asina iunxit se parieti, & attriuit sedentis pedem. At ille iterum verberabat eam: & nihilominus angelus ad locum angustũ transiens, vbi nec ad dextram, nec ad sinistram poterat deuiari, obuius stetit. Cumq; vidisset asina stantem angelum, concidit sub pedibus sedentis. Qui iratus vehementius cædebat fuste latera eius. Aperuitq; Dominus os asinæ, & locuta est. Quid feci tibi? Cur percutis me, ecce, iam tertio? Respondit Balaam: Quia commeruisti, & illusisti mihi. Vtinam haberem gladium, vt te percuterem. Dixit asina: Nonne animal tuum sum, cui semper sedere consueuisti vsque in præsentem diem? Dic, quid simile vnquam fecerim tibi? At ille ait: Nunquam. Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit angelum stantem in via euaginato gladio, adorauitq; eum pronus in terram. Cui angelus: Cur,

F

Balaã profectꝰ est ad Moabitas.

Asina loquitur. 2. Pet. 2

Deus nõ veniebat quãlibet nocte ad Balaã, & quod non faciebat aliquas cæremonias ad

C

hoc ꝙ Deus veniret sed ad hoc ꝙ venirẽt dæmones.

A *Angel' increpat Balaam.*

gelus: Cur, inquit, tertio verberas asinam tuam? Ego veni, vt aduersarer tibi, quia peruersa est via tua, mihique contraria: & nisi asina, declinasset de via, dans locum resistenti, te occidissem, & illa viueret. Dixit Balaam: Peccaui, nesciens, quod tu stares contra me, & nunc si displicet tibi, vt vadam, reuertar. Ait angelus, vade cum istis, & caue ne aliud quam præcepero tibi loquaris. Iuit igitur cum principibus. Quod cum audisset Balac, egressus est in occursum eius in oppido Moabitarum, quod situm est in extremis finibus Arnon. Dixitque ad Balaam: Misi nuncios, vt vocarent te, cur non statim venisti ad me? An quia mercedem aduentui tuo reddere nequeo? Cui ille respondit: Ecce, adsum, nunquid loqui potero aliud nisi quod Deus posuerit in ore meo? Perrexerunt ergo simul, & venerunt in vrbem, quæ in extremis regni eius finibus erat. Cumq; occidisset Balac boues, & oues, misit ad Balaam, & principes, qui cum eo erant, munera. Mane autem facto duxit eum ad excelsa Baal, & intuitus est extremam partem populi.

B

Surrexit Balaam mane. Hic ponitur profectio remediatoris, scilicet, quod venerat Balaam in terrã Moab, & dicitur, quod surrexit Balaam mane, in quo significatur promptitudo eundi, quia ipse desiderabat nimis ire in terrã illam, vt aliquid lucraretur, vt patet ex præcedent. satis tamen apparet ex sequentibus, quod non iuerit Balaam cum Moabitis & Madianitis, quia dicitur, quod habebat duos pueros secum: si tamen cum aliis iret non diceretur, quod haberet duos pueros, quia omnes Moabitæ & Madianitæ essent cum eo, qui venerant ad vocandum illum.

Antempore Balaã esset inuent⁹ vsus equorũ quantũ ad equitationẽ Primus qui equitauit secũdũ poetas.

Et strata asina sua profectus est cum eis. Sternere enim parare est ad equitandum: ipse enim, licet Propheta esset, super asinam ibat: & hoc forte, quia vsque ad tempus illud non inuentus fuerat vsum domandorum equorum: muli autem, & mulæ nondum in vsum venerant, ideo super asinas erat omnis equitatio. Nam si credamus poetis, & quibusdam historicis primus, qui inuenit artem domandorum equorum fuit Ixion centaurus, & ipse cum suis vocati sunt centauri, id est, homines mixti equis, quia cum homines insiderent equis videbatur vnum animal mixtum ex homine, & equo: isti tamen non fuerunt à principio sæculi, sed satis tarde: sed hoc non obstante posset dici forte, quod vsus equorum ad equitandum fuit ante tempora hæc. Nam Pharao rex Ægypti cum iuit contra Iudæos fugientes de terra sua duxit equitatum magnum, & currus, sed equites dicuntur esse, qui equis insident: ergo tunc aliqui tales erant: & hoc modo forte diceretur, quod Balaam strauit asinam suam, scilicet, ex honestate, quia licet alii insiderent equis, quia tamen erat propheta Domini, voluit insidere asinæ. Rabbi Salomon dicit, quod tanta eũdi cupiditate tenebatur, quod non sustinuit, vt alius sibi asinam sterneret, sed ipse per se strauit: sed hoc nihil est. Dicitur tamen, quod strauit asinam, id est, quod fecit eam sterni: nam duos pueros secum venientes habebat, vt patet infra. Dicitur tamen aliquis facere ea, quæ fieri iubet. Sic dicitur de Pharaone, quando persecutus fuit Israelitas fugientes, quod iunxit currum: & tamen non est intelligendum, quod ipse iunxerit, sed fecerit iungi, Exodi 14. cap. sicut etiam dicitur de Salomone, quod construxit, vel fundauit templum Domini, 3. Reg. cap. 6. ipse tamen nihil per se fecit, sed fieri iussit. *Profectus est cum eis.* Id est, iuit cum Madianitis & Moabitis, quia Deus dedit ei licentiam eundi, & dicitur iuisse cum eis, non quod simul iuerit, quia solum dicitur, quod iuerint cum eo duo pueri, sed iuit cum eis, id est, quando ipsi iuerunt licet simul non iuerint.

C

Et iratus est Deus. Id est, decreuit punire Balaam, vel se iratum demonstrauit volendo occidere eum in via.

Quare Deus est iratus contra Balaam, cum dederit licentiam eundi cum Moabitis.

QVÆSTIO VII.

ET diceret aliquis, quomodo Deus iratus est Balaam cum ipse dederit licentiam ei eundi in terram Moab?

Respondendum, quod Deus dixerat, quod iret Balaam in terram Moab, & tamen non faceret contra id, quod Deus iubebat, sed iam ipse faciebat: ergo conuenienter Deus iratus est. Quod patet, quia dixit ei Deus: Surge, & vade, ita duntaxat, vt quod tibi præcepero facias, sed præceperat Deus, ne malediceret Israelitis, vt patet supra, ipse tamen ibat in terram Moab, cum animo maledicendi Iudæis, ideo conuenienter iratus est, & hoc significatur infra, cum dixit Angelus: Ego veni, vt aduersarer tibi, quia peruersa est via tua, & mihi contraria, id est, tu ad malum vadis, & mihi contrarius es, id est, vis facere contra id, quod ego iussi. *Stetitque angelus Domini in via contra Balaam.* Stetit enim in medio viæ, inter duas macerias, & hoc, vt non posset transire Balaam, sed ibi collideretur pes eius, sicut factum est, vt patet infra, & hoc fuit, vt se demonstraret Angelus terribilem Balaam, vt sic saltem à peruersa voluntate desisteret, sed nec sic destitit, demerebantur enim sua mala, vt in malo finiret occisus ab Israelitis, vt patet infra 31. cap. *Qui insidebat asinæ.* Id est, qui sedebat super asinam, insidere enim in alio sedere est. Fit autem mentio de asina, quia infra dicitur de ea quomodo locuta fuerit contra Balaam, & in terram ceciderit. *Et duos pueros habebat secum.* Id est, portabat secum in itinere duos iuuenes seruientes illi. *Cernens asina angelum stantem in via.* Hic ponitur quomodo fuerit Balaam percussus in pede asina collidente pedem illius in maceria. Et dicitur, quod asina vidit angelum, quia sumpserat angelus corpus de aere, vt sic visibilis esset, Balaam autem non vidit angelum. Hoc autem non fuit quasi asina haberet acutiorem visionem quam Balaam, sed quia secundum ordinem naturæ inferiora sunt in potestate superiorum, naturalia sunt in potestate angelorum, vnde licet corpus illud ex densitate quendam colorem, siue aggregatam lucem haberet secundum quam naturaliter visibilis erat, quia tamen illud in potestate sua habebat, potuit cui voluit lucem, vel colorem illius ostendere, alteri autem licet acutius videret non patefecit. Et sicut hoc fit ordine naturæ: ita fiet de ordine gloriæ, vt animæ in beatificatis corporibus, à quibus voluerint præsentialiter videantur, & alteri ibidem existenti, & hoc videre volenti non ostendantur, hoc autem ex dotibus gloriæ, & nõ ex natura fit: non enim est homo natura superior corpore cũ sit pars suæ speciei: nec dico de superioritate, quæ est secundum prædicationem, quia hoc nihil est, sed de superioritate, quæ est secundum efficaciam. Et hoc etiam verum est: nam cum homo sit ex anima, & corpore constans, non habet naturaliter potestatem super corpus & animam, nec vocatur superior illis, sed erat superior actibus suis, qui sunt aliquid causatum per potentias operatiuas humanas. Et ista visio angeli potuit esse dupliciter. Vno modo, quod angelus se asinæ naturaliter visibilem præbuerit. Balaam autem se videre non dedit, ita vt etiamsi nullam infirmitatem patiens oculorum, & diligenter aduerteret eum videre non posset. Alio modo, vt angelus se videndum asinæ præbuerit, ita quod quilibet homo, vel quælibet res oculos dispositos habens eum videret, sed Balaam cæcitate, vel aurisia percussus est, vt viri sodomitæ, de quibus Gen. cap. 19. postea autem ablata est cæcitas, & vidit. Sed melius videtur, quod angelus se ex gratia asinæ demonstrauit, vt ex hoc prophetæ malitia, & insipientia probaretur asina videnti, quod Propheta videre non merebatur. Et in hoc asina reprehendebat Prophetam: de quo beatus Petrus dicit canonica. 2. cap. 2. scilicet, secuti sunt viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amauit, correctionem vero habuit suæ vesaniæ subiugale mutũ animal, hominis voce loquens prohibuit prophetę insipientiam. Quilibet tamen respiciens diligenter etiamsi bonos oculos haberet, non videret angelum. quod patet, quia aliter pueri duo, qui veniebant per viam cum Balaam videntes angelum habentẽ gladium euaginatum, clamassent ad eum, & tamen nõ clamauerunt, ergo non viderunt. *Euaginato gladio.* Angelus ille habebat gladium euaginatum, in quo videbatur velle percutere Balaã, gladius autẽ ille erat de materia aerea, sicut corpus angeli, & tamen habebat figuram, & colorem gladii, & sic vidit postea Balaam, & hoc facile erat effigiare, nam sicut poterat angelus figurare vultum humanũ de aere, & cætera corporis lineamenta, ita poterat figurare ensem, & quodcunque voluisset. *Auertit se de itinere, & ibat per agrum.* Apparuit enim angelus in medio viæ, habens gladium euaginatum: asina autem timens

D

Asinã vidisse angelũ quomodo fuit

E

possibile & de potestate corporũ glorioso rum.

F

A

tem timens diuertit ab itinere, quia vidit angelum, & gladium, ideo non transiuit per viam, in qua erat angelus, sed diuertit ad agros. *Quam cum verberaret Balaam.* Quia putabat eam sine aliqua causa diuertisse cum ipse nondum videret angelum. *Et vellet ad semitam reducere.* Id est, volebat reducere eam ad iter, de quo declinauerat. *Stetit angelus in angustijs viarum (alias duarum maceriarum) quibus vineæ cingebantur.* Maceria significat parietem lapideum, & isti sunt ad distinctionem vinearum, & agrorum, & ad conseruationem eorum. Sic dicitur Psalm. 79. Destruxisti maceriam eius, & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam. Et ibi accipitur maceria pro pariete conseruante vineam, quo ablato omnes possunt vindemiare eam. Angelus autem stetit inter illas duas macerias, quia erat locus strictus, vt ibi collideret pedem Balaam. Erant autem istæ duæ maceriæ extra viam, & forte erant in loco, per quem volebat Balaam reducere asinam ad viam, & hoc significatur, quia dicitur: Stetit in medio maceriarum. prius tamen non dicitur, quod erat in medio maceriarum, sed in via, & nunc, quod stetit. Ergo videtur, quod non ubi stetit. *Quem videns asina, iunxit se pariet.* Viderat enim asina angelum in via, & ob hoc declinauerat per agros: nunc autem, quia vidit angelum inter macerias, vbi erat locus strictus, volens dare locum, ei iunxit se vni parieti. *Et attriuit sedentis pedem.* Id est, inter parietem fregit pedem Balaam, & ex hoc iratus ipse fortiter eam percussit. *At ille iterum verberabat.* Scilicet, primo verberauit eam, quando declinauit à via: nunc autem secundo verberauit, quando attriuit pedem eius, & hic magis verberauit. Sciendum, quod ista visio erat valde terribilis asinæ, propter quam ipsa adduxit se vni parieti, & non erat ista visio ad pœnam asinæ, quia nihil commeruerat, sicut aliquando nobis terribilia videntur, quia peccauimus, sed erant ista terribilia asinę, quia naturam excedebant. quę autem potentijs passiuis improportionata sunt terribilia videntur, vt in forti sonitu, frigore, vel ardore, vel excellentissima luce videtur, nec enim minus terribilis apparuit illa visio asinæ quam erat ad consolationem, nec magis terribilis, quam erat ad pœnam. Hominibus autem existentibus, vel demeritis similia maiora, vel minora fiunt. *At ille verberabat iterum.* Id est, Balaam verberabat secundo asinam, quia adiunxerat se parieti frangendo pedem eius. *Et nihilominus angelus ad locum angustum transiens.* Id est, cum percussisset hac secunda vice Balaam asinam transiuit ad locum angustiorem, vt faceret asinam cadere, & rursum Balaam percuteret eam, & sic magna duritia, & cæcitas prophetæ probaretur: nam in hac secunda vice erat locus viarum aliqualiter amplius, & cum stetisset angelus in medio viæ, non est ausa asina transire per medium, sed declinauit ad vnum parietem, & ibi confregit pedem sedentis, & tamen transiuit vltra angelum: ideo angelus venit tertia vice ad locum angustissimum, vbi nullo modo posset declinare asina, nec ad dextram, vel sinistram, sed caderet in terram, & sic facta est triplex mutatio ad hoc: nam primo stetit angelus in latitudine viarum, & ibi potuit declinare asina transeundo per agros. Rursus autem stetit inter macerias, quibus vineæ cingebantur, & ibi non habuit tantam libertatem asina declinandi: ideo attriuit pedem sedentis. Tertia autem vice stetit angelus in loco angustissimo, & non potuit transire asina nec declinare. Non est autem intelligendum, quod ista facta fuerint sic successiue, quasi prima vice non potuerit angelus tenere asinam in via, & facere eam cadere sub pedibus sedentis, sed factum est, ad magis concitandum in iram ipsum Balaam, & ad probandum clarius eius duritiam, & cæcitatem. *Vbi nec ad dextram, nec ad sinistram poterat declinare.* Id est, ita erat ibi angustus maceriarum locus, quod non poterat asina declinare ad vnam partem, vel ad alteram, seu nitebatur transire per medium in quo erat angelus, & quia timebat illum non ausa est transire: ideo cum percuteretur grauiter, vt transiret, corruit sub pedibus sedentis. *Obuius fuerit.* Id est, stetit angelus contra asinam in angustia viarum. *Cumque viaisset asina stantem angelum, cecidit sub pedibus sedentis.* Hæc possunt intelligi dupliciter: vno modo, quod cum accessisset asina ad locum, in quo erat angelus, non potens declinare ad vnam partem, vel ad alteram stetit, & tunc dure percussa est ab ipso Balaam, quousque cecidit sub pedibus eius: sed non cecidit à principio. Alio modo potest intelligi: asina videns angelum valde terribilem tantum timuit, quod non potuit consistere pedibus, sed cecidit in terram, etiamsi durissime percuteretur, vt transiret postquam cecidisset, & tamen antequam caderet, nihil fuerat percussa. *Qui iratus vehementius cedebat fuste latera.* Id est, quia iam viderat Balaam, quod asina sibi illudebat frequenter, concitatus est in iram, & grauius percutiebat eam quam primo percusserat: erat enim ista tertia percussio. *Aperuitq; Dominus os asinæ, & locuta est.* Quasi dicat in prioribus percussionibus asina nihil commeruerat, tamen quia loqui non poterat se excusando, percutiebatur: nũc autem Deus misertus illius, dedit ei, vt loqueretur, & manifestauit se iniuste punitam: quanquam non est dicendum penitus, quod Deus aperuerit linguam asinæ, ideo quia misertus illius voluit, ne percuteretur amplius, quia Deo non est cura de bobus, id est, de animalibus brutis, vt patet 1. ad Cor. ca. 9. scilicet, ad faciendum miracula pro eis.

B *Visio angeli fuit terribilis asinæ*

C

D

E

F

Quomodo intelligatur, quod Deus non habet curam de bobus.

QVÆSTIO VIII.

ET si aliquis dicat, quod Deus curat de bobus, nec solum de illis, sed etiã de animalibus minutissimis, cum dicatur Matth. 7. capit. nonne duo passeres asse veneunt, & vnus eorum non cadit sine patre vestro, quasi dicat quanquam passeres duo sint parui valoris, scilicet, vnus assis, tamen Deus habet curam de illis, ita vt vnus eorum non cadat sine Deo, id est, sine prouidentia Dei, scilicet, secundum quam disponitur, vt iste moriatur, & ille non: quanto magis ergo de animalibus maioribus curam habebit, vt de bobus & asinis? Respondendum, quod Deus habet curam de omnibus quæcunque sunt, siue magna, siue parua, nec poterat aliquid gigni, aut corrumpi nisi ipse disposuisset, & conseruauisset, vt patet Sapient. capit. vndecimo, scilicet, quomodo autem posset aliquid permanere nisi tu voluisses? aut quod à te vocatum non esset, conseruaretur? quasi dicat non poterat. Et sic intelligitur id quod habetur Matth. 7. capit. scilicet, vnus ex his non cadit sine patre vestro: imo non solum passeres non pereunt, nisi Deus disposuerit, sed etiam grana minutissima terræ, & quidquid est minimum in natura nisi Deus iudicauerit, non perit. Quod autem dicitur prima ad Corinth. 9. capit. scilicet, non est cura Deo de bobus, intelligitur quantum ad legis positionem, scilicet, quod non ponit Deus legem brutis, quia ipsius susceptiua non sunt? etiam non ponit legem hominibus, qualiter se habere debeant ad bruta, & istum secundum sensum, sequitur ibi Apostolus: solum autem habet curam ponendi legem hominibus ad homines, & hominibus ad Deum. Etiam intelligitur, quod Deus non habet curam de bobus, scilicet, vt faciat miracula pro illis: sed istud solum est ad manifestandum gloriam suam hominibus, & miserendum illis: sic autem fuit aperiendo os asinæ, quia istud erat magnum miraculum: ergo non fecit Deus propter asinam, sed ad manifestandã gloriam suam arguendo in istis duritiam prophetæ. Dicitur autem Deus aperuisse os asinæ, id est, quod mouit linguam asinæ, vt loqueretur non intelligens quid diceret: sicut factum est de colubro, qui loquebatur ad Euam, mouente dæmone linguam illius. Hic autem angelus Domini mouebat, scilicet, illemet, quia apparuerat coram asina euaginato gladio. non potuit tamen etiam miraculose fieri, quod asina intelligeret verba illa, quæ loquebatur. Includit enim contradictionem: sicut enim est simpliciter impossibile aliquem non habentem oculos, dum non habet, videre: ita est simpliciter impossibile aliquem non habentem rationem, vti ratione. Sed intelligere est actus intellectus: ergo impossibile erat asinam per aliquam potentiam intelligere verba, quæ loquebatur: nam si intelligeret iam non esset asina, sed homo. quia haberet necessario rationalem potentiam: nihil enim tale asinus est.

An asina formauerit voces, vel in ea formatæ sunt, & an de rigore sermonis concedatur ista: Asina locuta est.

QVÆSTIO IX.

DVbium est autẽ circa asinam, an ipsa formaret istas voces, vel in ea formarentur dato, q̃ ipsa nihil intelliget, quod

A

ret, quod autem formarentur voces iſtæ in aſina, erat ipſam eſſe ſimpliciter inſtrumentum, & nihil operari ad id, quod fiebat, ſed quod alius vteretur ipſa, aſinam vero formare voces, erat quod ipſa faceret in ſe prolationem illam vocum. Et ſiquis ad iſta reſpiciat non multum dubitabit, quia aſina dicetur formare voces, ſi ipſa eſſet principale agens in hac formatione, & haberet in ſe formam, quæ eſſet principium huius actus: nam in naturalibus omnis actio reducitur in formam, quæ ſit principium, & non in formam, quæ eſt, vt inſtrumentum, quia iſta eſt mota ab alio, ſed in formam, quæ eſt ſimpliciter mouens, & cauſans. in aſina autem non erat aliquid tale, quia quanquam forte ponamus in ea organa, per quæ fieri poſſet locutio, tamen non habebat aliquod principium iſtius vocis formandæ per organa. In nobis enim intellectus eſt principium formationis vocum, & omnia poſteriora, ſiue potentiæ, ſiue partes corporis dicuntur organa, ſed in aſina non erat intellectus, qui ponitur tanquam principium: ſed erant alia poſteriora, ergo non erat aſina formans vocem, ſed in ipſa formabatur. Nunc autem hoc præſuppoſito adhuc eſt dubium ſi proprie formabatur vox in aſina. Et ad hoc conſiderandum, quod formari vocem in aſina poteſt intelligi dupliciter, vno modo, quod formabatur intra corpus illius. Alio modo, quod in ipſa erant organa, per quæ formari poſſet vox, quanquam aſina non poſſet illam formare. Primo modo formaretur vox in aſina, ſicut dicitur formari intra domum, quia cum homo eſt in domo, & clamat intra domum formatur vox, & tamen ipſa domus nihil habet tam de principio locutiuo, quã de organis neceſſariis ad locutionem, & ſic dicendo poneretur aliquod organum fabricatũ intra corpus aſinæ, in quo formaretur vox illa, & tamen aſina nihil conferret ad vocem: & iſtud non eſt proprie formari vocem in aſina, ſicut non proprie formatur vox in domo ad hoc, quod dicamus ipſam domum loqui. Accipiẽdo ſecundo modo oportebat dici, quod fiebat formatio vocis in aſina, id eſt, quod ipſa non habebat intellectum, per quem dictaret voces formandas: habebat tamen organa, in quibus poſſet fieri formatio perfecta, ſi aliquod principium formatiuum ab extra veniret. Dicendum autem de iſto ſecundo ſenſu, quod non ſtat, quia deficiebant aſinæ aliqua, quæ requiruntur ad formationẽ vocis, & ſunt poſteriora intellectu formante: erant autem duo, ſcilicet, virtus quædam interpretatiua, quæ eſt quædam vis organica interior, ſecundum quam aer colligitur ad formationem vocum, & fit debita percuſſio, & figuratio ad emiſſionem talis, vel talis vocis, quod dicimus articulare vocem, & iſta virtus non eſt ipſemet intellectus, ſed aliqua vis organica, ſicut potentia auditiua, vel viſiua, & iſta computatur nomine organorum, cum non ſit principale agens: ſicut anima, vel intellectus: hanc autem interpretatiuam virtutem, non habebat aſina, quia ſolum correſpondet entibus rationalibus, ſecundum quod deficiebat. In aſina erat certa diſpoſitio organorum, quæ ſunt partes corporales: os enim aſinæ, & aliorum brutorum ſimilium, cum ſit longum, & lateraliter apertum: aer ab intimis progrediens in dentibus frangi non poteſt, quia totus lateraliter effluit: quanto magis quia ad articulatorum verborum formationem aer multum ſubtiliatus eſt, qui nullo modo talibus inſtrumentis frangi poteſt. Indiget ergo vaſe conflatorio vndique circunſecto, vt totus aer ab intimis exiens in anterioribus dentibus collidatur. Os autem talis figurationis in nullo, niſi in homine reperitur: ideo nullum brutum perfecte poteſt vocem articulare. Aliquæ autem aues, vt Pſitacus magnam ſimilitudinem habent cum homine, ita vt per conſuetudinem quaſi articulata verba proferant, vt ait Iſidorus Etym. 12. Dicendum ergo, quod non fuerunt formatæ iſtæ voces intra aſinam ſecundo modo, ſcilicet, quod in ea eſſent omnia, quæ requirebantur ad hanc formationem organice præter principium formatiuum, quod erat pure efficiens. Sed dicetur, quod fuit iſta formatio vocis intra aſinam primo modo, ſcilicet, quod intra corpus illius fabricata fuerunt nouiter aliqua organa, in quibus poſſet fieri talis vocum formatio. Nec tamen eſt dicendum, penitus de aſina, ſicut de domo, ſcilic. quod fuit iſta vox formata intra aſinam ſicut homo format vocem intra domum: nam domus nihil confert ad hanc formationem: aſina tamen aliquid conferebat nam licet non ſint perfecta organa aſinæ ad figurationem vocis articulatæ, nec dentes ſint diſpoſiti ad collidendum aerem, quia effluit cum ſit os longum, & lateratum, tamen aliqualiter illa organa proficiunt ad formationem vocis articulatæ, quia datis quibuſdam ſupplementis formabitur vox, & ſic fecit angelus, ſcilicet, quod intra corpus aſinæ ſuppleuit defectum organorum de ore ipſius aſinæ, & facilius ſic locutus eſt, quam aliter loqueretur. Ex prædictis patet, quod non proprie dicitur, quod aſina Balaam locuta eſt, quia non habebat ipſa principium locutiuum, ſcilicet, formam à quo procedit omnis actio per inſtrumenta etiam non habebat inſtrumenta perfecta, per quæ fieret formatio vocis. Sed dicendum eſt, quod angelus eſt, qui in ea loquebatur. Dicitur tamen aſina locuta large ex modo loquendi ſacræ Scripturæ, quia in ipſa facta eſt locutio cum aliquo modo organa ſua proficerent ad huiuſmodi locutionem. Sciendum tamen, quod quanquam organa aſinæ nihil proficerent ad formationem vocis. ſicut domus, intra quam aliquis loquitur, nihil confert ad illam formationem vocum: tamen angelus locutus fuiſſet intra aſinam. Cauſa huius eſt, quia Deus volebat, vt aſina videretur loqui ad reprehendendum Prophetam, qui non cognoſcebat ea, quæ aſina videbat, & tamen non videretur aſina loqui niſi voces exirent de ore eius, & hoc erat cum intra illam formarentur voces iſtę in quibuſdam nouis organis. Conſiderandum autem circa aſinã Balaam, quod duo mirabilia facta fuerunt in ea: primum fuit, quod aſina vidit angelum. Secundum, quod ipſa locuta eſt, primum fuit proprie dictum, quia aſina vere vidit angelum: habebat enim in ſe principium videndi, & organa, principiũ autem eſt ipſa anima, ſiue ſit rationalis, ſiue non, per cuius virtutis deriuationem ſunt potentiæ organicæ in membris. Etiam erat in aſina potentia viſiua, & erat organum viſus: nihil ergo deficiebat aſinæ ad hoc, quod ipſa proprie videret angelum, eo modo, quo quilibet homo cum videre poterat. Secundum erat large dictum, quia non fuit ipſa locuta, ſed angelus, vt ſupra declaratum eſt.

B

C

Quare aliquæ aues formãt melius voces cap. 7.

D

An iſta cõcedatur aſinam locutam eſſe.

Duo mirabilia facta circa aſinã Balaam.

E

De decem rebus, quas dicunt Iudæi creatas eſſe in veſpere ſabbathi. Et quomodo circa iſta errent in quolibet, & de Iudaica cæcitate in expoſitione ſacræ Scripturæ.

QVÆSTIO X.

HEbræi dicunt circa iſtud os aſinæ quædam ridicula, quæ ipſi aſſerunt, & credunt in libro quodam, qui dicitur Perequin, ſcilicet, quod Deus creauit decem res in in veſpere ſabbathi in occaſu ſolis poſt formationem hominis, in quibus totam creationem finiuit. Pro quo ſupponendum eſt, quod creatio incœpit die Dominica, quæ fuit prima dies ſæculi, & durauit per ſex dies incluſiue. Harum vltima eſt ſexta feria, quæ, dicitur dies Veneris, in qua creatus eſt homo, & conſummata eſt creatio, & quia ſacra Scriptura non facit mentionem de aliis rebus creatis, dicunt quod in ſexta feria ad ſolis occaſum incipiente iam ſabbatho creauit Deus decem res. Primum horum fuit os terræ, quod deuorauit Dathan & Abiron, vt patet ſupra 16. cap. Secundum fuit os putei, quia ſemper patebat Iudæis viuente Maria ſorore Moyſi, & præcedebat eos. Tertium fuit os aſinæ Balaã ad loquendũ, de quo hic. Quartum fuit iris, ſiue arcus cœleſtis, de quo Gen. capit. 9. Quintum fuit aries, quem immolauit Abraham pro Iſaac, de quo Gen. 23. cap. Sextum fuit virga Moyſi, qua diuiſit mare rubrum, de qua Exodi cap. 3. 14. & 17. Septimum fuit Manna, de quo Exod. 16. cap. Octauum fuerunt tabulæ legis primæ non ſcriptæ, ſed planatæ ad ſcribendum. Nonum ſunt ipſi dæmones apparentes hominibus. Aliqui etiam dicunt, quod creata fuerunt decem præcepta ſcripta in igne nigro, & albo. Decimum ſunt ipſæ forcipes, ſiue tenaculæ, vt ait Rabbi Ichuda. Dicit enim primas forcipes de cœlo deſcendiſſe, nec potuiſſe aliter fieri, & ſecundum iſtam inſaniam ſoluta eſt vulgaris quæſtio, ſcilicet, quid fuerit prius martellus an tenaculæ. Valde autem errant iſti miſeri nullum lumen intellectus habentes, & apparet in eis aliquid mirandum, ſcilicet, quod ex eo tempore, ex quo generatio iſta peruerſa Chriſtum ſuum recipere noluit, quem nos gratis ſuſcepimus, non ſolum praua voluntas eorum, & intellectus operatiuus in malo obcæcati ſunt, ſed etiã intellectus ſpeculatiuus in eis ligatus eſt, ita vt in expoſitionibus ſacrarum ſcripturarũ

Decem res creatæ à Deo 6. feria ſecun-

F

dum Hebræos.
1. Os terræ.
2. Os putei.
3. Os aſinæ.
4. Iris.
5. Aries.
6. Virga.
7. Manna.
8. Tabulæ.
9. Dæmones.
10. Forcipes.

A

ſupra modum errent. Prædixerat enim eis hoc Chriſtus, Matth.12.ca.ſcilicet, auferetur à vobis regnum Dei, id eſt, intellectus ſcripturarum, & dabitur alteri genti facienti iuſtitiã illis, id eſt, gentilibus ad Chriſtum conuerſis. Nullus autem vnquam antiquiſſimorum imperitorumq; philoſophorum tantum à rationis ſemita declinauit, nec ita graues imperfectiones Deo attribuit quantas iſti miſeri, & Mahometi ſectatores aſcripſerunt, & hoc, quia tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt videntes non videant, & nota fiat inſipientia cordis eorum cunctis populis, quia lumen ipſum manifeſtiſſimum cognoſcentes, recipere neglexerunt. Sciendum autẽ, quod de iſtis decem, quæ ponunt Hebræi creata fuiſſe in veſpere ſabbati nullã à ſacra ſcriptura rationem ſaltem leuiſſimam aut motiuum habent: imo repugnat toti rationi iſta fuiſſe creata eo modo, quo ipſi dicunt, quia quædam nullo modo ſunt creabilia de his: alia autem licet creabilia ſint, tamen creata non fuerunt: alia autem quanquã creata fuerint, tamen non ſic, vt ipſi dicunt, vt de quolibet infra patebit. Item dato, quod creata eſſent, non habent aliquam rationem quare dicant ea creata fuiſſe magis in veſpere ſabbati, quam aliis diebus, vel poſt omnes dies illos, ſicut quotidie nunc Deus aliquid creat cum animas infundit. Motiuum tamen Iudæorum quantum ad aſſignationem diei quanquam non ſit ſufficiens, tamen videtur eſſe iſtud, ſcilicet, quod ipſi exiſtimant omnia, quæ creata fuerunt vſque ad hominis formationem, qui perfectior cæteris erat fuiſſe deſcripta, quæ vero poſterius ſcripta non ſunt, & quia de illis decem non tangitur in ſcriptura, dicunt ea fuiſſe creata poſt hominis formationem, ſcilicet, in fine diei ſexti, in quo homo formatus eſt. De primo horum, ſcilicet, de ore terræ deuorante Dathan & Abiron, de quo ſupra 16. capit. videntur habere ex litera quoddam motiuum: nam vbi dicit litera noſtra. Si autem nouam rem fecerit Dominus, vt aperiens terra os ſuum deglutiat eos. habetur in Hebræo: ſi nouam creaturam faciet Dominus, vt aperiat terra os ſuum, ſed hic eſt duplex error: primus, quod os terræ non eſt aliquid creabile per ſe, nihil enim eſt creabile, niſi aliquid poſitiuum, os autem terræ non eſt niſi quædam diſcontinuatio partiũ terræ prius coniunctarum, & diſcontinuatio non eſt aliquid poſitiuũ: ergo non eſt per ſe creabile. Potuiſſet autem concreari, vtpote ſi partes terræ crearentur diſiunctæ, & fuiſſet ab exordio ſeculi vorago illa terræ patẽs. Secundum inconueniens eſt, quia litera illa magis facit contra eos, cum dicatur in Hebræo: ſi nouam creaturã faciet Dominus: ergo dato, quod os terræ eſſet creabile, tamẽ non fuiſſet creatum in veſpere ſabbati, vt ipſi dicunt, ſed creandum erat adhuc, cum Iudæi erant in deſerto. Item motiuum eorum non procedit, quia manifeſtum eſt, quod ibi accipitur improprie os terræ, quia nihil habet os niſi animal.

B

Contra primũ de ore terra.

Creatio large accipitur pro omni factione. Contra 2. de ore putei.

C

Contra 3. de ore aſinæ.

Item creatio in ſacra ſcriptura multotiens accipitur valde large pro quacunque factione, & ſic dicitur Deuter. 32. capit. nunquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te. fecit & creauit te? Nullus tamen de Iſraelitis erat creatus, ſed factus. & ſic multotiens accipitur creatio, ideo dicitur ſi nouam creaturam, id eſt, ſi nouam rem, vel nouum actum. Secundum, quod dixerunt erat os putei, & in iſto magis delirant, quia non habent aliquod motiuũ in ſacra ſcriptura, ſicut de ore terræ, & præſupponunt ad hoc quoddã fallum, ſc. quod puteus præcedebat ſemper Iſraelitas in deſerto viuente Maria ſorore Moyſi: ſed hoc eſt penitus impoſſibile accipiendo proprie os putei, quia non eſt mobile. Etiam non poteſt intelligi, qualiter fierer. Hoc autem improbatum eſt ſupra ca. 20. Item errant, quia os putei non eſt aliquid creabile, ſicut dicebatur de ore terræ, quia non eſt aliquid poſitiuum, ſed diſcontinuatio partium, & talia non creantur, quia per ſe non ſunt, ſed aliis inſunt. Tertium, quod dicebant erat os aſinæ, & de iſto ſunt eadem inconuenientia: nam ſi proprie accipiatur os aſinæ ſolum erat illa apertio, vel vacuitas, & iſtud non eſt aliquid creabile, ſicut nec os putei, aut terræ. Si autem accipiatur os aſinæ pro ipſis membris, in quibus erat illa diſcontinuatio, aut apertio non poteſt ſtare, quod os aſinæ fuerit creatum in veſpere ſabbathi. Sed fallum eſt, quia tunc creata fuiſſet aſina in veſpere ſabbathi, & tamen poſtea fuit genita ſicut cæteræ aſinæ. Item dato, quod aſina iſta creati debuiſſet non fuiſſet creata in veſpere ſabbathi, ſed feria ſexta, ſcilicet, die Veneris, quando creata ſunt omnia bruta, vt patet Geneſ. capit. 1. Motiuum autem Iudæorum circa hoc eſt, ſicut de ore terræ, quia illud dicitur eſſe creatura noua, ita os aſinæ ad loquendum videtur eſſe noua creatura, quia non aſſueſcebat aſina prius loqui, ſed etiam ex hoc contra eos arguitur, quia ſic non fuit os aſinæ creatum à principio ſæculi, ſed tunc quando locuta eſt, alioquin ſemper potuiſſet loqui. Quartum erat Iris, ſiue arcus cœleſtis, & quanquam ſit aliquo modo creabilis, tamen non creatur, ſed naturaliter gignitur in nube rorida ex oppoſitione radiorum ſolarium. Sic patet in vltima regula tertiæ partis perſpectiuæ, ſcilicet, lucem ſolarem in perſpicuo puro efficere galaxiam, & ſicut eſt de galaxia, ita de iride, & adhuc facilius eſt cauſari iridem, vt patet in libris Meteororum Ariſtot. De hac tamen iride dicitur, Geneſ. capit. 9. quod Deus ponet eam in ſignum, vt non deleatur terra per aquas, & tamen hoc etiam naturale eſt, vt patet in penultima regula tertiæ partis perſpectiuæ, ſcilicet, generationem iridis cathacliſmum excludere, & tamen non dicitur, quod Deus creauerit iridem. Quintum, quod dicebant erat aries, quem immolauit Abraham pro Iſaac: motiuum eorum eſt, quia aries ille iuuentus eſt inter vepres, & non duxit eum Abraham ad immolandum, & quia ignorant vnde venerit putant eum fuiſſe creatum: hæc autem abuſio eſt, de quo magis declaratum eſt, Gen. ca. 22. Item dato, quod ille aries creatus eſſet, non poneretur creatus in veſpere ſabbathi, poſt creationem hominis, ſed tunc quando cæteri arietes, & bruta creata ſunt. Sextum erat virga Moyſi, quia diuiſit mare: & motiuum eorum eſt, quia de virga illa non dicitur, vnde venerit, ideo putant creatam eſſe à Deo. Sed ridiculum eſt: nam alii Iudæi ponunt, vnde illa virga abſciſa ſit, vt declaratum eſt Exodi capit. 3. & non videtur tam irrationabile, ſi Deus quando locutus eſt Moyſi dediſſet ei virgam illam, cum apparuit in rubo: ſed non dedit, quin potius ipſe Moyſes ducebat eam in manu ſua ad minandum oues, Exod. capit 3. & ſi hoc modo loquerentur dicent omnia creata à Deo in veſpere ſabbathi, de quibus neſciunt vnde venerint. Septimum quod ponebant, erat Manna: ſed ad hoc non apparet aliquod veriſimile, nec ad quid Manna illud tanto tempore ante creatum fuiſſet, potiſſimum cum qualibet nocte deſcenderet ſuper caſtra nouum Manna. Exodi. cap. 16. Item ſi fuiſſet prius creatum iam fuiſſet liquefactum, niſi conſeruaretur: nam quotidie Manna liquefiebat cum incaluiſſet Sol, & vertebatur in humorem aquaticum, Exod. ca. 16. Item non ſtat, quia Manna erat factum opere angelorum: ergo non creatum, quia in creatione nihil operantur angeli, ſed ſolus Deus. Antecedens patet, quia Pſalm. 77. dicitur. Panem angelorum manducauit homo, & intelligitur dẽ Manna, vt patet in litera ibidem: ſed non vocatur panis angelorum, quaſi angeli comederent ex eo, quia nullo cibo veſcuntur, cum non ſint animalia: ergo dicetur panis angelorum, quia angeli illum formabant, & ſic non erit creatus. Octauum, quod ponebant Iudæi erant tabulæ legis primæ non ſcriptæ, & motiuum eorum eſt, quia Exodi capit. 32. dicitur: Reuerſus eſt Moyſes de monte portans duas tabulas lapideas, ſcriptas ex vtraque parte, & factas opere Dei: factionem autem referunt ad creationem, ſed non accipitur ibi factio, niſi pro diſpoſitione, vel figuratione, ſcilicet, quod illæ tabulæ ſcriptæ fuerint planatæ, vel diſpoſitæ ad ſcribendum opere Dei, ſcilicet, quod nullus hominum eas planauerit, erant tamen ipſi lapides prius in terra, in forma rudi, ſiue à principio creati, ſiue naturaliter geniti. nam lapidum generatio eſt in terra, ſecundum quod mineralium, & atramentorum, & dato, quod iſti lapides fuiſſent creati, non oportebat eos poni creatos in veſpere ſabbathi, ſed à principio, cum alii lapides creati ſunt. Nonum, quod ponebant Iudæi erant dæmones apparentes hominibus. Et de his verum eſt, quod creati fuerunt, quia nullo modo alio produci poterant cũ ſint ſubſtantiæ pure ſpirituales, nec ſunt formæ exiſtentes in potentia materiæ deducibiles adeſſe operatione naturæ, motiuum autẽ Iudæorum ad hoc eſt, quia ipſi videbant dæmones, & neceſſarium erat illos eſſe creatos, & tamen non reperiebant de eorum creatione aliquid in Scriptura: ideo dixerunt eſſe creatos veſpere ſabbathi: ſed hoc modo ita debuiſſent dicere de angelis bonis: nam illi creati ſunt, quia non poterant aliter produci: ſed de his nihil dixerunt. Dicendum autem, quod angeli tam boni, quam mali ſimul ab exordio ſæculi creati ſunt: nam, vt dicunt omnes

D

Contra 4. de iride.

Lib. 1. cap. 10.

Contra 5 de ariete.

E

Contra 6. de virga.

Contra 7. de Manna

Contra 8. de tabulis.

F

Contra 9. de dæmonib⁹

Dæmones eſſe creatos cũ aliis

A *angelis ab exordio mundi. Quãdo angeli fuerunt creati.*

doctores, cœlum empyreum mox, vt fuit creatum, sanctis angelis fuit repletum, & dicunt intelligi creationem angelorum nomine creationis cœli, cum dicitur: In principio creauit Deus cœlum & terram. Vel dicunt intelligi nomine lucis cuius creatio pertinet ad primam diem. Veritas tamen huius est, quod angeli fuerunt creati, tam boni, quam mali ante omnẽ diem: tamen de his Scriptura nihil meminit in principio, Genes. nec intelligitur per aliquid illorum, quia Moyses solum volebat declarare res creatas esse à Deo, ne intelligerent Iudæi eas esse æternas, & improductas, sicut senserunt plurimi philosophorum, & quia loquebatur ad populum rudem, qui sola ea, quæ videbat, putabat esse entia, cum spiritus sint inuisibiles, de eorum creatione nihil docuit. Item ex eadem causa de creatione aeris, & ignis nihil dictum est: constat tamen istas esse duas naturas elementales circundantes terram sphærice, & occupãtes totum medium inter cœlum & terrã, quia tamen non videntur, nihil de eis dixit, sed solum de terra, aqua, & cœlo, quæ visui patent. Causa autem quare Iudæi dixerint de creatione dęmonum, & non de creatione angelorum, est quia plurimi eorum dæmones aliquid esse crediderunt: angelos autẽ nihil. Pro quo sciendum, quod ab antiquo etiam ante tempora Saluatoris fuerunt inter Iudæos duæ opiniones principales, scilicet, Saducæorum & Pharisæorum, Saducæi enim dicunt non esse resurrectionem, nec angelum, nec spiritum, vt patet Actor. 23. capit. & colligitur aliqualiter, Matth. 22. c. Pharisæi autem omnia hæc confitentur. Iudęi autem posteriores variauerunt, quia quidem assenserunt Saducæis dicentes, non esse angelos, nec spiritus, nec resurrectionem. Alii autem accipiunt medium modum, scilic. confitentes quosdam spiritus, & alios non, & isti dicunt dæmones esse apparentes hominibus, sed non confitentur angelos bonos, necesse est tamen poni angelos bonos ex auctoritate sacræ Scripturæ, vt declarabitur in prædictis locis. Item pertinebat ad hoc nonum, præcepta decem esse scripta in igne albo, & nigro. Hoc autem stare nequit, quia præcepta non poterant dari donec esset aliquis, qui reciperet, ideo à principio creari non potuerunt, nec poterãt manere creata in aliqua re. Nec obstat si dicas illa potuisse dari masculo, & fœminæ tunc creatis. Nam non fuerunt data. solum enim iussum est eis non comedere de arbore scientiæ boni & mali, & permissum est, quod comederent de omnibus arboribus paradisi, Gen. cap. 2. decem autem præcepta non data sunt, vsque ad tempus Moysi, quanquam semper obligauerint ab exordio sæculi, cum essent tanquam quædam conclusiones naturaliter insitæ intellectui nostro. Item non poterant præcepta scribi in igne albo & nigro, quia ignis non est aliquid susceptiuum Scripturæ, quia Scriptura fit sculpendo, vel imponendo, in igne autem non fit sculptura, nec quidquam imponitur. Motiuum tamen Iudæorum est, quia ipsi intelligebant tabulas illas à principio fuisse dolatas, sed non scriptas. Posuerunt autem Scripturam in igne, quia Scriptura fit per album & nigrũ, scilicet, quod atramentum sit nigrum, & id in quo scribitur sit album, vel ècontrario: ideo dixerunt album & nigrum, sed præsupponunt falsum, quia ista præcepta nunquam fuerunt scripta vsquequo in tabulis lapideis scripta sunt. Decimum autem, quod ponebant Iudæi erant tenaculæ, & malleus, & hæc dicunt creata esse, quia intelligunt nullo alio modo posse fieri, nisi crearentur. Sed falsum est, quia quodlibet istorum potest fieri ante alterum, scilicet, tenaculæ an malleum, vel malleus ante tenaculas, ideo non oportuit ista creari, Et sic patet insipientiam Iudæorum esse magnam circa ista, cum errent in notissimis.

Multi Iudæi credebant dæmones non tamen angelos.

B

Quid feci tibi. Asina locuta fuit ad Balaam conquerens, quod iniuste percuteret eam.

Cur percutis me etiam iam tertio. Conquerebatur asina, quod percussa fuisset ter, & semper iniuste: nam qualibet vice percussa fuerat, quia declinabat à via propter angelum, sed ista declinatio rationabilis erat: fuit enim percussa primo, quando declinauit à via propter angelum ibi existentem.

Contra 9. deprecepti,

Secundo fuit pecussa cum transiens per medium duarum maceriarum declinauit ad vnam partem, & attriuit pedem sedentis. Tertio percussa est cum stans in angustia maceriarum cecidit sub pedibus sedentis.

Respondit Balaam, quia commeruisti, & illusisti mihi. Ecce loquitur Balaam cum asina sua reddens rationem de eo, quod fecerat, scilicet, quod asina commeruerat, id est, meruerat illam percussionem, & hoc, quia illuserat ei, scilicet, quia e mandanti non obedierat. Dicit autem Balaam, quod illusit. Illudere enim solum pertinet ad res ratione vtentes, quia scientes, & ab intentione aliquid agunt, asina autẽ nihil tale poterat facere cum contra intentionem Balaam egisset, quia nõ intelligebat quid ageret, quia tamen Balaam vidit, quod asina loquebatur vtens ratione locutus est ei tanquam rationali, dicens, quod illuserat ei. Mirandum tamen, quod Balaã ad tantum Dei miraculum visum non expauerit: sed durus erat, & cæcus, vt Dei magnitudinem non respiceret, & forte factum est hoc, quia iratus nimis erat, ira autẽ impedit animum circa considerationem veritatis, vt ait Cato:

Ira impedit animum, ne possit cernere verum.

Si autem fuisset Balaam tranquillus aduertisset tantũ miraculum, & expauisset, quod autem nimis iratus fuerit apparet, quia post omnia hæc dixit: Vtinam haberẽ gladium, vt te percuterem, quod ad magnam iram pertinet. Sed adhuc ira non sufficeret, visio tam insolito miraculo, nisi Deus istum Balaam excæcasset. *Vtinam haberẽ gladium, vt te percuterem.* In hoc Balaam demonstrat iram suam rationabilem fuisse, quia asina illuserat ei, ita vt non solum gauderet, quia percussit, sed etiamsi haberet gladium eam occideret. *Dixit asina, nonne animal tuum sum?* Hic respondit asina dictis Balaam elidendo obiectionem suam: dixerat enim Balaam, quod illuserat ei asina, scilicet, ab intentione: ipsa autem respondit, quod non fecerit, & probat, quia nunquam aliquod tale facere consueuit, & ista est conueniens præsumptio ex iure, vnde dixit: Nonne animal tuum sum? Quasi dicat, nunquid tu nescis, quod ego sum animal, ad te pertinens? quasi dicat, ex hoc, quod tuum sum: non est præsumendũ quod tibi illudere voluerim, sed magis obedire. *Cui semper sedere consueuisti.* Id est, in quo semper consueuisti sedere, quasi dicat, si nunc nouiter super me sedisses, & hoc fecissem, poteras rationabiliter imaginari, q̃ fecissem illudens tibi, sed semper super me sedisti, & nunquam feci hoc: ergo non est præsumendũ, quod nunc illud illudens fecerim. Scelestissimi autẽ Iudæi, & ipsa turpitudine turpiores cogitare, & dicere non erubescunt, quod ideo Balaam in asina equitabat, quia ea ad coitũ vtebatur, sed turpissimum est, nec verisimile, & hoc dicunt significasse hic asinam, cum dixit: cui semper sedere consueuisti: sed accipitur sedere proprie pro equitare. *Dic, quid simile vnquam fecerim tibi?* Quasi dicat, nihil: ideo ex hoc præsumitur, quod hoc non fuerit factum illudendo, sed ex necessitate. Considerandum autem, quod dum ista loquebatur asina non apparebat angelus coram ipsa in via, sed introiuerat in os eius, & ibi formatis quibusdam organis loquebatur. Cum autem desinit asina loqui, angelus relictis organis illis exiuit de corpore asinæ, & apparuit coram Balaam, & asina sua, vt prius fecerat. *At ille ait, nunquam.* Id est, nunquam aliquid tale fecisti, & ex hoc conuincebatur Balaam, quod irrationabiliter percussisset asinam, quia non agebat hoc illudens, sed compulsa ab angelo. *Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, vt videret angelum.* Quasi dicat, ante hoc Balaam non potuerat videre angelum: nunc autem aperuit Deus oculos illius ad videndum. Quod potest intelligi dupliciter vno modo, quod angelus non posset videri, nisi supernaturaliter, quia ipse se occultabat, cui volebat, & reuelabat se, cui volebat: asinæ autem se hactenus reuelauerat ex gratia, & Balaam propheta non se reuelauerat: nunc autem reuelauit se illi. Alio modo potest intelligi, quod angelus secundum qualitatem corporis assumpti erat visibilis à quolibet, & sic asina videbat illum: percussit tamen Deus Balaam aorisia, id est, cæcitate, ita vt cætera videns angelum videre non posset, postea autem abstulit illam cæcitatem, & incœpit videre. Et iste sensus conueniens est, quia non solum Balaam non viderat angelum, sed etiam nec pueri sui: si tamen esset visibilis naturaliter, pueri vidissent etiam Balaam non vidente. Item patet ex litera, quia dicitur, quod aperuit Dominus oculos Balaam ad videndum angelum, in quo signatur, quod ante videre non poterat, & tunc eleuauit eum supernaturaliter ad videndum. De pueris autem Balaam an viderint nihil dicitur, nec etiam multum differt, quia non fiebat visio propter illos, sed propter Balaam. *Vidit angelum stantem in via euaginatum gladium in manu tenentem.* Iste angelus

fuerat

C *Contra 10. de forcipe.*

D

E

F *Apertos esse oculos Balaã ad vidẽdũ angelum quomodo intelligitur.*

A

fuerat ante hoc in corpore asinæ in organis formatis de aere ad vocem articulandam: finita autem locutione exiuit, & assumpto corpore aereo, & ense aereo euaginato stetit ante Balaam in angustia viarum, sicut prius fuerat coram asina, quæ iacebat in terra. *Adorauitque eum.* Scilicet timore coactus, quia vexatio dat intellectum. Prius enim in domo sua cum Deus sibi loqueretur, non adorabat illum, nunc autem Angelum iratum adorauit. Accipitur autem adoratio large pro inclinatione quacunque, & sic dicitur, quod Abraham adorauit pronus in terra coram populo Hethæorum, cum sibi concedebatur sepultura pro vxore sua Gen. 23. capit. sed non est ibi adoratio talis, qualis fiebat Deo, & sic fuit in Balaam, qui adorauit Angelum, scilicet, se ad terram prosternens, sed nõ adoratione latriæ, quæ ad Deum pertinet, quamquam in hoc nihil differt, qualiter adorauerit Angelum Balaam, quia non erat vir sanctus, quem debeamus ab idololatria excusare. *Cui Angelus: cur inquit tertio verberas asinam tuam?* Id est, cur iam percussisti asinam tuam tribus vicibus, quasi dicat, semper eam iniuste percussisti. De istis tribus vicibus supra dictũ est. Respondebat autem Angelus hic pro asina, vt sic haberet introductionem ad loquendum cum Balaam. *Ego veni, vt aduersarer tibi.* Hoc potest referri ad duo: vno modo ad significandum, quod iniuste percussisset Balaam asinam. Alio modo ad demonstrandum intentionẽ suam. primo modo est sensus: ego veni, vt aduersater tibi, id est, vt facerem contra te nocendo tibi in aliquo: ideo steti coram asina tua, & hoc nõ potuit procedere asina: cum ergo tu eam percuteres, iniuste percutiebas. Alio modo intelligitur, ego veni, vt aduersarer tibi, id est, tu vadis ad faciendum contra me: ego veni, vt facerem cõtra te. *Peruersa est enim via tua, & mihi contraria.* Datur causa, quare Angelus veniret ad aduersandum Balaam, scilicet, quia via eius erat peruersa, id est, intentio, quæ eum mouit ad veniendum erat mala, sc. qui veniebat ad maledicendum: & tamen via sua, id est, itineratio non erat peruersa, nec contraria Deo, quia redundabat in gloriam Dei: licet mala intentione egisset, & hoc, quia postea manifestatum est Moabitis, quod maledictio, & benedictio non esset in potestate Balaam, sed in potestate Dei, qui tenuit eum, ne loqueretur ad maledicendum, & tamen Moabitæ prius credebant, quod in potestate eius esset maledicere faciendo infortunia, & benedicere faciendo bona euenire: sic patet supra cum dixit rex Moab: noui quod benedictus sit cui benedixeris, & maledict⁹ in quem maledicta congesseris: & postea vero cõfessus est potestatem hanc esse in Deo: & ab hoc posse tolli, cum ait infra 24. capit. decreueram quidem magnifice honorare te, sed Deus priuauit te honore dispositio: sed hoc erat, quia non potuit maledicere Israelitis: ergo cõfitebatur, quod Deus abstulisset ei potestatem maledicendi: si tamen non venisset Balaam in terram Moab, non fuisset hoc cognitum: ergo itineratio ista non erat contraria Deo: sed intentio itinerantis erat contraria Deo: dicitur autem hic cõtraria, & peruersa. Vocatur peruersa, quia declinabat à rectitudine: nam debuerat venire in terram Moab Balaam propter aliquod bonũ, sed veniebat propter malum, scil. ad maledicendum Iudæis. Vocatur contraria Deo, quia Deus iusserat, ne malediceret: ipse autem maledicere intendebat, si autem accipiatur hic, quod iste Angelus apparens fuit Michael, qui erat princeps Iudæorum, vt patet Daniel. 12. cap. cum Angeli custodes desiderent bonum populi sibi commissi spirituale, & temporale: dum tamen nesciant esse contra voluntatem Dei: & cognosceret iste Angelus bonus, quod via Balaam faceret damnum Hebræis propter consilium, quod postea dedit regi Moab, dicebat. Via tua est mihi contraria quantum ad malam intentionem, quia vis maledicere, & licet non maledicas, male consiliaueris, & sic illud consilium Balaam, & formationem Hebræorum aliter volebat Deus, & aliter volebat Angelus custos Hebræorum, quia licet Deus nollet illud imperando, volebat tamen permittendo, Angelus tamen, nec imperando, nec permittendo, sed totaliter prohibendo nolebat, donec cognouit Deum permittere, & tunc sine aliqua contradictionis difficultate permisit.

B

Intentio facit opus malũ, siue bonum.

Secundum hæc potest exponi litera illa præcedens dupliciter, vno modo. Ego veni, vt aduersarer tibi, id est, non, vt aduersarer, quia ibas, quia hoc volebam, sed vt aduersarer tuæ prauæ voluntati de maledicendo populum, vt si forte malam intentionem Balaam deponeret. Et hoc intelligere, si Angelus ille non esset custos Hebræorum, sed esset missus ad repugnandum aliqualiter Balaam. Vel intelligeretur, veni, vt aduersarer tibi, scil. quia ibas in terram Moab, & quia maledicendum ibas, & quodlibet eorum per se, vel malum erat, vel malum inducere poterat. Et iste secundus sensus est, si iste Angelus esset custos Hebræorum, & per se fuisset motus ad repugnandum ipsi Balaam, quia malum inferre volebat Iudæis, & ob hoc dixit: via tua est mihi contraria, id est, populo meo, scil. ad malum populi mei: malum autem populi transumitur ad principem, cum princeps contineat eminenter populum, & vterque sensus stat. *Et nisi asina declinasset de via dans locum resistenti.* Significat hic Angelus, quod misericorditer actum est cum Balaam, quia veniebat Angelus aduersari ei volens eum occidere, & quia asina dedit ei locum, destitit ab ira sua. Talis modus est in hominibus magni cordis, qui aliquando aliis nocere volunt, quibus si tunc aliquis honor impendatur, ab ira desistunt, & sic dicit Angelus, quod reuerentia asinæ distulit mortem Balaam, quia declinauit à via. sic enim futurum erat, scil. quod asina transiuisset per locum, in quo erat Angelus, occisus fuisset Balaam, quia non placaretur ira Angeli. Deus tamen misertus Balaam ad ostendendum gloriam suam fecit, vt asina daret locum illi, & sic non fuit occisus Balaam. *Te occidissem, & illa viueret.* Id est, si transisset per locum, in quo erat Angelus, fuisset mortuus Balaam, & asina nõ occideretur. Dicet aliquis quare Angelus occidisset Balaam, si non dedisset asina locum. Forte dicendum erit, quia Balaam Deo mandanti in domo inobediens fuerat, cum voluntas eius semper esset ad maledicendum, & si hic nulla reuerentia fuisset facta Angelo, iam demereretur Balaam occidi, sed quia nondum consummata erant peccata eius, cum non venisset vsque ad summum, & Deus illum in alium reseruabat euentum, vt patet infra 31. cap. scilicet, vt moreretur gladio cum Madianitis: fecit Angelus asinam declinare, vt tunc non mereretur Balaam occidi. *Illa autem viueret.* Id est, asina.

C

D

E

Quare Angelus occidisset Balaã, si non dedisset asinæ locum.

F

An asina Balaam mortua fuit immediate, vt locuta est.

QVÆSTIO XI.

Opin. Hebræorum.

DIcunt Hebræi, quod asina immediate, vt locuta est, mortua fuit, vt non maneret ad redargutionem hominis, sicut pecus, cum quo coibat homo occidebatur, ne maneret ad hominis infamiam, vt patet Leuit. cap. 20. & est sensus, si asina non dedisset mihi locum resistẽti, ego occidissem te & tunc nõ esset opus, quod asina loqueretur, & consequenter, nec moreretur, sed quia locum mihi dedit, tu eam percussisti, & ad tuam confusionem data est ei loquela: ideo mortua est, non quidem ad honorem Balaam, ne maneret asina, per quam ipse redargutus fuerat, sed ad honoren humani generis, ne maneret asina, quæ ratione hominem aliquem conuicerat. Istud satis rationabile est, non tamen est necessarium ex litera dici, quod ista asina mortua fuerit statim, vt locuta est: sed erit sensus: si asina non dedisset mihi locum resistenti: ego occidissem te, & illa viueret, id est, quamquam te occidissem, non propter hoc occiderem eam, & tollitur dubium in hoc, quia crederet aliquis, quod si asina non daret locũ Angelo videns eum percutere illam, & Balaam: dicit tamen Angelus, quod si occidisset Balaam, non occideret eam, quia placaretur ira ipsius in morte Balaam, & non oportebat occidi asinam: nam ipsa non erat rea irreuerentiæ, cum irrationalis esset. *Dixitq; Balaam: peccaui nesciens, quod tu stares contra me.* Non respondit hic Balaam ad illud, quod dixerat Angelus, sc. peruersa est via tua, mihique contraria. sed respondet ad primũ, sc. quod percussit asinam ter iniuste, & dicit. peccaui, id est, peccaui percutiens eam, & hoc nescies, quod tu stares contra me, id est, ex ignorantia feci, quia nesciebam, quod tu eras in via ante asinam, alioquin non percussissem eam. Alio modo intelligitur, peccaui percutiendo asinam, & hoc non simpliciter, sc. quia percussi. nã licebat mihi percutere eam, sed peccaui, quia tu eras contra me, quando percutiebã eam volens, quod transiret per locum, in quo tu eras, sed ignorãs hoc feci. *Et tunc si displicet tibi, vt vadam reuertar.* Hic respondet ad secundum, scil. peruersa est via tua mihique contraria, in quo

videbatur Angelus nolle, quod transiret Balaam in terram Moab: ideo coactus timore, dixit: si displicet tibi via mea, reuertar. Non tamen propter hoc desistebat à praua intentione: nam quamquam Deus inhibuisset ei maledicere Iudæos: tamen semper in hac intentione persistebat, nec ob aliâ causam ibat in terram Moab. Vnde satis ipse debuisset videre, quod displicebat Angelo via illius, quantum ad hoc: sed Balaam excæcata mente loquebatur ad Angelum Dei, tanquam ad hominem peruersam mentem suam palliatis verbis se occultaturum putans, sed nihil latebat. *Ait Angelus: vade cum istis.* Istud non est verbum imperij, sed permissionis: nam ex importunitate Balaam concessum est ei, quod iret in terram Moab, vt patet supra. & sic iterum hic indultum est adiuncta conditione, quod non faceret contra Dei præceptum. Et cum dicitur, vade cum istis, non intelligitur, quod ipse iret simul cum principibus Moabitarum, & Madianitarum, qui eum ad vocandum venerant, quia alioquin ipsi vidissent omnia, quæ contingebant de asina, & de locutione Angeli ad ipsum, & tunc diffiderent Balaam posse quidquam facere inhibente Deo, qui tantæ potestatis erat, vt etiam asinam loqui faceret. Item non fuissent facta ista coram ipsis, quia forsitan Angelus non reputasset eos dignos ad videndum hæc, sed præcedebant principes isti forte in magno apparatu parum ante Balaam, ita vt non iungerentur per viam, & tamen cum illis ire dicebatur, in quantum ad vocationem eorum ibat, & iter eorum de propinquo sequebatur. *Et caue ne aliud, quam præcepero tibi, loquaris.* Quia permittebat Angelus Balaam ire, & nesciebat, quod inclinaretur ad maledicendum, iussit, ne aliud faceret, quam id, quod Deus iuberet. Quare autem hoc appositū fuerit, cum non posset Balaam facere contra ea, quæ Deus iuberet, etiamsi expressa hic non forent, supra declaratum est. Et Angelus iubet hic ea, quæ supra Deus iubebat Balaam, antequam recederet de domo sua. Sed dicendum, quod idem est Angelus iste, & ille, qui loquebatur ei in domo: nam Deus nunquam locutus fuit Balaam, nec cuiquam hominum, quia loqui non potest, sed Angelis loquentibus dicitur Deus loqui, quia ipsi nomine Dei loquuntur, & scriptura sæpissime vocat eos Deum: maxime in veteri testamento. *Iuit igitur cum principibus.* Id est, quia Angelus permisit, continuauit suam vitam Balaam vadens cum principibus, sc. Moabitarum, & Madianitarum, qui eum ad vocandum venerant. *Quod cum audisset Balac, egressus est in occursum eius.* Id est, antequam veniret Balaam in terram Moab, venerunt nuncij ad regem Moab, & tunc exiuit in occursum Balaam ad honorandum eum, vt sic magis eum demulceret ad maledicendum Iudæis, in quo magnum ei honorem impendit: nam vsque ad extremitatē totius regni sui obuiam illi exiuit, vt patet infra. *In oppido Moabitarum, quod situm est in extremis finibus Arnon.* Id est, exiuit in occursum vsq; ad extremitatem regni sui ad quoddā oppidum Moab, & illud erat in extremitatibus Arnon. Est enim Arnon in finibus Amorrhæi diuidens Moabitas, & Amorrhæos, vt patet in præced. cap. & est Arnon ciuitas, vt quidam volunt. Alij autem dicunt, quod est scopulus altissimus. Iosephus vero dicit, Arnon esse fluuium descendētem de altis montibus Arabiæ, & diuidit à meridie Moab, & Amorrhæos, defluit autem in stagnum Asphaltitem, quod vocatur mare mortuum, siue mare Sodomorum, & factum est in loco illo, vbi subuersæ sunt quatuor ciuitates Sodomorum cum terra tota coniuncta: vnde ait Iosephus, quod ista terra Amorrhæorū, quam cœperunt Iudæi, & coniuncta est terræ Moab, habet modum insulæ, quia tribus fluminibus tota quasi circundatur ab oriente Arnon contra occidentem fluens diuidit eam à Moabitis versus partem meridianam. Iabocautem, de quo dictum est præced. cap. est fluuius descendens ab oriente ad occidentem diuidens eam à terra Ammonitarum, & à Mesopotamia: Iordanis autem fluens per latus occidentale à septētrione versus austrum diuidit eam à reliqua terra promissionis. Hæc autem vera sunt, sed non tollitur ex hoc Arnon esse ciuitatem altissimam, vel scopulum, quia dicitur præced. capit. quod Arnon prominet in finibus Amorrhæi: prominere autem eleuare est, de flumine tamen non poterat intelligi, quia non prominet cū semper aqua fluat per loca declliuiora. Et sic dicendum distingui Arnon, & torrētem Arnon, quia Arnon est scopulus, vel ciuitas altissima. Torrens autem Arnon est fluens ad radices scopuli, vel ciuitatis, & ab illa nomen assumpsit. Vel forte è contrario nominata est ciuitas Arnon propter torrentem dictum Arnon. Ad oppidum autem, quod erat in extremitate Arnon, id est, coniunctum torrenti Arnon peruenit rex Moab, nec transiuit vlterius, quia reliqua terra non pertinebat ad eum, cum iam esset in potestate Hebræorum, quia Arnon diuidit inter Moab, & terram, quæ fuerat quondam Amorrhæorum. *Dixitque ad Balaam.* Postquam occurrit ei in via apud Arnon, quæsiuit rex à Balaam, quare non venisti. *M si nuncios, vt vocarem te.* Scil. nuncios primos, & cum illis non venit Balaam, quia Deus vetuerat. *Cur non statim venisti ad me.* Id est, quare non venisti in prima vice. Hoc dicebat rex Moab, quasi admirans, quare distulisset venire Balaam ad primum imperium suum, quia in hoc paruum illi honorem impendebat. *Aut quia mercedem aduentui tuo reddere non queo.* Quasi dicat, nunquid venire nolebas, quia putabas me esse insufficientem ad reddendum mercedē pro labore & opere tuo? Hoc ponebat rex Moab ad excludendum causas dilationis, & oppositum causam istam, quam non concederet Balaam, scil. esse impotentem regem ad dandam mercedem, & sic fortius argueretur contra Balaam. *Cui ille respondit: ecce adsum.* Quasi dicat, etiamsi tarde venio, sufficit, quod venio, quia quod à principio facere poteram, etiam nunc potero. vel aliter, quasi dicat, non sum culpabilis, quia si nullo modo venissem ad vocationem tuam, recte argueres, sed nunc iam venio: ideo reus non sum. *Nunquid loqui potero aliud, nisi quo Deus posuerit in corde meo?* Hic excusat se Balaam, si forte euenerit aliquid, quare maledicere non possit, quasi significans aduentum suum modicum proficere, scilicet, tu vocas me ad maledicendum, sed forte non perficiam, quia non potero dicere, nisi quod Deus mandauerit, & in hoc etiam aliquo modo excusat se de tardo aduentu, quasi dicat, tu obiicis, quod tarde venerim, sed credo hoc nihil differre, quia ita modicum proficiā, sicut si prius venissem, vel è contrario, & hoc, quia non loquar quod voluero, sed solum quod Deus iusserit: ista verba cedebant ad malum honorem Dei: nam cum posset postea maledicere Balaam Israelitis si à principio non cognouisset rex Moab, à quo dependeret potestas benedicendi, vel maledicendi, Balaam putauisset eum impeditum ex aliqua naturali causa, scilicet, ex motu cœli, vel ex quacunque temporis conditione, vel ex dæmone. Cum vero à principio dictum est, quod non posset Balaam aliud loqui, quam quod Deus dixerat, siue bonum, siue malum, & postea maledicere non potuit, euidēter cognitum fuit, quod Deus impediuisset eum maledicere, & sic confessus est rex Moab infra 24. capit. scilicet, decreueram quidem magnifice honorare te: sed Deus priuauit te honore dispositō. *Perrexerunt ergo simul.* Id est, venerunt per viam confabulantes Balaam, & Balac, quia forte loquerentur de modo maledicendi Iudæos, & quomodo postea contra illos pugnandum foret. *Et venerunt in vrbem, quæ in extremis finibus regni eius erat.* Id est, venerunt de oppido illo Moabitarum, quod erat apud Arnon vsque ad ciuitatem quandam, quæ erat in extremitate terræ Moab.

Quomodo venerunt ad ciuitatem, quæ est in extremitate terræ Moab.

QVÆSTIO XII.

SEd dicet aliquis, quomodo poterant venire ad ciuitatem, quæ est in extremitate terræ Moab, quia nunc veniebant de oppido Arnon, & illud erat in extremitate Moabitarum: ideo cum venirent ad aliam ciuitatem Moabitarum, iam illa esset magis intra regnum Moab. Respondendum est, quod potest dici ista ciuitas in extremitate regni Moab, id est, quod nulla alia ciuitas esset propinquior extremitati regni illius, quamquam esset aliquod oppidum propinquius, & sic erat de oppido Arnon, ad quod exiuit in occursum Balaam arioli rex Moab. sed illud oppidum nō erat ciuitas, & de illo introeuntes magis in terram Moab venerunt ad ciuitatem, quæ inter omnes erat magis cōiuncta extremitati regni. Alio modo est sensus, quod ista ciuitas esset in extremitate regni, & tamē de oppido, quod erat apud Arnon, venit rex Moab in illam, vel ut si aliquis ambularet per extremitatem alicuius regni circuēndo illud semper transiret per loca, quæ essent in extremi-

A tate regni: hoc autem fiebat, quia rex Moab exiuit in occursum Balaam ariolo venienti de Mesopotamia: iter autē suum erat per partem orientalem terræ Moab, eo quod Mesopotamia est magis orientalis, quam terra Moab, & magis aquilonaris. Venit igitur in Arnon, quia per illam partem introiturus erat Balaam; Iudæi quoque per illam partem introierunt, vt patet præcedenti cap. Sed iam declinauerāt inde transeuntes per alias mansiones vsque ad illam, quæ erat in campestribus Moab circa montem Phasga: in ea enim tunc Iudæi erāt, vt patet in litera: ideo venit rex Moab cum Balaam ab oppido Arnon semper per extremitatem regni sui, vsq; ad ciuitatem quandam, quæ erat iuxta mansionem, in qua erant tunc Israelitæ ex alia parte. Quod patet, quia ascendens rex Moab de ciuitate illa in montem duxit Balaam ad locum, de quo videret omnia castra Hebræorum, vt patet infra in litera. Item apparet hoc, quia ista ciuitas erat apud montem Phasga, apud quem Iudæi erant tunc castrametantes ex alia parte terræ Amorrhæorum: nam ab ista ciuitate ascendit rex cum Balaam in montem Phasga, vt patet sequenti cap. vt inde videret castra Hebræorum: constat tamen quod castra illa erant iam circa Iordanem, vt patet supra in litera, & infra 33.c. & ibi est extremitas regni Moab: ergo venit rex Moab cum Balaam ab oppido, quod erat in orientali parte terræ Moab, cum in extremitate regni iuxta Arnon vsque ad aliam ciuitatem, quæ
B etiam erat in extremitate regni Moab circa partem Occidentalem. Et hoc factum est, quia rex volebat ducere Balaam in locum, de quo maledicere posset Iudæis: nulla autem ciuitas terræ Moab erat propinquior castris Hebræorum quam ista, quæ erat in extremitate regni, de cuius quodam supercilio videbantur castra Israel, ergo illuc duci debuit Balaam. Si enim ductus fuisset ad aliquam vrbem, quæ esset in medio terræ Moab, vel saltem non in extremitate non possent inde videri Iudæi, ideo non esset locus conueniens ad maledicendum iuxta cæremonias maleficorum. In Hebræo dicitur. *Venerunt ad ciuitatem vicorum.* Vbi nos dicimus in extremis regni finibus: & hoc quia forte sic vocabatur ex nomine proprio, & in hoc suadebat rex Balaam, quod malediceret Israelitas, quia destruere volebat ciuitatem suam valde pulchram, vel dicunt quidam, quod vocabatur ciuitas vicorum, quia multos vicos, & bene dispositos habebat, sed differentia ista inter literā nostram, & Hebræam est ex æquiuocatione, quia dictio hic posita in Hebræo potest significare terminum, vel vicum, & sic potest dici ciuitas vicorum, vel ciuitas terminorū. Idem autem est esse ciuitatem terminorum, vel esse in extremis finibus: ideo litera nostra sic habuit, quia clarius erat, & magis consonabat in isto sensu, quam si diceretur ciuitas vicorum, quia oportebat, quod duceretur Balaam in ciuitatē, quæ esset in extremitate Moab, quod tamen duceretur in ciuitatē vicorum nihil attinebat. *Cumq; occidisset Balac oues & boues.* Hoc fuit in die, qua venit Balaam ad ciuitatem illam: fecit enim rex Ba-
C lac conuiuia magna, & grandia festa in honorem aduentus illius, vt sic eum semper alliceret. Supra enim dixerat, quod erat paratus honorare. ideo hic manifestauit in opere: fecit autem conuiuium magnum, & ad hoc occidit oues, & boues multos. *Misit ad Balaam, & ad principes, qui cum eo erant munera.* I l est, misit de ouibus, & bobus munera, id est, partes multas ad faciendum conuiuia magna. Vel possunt intelligi munera alia dona, quæ mitteret rex Moab cum conuiuiis: magis tamen intelligitur de partibus conuiuiorum, & dicitur ad principes, qui cum eo erant: non quod ipse adduxisset secum aliquos principes de terra sua, quia non erat vir potens: soli enim duo pueri cum eo venerant, vt patet supra, sed sunt isti principes de Moabitis, & Madianitis, qui iuerant secunda vice ad vocandum Balaam, & cum eo venerant. isti enim manserunt cum ipso ad comitandū eum impendentes honorem magnum, vt sic semper magis allicerent.

Mane autem facto. Hoc erat sequenti die: nam die prima, qua venit Balaam in vrbem illam conuiuiis, & gaudiis vacatum est ab omnibus aliis feriando: sequenti autem die diluculo rex tanquam solicitus ad id, quod intendebat, duxit Balaam ad locum, de quo maledicere posset Iudæos.

Quare Balaā fecit poni aras in excelsis.

Duxit eum ad excelsa Baal. Id est, ad montem altum, in quo erat templum Baal: & hoc, vt inde posset videre castra Israel, sicut dicitur immediate, quod intuitus est extremam partem populi, vel vt illi dolo immolaret in adiutorium maledictionis, quam proferre nitebatur, vt sequitur infra cum iusserit poni septem aras. Vel forte ascendit ad excelsa, quia iste Balaam erat astrologus, & ad faciendum considerabat motum astrorum: in locis autem altissimis melius fit astrorum contemplatio, sed primum est quod intendit litera. Colebatur autem iste Baal in locis altissimis, quia fuit modus antiquorum Gentilium deos suos in excelsis, & nemorosis locis colere, quia loca ista sacratiora esse putabant. Hoc etiam Romani obseruauerunt dicentes, quædam loca esse naturaliter determinata ad cultum deorum: vnde ait Seneca.

Capita fluminum veneramur.
Et vbi fons est numinis ara fuit.

D

In locis altissimis conuenienter colitur Deus.

Hoc etiam apud Iudæos patet: nam ipsi idola colebant in excelsis, & nemorosis locis. Alij autem imitati ritum idololatrarum Deum verum in excelsis, & montuosis locis colebant. vnde sæpe dicitur in tertio, & quarto libris Regum de istis excelsis: & cum dicatur de aliquibus regibus bonis, qui destruxerunt idola, & succiderunt lucos, subditur, quod non abstulerunt excelsa, sed adhuc immolabat populus in excelsis, qui autem fuerunt optimi inter reges, etiam excelsa abstulerunt, sicut Ezechias, vt patet 4. Reg. cap. 18. & Iosias, vt patet 4. Reg. 23. capit.

De idolo Baal, & quomodo fuit introductus cultus dæmonum in imagine, & qui reges se deos dixerunt: & de origine deorum Gentilium.

E

Qvæstio XIII.

SCiendum, quod Baal antiquis temporibus idolum multarum gentium fuit, sed diuersimode nuncupabatur, & figurabatur. Aliqui nominabant Baal, & Baalim, sicut Iudæi idololatræ, vt patet sæpe in 3. & 4. Reg. & in Prophetis. Alij vocabant eum Bel, sicut Babylonij, vt patet Daniel. 14. c. Alij vocabant eum Beelphegor, & Chananæi, & Moabitæ, vt patet inf. 25. c. & Psal. 105. Figura quoque eius diuersa erat apud gentes: nam Babylonij figurabant illum, vt magnum virum, vt patet Danielis 14. c. Hebræi autem idololatræ ponebant eum in figura bouis, vt patet 3. Regum c. 12. cum fecit rex Ieroboam duos vitulos aureos, & vnum posuit in Bethel, & alterum in Dan, vt patet ibidem: & tamen istos duos vocat scriptura Baal, vel Baalim.

Baal idolum multarū gentiū diuersimode nominatur.

Cultus vero deorum sine imagine inchoatus est à Nemroth, qui docuit Chaldæos colere ignem: huius filius fuit Belus, nepos autem Ninus, qui patris sui Beli mortui imaginem ad recordationem fecit, quam in magna reuerentia tenebat, sed non colebat vt Deum: serui tamen illius propter adulationem simulachrum illud, vt Deum colere incœperunt, vt sic animo maiorem fauorem mererentur: complacuit autem Nino, & postea in mandatum versum est, quod posteri obseruauerunt, & reges subditos suos ad culturam maiorum suorum defunctorum coegerunt: intantum enim hominum ambitio ad honorem incanduit, vt non solum iam defunctos, sed etiam ipsos viuentes coli, & deos vocari fecerunt. Nabuchodonosor enim se deum nominari mandauit, & quod nullus Deus præter ipsum diceretur: vnde iussit Holopherni principi militiæ suæ omnia idola locorum expugnatorum confringere, vt sic ipse solus à gentibus in Deum coleretur, vt patet Iudith capit. tertio. Alexander quoque se hominem esse fastidiens Deum se nominari iussit, vt ait Gualterus Alexandreidis lib. secundo. Philotam autem militem suum nobilissimum Parmenionis ducis Alexandri filium, quia eum in hoc redarguerat, fecit à tota militia lapidari obiectis quibusdam falsis criminibus: cuius magna & pulchra oratio antequam lapidaretur habita ad totam concionem habetur Alexandreidis lib. 8. Herodes quoque, qui Iacobum occidit, vt Deus adoratus est, & subito percussus ac mortuus, scaturiētibus vermibus de carne eius, vt patet Act. 12 Modi autem multi introducendi deos ponuntur Sapient. 13. 14. & 15. capit. Lactantius autem de natura deorum, lib. 1. a-liam ponit deorum originem, scil. quod quando disseminati sunt filij filiorum Noe per diuersas partes orbis erant iuuenes, vt patet Genes. c. 10. & adhuc rudes. cum autem aliquantis temporibus in diuersis terræ partibus resident, reuersi aliquando ad se, vt fieri solet per quoddam lumen saltem

Idololatria quando incœpit.

F

Modi introducēdi Deos. Quod Lactantius sentiat de origine deorū.

paruum

paruum naturale cogitare incœperunt, quid esset Deus, & quia indisciplinati erant, varie errauerunt, alij terram, alij aquam, alij stellas, alij diuersimode arbitrantes.

Quid Arist. sentiat de origine deorũ.

Fuit autem præter istos alius modus introducendi deorum multitudinem, quem tangit aliqualiter Aristot. 3. Polit. homines enim à principio per hoc nomen Deus, vel per æquipollens in diuersa lingua significari intelligebant id, quod omnium entium optimum, & perfectissimum est. Et cum rudes essent atque viros aliquos industrios, & excellentes inter se viderent, vel ab eis beneficia magna recepissent volentes de illis magnam bonitatem prædicare, nescientesq; gradus distinguere bonorum: summum gradum, scil. Deum esse pro inferioribus assignabant. Vnde generaliter omnes viri florentissimi, & benefactores Gentilium antiquorum inter deos computati sunt, vt satis declarat August. 18 de ciuitate Dei. *Et intuitus est extremam partem populi.* Id est, Balaam ariolus vidit de excelsis Baal extremitatem populi, id est, totum populum vsque ad extremitatem suam, ita vt nihil de eo lateret. Quamquam aliquis forte diceret, quod solum vidit extremitatem vnam, quia hic solum agitur de extremitate: si autem totum vidisset, non diceretur, quod vidisset extremitatem. Sed dicendum, quod totus populus significatur in hoc, quem clare viderit ab extremitate vsque ad extremitatem, vt patet sequenti cap. nam cum stetisset in loco isto, incœpit benedicere Iudæis: & dixit rex Moab, veni mecum in alterum locum, vnde partem Israelis videas, & totum videre non possis, & inde maledicito ei. Ergo in loco, in quo prius stabat, totum Israel videbat.

Considerandum autem, quod iste mons excelsus, in quo erat templum Baal, vocatur mons Abarim, qui extenditur à loco illo, in quo erat tunc rex Moab cum Balaam vsq; ad Iordanem, vbi finitur regnum Moab, & quædam pars illius vocatur Phasga, & alia vocatur transitus Nebo. Super istũ montem mortuus est Moyses: illuc enim ascenderat ad videndum inde terram Chanaan, vt patet Deut. cap. vlt.

Est autem mons iste in extremitate terræ Moab, diuidens terram, quæ quondam fuerat duorum regũ Amorrhæorum à terra Moab, & apud istum montem castrametabantur Iudęi tunc in campestribus eius ex parte terræ duorum regum Amorrhæorum, vt patet supra in litera, & infra 33. cap. cum ergo ascendit Balaam in montem istum, vidit totum exercitum Israelitarum, & deinde transiuit ad aliam partem montis; de qua videre non posset totum populum Israel. Est autem in monte isto spelunca quædam, quæ vocatur Carnayn, in qua Balac stetit cum Balaam ad maledicendum Israelitas, & ille mons pro vehementi prærupto excisus dicitur, vt patet in libro de situ terræ sanctæ.

CAPVT XXIII.

Balaã ædificat septem aras.

DIXITQVE *Balaam ad Balac: Aedifica mihi hic septem aras, & para totidem vitulos eiusdemque numeri arietes. Cumque feciſſet iuxta ſermonem Balaam, impoſuerunt ſimul vitulum, & arietem ſuper aram. Dixitq; Balaam ad Balac: Sta pauliſper iuxta holocauſtum tuum, donec vadam, ſi forte occurrat mihi Dominus, & quodcunq; imperauerit, loquar tibi. Cumq; abiiſſet velociter, occurrit illi Deus. Locutuſque ad eum Balaam: ſeptem, inquit, aras erexi, & impoſui vitulum, & arietem deſuper. Dominus autẽ poſuit verbum in ore eius, & ait: Reuertere ad Balac, & hæc loqueris. Reuerſus inuenit ſtantẽ Balac iuxta holocauſtum ſuum, & omnes principes Moabitarum: aſſumptaque parabola ſua, dixit. De Haram adduxit me Balac rex Moabitarum, de montibus Orientis: veni, inquit, & maledic Iacob: propera, & deteſtare Iſrael. Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus? Qua ratione deteſter, quem Dominus non deteſtatur? De ſummis ſilicibus videbo eum, & de collibus conſiderabo illum. Populus ſolus habitabit, & inter gentes non reputabitur. Quis dinumerare poſſit puluerem Iacob, & noſſe numerum ſtirpis Iſrael? Moriatur anima mea morte iuſtorum, & fiant nouiſſima mea horum ſimilia. Dixitque Balac ad Balaam: quid eſt hoc quod agis? vt maledireres inimicis meis: vocaui te, & tu è contrario benedicis eis? Cui ille reſpondit: num aliud poſſum loqui, niſi quod iuſſerit Dominus.*

Prophetia Balaam. Nau 3.

Sup. 22 Deut. 23.

DIxitque. Postquam positus est ipsius Balaam ad maledicendum aduentus, hic ponitur ipsius ad maledicẽdum dispositio, & conatus, secundum quod à principio posuerat, licet Deus inhibuisset. Et diuiditur in tres partes, secundum quod Balaam ter conatus est maledicere: tamen non valuit. Secunda ibi. *Dixit ergo Balac.* Tertia ibi. *Et ait Balac ad eum.* Quantum ad primum. *Dixitque Balaam ad Balac.* Hic non est quærẽdum, an sit anticipatio, vel recapitulatio, aut rectus ordo, & dato, quod sit ordo rectus, an ista fuerint facta immediate post superiora, vel interiectis aliquibus tẽporibus, quia manifestum est, quod immediate facta fuerint, cum supra dicatur, quod ascenderit Balaam in montẽ: & hic dicitur, quomodo in eodem monte construxerit aras ad maledicendum Iudæis, & dicitur hic, quod locutus fuerit Balaam ad Balac postquam ascenderunt in montem, & postquam vidit Israelitas, quia licet sciret Balaam esse necessarias aliquas cæremonias iuxta superstitiones suas: tamen forte nesciebat quales cæremoniæ necessariæ erant, quousq; videret extremitatem populi, i. totum populum, vt supra dictum est, vel aliquã partem eius, quia forte secundum variam dispositionem populi exigebantur variæ cæremoniæ ad maledicendum. *Ædifica mihi septem aras.* Iste erat ritus præcedens ad maledicendum.

Quare ſeptem holocauſta, & ſeptem aras Balaam fecit poni.

QVÆSTIO I.

ET ex hoc litera nostra conueniens nomen imposuit Balaam vocans eum ariolum: nam licet cæteris maleficiorum generibus imbutus esset, tamen hic demonstrauit solum cæremonias artis ariolandi, cũ iusserit aras cõstrui, & imponi holocausta, quod fiebat, vt in venis & præcordiis animalium inquirere: Balaam iudicium de quęsitis, & iste erat actus ariolorum, & licet ipse esset Propheta verus Domini, vt præced. cap. declaratum est: tamen in inquirendis quibusdam iudiciis maleficiis vtebatur, & aliquando obseruationibus astrologicis, & sic erat hic: quod enim aræ fierent, & victimæ ponerentur ad maleficam ariolorum artẽ pertinet, quod vero ponerentur, & septem superstitio quædam erat, & tamen fiebat aliquo modo secundum relationem ad obseruationes astrologicas, scil. propter septem planetas: nam quia rotavita animalium per motum septem planetarum sub zodiaco in suis periodis conseruatur: cæteri quoq; euentus hominum (ablata voluntate diuina, quæ omnium regula est, & libero arbitrio nostro, quod nulli subiicitur corpori) per astra cognosci possunt, inquantum eis dedit altissimus efficere, & signare. ideo antiqui Gentiles illos præcipue colebant. Rabi Abrahã Aben Ezra dicit, quod septem perfectionem denotat, quæ perfecto attribuenda est: ideo septem aras statuit. Sed hoc verum est, si dicamus in honorem Dei illas statuisse: plures tamen volunt, quod non ad Deum verum, sed ad aliquid alterum statuerit. Immo hic dicendum est, quia Deus non attendit istas superstitiones, & magis patet, quia si feciſſet Balaã hoc propter Deũ, non inquisiuisset auguriũ, quia Deus repellit auguria, sed inquirebat auguria, vt patet seq. cap. ergo non faciebat hoc propter Deum, sed magis propter dæmones. Patet antecedens, quia Deus prohibuit obseruationes gentium, & cæremonias circa planetas, vt patet Ierem. c. 10. iuxta vias gentium nolite discere, & à signis cœli nolite metuere: hic tamen obseruata sunt ista. Rabi Salomon dicit, quod Balaam scieba', quod Dñs benedixerit illi populo, sed sicut priores Hebræorũ Patriarchæ orationibus, & oblationibus pro se, & populo benedictionem promeruerunt, ita ipse per oblationes Deum adirã, & maledictionem contra populũ incitaret, & quia Patriarchę septies altare erexisse, & non pluries leguntur: septem etiam altaria ipsi Domino ædificabat. De Abraham legimus, quod quater aram ædificauerit: primo iuxta Sichem in valle illustri. Secundo in eadem valle ad aliam partem: & de his Gen. 12. c.

A

Tertio aram ædificaui contra Mambre, vt patet Gen. 13. cap. Quarto in monte Moria, quãdo voluit immolare Isaac filium suum, vt patet Gen. 22. c. Isaac autem semel tantum aram struxit, de quo Gen. 26. c. Iacob autem bis posuit aram: primo in Luza, quam postea vocauit Bethel, & patet Gen. 28. c. & iterũ secundo in eodem loco, vt patet Gen. 35. Sed prima expositio melior est, sc. quod fecit propter septem planetas, & hoc pertinebat ad cæremonias ariolorum, & aliqualiter ad obseruationem astrologicam. *Et para totidem vitulos eiusdemque numeri arietes.* Id est, pone in istis septem aris septem vitulos, & septem arietes, scil. quod in qualibet ara poneretur vnus vitulus, & vnus aries. Etiam in hoc obseruatur superstitio, quia sicut in superioribus obseruabatur numerus septenarius, ita & hic. In quo dicendum est, quod poni multas victimas, vel paucas non multum refert, nec potest ratio dari de hoc, sicut fit in sacrificiis Domini, de quibus per totum Leuiticum, sed quod obseruaretur aliquis numerus determinatus, ita vt non plura, nec pauciora holocausta fierent, superstitionem habet, quia numerus, & figura non ponuntur principia actiua, ita vt aliquid magis correspondeat isti numero quam illi, vel isti figuræ quam alteri: malefici tamen obseruant certitudinem numerorum, quia raro aliquid per numerum parem faciunt, sed omnia per imparem: sic enim Virgilius in Bucolicis in Egloga, quæ incipit.

Septies altaria Domino erecta fuerunt.

B

Quo te Mœri pedes.

Cum ait:

Ter effigiem lustro, numero Deus impare gaudet.

Numero impari Deus honoratur magis quam pari.

Et sic vult, quod imparitas numeri pertineat ad superstitiones illas, & Arist. in 1. de cœlo, & mundo: cap. 1. dicit, quod numerus ternarius est, quo Deo sanctificamus, & sic determinabant numerum. Ex eadem autẽ causa obseruabatur hic numerus septenarius duplicatus, sicut in aris tenebatur numerus septenarius duplex, sed omnia superstitiosa sunt. *Cumque fecisset iuxta sermonem Balaam.* Id est, Balac rex fecit strui aras septem, sicut dixerat Balaam, & adduxit septem vitulos, & septem arietes ad immolandum. *Imposuerunt simul vitulum, & arietem super aram.* Non est sensus, quod aries, & vitulus ponerentur super vnicam aram, quia aliàs frustra fuissent factæ septem, sed super aram, i. super quamlibet aram ponebatur vitulus, & aries, ita quod essent septẽ vituli, & septem arietes. & hoc patet, quia dixit sup. para totidem vitulos, & eiusdem numeri arietes. Sed cum dicitur hic, quod imposuerũt simul vitulum, & arietẽ super aram, potest intelligi dupliciter. scil. quod imposuerunt ad immolãdum, vel imposuerunt ad cremandum. Nam immolatio poterat fieri infra altare, vel supra, si fieret infra, imponeretur super altare ad cremandũ. Si autẽ fieret super altare, immolarentur ibi animalia, & cremarẽtur. Sed dicendũ est, quod intelligitur de impositione ad cremandum, & non ad immolandum: sic n. fiebat in altari Domini in Sanctuario, quia animalia immolabãtur ad latus Aquilonare eius, & postea ponebantur ad cremandum super altare particulatim diuisa, vt patet Leui. c. 1. & sic est sensus, quod immolarẽtur ista animalia, & postea faceret ea poni super altare Balac, vt cremarentur ibi. & hoc significatur inf. cum dicitur: Sta pauliſper iuxta holocaustum tuum, est autem holocaustum, quãdo iam crematur. *Dixitque Balaam ad Balac.* Iam n. fuerant dispositæ aræ, & holocausta super illas, & ideo nunc inquirebat Balaam augurium ad sciẽdum si maledicere debebat, ideo ad hoc recessit à loco, in quo erant aræ. *Sta pauliſper iuxta holocaustum tuum.* Istud dixit Balaam ad Balac: iam n. erant cadauera super aras, & cremabantur, ideo erat holocaustum: & dixit Balaam ad Balac: Sta iuxta holocaustum tuum. i. iuxta holocaustum pro te oblatum, quasi dicat, istud fuit positum ad inquirendum auguria, & solum erat pro Balac, scil. vt posset maledici Iudæis quod petebat Balac. Vel dixit esse holocaustum tuum. i. quia tu fieri iussisti. *Donec vadam: si forte occurrat mihi Dominus.* Supra dixerat Balaam ad Balac, non potero immutare verbum Domini Dei mei, vt plus, vel minus loquar præced. cap. ideo hic fingebat, quod maledictio, quam ipse dare volebat, à Deo proueniret, & eum inquirere volebat, sed falsum est, quia non inquirebat aliquid à Deo; sed auguria petebat, vt patet seq. cap. scil. Cumq; vidisset Balaam, quod placeret Domino, vt benediceret Israeli, nequaquam abiit, vt ante perrexerat, vt augurium quæreret: ergo videtur, quod ante inquisierat auguriũ, & istud est nunc, & in omnibus vicibus, quando statuit aras, & occidit victimas. volebat tamen occultare superstitionem istam sub nomine Dei falso, vt sic magis laudarentur, quæ ipse faceret.

C

D

Quid faciebat Balaam, quando recedebat à rege Balac quæsiturus auguria.

Qvæstio II.

Sed dicet aliquis quid faciebat Balaam, quando recedebat à Balac? Dicendum quod ibat ad quærendum augurium, & istud est, quod videret aliquas aues transeuntes, vt consideraret motus earum, vel audiret earum garritùs, quia in istis constit augurium, vel recedebat ad vidẽdum aliquid in astris. Sed magis dicendum, quod ibat ad petendum aliquid à dæmone, cui familiariter, & in secreto loquebatur; nam si inquireret solum motum, vel voces auium ex loco, in quo erat Balac, cognoscere potuisset. Item si aliquid specularetur in astris, & tamen qualibet vice recedebat constitutis aris: ergo recedebat ad consulendum dæmonem, quia non poterat loqui illi in secreto, si præsens esset Balac. *Et quodcunque imperauerit loquar tibi.* Id est, Deus occurret mihi, & loquetur quid facere debeo, & illud ego tibi renunciabo. In omnibus autẽ istis mentiebatur Balaam: omnia tamẽ postea in veritate prouenerunt: nam ipse dicebat, quod volebat consulere Dñm, sed non intendebat hoc: immo magis intendebat quærere augurium, vt declaratum est. Dixit etiamsi forte occurreret sibi Dominus, quia non credebat, quod sibi occurreret, cũ ipse non quæreret illum, & tamen occurrit ei, vt patet infra. Item dixit, ꝙ quidquid Deus loqueretur ei, ipse renunciaret Balac regi: & tamẽ hoc non intendebat, immo si Deus aliquid diceret de non maledicendo, celauisset inquantum posset, vt aliquid inde acquireret: nam nihil ipse curabat, quod ageret cõtra intentionem Dei: nam iam bis dixerat ei Angelus, quod non maledicteret: ipse tamen ad maledicendum veniebat: sed postea verum dixit, quia Deus posuit in ore eius parabolam, quæ sequitur, & renunciauit illã Balac, etiamsi noluisset, quia cogebat eum Deus loqui, quod nolebat. *Cumque abiisset velociter.* Id est, recessit Balaam à Balac cũ festinatione, vt accepto velociter responso à dæmone veniret ad eum. in Hebræo habetur. *Cumque abiisset solus.* Quia ad inquirendum aliquid à dæmone magis solus quam cum aliis esse debebat, quæ enim mala, vel falsa sunt in tenebris fieri desiderant, ne à superueniente luce reuelentur: sic enim dicitur Iob 24. cap. oculus adulteri diligit caliginem, dicens, non me videbit oculus, & operiet vultum suum: forte quia dæmones talia reuelantes sub turpi forma apparent, & nolunt turpitudinem suam ab aliis videri.

Quare dæmones non accipiunt pulchra corpora, in quibus appareant cum sciant illa formare: & de deo Æsculapio, qui Romam ductus est in effigie serpentis.

E

F

Qvæstio III.

Sed quæret aliquis, an dæmones possent sub pulchra forma apparere, vt pulchrum, & refulgens sibi corpus de aere sumant.

Respondetur, quod dæmones satis sciunt fabricare corpora pulchra qualiacunque ipsi velint, & materia aeris sibi obediret faciliter, sicut obedit Angelis bonis, quia est in potẽtia naturali: & tamen forte non permittuntur accipere formas pulchras, ne magis in talibus nocendi occasionem habeant. Sed dicitur, quod ideo diabolus speciem serpentis accepit, vel ipsum verum serpentem ad loquendum mouit, & non accepit speciem columbæ, vel alterius auis, aut pecoris, vel loqui per illud, quia nõ permissus est in pulchrius animal intrare. Ita etiã Apostoli aliquãdo faciẽtes dæmones apparere, eos sub turpissima forma apparere cogebant, vt eos populus sperneret, & sicut factum est tempore noui testamenti, & tempore Gentilium: nam si legantur diligenter antiquorum Gentilium libri, reperietur semper Deos eorum sub serpentum, vel aliarum beluarum apparuisse figuris, vt videntibus magis timorem incuterent, quam amorem, & horrorem, atq; diminutionem numinis. Sic patet cum in ciuitate

A

Romana valida increpuisset pestis, & ex consulto deorum pro Æsculapio deo Epidauri missum fuisset in Græciam: vt, eo veniente, vniuersa cessaret pestis, in nauem quandam Romanorum serpens magnus cristatus, & lucentibus atque formidolosis oculis insiliit, qui vsque ad vrbem Romanam per fluuium Tyberim ductus est. De quo Ouidius Meta. 15. Nec est illud poetica fictio, sed historica veritas. Et tamen iste erat dæmon, qui à Gentilibus deus Æsculapius vocabatur. Vel forte recedebat Balaam à conspectu Balac ad reuelationes dæmonum, qui in istis auguratores, & alij malefici aliqua enormia patiebantur, per quæ viles aliis viderentur, si coram eis apparerent, quia vt communiter fiebat ista reuelatio visione imaginaria, ita quod dæmon imaginationem alicuius moueret, in quo motu aliqua passio causabatur distrahês hominem ab actu rationis. Vel forte dicendum, quod ista reuelatio dæmonum fiebat modo pythonico, scil. quod introirent dæmones in ventrem istorum auguratorum, & facerent eos despumare atque in terram cadere, & tunc per os eorum loquebantur, quæ intendebant. Sic ponit Apost. Act. 16. c. de quadam puella, de cuius ventre pythonem dæmonem eiecit: illa autē magnum quæstum præbebat domino suo singulis quærentibus responsa reddendo. Fuit autem iste modus apud Gentiles in famosissimo templo totius orbis. scil. in insula Delphos, vbi colebatur Apollo: ad hunc locum de diuersis partibus orbis tanquam ad certissimum oraculum varij concurrebant dubiorum suorum quæsituri responsa. ibi autem quædam puella virgo respondebat: nam introibat in eam Phœbus, qui dæmon erat, atque eam per terram rotans, & despumare cogēs (sicut in arreptitiis apparet) omnia, de quibus inquirebatur, respondebat: nihil tamen intelligens eorū, quæ dicebat, quia tunc erat in furore. De hoc Lucanus lib. 3. de bello plusque ciuili. & Virgilius Æneidos lib. 6. Omnes modi superiores stare poterant, sed iste vltimus non, quia quando aliqui sic arripiebantur, dæmones loquebantur per illos, & ipsi nihil intelligebant, quia totaliter immutati cum rotarentur per terram, & despumarent, nec redibant ad sanam mentem, quousque post illam furiam dormirent, sicut nunc fit in omnibus arreptitiis. Vnde quando ista loquebantur, non intelligebant, & cum à somno euigilassent, nihil recordabantur eorum, quæ dixerant, sed qui aderant his sic furentibus intelligebant, quę dicebantur: ideo si isto modo contigisset in Balaam, ipse non intellexisset ea, quæ loquebatur cum diceret, & postquam furere desineret, non recordaretur dictorum. Vnde necesse erat aliquem sibi esse præsentem cum fureret, vt videret quid tunc loqueretur, sed ipse solus erat: nam à rege Balac secedebat: ergo alium modum habebat reuelationis, & erit aliquis de prædictis. *Occurrit ei Deus.* Id est, quamquam non inquireret Balaam Deum, quando recessit à Balac, sed dæmonem ad sciendum auguria, tamen Deus occurrit ei, & hoc factum est non ex meritis Balaam, quia ipse nequissimus erat, etiā quia præsentiam Dei non desiderabat, sed ad gloriam nominis sui, & vtilitatem Israel; & maxime propter Moabitas, quia si Balaam in augurio Dominum obuium non habuisset forte apparuisset ei dæmon prædicans aliqua falsa, scilicet, vt malediceret Israel, & maledixisset saltem verbo: Moabitæ autem confidentes exiuissent ad bellum contra Israel, & morerentur in bello.

Historia Æsculapij vera est, & non fictio. nā Vuer. Max. & oēs nocnarrant. Diuersa oracula.

De arreptitus quō per eos loquātur dæmones, & de puella virgine, quæ erat sacerdos Phœbi, quomodo respō debat.

B

C

Quomodo apparebat hic Deus Balaam ad declarandum ei hæc, & de quatuor modis, quibus reuelat aliquid Prophetis.

QVÆSTIO IV.

QVæret aliquis, quomodo apparebat, vel occurrebat hic Deus Balaam.

Respondetur, quod poterat ei occurrere multipliciter, scilicet, per immutationem intellectus eleuādo intellectum suum ad aliquid supernaturaliter, quod aliàs intelligere nequibat, sicut erat in cæteris Prophetis. Alio modo, quod apparuit ei in aliqua assumpta figura, & locutus fuerit: sicut factum est in via, quando apparuit Angelus asinæ habens gladium euaginatum, & postea visus est ipsi Balaam. Alio modo poterat esse, quod formaretur aliqua vox de aere ad Balaam, & non videret corpus aliquod: sciret tamen, quod à Deo esset: & sic fiebat locutio Israelitis, vt cōtigit super montem Sinai, quando data est lex: nam ibi vocem audierunt, sed figuram nullam viderunt, Deuter. cap. 4. Sic etiam loquebatur Deus ad Moysen, & ad quosdam alios aliquando in columna nubis ad ostium tabernaculi, & aliquando in propitiatorio intra Sancta sanctorum: De primo, Exodi cap. 33. & supra 12. De secundo: Exodi 25. & supra cap. 7. Quis autem poterit dicere per immutationem phantasticam sine aliqua illuminatione speciali intellectus, sola phantasia mota à Deo id factum fuisse. sic enim fiebat de illis prophetis, qui per somnium Deum videbant, vt patet supra cap. 12. Nam per somnium nihil aliud intelligere possunt, cum tunc quiescant omnes virtutes rationales: & istum modū habebat Deus ad Balaam, quando missi sunt ad eum nuncij regis Moab bis, quia qualibet vice apparebat ei Deus per noctem, dicens; an deberet ire cum illis, vel non: & ob hoc dicebat Balaam, quod exspectaret per noctem nuncij.

Qualis autem istorum modorum fuerit, dubium videbitur aliquibus. Sed dicendum satis colligi ex litera, quod apparuit ei angelus Dei, sicut apparuit in via assumpto corpore de aere, & locutus est ad eum Balaam, vt patet infra. Et hoc colligitur, quia dicitur: occurrit ei Deus: occurrere tamen est quando aliqui duo veniūt per eandem viam ex opposito. Item quia dicitur, quod Balaam locutus fuit ad Deum, quando erexerat aras, & super posuerat holocausta, sed ista nulli de modis supra assignatis conueniunt, nisi cum dicitur, quod apparuit angelus in assumpto corpore.

Primus enim modus non stat, quia quando fit immutatio sola intellectus, non apparet aliquid exterius, nec in ipsis organis, sicut quando aliquid intelligimus naturaliter non causatur per hoc in nobis aliqua species motus, sed tunc non stat, quomodo Deus occurrerit Balaam, quia occursum nunquam est, nisi in duobus è contrario veniētibus. Tertius modus non stat, quia si loqueretur Angelus Dei Balaam, & non videretur in aliquo corpore assumpto, non diceretur quod ei occurrisset, quia occursus eius est in duabus rebus corporalibus, quæ mouentur è contra. Item & fortius, quia dicitur in litera, quod Balaam locutus fuit ad Deum de his, quæ fecerat, scilicet, quod erexerat aras, & posuerat victimas, antequam quidquam Deus loqueretur: & postea Deus posuit verbum in ore Balaam: ergo videtur, quod ipse vidit Deum: nam si solum apparuisset Deus in voce, prius audiuisset Balaam vocem Dei, quam loqueretur ad illum: & tamen ipse prius locutus est: ergo non fuit in voce Deus apparens, sed in corpore assumpto.

Quartus modus etiam non stat, quia quando fit immutatio phantasiæ, solum homo est in somno, & tunc non fit aliquis motus corporalis, qui vocetur occursus, & tamen in litera dicitur, quod occurrit ei Deus: ergo non fuit per immutationem phantasiæ in somno. Item illi, qui sic immutantur, non possunt loqui nec videre, sed Balaam fuit locutus hic ad Dominum, cum retulerit ei quid fecerat, scil. constituendo aras, & ponendo desuper victimas: ergo non immutabatur per somnum, & sic solum manet vnus istorum modorum, qui esse potuit hic, scil. quod apparuisset Angelus Domini in assumpto corpore.

D

E

F

Veniens ex aduerso Balaam. Locutus est ei Balaam de constitutione ararum, quas posuerat, & tunc Deus iussit ei dicere ea, quæ sequuntur.

Locutus est ad eum Balaam. Prius enim locutus fuit Balaam Deo, id est, Angelo hic apparenti, cum loqueretur Angelus ad ipsum ad captandum ipsum, quasi feciſſet cæremonias ararum, & holocaustorum propter eum.

Septem, inquit, aras, erexi. Id est, Balaam, inquit, id est, dixit, ego erexi septem aras, id est, feci altaria septem. Accipiuntur hic aræ pro altaribus. Nam secundum modum loquendi omnium scripturarum tam sacrarum quam Gentilium aræ vocantur ipsa altaria, nec fit aliqua differentia inter aram, & altare, sicut nos facimus. Et causa huius est, quia nos ex præcepto Eccl-siæ super altare non celebramus, nisi aram superpositam habuit, nisi in altaribus consecratis. ipsa tamen ara vocatur altare secundum nos, sicut cum alicui ex indulgentia conceditur, quod possit celebrare vbicunque voluerit solum cum altari portatili, vel viatico, conceditur illi, quod celebret super aram, quæ ibi vocatur altare: etiamsi non habeat aliud altare. Apud Gentiles autem, & etiam in veteri

Ara & altare an differant.

De altari vnico veteri testa.

testa-

A

testamento non erat huiusmodi ritus, quia etiam indifferenter super quoslibet lapides, vel in aliquo loco structo immolabatur, & cremabatur sacrificium, maxime apud Gentiles: ideo ara, & altare idem erant. In veteri etiam testamento nũquam fit differentia de ara, & altari, imo non erat nisi vnicum altare ad immolandum in toto veteri testamento, quod erat de lignis, & intra illud ponebatur terra quasi vsque ad summitatem super quam lignis compositis cremabatur sacrificium, vt declaratum est Exodi vigesimoseptimo capitulo: & si aliquando ex speciali priuilegio aliquis posset in montibus struere altaria, vel in aliis locis, solum faciebat illa de lapidib. nihil alterum super ipsa ponendo loco aræ, & dicitur hic: Erexi septem aras, id est, feci septem altaria. Ista non erant aliqui lapides simplices, super quos fieret crematio holocaustorum, sed erant quidam acerui lapidum, & super illos ponebantur carnes sacrificiorum. Quod patet, quia dicitur erexi, id est, eleuaui, quod pertinet ad ea, quæ construuntur per appositionem, vel aggregationem. & dicebat hic Angelus Balaam, quod struxerat aras ad gratificandum eum sibi, quasi aras destruxisset ad colendum eum, & sic moueretur Deus, vt concederet ei maledicere Iudæis, & tamen non posuerat aras pro Deo, sed pro dæmonibus, vel astris. Quod patet, quia positis aris, iuit ad quærendum augurium, vt patet sequenti capitulo, quod non feciſſet, si Deo vero immolasset: solum enim eius adiutorium quæsiuisset. Item, quia istud holocaustum non faciebat ipse Balaam, sed Balac Rex: quod patet, quia ipse dixit supra: Sta pauliſper iuxta holocaustum tuum. Balac autem manifestum est, quod Deo non immolaret, sed dæmonibus: quomodo ergo volebat Balaam quasi demonstrare Deo, quod offerret ipsi id, quod dæmonibus obtulerat?

B *Quare Balaã dixit Deo se feciſſe aras p eo, cum fecerit pro dæmonib.*

Respondendum est, quod licet Balaam sciret Deum decipi non posse, tamen corrupta voluntas eis desiderabat Deũ decipi, & hoc desiderare non est magnum inconueniens, quia desiderium etiam est de impossibilibus, sed amplius hoc eligebat Balaam quod incõueniens magnum est, quia electio solum est de possibili contingenti, & per nos agibili, vt patet 3. Ethic. Sed dicendum quod tantum voluntatis peruersitas inualuerat, vt totum intellectum practicum obcæcaret, nec erubescebat coram Deo sibi loquente mentiri, quia præsentia Dei solum intellectum speculatiuum eius illustrabat, vt necessarium est in omnibus prophetis: voluntatem autem illius nullo modo gratia sua gratum faciẽte tangebat: ideo nullatenus meliorabatur, etiamsi Deus sibi continue mirabilia loqueretur. Sunt. n. ista duo multũ distincta. s. intellectus speculatiuus, & voluntas: ideo potest vnum sine altero proficiPatet in Salomone, quem Deus super omnes alios homines sapientia imbuit, vt patet 3. Reg. c. 3. & 2. Paral. c. 1. & tamẽ voluntas eius nihil illustrata est, quia semper ambulauit in concupiscentiis fœminarum, & idola coluit atque illis tẽpla construxit, vt patet 3. Reg. 11. c. *Et imposui vitulum, & arietem desuper.* Non refertur ad vnicam aram, quia non fuit in vnica factum, cum dicat se erexisse septem aras, sed refertur ad omnes. s. imposuit vitulum, & arietem desuper, id est, super quamlibet aram imposui vnum vitulum, & vnum arietem. *Dominus autem posuit verbum in ore eius.* Id est, Angelus locutus fuit illi, scilicet, verba ista, quæ sequuntur: nam cp aliquis ponat verbum in ore alterius, nihil aliud est, quam quod dicat ei omnia, quæ debet loqui. Vel potest intelligi, quod posuit verbũ in ore suo, id est, inspirauit sibi prophetiam dato, quod non loqueretur ei, scilicet, quod moueret intellectum suum ad concipiendũ, & dicendum regi Balac ea, quæ sequuntur. Et tunc etiam non erit contra supra dicta, scilicet, quod hic fuerit facta locutio, & apparitio Angeli ad Balaam, quia licet ista, quæ dicturus erat Balaam, non fuissent sibi dicta, sed inspirata: tamen locutus fuit ei Angelus alia, scilicet, Loquere hoc ad Balac. Primus modus tamen est verior. s. quod omnia ista locutus fuerit Angelus Balaam. *Reuertere ad Balac.* Quia manebat Balac apud altaria spectans, quando veniret Balaam. *Et hæc loqueris.* Scilicet, ista, quæ apparent immediate: illa enim Angelus primo dixit Balaam: deinde Balaam retulit illa regi Moab. *Reuersus inuenit stantem Balac iuxta holocaustum suum.* Spectabat enim aduentum Balaam, & quia dixerat Balaam, quod staret iuxta holocaustum suum stetit diligenter ne omitteretur aliqua cæremonia. *Et omnes principes Moabitarum.* Isti comitati fuerant regem ascendentem in montem cum Balaam, & manserunt ibi cum rege. *Assumptaque parabola sua dixit.* Id est, Balaam assumpsit parabolam loquens ad regem Moab. vocatur hic parabola prophetia, quam Deus posuerat in ore Balaam, & hoc quia parabola fit in quibusdam ænigmatibus, & circulationibus verborum: ita autem erat hic cum ponantur quædam similitudines. *De Haram eduxit me Balac rex Moabitarum.* Hic volebat significare Balaam, quod non poterat maledicere Israelitas, quia Deo displicebat hoc, ideo posuit quædam præuia excusatiua sua. s. quod ipse non venerit gratis, & non concitauerit regem spondens se hæc facturum, sed quasi coactus aduenerit, ideo etiamsi non posset maledicere Israelitas non esse sibi imputandum. Si autem ipse spopõdisset se maledicturum Israelitas si aliquid ei daretur, etiamsi Deus prohiberet maledictionem ipse esset culpabilis, tamen non spopondit, & hoc dicit, scilicet, de Haram adduxit me Balac rex Moabitarum, id est, ego non veni gratis ad maledicendum, nec solicitaui regem, sed rex adduxit me, quasi violẽ um, scilicet, propter importunitatem suam, quia multos nuncios misit & bis. & dicit, quod adductus est de Haram, id est, de Mesopotamia: est enim Haram nomen proprium ciuitatis, Mesopotamia autẽ est nomen Græcum compositum signans ciuitatem sitam in medio aquarum, & vocatur in Hebræo Haram fluuiorum, id est, sita inter duo flumina. Est autem eadem ciuitas Mesopotamia, & Haram, vt declaratum est præcedẽti capit. in hac habitabat Balaam, cum vocatus est à rege Moab, & de ipso loco adductus est. Et si obiiciatur quod habitabat super flumen terræ filiorum Ammon, vt patet præcedenti capit. vel quod habitabat in terra Madian, quia ibi fuit occisus cum Madianitis, vt patet infra 31. c. responsum, est præcedenti cap.

D

E

Quare Balaam venit de Mesopotamia.

QVÆSTIO V.

SEd obiicietur, quia dicitur secunda Petri. ca. 2. quod Balaã venit ex Bosor, & amauit mercedem iniquitatis, ergo non venit de Mesopotamia.

Respondendum est, quod eadem ciuitas est Bosor, & Mesopotamia, & Haram, quia frequenter eadem ciuitas habet multa nomina, sicut patet in Hebron, quæ vocatur Hebron, & Mambre, & Cariatharbe Gen. 23. cap. & Iosue 13. cap. Etiam Ierusalem vocatur Ierusalem, & Iebus. Iosue 18. capitu. & in diuersis libris accipiuntur diuersa nomina. Sic patet, quia hic vocata est ciuitas etiam Haram, & Deuteronom. 23. capit. vocatur Mesopotamia. *De montibus orientis.* Id est, Mesopotamia est in montibus orientis. Non accipiuntur montes Orientis simpliciter pro illis, qui sunt in extremitate terræ habitabilis per longitudinem, scilicet, in capite Indiæ: sed accipitur Orientis relatiue, & sic quilibet loc⁹, qui est propinquior Orienti alio loco dicitur esse orientalis respectu illius. & hoc modo necesse est de quibuscunque duobus locis, quæ non habent eandem longitudinem secũdum modum astrologorum, quod vnus sit orientalis respectu alterius: & istud est quod multos decipit. Nam cum legunt in Scriptura Orientem, vel Occidentem, accipiunt ista puncta simpliciter pro extremitatibus terræ habitabilis, vt cum dicitur de Saluatore nostro, quod reges Magi venerunt ab Oriente adorare eũ Matt. cap. 2. putant aliqui, quod venerint de extremitatibus Indiæ, ideo varie ponunt de aduentu illorum, quia aliqui dicunt illos aduenisse post vnum annum & 13. dies, quia in tanto tempore poterant venire ab Oriente. Alij dicunt, quod venerunt super dromedarios quæ sunt animalia velocissima, ideo in tredecim diebus poterant tantum iter conficere: sed ad nihil horum cogimur, quia non ponitur ibi oriẽs pro parte orientali simpliciter, sed pro aliqua terra, quæ esset magis Orientalis, quam Iudæa etiamsi parum distaret ab illa. Sic etiam patet hic: nam terra Mesopotamiæ non multum distat à terra Moab: forte enim non per quatuor dietas. Quod patet, quia Iacob venit de Mesopotamia per terram Ammon, & Moab ad terram Iudææ, & transiuit per montem Galaad, & Laban socer suus persecutus eum ex Mesopotamia apprehendit eum super montem Galaad diebus septem transactis, vt patet Genes. trigesimoprimo capitulo, & tamen Laban distabat per tres dietas vltra Mesopotamiam, vbi erat cum

C

F

Magi vnde venerit ad adorandũ Christũ

A gregibus ſuis ipſe,& filii ſui,vt patet Geneſ.capitu.trigeſimo. & ex loco ipſo perſecutus Iacob apprendit eum poſt ſeptem dies in monte Galaad: ergo demptis illis tribus dictis manebunt quatuor dietæ à Meſopotamia vſque ad montem Galaad.eſt autem mons iſte in extremitate terręMoab,cum ponatur pro termino terræ illius,vt patet Deuteron. cap.2. Ergo terra Meſopotamiæ ad plus diſtaret quatuor, vel quinque dietis à terra Moab , & tamen dicitur, quod vocatus eſt Balaam de montibus orientis , quia eſt magis orientalis Meſopotamia quam Moab,& non ſolum eſt magis orientalis , ſed etiam magis aquilonaris. Dicitur autem de montibus, quia terra illa montuoſa eſt. *Veni,inquit,& maledic Iacob.*Id eſt , rex Moabitarum inquit ad me veni, & maledic Iacob. Accipitur hic Iacob pro tota congregatione Iſraelitarum ſicut Iſrael: & maledicendo illos maledicebatur totus Iacob, quia nullus alius erat de ſtirpe Iacob pręter illos.*Propera,& deteſtare Iſrael.* Eadem ſententia eſt repetita,& iſta eſt exaggeratio ſermonis, cum ſit ſermo per ſynonyma, non ſolum in dictionibus , ſed in orationibus, quod ad ſatis magnam exornationem pertinet,& potiſſimum ad ſuaſionem , quia verba ſic repetita magnam habent efficaciam,vt teſtatur Iſidorus in principio ſynonymorum ſuorum,ſcilicet, quod liber ſynonymorum cũ mouerit in lamentum. fiunt autem ibi tales repetitiones, vt hic.Poteſt autem dici, quod aliquo modo iſtæ ſententiæ
B differunt,quia deteſtari, & maledicere duo importabunt : nam maledicere eſt malum inferre : deteſtari autem eſt bono priuari per abominationem,& expulſionem à nobis. Tũc Deus alicui maledicit, quando eum punit : tunc vero deteſtatur, quando ſuam protectionem aufert. Quodcunque autem iſtorum fieret ſufficiebat Moabitis , ſiue enim Deus malediceret illos per ſe delendo, ſicut ſæpè fecerat conſumendo igne,& aliis pœnis, vt patet ſupra 11.cap. & 16.ſiue eos deſereret non iuuando, vt ſic traderentur in manus Moabitarum. Non eſt tamen intelligendum , quod rex Moab miſerit iſta verba ad Balaam, cum petiit, vt veniret. Nam ſolum dixit: Veni,& maledic populo huic,quia fortior me eſt: ſiquo modo poſſim percutere,& eiicere eum de terra mea , vt patet p̃cedenti cap.fecit tamen Balaam iſtam repetitionem ſententiarum ad exornationem,vel forte Deus talem ſeriem in verbis poſuit in ore eius.Eſt autẽ iſte modus vſitatus apud Prophetas,& maxime in Iſaia. Dicit Rabi Salom. quod ponuntur iſta duo verba, quia neſciebatur quid magis Deus vellet, ſcilicet,maledicere,vel deteſtari. Sed non ſtat,quia hoc eſſet ſi Balac locutus fuiſſet iſta ad Balaam, vel Balaam locutus fuiſſet ad Deum petens, ſed non fuit ſic : nam potius Deus iſta primo locutus eſt ponens in ore Balaam : ergo non fuit poſitum deteſtari,& maledicere propter dubium. *Quomodo maledicam cui non maledixit Deus?* Quaſi dicat, petis aliquid irrationale,quia ego non poſſum maledicere, niſi cui Deus maledicit,
C ſed Deus benedicit Iſraelitis , quomodo ego potero maledicere eis? hic enim cogitur Balaam veritatem ſignificare de maledictione ſua,ſcilicet,quod illa non erat inflictio alicuius mali,ſed erat prænunciatio diuinæ maledictionis per ꝓphetiam,vel per aſtra,vel per artem ariolandi. Cũ ergo Deus nunc non maledixerit, non poterat Balaam maledictionem eius annunciare,quia nihil valeret annunciatio illius : maxime , quia etiamſi Balaam vellet annunciare ſaltem falſe aliquam maledictionem,non poterat, quia Deus eum ad benedictionem cogebat.

An Deus habeat quotidie vnam horam, in qua iraſcatur malis, & an illam ſciret Balaam.

QVÆSTIO VI.

DIcit Rabi Salom. quod Deus quotidie iraſcitur malis, ita quod habet vnam horam determinatam, in qua iraſcatur,& illam ſciebat Balaam, ideo precabatur tunc maledictionem Dei ſuper aliquem malum, & veniebat : viderat autem quod licet malum egiſſent Hebræi non puniebat eos ; ideo mirabatur. Probat hoc Pſalm.7.vbi litera noſtra dicit de Deo: Nunquid iraſcitur per ſingulos dies? vbi dicitur in Hebræo: Deus iraſcitur per ſingulos dies.Sed errat, quia illa litera etiam ſecũdum modum Hebraicum debet legi interrogatiue,quamquã non ponatur ibi dictio ſignificans interrogationẽ,ſicut in litera noſtra ponitur nũquid. Nam ſi non legatur ſic includet contradictionẽ,cum dicatur ibi , quod Deus eſt patiens:& tñ iraſci per ſingulos dies non probat eſſe patientem,ſed magis oppoſitum.ſ. eſſe velocem in ira, quod eſt eſſe acrocholum,vt patet 4.Eth.c.de manſuetudine. D

Itẽ quia ſi diceretur quod Deus iraſcitur per ſingulos dies nihil faceret ad intentionem prophetæ, vt patet ex intentione totius Pſalmi. Amplius dato quod concederetur Deum quotidie iraſci malis,ſicut nos concedimus : tñ ſecundum ꝙ Rabi Salom.intelligit,eſt impoſſibile, quia nos dicimus Deũ iraſci.i.punire nos:ita quod ira non ſignificet in eo aliquẽ motum,vel affectionem,ſed ſolum punitionẽ, quæ in nobis eſt: tamen Rabi Salom.intelligit eſſe in Deo iram,quod patet ex verbis ſuis. Dicit enim quod Balaam ſciebat horam, in qua Deus eſt iratus:& tunc petebat maledictionem ſuper aliquẽ, & veniebat:& ſic prius ponit iram Dei, quam punitionẽ noſtram:ergo aliquis motus erit ſecundum hoc in eo. Item dato quod in Deo eſſet motus iræ qualibet die cum non haberet horam determinatam ad iraſcendum,quia non ſequitur conditiones temporum cum non ſubiiciatur motui, & actionibus naturalibus. Item dato quod eſſet aliqua hora determinata pro ira Dei: tamen illam non cognoſceret Balaam,& dato quod cognoſceret,etiamſi deprecaretur Deum,vt malediceret alicui, non malediceret , niſi maledicere diſpoſuiſſet, cum Deus non ſequatur humanas affectiones: ideo omnia hæc ridicula ſunt. *Qua ratione deteſter quem Deus non deteſtatur.* Eadem ſententia eſt cum ſuperiori.deteſtari enim eſt abominari,vel abominatum eſſe prædicare,ſed Deus non abominabatur Iudæos expellẽs eos à cuſtodia ſua: qũo ergo poſſet Balaam illos abominabiles factos prænunciare? quaſi dicat, nequaquam.Nam Eccleſia ſi prænunciaret illud,nihil eſſet cum Deus non abominaretur:& etiamſi vellet maledictionem p̃nunciare,non poſſet,quia Deus cogebat eum benedicere.*De ſummis ſilicibus videbo eum.* Quaſi dicat, non maledicam illi,ſed magis delectabor in videndo eum de ſummitate ſilicũ. i.duarum petrarum.Erat aũt delectatio iſta, quia caſtra Iſrael erant bene diſpoſita,& videre ſimilia eſt delectabile : & hoc ſignificatur cap.ſequẽti cum dixit Balaam: Quam pulchra tabernacula tua Iacob,& tentoria tua Iſrael &c. & propter iſta verba Balac rex ſemouit Balaam de altitudine ſilicum ducens ad aliũ locum,in quo non poſſet videre omnia caſtra Iſrael , ſed partem eorum,vt patet infra. *Ira metus an ſit in Deo.* E

De collibus conſiderabo illum. Eadem ſententia eſt repetita,ſcilicet,quod Balaam de altitudine collium, id eſt, de montibus illis,in quibus erat, reſpiceret Iſrael:& vtrunque verum eſt,ſ. quod videret Iſraelitas de collibus , & de ſummitate petrarũ, quia forte cum eſſet in collibus aſcendebat ſuper ſummitatẽ petrarum,vt magis inde contemplaretur diſpoſitionem caſtrorum Iſrael. *Populus ſolus habitabit.*Hic prophetat Balaam aliqua futura de populo Iſraelitarum, ſcilicet, quod habitabit ſolus,id eſt,erit ſingularis inter omnes populos , quia cæteri populi ad Deos varios conuertentur. Iſte autem ſolus manebit in cultu Dei ſui , licet aliquando in hoc caruerunt magis Iſraelitæ quam aliæ gentes:& conqueritur de eis Deus valde, quia reliquæ gentes non mutabant Deos ſuos : Iſraelitæ autem mutabant aliquando,vt patet Ierem.c.2.ſcilicet, tranſite ad inſulas Cethim,& videte:& in Cedar mittite,& conſiderate vehementer ſi factum eſt huiuſcemodi : ſi mutauit gens Deos ſuos. Et certe ipſi non ſunt dij : populus vero meus mutauit gloriam ſuam in idolum. Obſtupeſcite cœli ſuper hoc , & deſolamini portæ eius vehementer. Et tamen licet Iſraelitæ relinquerent Deum , tamen redibant rurſus ad illum. De aliis autem gentibus nulla conuertebatur ad colendum Deum : in prophetis tamen non oportet totam vim terminorum obſeruari , quia termini diſtributiui raro ibi totaliter diſtribuunt. Erat autem iſte populus ſolum, id eſt, ſingularis ab aliis gentibus in corde per Dei veri fidem, & cultum,in carne ſua per circunciſionis pactum, in actibus ſuis per diuerſarum cæremoniarum , & iudiciorum obſeruantiam , & ritum , in veſtibus per diſtinctum ab aliis gentibus habitum, ſicut erat de vittis hiacinthynis , & palliis fimbriatis,vt patet ſupra ca.15. Vel dicitur ſolus habitabit, id eſt, iſte populus non cõmiſcebitur aliis gentibus in aliqua communicatione: ne ab eis inducerentur ad colendum idola,ita vt viderentur non eſſe de numero gentium , ſed ſequeſtrati F

A

ab orbe terrarũ,vt ſignificat litera ſequens,ſcilicet, inter gentes non reputabitur.& in hoc ſignificabatur magna perfectio ſtatus Iudaici,qui erat ſeparatus ab immundicijs Gentilis cõmunicationis. *Inter gentes non reputabitur.* Id eſt,non tenebit Deus iſtum populum in reputatione , in qua tenet gentes, quia gentes , vt immundas in Idolis ſuis negligit, ſed iſtum populum, vt peculium electum conſeruabit, & ei ſpecialia beneficia largietur. hoc ſignificat Deus Exod. 19. capitul. & Deuteron.cap.7. vocans Iudæos peculium de cunctis populis terræ. Vel non reputabitur inter gentes,id eſt, nõ computabitur iſte populus,vt vna de gentibus. & hoc, quia differẽtes erant Iudæi in habitu,& tota ratione viuendi ab omnibus gentibus,ideo appellatione Gentium omnium in ſacra Scriptura non intelliguntur Iudæi, ſicut appellatione laicorum non intelliguntur clerici,quia differũt ab eis in habitu,&modo viuendi. Vel aliter non reputabitur inter gentes , ſcilicet, quia non erat magnus populus Iudaicus viribus , aut multitudine in comparatione aliorum populorũ. Sic dicitur Deuter.capi.7.ſcilicet,quod non accepit Deus illos, quia ipſi vincerent numero cæteras gentes , aut viribus. Et ſubdit ibi: cum omnibus populis ſitis pauciores : & propter hoc negligebant eos,& volebant eis eruere oculos dextros in imperiũ,vt patet 1.Reg.11.& 13.c. Vel non reputabitur inter gẽtes,id eſt,non poterit compurari præ multitudine ſicut dicitur infra.ſ.quis numerare poſſit puluerem Iacob, & numerũ ſtirpis Iſrael,ſed primus & ſecundus ſenſus magis conueniunt. *Quis dinumerare poſſit puluerem Iacob.* Id eſt,multitudinem, quæ egredietur de Iacob per generationem , quia iſte populus multiplicabatur valde, in tantum , vt non viderentur fœminæ eorum parere,ſed germinare , ſicut arbores , q̃ ſingulæ mittunt multos ramos,vel fructus. Sic patet Exod.ca.1.ſ. quo mortuo , & vniuerſis fratribus eius filii Iſrael creuerunt,& quaſi germinantes multiplicati ſunt , atque roborati nimis impleuerunt terram : quod patet , quia in ingreſſu in Aegyptum fuerunt ſolum animæ ſeptuaginta,vt patet Gen.46.vel 75.vt patet Exod.cap.1. & tamen quando exierunt de Aegypto fuerunt in valde magna multitudine, ſcilicet, ſexcentorũ millium peditum præter paruulos,&ſenes,& fœminas,vt patet Exod.12.cap.& ob hoc cum viderent Iſraelitas tantũ multiplicari Aegyptij paruulos eorum occidebant in flumine, & poſtea iuſſerunt occidi cum naſcerentur de vulua. Exod. capit.1.& ob hoc comparantur pulueri, quia innumerabilis eſt. Sic Dixit Deus ad Abraham : faciamque ſemen tuum , ſicut puluerem terræ: ſiquis poteſt hominum numerare puluerẽ terræ,ſemen quoque tuum numerare poterit. Rabi Salom. dicit.quis numerabit puluerem Iacob id eſt, dolores, vel tribulationes populi Iacob?Multæ enim fuerũt ante ingreſſum terræ promiſſionis, & poſt ingreſſum. Et patet iſte ſenſus quia ſecundum literam Chaldaicam Iſraelitæ comparantur numero ſtellarum,quando boni ſunt;quia ſicut ſtellas nullus tangere poteſt;ita nec Hebræos dum bene viuerent:mali autem comparantur pulueri,quia ſicut quilibet puluerem conculcat;ita illos dum à Deo recedebant quilibet populus conculcabat.Sed primus ſenſus eſt melior,quod patet in ſequenti litera,ſ. Et noſſe numerum ſtirpis Iſrael, quod refertur ad multiplicationem:& tamen hic fiunt repetitiones ſententiarum:ergo iſta ſignificat id quod ſequens, ſcil. multiplicationem Iſraelitarum.

Et noſſe numerum ſtirpis Iſrael. Id eſt,quis poterit cognoſcere multitudinem Iſraelitarum,quaſi dicat, tãta erit, quod dinumerari non poterit: nimis enim multiplicabantur Iſraelitæ, vt ſupra dictum eſt.

B

Sed dicetur contra Deuteronom.cap.7. quod erant Iudæi pauciores aliis populis,ſcilicet. Non quia cunctas gentes numero vincebatis vobis iunctus eſt Dominus , & elegit vos: cum omnibus populis ſitis pauciores , ſed quia dilexit vos Dominus.

An Iudæi eſſẽt i maxima multitudine.

Reſpondendum eſt , quod Iſraelitæ erant in valde magna multitudine,& poſtea futuri erant in maiori: tamen erãt pauciores cæteris populis , quia comparati ad cunctos populos quaſi nihil erant,vel quia erant aliqui populi , qui erant valde maiores ipſis:ſicut gens Chananæorũ erat vnus populus inquantum deſcẽdebat ab vno capite,ſcilicet, à Chanaan : quãquam alio modo vocarentur ſeptem populi, & tamen populus Chanaan valde maior erat Iſraelitis. & ſic de multis aliis populis. Quod eſſent plures Chananæi patet, quia non poterant Iudæi replere terram eorum ad habitandum,ideo Deꝰ non dedit illam ſimul Iudæis,vel in vno menſe,aut in vno anno donec augerentur , ne terra redigeretur in ſolitudinem, & creſcerent beſtiæ contra Iudæos , cum non eſſet terra habitata,vt patet Exod.23.cap.& Deuteron.cap.7. vel poteſt hic referri multitudo numeri ad magnitudinem excellentiæ,ſcilicet,quis poteſt noſſe numerum ſtirpis Iſrael, id eſt, magnitudinem dignitatis , & hoc refertur ad Meſſiam, qui fuit dẽ ſtirpe Iacob ſecundum carnem & excellentia ſua fuit infinita.Satis eſt autem modus iſte conueniens , quia talem locutionem facit Iſaias cap.53. ſcilicet, generationem eius quis enarrabit? Et intelligitur de Meſſia cuius generatio non eſt enarrabilis,quia eſt infinita. *Moriatur anima mea morte iuſtorum.* Cum Balaam omnia iſta enarraſſet,quæ pertinebant ad excellentiam populi Iudaici,optauit habere finem,ſicut Iudæi,qui erant viri iuſti , & animæ eorum aſſequebantur vitam æternam,ideo eſt ſenſus: Moriatur anima mea morte iuſtorum. i. vtinam ego morerer, ſicut iſti iuſti morientur:præuidebat enim in ſpiritu,quod in lege Dei finituri erant,& cupiebat ſic finiri:tamen nõ ſic viuebat: omnes autem mali bonam mortem appetunt,ſed bonam vitam fugiunt, quia bene mori fœlicitas eſt:bene autem viuere laborioſum:ſed vnum ſine altero non conceditur. Alio modo exponunt quidam quod loquebatur optando mortem.ſc. quod ex quo moriturus erat, magis vellet,vt eum Hebræi occiderent, quam aliter moreretur:& eſt ſenſus: Moriatur anima mea morte iuſtorum. i.vtinam ego moriar occiſus ab iſtis iuſtis. Aliqui dicunt , quod loquebatur non optando,ſed prænunciando,cognoſcebat.n. prophetico ſpiritu,quod Iudæi eum occiſuri erant:ideo dixit: Moriatur anima mea.i.morietur morte iuſtorum.i.morte inflicta à iuſtis.ſc.quia Iſraelitæ occiderent me. Sed non eſt iſte ſenſus.quod patet ex ſequenti litera.ſ. Et fiant nouiſſima mea horum ſimilia,id eſt, talis ſit mors mea, qualis mors iſtorum, & ibi eſt repetitio ſententiæ ſecundum modum ſupra poſitum:ergo debet legi iſta litera optando , & non prænunciando:& dicitur moriatur anima mea id eſt moriar ego,quia anima mori non poteſt:ſed accipitur anima pro ipſo homine: ſic dicitur 1.Machab.capit.2.quod occiderunt ſerui Antiochi vſque ad mille animas,id eſt mille homines,& iſte modus eſt vſitatus in Scriptura,vt patet Iud.16.ca.Cum ait Samſon : Moriatur anima mea cum Philiſthiim,id eſt moriar ego. *Et fiant nouiſſima mea horum ſimilia.* Id eſt, vtinam mors mea eſſet talis, qualis mors iſtorum. Accipitur enim nouiſſimum pro morte,quia eſt nouiſſima , quam homo viuens patitur,& ſic accipitur nouiſſimum in ſacra Scriptura pro morte ex modo loquendi communi:ſic patet Eccleſia.cap.7. ſcilicet, in omnib. operibus tuis memorare nouiſſima tua, id eſt mortem, & in æternum non peccabis. *Dixitque Balac ad Balaam : quid eſt hoc quod agis,* Adduxerat Balac Balaam ariolum ad maledicendum Iudæis,& ob hoc diſpoſuerat holocauſta ſuper aras: nunc autem vidit,quod Balaam benedicebat Iudæis ideo admiratus eſt dicens,quid eſt hoc quod agis : non enim quæſiuit quaſi dubitaret quid eſſet illud,quia bene videbat,quod benedicebat Iudæis,vt patet ex litera ſequenti,ſcilicet, vt malediceres inimicis meis vocaui te,& tu è contrario benedicis : ſed dixit hoc admirans. Eſt autem modus admirantium , & turbatorum etiam de notiſſimis quærere. Vel forte dicebat hoc,vt reſponderet ſibi Balaam , quia interdum quærimus aliqua , de quibus non dubitamus , vt videamus quid nobis reſpondetur:ſic quæſiuit Deus à Balaam,ſcilicet, ad quid venerant viri Moabitæ,& tamen ipſe ſciebat ad quid venerant: volebat tamen habere occaſionem loquendi cum Balaam. *Vt maledicere inimicis meis vocaui te.* Et non facis hoc. Vocat rex Moab Iudæos inimicos ſuos,& tamen non erant vere inimici ſui, quia licet ipſe intelligeret,quod volebant aduerſari ei: tamen non intendebant , quia Deus prohibuerat illis pugnare contra Moab Deutero.c.2. *Tu è contrario benedicis.* Id eſt,contra intentionem meam facis benedicendo.Et dicitur:Benedicis,id eſt, benedictiones eis futuras prænuncias,ſiue futura bona. *Cum ille reſpondit:non aliud poſſum loqui niſi quod iuſſerit Deus.* Quaſi dicat,non ſum culpabilis in hoc,quia ego vellem maledicere,ſicut tu me ad maledicendum vocaſti, ſed non poſſum facere, quia Deus non me permittit: & accipitur hic non poſſum. id eſt, non poſſum de iure nec de facto. Dicitur aliquis non poſſe

Balaã habebat intẽtionẽ maledicẽdi, & qũo nõ poterat dicere, niſi q̃ Deꝰ volebat.

A posse de iure, quia quamquam aliquis actualiter possit contra diuinum præceptum, quia tamen illa operatio vetita est non dicitur posse. Alio modo est posse de facto, scilicet, quod licet aliquid sit contra ius: tamē possit homo illud exequi. Neutro istorum modorum poterat Balaam maledicere, quia dato, ꝙ Deus vetuisset maledicere, si tamen potuisset proferre Balaã verba maledictionis, non curaret, quod esset vetitum: sed nō poterat proferre saltem. Hoc autem poterat esse dupliciter: vno modo, quia Deus mouebat labia eius, vt ipse volens maledictionis verba proferre benedictionē proferret, ita quod Deus moueret instrumenta eius formatiua vocis contra voluntatem ipsius: nec tamen in hoc cogebat volūtatem illius, quia semper manebat ei electio maledicendi, licet maledicere non possit, & sic non prohibebatur ibi actus voluntatis, sed actus prolationis, & iste non est liber elicitiue, & primarie: sed est per imperium voluntatis: ideo directe potest cogi: actus autem voluntatis est primo liber, ideo non potest directe cogi: inducitur tamen voluntas ad aliquid alterum, quam ante volebat. Et hoc, quia Deus mouet voluntatem per gratiam rectificantem omnes potentias, & in hoc differebat ista motio linguæ Balaam à motione linguæ asinæ eius, quia lingua Balaam à Deo mouebatur, & contra voluntatem eius & ipso intelligente, quod contra voluntatem eius, lingua mouebatur: asina autem non intelligebat quod loqueretur, nec contra voluntatem suam loquebatur, quia non haberet voluntatem loquendi, nec tacendi. Alio modo potest intelligi, quod Deus in illa hora, vel spatio, in quo loquebatur Balaam ista demonstraret clarissime esse bonum loqui illa, scilicet, quod Deus pro tunc supernaturaliter illustraret intellectum practicum Balaam, sicut mouebat, vel illustrabat intellectum speculatiuum eius ad prophetice intelligendū, & ista illustratio esset, quod Deus euidenter demonstraret intellectui practico eius, quod in præsenti tempore nullum maius bonum occurrere sibi posset & tunc intellectus practicus necessario iudicaret illud esse eligendum, licet non coacte. Voluntas aūt necessario eligeret quidquid ab intellectu iudicatur, cum sit totaliter irrationalis, & naturaliter consequens intellectum: vires.n. formatiuæ vocis immediate obedirent, & tunc Balaã totaliter volebat benedicere, sed transeunte illa illustratione intellectus, cum non tolleret inclinationem, & dispositionē consuetudinalem pravæ voluntatis, cum sit supernaturalis, nec intellectꝰ practici distortum iudicium, finita locutione incipet dolere, ꝙ sic locutus fuisset, & cognosceret, quod Deus eum ad talia volendum induxisset, & hoc non est voluntatem cogere, sed decipere, quia si voluntati Balaam Deus proposuisset esse malum benedicere Israelitis sicut prius eius intellectus practicus volūtati proponebat, impossibile erat, quod eam ad benedicendum induxisset nisi eā nihilaret, vel faceret non esse liberā: ideo quilibet modus est satis probabilis: sed primus videtur melior, vt sentiret Balaã, dum loqueretur se contra voluntatem suam loqui, quod aliter non faceret, sc. per secundum modum: sed post locutionē intelligeret. Et hoc erat ad magnam laudem diuinam. Tunc debet intelligi litera: Num aliud possum loqui, nisi quod Deꝰ iusserit? id est, ad quod mouerit labia mea, quasi dicat, nō possum aliter mouere, quam ipse mouet.

Motus est Balaã ad loquendum & asina eius, sed diuersi-
B *mode.*

C *Dixit ergo Balac. Veni mecum in alterum locum, vnde partem Israel videas, & totum videre nō possis, inde maledicito ei. Cumque duxisset eum in locum sublimem super verticem montis Phasga, ædificauit Balaam septem aras, & impositis supra vitulis atque arietibus, dixit ad Balac: Sta hic iuxta holocaustum tuum, donec ego obuius pergam. Cui cum Dominus occurrisset, posuissetque verbum in ore eius, ait: Reuertere ad Balac, & hæc loqueris ei. Reuersus inuenit eum stantem iuxta holocaustum suum, & principes Moabitarum cum eo. Ad quem Balac: Quid inquit locutus est Dominus? At ille assumpta parabola sua, ait: Sta Balac, & ausculta, audi fili Sephor: non est Deus quasi homo, vt mentiatur: nec vt filius hominis, vt mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutus est, & non implebit? Ad benedicendum adductus sum, benedictionem prohibere non valeo. Non est idolum in Iacob, nec videtur simulachrum in Israel. Dominus Deus eius cum eo est, & clangor victoriæ regis in illo. Deus eduxit illum de Aegypto, cuius fortitudo similis est rhinocerotis. Non est augurium in Iacob, nec diuinatio in Israel. Temporibus suis dicetur Iacob & Israeli, quid operatus sit Deus. Ecce populus, vt Leæna consurget, & quasi Leo erigetur: non accubabit donec deuoret prædam, & occisorum sanguinem bibat.*

Aedificat se ptēaras Balaã ij.

Cōmendat populum Israel Balaã.

D Infr. 24

Dixit ergo Balac. Hic ponitur secundum, scilicet, secundus conatus Balaam ad maledicendum, sc. quod postquam non potuit in loco illo maledicere, iuit ad alium locum, vt si forte ibi maledicere posset. *Veni mecum in alterum locum.*

Quare Balac voluit Balaam mutare locum ad maledicendum Israelitas.

QVÆSTIO VII.

E HOc dixit Balac, quia in loco illo viderat Balaam totam multitudinem Israel, & putauit, quod propter hoc non poterat maledicere, ideo duxit in alium locum, vnde non videret, & hoc forte, quia rex Moab erat aliqualiter Astrologus, & qui in iudicando astrorum regulam sequuntur locorum Orizontes respiciunt: quilibet enim punctus assignatus in terra mutat alium, & alium Orizontem, ad cuius mutationem sequitur diuersitas ascendentis, siue horoscopij, & diuersitas planetarum, & signorum in domibus cœli, & quia istis mutatis magna fit influentiæ mutatio alium congruentiorē locum Balaam, & Balac requirebant. & hoc verum est quantum ad omnia, in quibus corpora cœlestia habent causalitatem, quia ibi multum prodest mutare locum, sed quia maledicere populo Israelitarum solum à voluntate diuina dependebat, mutare locum ad aliam, & aliam partem cœli nihil proderat.

Aliqui dicunt, quod Balaam videns totam multitudinem Hebræorum expauit, nec maledicere ausus est, ideo volebat eum Balac ducere ad locum, in quo modicum videret de castris Israel, & sic auderet maledicere. Sed hoc non valet, quia Balaam existens in terra Moabitarum non timebat Israelitas, ideo propter eos nō omittebat maledicere. Item quia si propter timorem Israelitarum omitteret, non magis malediceret, cum videret paucos, quam cum videret multos, quia nullo modo illi possent sibi nocere: vel si multi possent nocere, eodem modo, & pauci. Alij dicunt, quod ideo erat mutatio loci, quia merita multitudinis faciebant, quod nō posset maledicere Balaam si autem paucos videret, merita illorum non prævalerent, vt maledicere non posset. Sed hoc non est rationale, nec Balac rex hoc crederet, quia si propter merita multitudinis maledici non poterant: siue videret Balaam multitudinem, siue non videret, merita non minorabantur: ad valorem enim meritorum nihil facit videre, vel non videre. Item, quia si propter videre multitudinem maledicere non poterat, vel saltem sic credebat, Balac clausisset oculos Balaam, & tunc maledixisset: nec fuisset necesse rursus alibi aras cōstrui, & imponi nouas victimas. Sed obiiciet aliquis, quod non poterat Balaam maledicere, nisi videret, quia hoc requirebatur secundum cæremonias magorum. Sed non stat; quia tunc solam illam partem, quam videret, crederet se posse maledicere, quod erat contra intentionem Balac volentis totum populum Hebraicum disperdere. Item hoc dato posset Balaam aliter facere, scilicet, in eodem loco. in quo erat inclinare se, vt videret modicam partem castrorum, & non oporteret mutari locum. Sed hoc etiam militat contra expositionem superiorem, quia si propter timorem non poterat Balaam maledicere de loco illo, clauderet oculos, & nihil videns non timeret. Si autem dicas, quod postquam semel concepisset timorem de multitudine visa, etiamsi oculos clauderet, timor manebat. Respondetur, quod etiamsi ad aliam partem transferretur Balaam, de qua partem exercitus videret, & non totum: semper timor maneret, & maledicere non posset. Non diceret ergo Balac, veni ad alium locum &c. Item omnibus istis datis adhuc non bene dicitur, ꝙ si Balaam videns totam multitudinem propter magnitudinem meritorū maledicere

F

non

non poterat,& videſ paucos crederet poſſe maledicere. Hoc eſt ſi ſicut occultabatur multitudo à facie Balaam: ita occultarentur merita à facie Domini,& quãdo Balaam videret totum populum,quod Deus videret omnia merita populi. Sed non erat ſic,nec aliquis homo credere poſſet,quia tũc ſequeretur, quod quando Balaam nihil videret de populo, tunc Deus nulla merita Iudeorum videret:ex quo ſequeretur quãtitatem cognitionis,vel aſpectus diuini commenſurari quãtitati viſionis Balaam:infinitas quoque alias abſurditates,& impoſſibilitates concludit. Dicendum ergo,quod ideo volebat mutare Balac Balaam ad locum alium vbi minus de caſtris videret:nõ vt minus videret: ſed quia credebat locum illum eſſe magis fortunatum ad operationem ſuam, quia ibi magis iuuaretur à virtute cœli,vel propter alias obſeruationes,quas arioli habent. Vnde dicendum, quod quomodocunque ſe habeat ſuperſtitio erat,id eſt,cæremonia ad nihil proficiens: Nec tamen eſt mirabile, quia tunc Balaam,& Balac ſuperſtitionibus vacabant,ſcilicet,ad maledicendum Iſraelitis, quod nihil proderat, etiamſi fieret,& tunc eſt ſenſus. *Veni mecum in alterum locum.* Scilicet,quia iſte locus eſt infortunatus, nec in eo proſperatur propoſitum noſtrum. *Ducam te ad alium locum.* Scilicet,in quo à virtute cœli adiuuemur. *Vnde partem Iſraelis videas.* Hoc debet legi conſecutiue, & non cauſaliter, ſcilicet,quod non ducebat eum in alium locum,vt inde non poſſet videre totum Iſrael, ſed ducebat eum illuc,vt magis adiuuaretur propoſitum eorum ibi, & etiam conſequenter non poſſet videre Balaam totum Iſrael ex eo loco. *Inde maledicito ei.* Id eſt,de ipſo loco maledicas Iſraeli, ſi quia ibi iuuaberis à virtute cœli ad maledicendum.

Cumque duxiſſet eum in locum ſublimem. Quamquam vellet Balac,quod Balaam non videret totum Iſrael: tamen duxit eũ in locum ſublimem,quia ſi deſcenderet ad aliquas cõcauitates montium, nihil videret de Iſrael, quod putabat Balac neceſſarium eſſe ad maledictionem: erat tamen iſte locus ſublimis in alia habitudine ad caſtra Iſraelitarum, quam locus, in quo primo ſteterat propter aliqua media obiecta: & ſic non poſſet,inde totus Iſrael videri. *Super verticem montis Phaſga.* Iſte mons,in quo erant Balac,& Balaam vocatur Phaſga.eſt enim magnus mons extentus vſque ad extremitatem terræ Moab ſuper Iordanem,& ſuper mare Sodomorum, vbi erant olim quinque ciuitates Sodomorum. Vocatur autem iſte mons variis nominibus,quia aliquando vocatur Abarim,& aliquãdo Phaſga,& aliquando tranſitus Nebo, vt patet Deuteron. cap.vlti. Iſta autem pars, in qua nunc erant Balac, & Balaam vocatur Phaſga,& diuidebat terram Moab à terra, quæ olim fuerat duorum regum Amorrhæorũ, & nunc erat terra duarum tribuum,& dimidiæ: erantq; Iudæi in campeſtrib. ad radices montis illius,ideo de monte illo poterant videri. Aliter poteſt dici, quod Phaſga non ſit nomen proprium alicuius montis vel partis montis:ſed eſt nomen appellatiuum ſignãs collem,& in monte illo erant multi colles, quorum quilibet poterat vocari Phaſga:vnde forte ante hoc erant in Phaſga,& poſtea iuerunt ad aliud Phaſga: ſed non eſt rationabiliter dictum,quia ſola illa pars vocatur Phaſga. Si enim litera noſtra intellexiſſet nomen appellatiuum eſſe, non dixiſſet Phaſga: ſed collem:nam nunquam alibi ponitur Phaſga in litera noſtra,niſi ad ſignificãdum locum iſtum,de quo hic dicitur. Hebræi autem,quia non tantum conſiderãt conditiones locorum aliqua nomina,quæ ponuntur, vt propria exponunt tãquam appellatiua,ſicut patet frequẽter in expoſitionib. quas dant ſuper librũ Ioſue. *Aedificauit Balaam ſeptem aras.* Sicut ſupra requirebantur ad ſuperſtitionem iſtam maledicendi ſeptem araꝫ ſecundum leges maleficorũ, ita requirebantur hic. Cauſæ eædem ſunt. Dicitur,quod ædificauit eas Balaam,quia forte in ædificatione illarum ararum obſeruabatur aliquis ritus,quem non debebat alius facere præter Balaam, vt in proferendo verba, vel in faciendo characteres ſicut omnib.maleficis mos eſt. *Et impoſitis deſuper vitulis atq; arietibus.* Id eſt, ſup quamlibet aram poſuit vitulum vnum,& arietem vnum,ſicut ſupra fecerat. Cauſa autem eadem eſt,quæ ſupr.erat, ſc.ſeruatio ſuperſtitionum.

Dixit ad Balac:ſta hic iuxta holocauſtum tuum. Fecit enim Balaã holocauſtum ſicut ſupra,& non erant iſta holocauſta,quę ſupra poſita fuerant ſuper altaria ſuper priora, quia illa iam cremata fuerãt in toto,vel ex parte, ſed fuerunt alia animalia poſtea immolata,& impoſita ſuper aras. Dixit autem Balaã ſta iuxta holocauſtum tuum,quia iſtud fiebat pro Balac ſicut ſuperius,ſc.ad maledicendum Iudæis,quod erat ad vtilitatem Balac.fuit autem locutus Balaam ad Balac, quod ſtaret iuxta holocauſtum ſuum,non quod ipſe ſolus ſtaret,quia cum eo erãt principes Moabitarum,vt patet ſupra, ſed locutus fuit ad eum,quia erat principalis. *Donec ego pergam obuius.* Id eſt,donec ego pergam ad obuiãdum Domino,ſicut ſupra dixerat,quod ibat,vt ſi forte occurreret ei Deus. Dixit autem de Deo,quãquam non inquireret Deum, ſed dæmonem, occultabat tamen dæmonem,ſub nomine Dei:ibat enim ad quærendum auguria,vt patet ſequenti.ca. ſed qui Deum quærunt non inquirunt hæc.

Sed forte non eſſet multum neceſſarium dici, quod Balaã fingebat ſe quærere Deum, cum quæreret dæmonem. Hoc enim neceſſarium eſſet inter colentes Deum verum, ſi aliqs reſponſionem haberet à dæmone,& diceret ſe habere à Deo: ſed quia Gentiles dæmones colebant, nec alios Deos præter eos cognoſcebant,eos in auguriis, & in omnibus magicis operationibus exquirebant, quos pro veris diis colere non erubeſcebant, ideo nulla cauſa fingendi erat:non enim magis erubeſcebat Gentilis à dæmone reuelationem accipere quam fidelis à Deo vero. Recedebat tamen Balaam à Balac quando volebat inquirere augurium, & dicebat ſe inquirere Deum, ne videret Balac ea, quæ patiebatur, quando à dæmone reſponſa recipiebat.

Cui cum Deus occurriſſet. Non inquirebat Balaam Deum ſed dæmonem ad auguria, ſicut patet de ſuperioribus,ſed Deus ſibi occurrit,& hoc, quia non erat ad vtilitatem ſuam, ſed ad pœnam,erat autem ad vtilitatem Moabitarum, & gloriã populi Iſrael:nam ſi Deus non occurriſſet ponens verbum in ore Balaam,ipſe cum rediret malediceret Iſraelitas ſaltem in verbo, & Moabitæ confidentes profeciſſe aliquid maledictionem committerent bellum contra Iſraelitas,& caderent. *Poſuitque verbum in ore eius.* Id eſt, dedit ei reuelationẽ propheticam:non quidem illuminando intellectum eius ſolum, ſed iubendo ei,quod loqueretur. Vel dicitur quod ponebat verbum in ore illius,id eſt ſolum in ore,& non in voluntate,quia Balaam loquebatur iſta inuitus cum Deus moueret organa illius ad loquendum. *Ait reuertere ad Balac, & hæc loqueris ei.* Id eſt,dices ei iſta,quæ infra ſequuntur, quæ iam Deus dixerat, ſed Scriptura ſolum ſemel ne inutiliter repetat. *Reuerſus inuenit eum ſtantem iuxta holocauſtum ſuum.* Erat enim diligenter attendens Balac,ne aliqua de cæremoniis ad maledicendum omitteretur,vt non impediretur effectus maledictionis, quia illam maledictionẽ maxime ſibi proficere exiſtimabat, & dicitur,quod erat iuxta holocauſtum ſuum, id eſt iuxta aras, in quibus erant vituli,& arietes poſiti, & comburebãtur in holocauſtum:nam ad nihil aliud iſta animalia immolabãtur, niſi vt comburerentur.

Et principes Moabitarum cum eo. Iſti aſſociauerant regẽ aſcendentem in montem,& dum Balaam iret ad quærendum augurium ipſi manebant cum rege: ſic enim factum eſt in alia vice. *Ad quem Balac,quid,inquit,locutus eſt Dominus?* Id eſt, Balac rex quæſiuit à Balaam quid locutus eſt Dominus. Iuerat enim Balaam ad conſulendum Dominum, vt prædixerat, & quia Balac erat cupidus ſcire determinationem huius rei, in qua putabat ſalutem ſuam pendere, & ſtatum regni Moab antequam Balaam quidquam loqueretur, ipſe inquiſiuit,quia amor moras non ſuſtinet. *At illa aſſumpta parabola ſua ait.* Id eſt, Balaam incœpit proponere, parabolam ſuam, id eſt,propheticam reuelationem, quam Deus poſuerat in ore eius, quæ vocatur parabola, quia eſt ſecundum quaſdam ſimilitudines vel figurationes. *Sta Balac,& auſculta fili Sephor.* Hic reddit attentum Balac ad audiendum dicens,quod ſtet,& auſcultet,id eſt,diligenter paratus ad intelligendum verba: iſta eſt repetitio ſententiæ, quia nihil aliud ſignat iſta Balac, quam auſcultа fili Sephor,& hoc,quia ipſe Balac vocabatur filius Sephor,vt patet præcedenti capit. ſed obſeruatur modus iſte per locutiones ſynonymas, quia eſt exornatiuus, & Deus aliquando facit illum in prophetis. *Non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur.* Iſta eſt quædam redargutio ad Balac,quia quæſiuit quid dixerit Deus, quaſi dicat,tu vidiſti prius, quod Deus prohibuit me maledicere Iſraelitas. Quid ergo quæris quid dixerit nũc, quia manifeſtum eſt,quod idem diceret. Nam non eſt ſicut

Reſpon. Auct.

Mõs in quo erant Balac,& Balaã diuerſis nominibus nominatur

Quare Balaã finxit ſe quærere Deum, cũ quæreret diabolũ eũ iſti ẽt non colerẽt Deũ verum.

A homines,qui mutantur à dictis ſuis, & alia iudicant, & eligunt,quam prius. *Nec eſt filius hominis,vt mutetur.* Quaſi dicat, Deus non mutatur à propoſito ſuo ſicut filii hominum. Repetitio eſt ſententiæ ſuperioris:idem enim eſt homo,& filius hominis,ſed quia iſta dicuntur quaſi rhetorice ſub quodam ornatu repetitionis ſententiæ, & turpe eſt eandem dictionẽ repeti, ponitur in vna clauſula homo, & in alia filius hominis, & iſta duo verba, ſcilicet, mentiatur, & mutetur pro eodem ponuntur, quamquam non ſignant idem penitus,quia mutari eſt quomodocunque recedere ab eo,quod prius erat: ideo ſi Deus prius prohibuiſſet maledictionem, nunc autem concederet,videbatur mutari, licet large: mentiri autem eſt aſſerendo,vel promittendo, vt ſiquis aſſerat illud eſſe, quod nequaquam eſt:vel ſi ſpondeat aliquid ſe facturum, quod facere non intendit:vel quamquam à principio intẽderit poſtquam tempus completionis aduenerit facere non vult. Et quamquam Deus primo prohibuiſſet maledictionem, & nunc concederet,non mentiebatur,quia nullum falſum aſſerebat,nec infringebat aliqua promiſſa, videbatur tamen ſaltem large mutari. Accepit tamen hic litera iſta duo pro eodem, ſicut ſupra accepit deteſtari, & maledicere pro eodem, quamquam non ſignent penitus idem, ſed fiunt propter repetitionẽ hæc.ſimilis propoſitio habetur 1. Reg.c.15. cum locutus eſt Samuel ad Saulem.Porro triumphator in Iſrael non
B parcet,& pœnitudine non flectetur, nec enim homo eſt, vt agat pœnitentiam.

An Deus ſit mutabilis ab intentione ſua.

QVÆSTIO VIII.

SEd contra hoc videtur, quia dixit Balaam, quod Deus ſemel iuſſerat non maledicere, ideo nunquam contrarium iuberet aut permitteret,quia cũ primo rex Moab fecit vocari Balaam,dixit Deus illi,ne iret in terram Moab,& cum ſecunda vice vocatus eſt,dixit Deus,quod iret:ergo mutabatur. Itẽ patet,quia dicitur Ezechiel.c.3. quod Deus ante conuerſionẽ recordatur omnium peccatorum noſtrorum. Cum vero cõuertimur non recordatur. Item patet Iere.ca.18.ſc. ſubito loquar de gente,& regno &c.& ſequitur:ſi pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo,ego quoq; pœnitentiam agam de malo, quod cogitaueram aduerſus eam,vt facerem,& multa ſimilia ſunt,quæ indicant Deum mutari.

Deum eſſe immutabilẽ licet ſecũdũ aliquẽ actum aliquã do dicatur mutari.

Dicendum,quod Deus eſt omnino immutabilis: Malach. c.3.Ego Dominus,& non mutor,& Iacob.cap.1. Apud quem non eſt trãſmutatio,nec viciſſitudinis obumbratio. Deus tamen immobilis exiſtens mobilia operatur: imo omnia, quæ mobilia ſunt ipſe operatur, quia operatio non facit aliquam mutationem,vel nouitatem in Deo, ſed in re, quæ fit: vnde Boetius de conſolatione lib.3.Metro.9.ait.

Stabil ſque manens das cuncta moueri.

Deus autem in eſſentia ſua totaliter immobilis eſt,quia nõ eſt in potentia ad aliquam actualitatem nec quidquam recepit,cum actualitas ſumma, & ſola ſit: omnis autem tranſmutatio,ſiue large, ſiue ſtricte ſumpta propter reductionem rei potentialis ad completionem eſt. Non ſolum ergo nõ mutatur Deus,ſed impoſſibile eſt eũ mutari, quia repugnat eſſentiæ ſuæ formaliter mutari, ſicut repugnat homini formaliter non eſſe rationale animal ſed quãtum ad actus, quos de Deo prædicamus dicitur aliquando mutabilis,& aliquãdo immutabilis,& cum Deus per actum ſuũ immutabilis dicitur,aliqd intrinſecum denominatur.cum autem ex actu mutari dicitur aliquid extrinſecum in creaturis deſignamus.Nam cum Deus aliqua prædicit euentura,vt in ſcientia ſua ſunt,aliter euenire non poſſunt, quacunque mutatione facta in rebus, & tunc immutabilis Deus dicitur,inquantum prędicere reſpicit ſententiam ſuam, & aliquid extrinſecum, & iſto modo prædixit Moyſi,quod non intraret in terram promiſſionis vltra Iordanem:ideo licet Moyſes poſtea multum oraret nihil profecit, ſed dixit ei Deus: ſufficit tibi, nequaquam vltra loquaris ad me de hac re,vt patet Deutero.cap.3. Simile fuit de rege Saule, de quo Deus prædixit per Samuelem prophetam, quod ſcinderetur regnum Iſrael ab eo,& daretur alteri,vt patet 1. Reg.15.cap. ſcilicet,ſcidit Dominus regnum Iſrael à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te:& ne Saul oraret Samuelem,vt pro eo Dominum precaretur,ne iſta fierent:dixit Samuel: Porro triumphator in Iſrael non parcet, & non flectetur pœnitudine:nec enim eſt homo,vt agat pœnitentiam. Poſt hoc tamen Samuel orabat Dominum pro Saule,ne ſcinderet ab eo regnum lugens quotidie.Dixit tamen ei Deus, q̃ non lugeret,quia regnum tranſire debebat ad alterum,vt patet primo Regum ca.16.dixitque Deus ad Samuelem, vſquequo tu luges Saul cum ego proiecerim eum, ne regnet ſuper Iſrael? Alio modo dicitur Deus quandoque mutabilis, quia operatio ſua mutabilis eſt,vt quia promittit aliquid,vel comminatur quod non euenit,& hoc eſt,quando Deus non prędicit res ſecundum,quod ſunt in ſua ſcientia,& beneplacito, ſed ſecundum connexionem, quam habent ad cauſas inferiores immediatas, ſcilicet, ad meritum, vel demeritum. aliquando enim Deus dicit aliqua,ſicut homo meretur,ſiue bene,ſiue male, & quia homo mutari poteſt, & cum hoc nõ reſpiciat aliquid in Deo,ſed in creatura, nõ poteſt Deus aliquo modo dici mutabilis propter talia, velut ſi Deus prædiceret huic populo:ego immittam vobis peſtem,quæ vos vniuerſos conſumat:intelligitur ſic: Merita veſtra expoſcũt nunc,quod ego immittam vobis peſtem,quæ vniuerſos conſumat. Si autem poſt conuertatur populus non immittitur peſtis, quia iam nõ ſtabat veritas propoſitionis,ſcilicet, quod merita populi expoſcerent,quod omnes perirent peſte: ſic enim intelligitur quod dicebatur Niniuitis Ionæ ca.3. adhuc 40.dies,& Niniue ſubuertetur, id eſt, præſentia demerita veſtra expoſcunt,quod vſque ad 40.dies ſubuertamini,ſed quia conuerſi ſunt agentes pœnitentiam in ſacco,& cinere, iam non merebantur ſubuerſionem,nec poterat tradi hoc executioni:Simile,& eſt quod dicitur 4.Reg. capit.20. de Ezechia.diſpone domui tuæ, quia morieris,& non viues. Id eſt, tua demerita nunc exigunt,vt moriaris, vel tua ægritudo tanta eſt,vt ex ea neceſſario mori deberes: ideo præmoneo te, q̃ domui tuæ diſponas,ſed quia fleuit conuerſus ad parietẽ, iam nõ merebatur mori. Vnde annis 15.ſuperuixit.Ideo dicendum,quod omnis prophetica cõminatio abſolute facta reſoluitur in cõditionalem,vt iſta: Morieris,& non viues,id eſt,tua demerita depoſcunt te mori,quod ſequitur niſi conuertaris.

An prophetia ſit de re ſemper immutabili. Et de ſex regulis cognoſcendum quando illa,quæ à Deo dicuntur procedunt ſecundum firmam Dei præſcientiam, & quando ſecundum præſentem iuſtitiam ſeu conditionem noſtram,& an aliquod bonum promiſſum à Deo toti generi humano poſſet mutari, ſicut mutatur bonum vnius perſonæ.

QVÆSTIO IX.

COnſiderandum quod circa prophetiam quando denũcietur ſecundum Dei ſcientiam,& immutabilitatem,& quando ſecundum aliquid quod eſt in creatura, & mutabiliter,certum non eſt, ſed poteſt dari aliqualis cognitio. Et ſit prima regula,quod quando aliqua prophetia nunciat aliquas mutationes futuras ſolum in natura irrationabili: iſta eſt ſecundum Dei ſcientiam, & eſt immutabilis: vt ſcilicet, quod elementa omnia purgabuntur per ignem, vt patet 1.Petri. ca. 3.Et iſto modo erat,quod dictum eſt 4.Reg.20.capitul.quod Sol reuerteretur per 10. lineas in horologio Achaz, & ſic completum eſt. Cauſa huius eſt, quia aliquid à Deo dictum mutari ad bonum, vel malum eſt propter mutationem, quæ in nobis fit,ſcilicet, ſi pœnitentiam agimus, vel ſi ad malum conuertimur:& quia quando fit prophetia ſolum de natura irrationali non eſt ibi aliqua mutatio ex parte eius in bonum, vel in malum:ideo prophetia illa manebit. Secũda regula ſit, quod quandocunque aliqua prophetia denunciat aliquam vtilitatem totius vniuerſi,vel damnũ illius: eſt ſecundum Dei ſcientiam,& eſt immutabilis,& ſic ſunt omnes prophetiæ de Chriſto,ſcilicet, quod liberaturus eſſet genus humanum, ideo iſtæ non poterant mutari,etiamſi antequam complerentur,totus mundus,id eſt, omnes homines terribiliſſime, & continue peccarent,quia reſpectu totius vniuerſi nõ eſt mutatiuo.Alia regula,omnes prophetiæ, quæ ſunt de ſtatu poſt mortem ſunt ſecundum Dei ſcientiam,& immutabiles. Alia regula,quod omnis prophetia, quæ non tangit ſtatum alicuius perſonæ,vel gentis ſingulariter eſt ſecundũ Dei ſcientiã,

Cũ aliquid Deus p̃dici quamq̃ nõ eueniat ſi dicitur moueri & quo aliquãdo fiat mutatio ei, q̃ Deus dicit.

1.regul.

2.regu.

3.regul.

4.regu.

& im-

A

& immutabilis. Ratio omnium prædictorum est, quia si aliquid immutabile est quod prædicitur hoc est secũdum, quod dependet ab aliqua causa mutabili secundum aliam, & aliam dispositionem meritoriam res autem irrationales, nec merentur, nec demerentur, vt mutentur ea, quæ dictat, sunt de eis, nec animæ post mortem poterunt habere aliquam mutationem, ideo illa, quæ prædicuntur de statu illo firma sunt: idem est de eis, quæ pertinent ad perfectionem vniuersi, scilicet, ad omnes homines, quia ista sunt ad modum naturæ, sicut enim perfectio naturæ est aliquid immutabile, ita id quod pertinet ad omnes homines, cum videatur pertinere ad totam naturam est immutabile. Item quia non cõgrueret, vt aliquid quod dictum est de toto vniuerso, mutaretur secundum merita, vel demerita, quia totum vniuersum nunquam concordaret in idem ad merendum, vel demerendum: ideo nihil posset euenire toti vniuerso prænunciatum bonum, nec etiam malum prænunciatum. Et causa est quia quidam de vniuerso merentur, & propter illos non inferretur malum: alii autem demerentur, & propter illos non proueniret bonum.

Cum autem est vna persona, de qua aliquid prænunciatur bonum, vel malum, tunc potest proprie mutari quod prænunciatum est, quia potest demereri, si ante merebatur, vel potest mereri, si prius demerebatur.

B

Item si sit aliquid prænunciatum de populo aliquo, vel de gente particulari poterit illud mutari, quia contingit totam illam gentem ad bonum mutari, vel ad malum sicut factum est de Niniuitis. In toto autem vniuerso non contingit hoc, quia nunquam omnes homines conuertuntur ad idem, vel recedunt ab eodem: ergo si aliqua prophetia detur de vniuerso, oportet illam esse immutabilem. Sed contra prædicta arguet aliquis, quod sicut aliquando bona promissa alicui personæ non complentur propter demerita superuenientia, vt patet in Dauid, & Salomone, quibus promissum est, vt filii eorum sederent in æternum post eos in sede regni, sed non completum est propter peccata Salomonis, vt patet 3. Reg. 7. & 3. Reg. 11. cap. sic posset esse de toto genere humano, scilicet, si Deus promisit Christum venturum ad redimendum genus humanum: si totus mundus multum peccaret posset non complere promissum. Respondetur, quod non est simile de vno homine, & de toto genere humano, quia vnus homo potest mutari ad bonum, vel ad malum, & sic dabitur de eo prophetia secundum comminationem, vel promissionem, quæ sit mutabilis ad mutationem illius, omnes autem homines non contingit moueri ad vnum, vel recedere ab eodem, ideo non debet dari de omnibus prophetia secundum mutationem, sed secundum certitudinem. Aliter potest dici non esse simile de vno homine, vel de vno populo, & de toto genere humano, quia Deus intendebat per se salutem generis humani tanquam excellentissimæ partis vniuersi: salutem autem vnius hominis, vel gentis non intendit per se, sed per accidens, vt sunt ad vtilitatem, & decorem istius generis humani. Nec hoc intelligitur de homine Christo, qui à verbo ad vnam hypostasim assumptus est, vt operaretur salutem totius generis humani, cuius charitas, quam sine mensura recepit, vt habetur Ioan. capit. 1. præponderat toti charitati Ecclesiæ simul sumptæ, quia de eius plenitudine omnes accepimus. De Beata Virgine, & de cæteris sanctis dicetur, quod principaliter propter genus humanum quam propter seipsos à Deo libere, & sine meritis præcedentibus electi sunt, vnde de Maria dicimus, quod ipsa propter nos mater Dei est, & sic. dicit Ecclesia.

Quilibet homo & beata virgo minus intenditur à Deo quã totum genus humanũ, sed magis Christus intenditur quam totaliter Maria virgo fuit electa mater Dei propter nos.

C

Qui pro nobis natus, Tulit esse tuus.

Licet ly pro, vel propter non dicit causam promeritoriam, sed finalem, quia nos non meruimus, vt ipsa esset mater Dei, sed vt nos saluaremur ipsa mater Dei facta est. & est sicut in artifice, qui intendit totam domum propter se: nullam autem partem domus intendit per se, sed per accidens inquantum facit ad esse totius domus, & sicut decor, & necessitas domus est omnes partes non esse eiusdem naturæ, vel pulchritudinis, ita decor vniuersi est, quod spiritus reperiantur in omni gradu perfectionis, & non est pulchrum omnes spiritus esse æqualiter glorioſos, sed secundum gradus quousque deueniatur ad spiritus damnatos, qui vltimum gradum tenent in spiritibus, quemadmodum in prima materia in entibus. Pulchritudo ergo vniuersi est aliquos spiritus esse damnatos, & propter hoc Deus ex propriis demeritis quosdam spiritus reprobauit, vt ait Apostolus ad Roma. capit. 9. scilicet, quod quædam sunt vasa contumeliæ, & alia vasa in honorem, ita in hominibus quidam sunt vasa misericordiæ, & alii vasa iræ. Deus ergo intendens salutem generis humani per se non obstante quocunque euentu perficiet eam: salutem autem cuiuscunque hominis non per se intendit, sed vt facit ad integritatem, & vtilitatem atque decorem totius generis humani, sic quosdam sine meritis eligit, qui etiamsi nunc malefaciant in bono finient, quia electi sunt, quosdam ex demeritis reprobauit: qui tamen in malo non finirent, si electi essent. Cur autem hos, & non illos elegit, hoc nulli mortali cognitum est, nec cognoscemus, donec introeamus in Sanctuariũ Domini in cœlestem Ierusalem, vt inquit Prophera Asaph Psalm. 72.

D

5. regula. Nota quãdocunque de aliqua persona vel gente specialiter aliqua prænunciata sunt dubia sunt, vtrum secundum scientiam Dei, vel secundum creaturæ dispositionem, & mutabilitatem meritorum, vel demeritorum intelligantur.

Alia regula sit, quod quandocunque à Deo de aliqua persona, vel gente specialiter aliqua prænunciata sunt dubia sunt, vtrum secundum scientiam Dei, vel secundum creaturæ dispositionem, & mutabilitatem meritorum, vel demeritorum intelligantur. si enim aliquod malum prædicatur euenturum alicui semper dubium est, si ad mutationem istius mutetur, vel si secundum Deum dicatur. Et secundum hoc est diuersus modus cognoscendi prophetarum in talibus prophetiis quibusdam enim prophetis reuelantur aliquæ veritates supernaturaliter, & cognoscunt illas, & etiam, quod à Deo sunt reuelatæ, sed non cognoscunt vtrum immobiliter dicantur secundum Dei scientiam, an secundum creaturæ mutationem, & isto modo contingit Moysi, cui Deus supernaturaliter reuelauit, quod non intraret terram promissam vltra Iordanem, sed putauit, quod dicebantur secundum præsentia eius demerita, ideo conuersus ad Dominum instantius orabat, vt intrare permitteretur quousque Deus dixit illi ne vltra loquaris ad me de hac re: in quo patet, quod Moyses non cognoscebat, an secundum scientiam Dei, & firmum propositum eius ista dicerentur, quia si cognouisset non optasset: nefas enim fuisset velle repugnare firmissimo Dei proposito clare posito, pie tamen de hoc dolere possemus, vt si aliquis patrem suum in inferno à Deo damnatum esse cognosceret peccatum graue esset si pro eo oraret: dolere tamen potest nihil deprecando. Sic etiam in Iohele propheta accidit, cui reuelatum est à Deo, quod locusta brucus, & erugo consumerent terram Iudæ: & quod Babylonii disperderent eam, sed nesciebat vtrum sic complendum esset, vel quod demerita populi tũc illud exigebant, si non conuerterentur, ideo monuit eos ieiunare, & indui cilicio, & reddidit causam, scilicet. Quis scit si conuertatur, & ignoscat Dominus, & relinquat post se benedictionem? quasi dicat, Nemo cognoscit an Deus, qui ista dixit velit complere, vel forte meremur nostri si cõuertamur. De his Iohe. capit. 2. & 3. Sic etiam Ionas Propheta ignorauit anno 40. dies per eum annunciari intelligerentur secundum scientiam Dei, aut merita præsentia populi: ideo expectabat extra ciuitatem euentum rei. & quando sic vidit amare doluit, vt patet Ionæ capit. 4. Alii autem prophetæ cognoscunt veritates reuelatas, & quod à Deo sunt, & quod secundum firmum propositum eius sunt, vt Balaam cognouit, quod Hebræi benedicebantur secundum Dei voluntarem, & immutabiliter, & isto modo intelligebatur ista litera, scilicet, quod Deus non est homo, vt mentiatur nec filius hominis, vt mutetur, scilicet, quod firmiter proposuit benedicere Iudæis, ideo non mutabitur ab illo proposito, sicut mutantur homines, & sic prophetauit Balaam de aliis gentibus, vt patet sequenti capitulo de Cinæis, scilicet. Si etiam in petra posueris nidum tuum inde detraheris: id est, certissime eueniet, quod destrueris, etiamsi coniungas te fortibus gentibus: cognoscebat enim Deus certissime, quod non conuerterentur Cinæi, & consequenter, quod destruerentur: sic etiam prophetauit Abdias contra Idumæos de certissima Dei scientia Abdiæ capitulo vnico, & quantum ad primum modum istorum duorum loquitur Ieremiæ capitulo decimo octauo repente loquar aduersus gentem, & regnum, vt destruam &c Id est, opto secundum quod viderim merita alicuius gentis prænunciabo ei, quod eradicabo eam, vel destruã, & sequitur, quod si pœnitentiã egerit de malo suo

meritorum demeritorum seruata intelligatur.

E

F

A

id est, si conuertatur gens ista ita, quod non maneat illa demerita, quæ ante erant: ego quoque pœnitentiam agam, id est, non exequar malum quod dixeram, quia iam non inuenio demerita, propter quæ illud cominatus fueram.

Quando autem supra diximus, quod omnes prophetiæ, quæ dicuntur de aliquo homine, vel populo specialiter comminando aliquod malum, vel promittendo bonum intelligebantur sub conditione, quod verum est, siue istæ prophetiæ sint secundum diuinam præsentiam, siue secundum sola merita, vel demerita præsentia. Si enim secundum præscientiam certam dicatur aliquod malum non eueniret: si homines cõuerterentur non infligeretur: scit tamen Deus, quod non conuertentur, ideo dicitur prophetia secundum certam præscientiam.

6. regul.

Alia regula sit, quod prophetæ non possunt cognoscere, quando prophetiæ illorum dictæ secundum comminationem, & promissionem sint mutabiles, vel secundum certam præscientiam, nisi ex reuelatione Dei, & quod non est idem modus cognoscendi hoc in omnibus prophetis. Primum patet, quia ex parte rei non est aliqua certitudo, an mutetur, vel non mutetur, & quia mutatio prophetiæ est ex mutatione rei, de qua prophetatur, non poterit. Propheta per aliquem modum naturalem cognoscere, an certissime hoc euenturum sit, vel non, sed reuelatione indiget. potest autem ista reuelatio esse dupliciter, vno modo in verbis ipsius prophetiæ, scilicet, quod in prophetia per quam alicui bonum, vel malum prænunciatur, exprimatur, quod certissime eueniet. & sic videbatur in prophetia Balaam, cum dixit. Non est Deus homo, vt mentiatur, nec filius hominis, vt mutetur. Et cum locutus est sequenti capit. ad Cinæum dixit. Etiamsi in petra posueris nidum tuum, quandiu poteris permanere? Assur enim capiet te, id est, quodcumque facias non poteris euadere. Alio modo potest hoc cognosci, vt si post dictam prophetiam Deus reuelaret prophetæ, quod illud certissime euenturum esset, sic enim fuit in Moyse. Nam primo dixit ei Deus, quod non introiret in terram Chanaan, quia non sanctificauerat Deum ad quas contradictionis, vt patet supra 20. & infra 27. cap. Tamen ex hoc non cognouit Moyses, an diceretur istud secundum certissimam præscientiam, ideo orauit mutari, postea autem reuelauit sibi Deus, quod istud erat firmum in scientia sua, cum ait: sufficit tibi, ne quaquam vltra loquaris de hac re ad me, nec enim transibis Iordanem istum, vt patet Deut. c. 3.

Prophetæ non possunt cognoscere an prophetia eorũ dicãtur secundũ Dei scientiã vel merita nostra.

B

Secunda pars regulæ erat, quod non omnes prophetæ cognoscunt eodem modo per reuelationem qualitatem prophetiæ, scilicet, an sit secundum firmum propositum, an non, & satis patebat hoc ex prædictis, scilicet, quod quidam prophetæ cognoscunt hoc per reuelationem, quæ est in ipsis verbis prophetiæ. Alii autem cognoscunt hoc per reuelationem extra ipsa verba prophetiæ sicut patuit de Balaam, & Moyse, sed adhuc est in alia differentia. nam quamquã Deus reuelet alicui extra verba prophetiæ, quod illa intelligantur secundum firmum propositum, non accipient omnes prophetæ hoc æqualiter, quia quidam ex vnica reuelatione perfecte cognoscent, non indigentes alia reuelatione: alii vero ex vnica non cognoscunt, sed indigent pluribus, primum patet in Moyse: nam postquam Deus ei reuelauit sententiam contra se latam esse secundum firmum propositum Dei, nunquam amplius orauit, quod permitteretur introire in terram Chanaan, sed credidit certissime se moriturum ante Iordanem, quod patet, quia Deuteronom. cap. 3. facta est ista reuelatio, & Deuteronom. capit. 4. dixit Moyses: ecce ego morior in hac humo, & non transibo Iordanem, vos autem transibitis, & possidebitis terram egregiam: ista autem sunt verba hominis certificati de morte, quasi iam actualiter moreretur.

Non oẽs prophetæ eodẽ modo cognoscũt & qũo in quibusdam est maior lumen, & in aliis minus.

C

Secundum patet in Samuele, quia Deus reuelauit ei, quod regnum scindendum esset de manu Saulis, vt patet 1. Reg. ca. 15. scilicet, scidit Dominus regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te. postea autem Deus reuelauit Samueli, quod ista prophetia intelligeretur secundum firmum propositum Dei, ita quod non flecteretur propter aliquas preces, vt patet eodem cap. cum dicitur. Porro triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non flectetur: nec enim homo est, vt pœnitentia agatur. Et tamen post istã reuelationem adhuc Samuel lugebat pro Saule, & orabat, ne tolleretur ab eo regnum, quousque Deus increpuit illum, & iussit, quod vngeret Dauid in regem, vt patet 1. Reg. 16. capit. scilicet, dixitque Dominus ad Samuelem. vsquequo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum, ne regnet super Israel? si tamen Samuel cognouisset ex prima reuelatione intentionem Dei firmatam esse ad auferendum regnum de domo Saulis non orasset pro illo, quia nefas esset, sicut supra dicebatur de Moyse, & tamen orauit semper vsque ad secundam reuelationem: ergo non cognouit ex prima. Causa huius diuersitatis est propter diuersum lumen supernaturale, quod Deus infundit in intellectibus prophetarum, quoddam enim lumen magis certificat, aliud vero minus: sicut fit in lumine naturali intellectus agentis, quia quidam per illud sufficiunt ad quasdam veritates intelligendas, alii vero ad plurimas propter excessum luminis, ita imperfectis cum in quibusdã sit maius lumen, quam in aliis magis certificantur de rebus. Et sic euenit, vt non certificetur vnus propheta per duas, vel tres reuelationes, & alius certificabitur per vnam.

De prophetia Samuelis.

Considerandum tamen circa hoc, quod quando aliquæ prophetiæ de comminationibus, vel promissionibus enunciantur super aliquem hominem, vel populum, quamquam illa absolute proferretur tam ipsi quam qui audiebant, & contra quos proferebantur, quia prophetæ ista dicentes magis credebant ista dici modo comminatorio, & secundum merita, & demerita, quam secundum firmam præscientiam. De audientibus prophetiam patet, quod Niniuitæ immediate, vt audierunt prophetiam Ionæ, scilicet, Niniue subuertendam post 40. dies, prædicauerunt ieiunium, & quod clamarent ad Deum, vt patet Ionæ c. 3. scilicet. Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus? prophetæ etiam quando ista proferebant credebant dici secundum merita, & demerita eorum, ad quos dicebantur: sic patet de Iohele Propheta: nam postquam prænunciasset tanquam Propheta omnia mala, quæ Deus prædixerat, consuluerat tanquam vir bonus, quod omnes generent, & conuerterentur ad Dominum, quia forte misereretur, cum dicitur, quis scit si conuertatur, & ignoscat Dominus, & relinquat post se benedictiones. Idem autem fuit de Iona Propheta. Nam cum Deus dixit ei, quod iret ad prædicandum Niniuen esse subuertendam, existimans, quod Deus misereretur, & non subuerteretur ciuitas ne postea haberetur tanquam Propheta mendax fugit à facie Domini nolens illuc ire, sicut patet Ionæ capit. 4. scilicet. Obsecro Domine: nunquid non hoc est verbum meum, cum adhuc essem in terra mea: propter hoc præoccupaui, vt fugerem in Tharsis: scio enim, quod tu Deus clemens, & misericors es, & ignoscens super malitiam. *Dixit ergo, & non faciet.* Ista litera debet legi interrogatiue, scilicet, Deus dixit, quod non maledicerem Hebræis, & non faciet, id est, nunquid non faciet hoc? quasi dicat faciet, quia non mutatur sicut filius hominis, nec mentitur, sicut homo. si autem legeretur ista litera sine interrogatione, esset sensus: dixit, id est, Deus dixit, quod non maledicerem Israelitis, ergo non faciet, id est, sequitur, quod non permitteret me facere, id est, maledicere: sed primum sensum tenet litera, *Locutus est, & non adimplebit?* Etiam debet legi interrogatiue, id est, Deus locutus est, quod non malediceret Israelitis: non adimplebit, id est, nunquid non adimplebit? quasi dicat, sic: quia non est sicut homo, vt mentiatur, nec sicut filius hominis, vt mutetur. Si legatur sine interrogatione est sensus: locutus, & non adimplebit, id est, locutus est Deus, quod non maledicet Israelitis, ideo non adimplebit, id est, non adimplebit in eis maledictionem suam, nec permitteret me adimplere maledictionem. Sed primus sensus est melior quia litera debet legi interrogatiue.

D

E

F

Ad benedicendum adductus sum. Ista litera est multum conueniens: non enim dixit: Ad benedicendum veni: sed, ad benedicendum adductus sum. Ex hoc quia Balaam venit, & Deus adduxit, eum: inquantum autem Balaam veniebat, scilicet, ex intentione sua agens non veniebat ad benedicendum, sed maledicendum. Nam ad benedicendum nõ recessisset de terra sua, cum rex Moab precaretur, vt veniret ad maledicendũ: Deus autem duxit Balaam, & non duxit eum ad maledicendum, sed ad benedicendum, & quia voluntas Dei erat fortior voluntate sua, non potuit maledicere, sicut volebat, sed benedixit, sicut Deus voluit.

A

Benedictionem prohibere non valeo. Et quamquam ego non vellem benedicere : tamen cogor benedicere, hoc dicebat Balaam prophetice motus à Deo : nam ipse nollet hoc confiteri si libere permitteretur loqui, sed Deus cogebat eum dicere ista ad gloriam suam, vt videretur, quod ipse habebat potestatem etiam super maleficos, & cultores dæmonum. erat autem istud, quia Deus mouebat linguam Balaam, ad formandum verba benedictionis, quamquam ipse vellet eam mouere ad formandum verba maledictionis. *Non est idolum in Iacob.* Potest dupliciter referri ad superiora, vno modo sic, Deus Hebræorum mutabilis non est: nostri autem dii, qui idola & simulachra sunt, mutabiles sunt. Si autem in Israel essent idola, & simulachra possent mutari, sed nihil tale est. Iste sensus est ad probandum, quod quia Deus Israel semel proposuit non maledicere Israelitis, nunquam maledicet eis, quia non est sicut idolum, & est sensus. Non est idolum in Iacob, id est, in Israelitis, qui vocantur Iacob. Vel de genere Iacob non est idolum, id est, non est Deus habens conditionem idolorum. Alio modo potest intelligi, quod Balaam ponat hic excusationem, quare non possit maledicere Iudæis, scilicet, ego non possum maledicere Israelitis, nisi Deus eorum irascatur eis, & velit infligere maledictionem, vt plerunque autem Deus irascitur Israelitis propter idololatriã, & tunc solet Deus maxime punire, & benedictiones promissas pro tempore illo non adimplere, nunc autem nullum idolum est in Israel, ideo nulla causa est, quare irascatur eis Deus, & mutet benedictionem, quam promisit, & hoc sumpsit Balaam tanquam principium consiliandi Balac, vt Iudæos per fornicationem induceret ad idololatriam, & sic mutaretur, & adimpleretur benedictio Dei secundum tempus illud, vt patet infra 25. capitu. Alio modo posset intelligi, quod non posset Balaam maledicere Israelitis, quia istæ benedictiones, & maledictiones sunt quædam superstitiones, quæ veniunt per doctrinam idolorum, ideo solum possunt proficere, vel nocere illis, qui colunt idola, quia Deus permittit, quod homines subiiciantur illis in pœnis infligendis, quibus in colendo subiiciuntur tãquam diis, sed in Iacob non est idolum, id est, Israelitæ, qui sunt de genere Iacob non colunt aliquod idolum, sicut aliæ gentes: ideo non est maledictio, vel benedictio efficaciæ super eos. In Hebræo habetur. non respicit iniquitatem in Iacob, id est, Deus solet irasci Israelitis propter aliquod peccatum inferendo pœnas, & mutando benedictionem, sed nunc Deus non respicit iniquitatem in Iacob, id est, non videt aliquod peccatum graue inter Israelitas, & commune : propter, quod debet maledicere, ideo non potest maledictio proferri super illos. Potest autem referri hoc ad alium sensum, vt ponatur iniquitas in recto, scilicet, quod iniquitas non respicit in Israel, & tunc accipietur iniquitas pro idolo, & est sensus, quod nullum idolum respicit Israelitas, tanquam sibi subiectos, sicut erat in aliis gentibus, quia quilibet populus erat subiectus alicui Deo, vel quælibet gens. sicut Sidonii colebant Astharthem Deam : & Moabitæ colebant Chamos, & Ammonitæ colebant Deum Moloch, atque erant subiecti istis diis, vt patet 3. Regum capit. 11. & omnia, quæ isti populi faciebant attribuebant diis suis, & sic Iepte Galaadites, cum loquebatur ad regem Ammon ait : Nonne ea, quæ possedit Chamos Deus tuus tibi iure debentur ? Quæ autem Dominus Deus noster victor obtinuit in nostram cedent possessionem, vbi comparat Iepte Deum Moabitarum Deo Israel, scilicet, quod sicut Israelitæ dicebant omnia, quæ acquirebant acquirere per Deum suum, ita Ammonitæ dicebant quæcunque haberent acquisiuisse, & possedisse per Deum Chamos : ergo dominabatur Deus ille Ammonitis. De hoc Iudic. 11. capit. & sic de omnibus aliis diis respectu suorum populorum. Differentia autem expositionis est, quia vbi nos habemus idolum, Hebræi habent, anon & significat malitiam, vel idolum: vnde dicimus bethanen, id est, domus idoli, vel domus iniquitatis, & sic secundum literam Hebraicam potest dici : Non respicit idolum in Iacob, vel non respicit iniquitas in Iacob, quia cum sit æquiuocum, possumus vti in quacunque significatione. *Nec simulachrum in Israel.* Eadem sententia est, quia idolum est nomen Græcum significans figuram rei; simulachrum autem significat similitudinem, & est nomen latinum, & tamen secundum modum accipiendi communem Idolum vocatur statua facta ex membris diuersarum specierum, vt si sit caput arietis, & corpus humanum, sicut figurabatur Libycus Ammon : & tali idolo nulla res signata correspondet, quia nulla res est, quæ talis sit, est ergo ineptum signum: ideo dicit Apostolus, quod idolum nihil est in mundo primo ad Corinth. capit. 8. id est, nihil correspondet tali imagini: ergo illa statua inquantum imago, vel signum nihil est, quia esse eius est ad illud quodammodo se habere secundum conditionem relatiuorum. impossibili autem signato in rerum latitudine impossibile est signum, sicut est in omnibus aliis relatiuis, simulachrum autem est similitudo alicuius rei existentis, & sic dicitur frequenter simulachrum solis, & dianæ, vnum tamen aliquãdo pro alio sumitur, nec est in hoc certa regula, & dicitur simulachrum à similitudine rei quam gerit : sicut idolum dicitur ab idos, quod est forma, id est, figura, quia rei figuram repræsentat.

Dominus Deus eius cum eo est. Id est, nullum idolum est in Iacob nec simulachrum quod colant, sed solum Deum suum, qui semper est cum eis, & ista particula correspondet vltimo sensui, scilicet, quod maledictio, & benedictio efficaces sunt super gentes illas, quæ idola colunt: Israel autem non colit idolum, vel aliquod simulachrum, sed Deus eius est semper cum eo, id est, Deum suum colit non mutando alium Deum, qui semper est cum illo, vnde maledictiones, & benedictiones nostræ non prosunt, nec obsunt illis. Et dicitur, quod Deus eius est cum eo, id est, Deus qui est sibi proprius, quasi dicat, aliæ gentes non colunt talem Deum, sed solus Is l: aliæ autem gentes ad idola declinabant. sic patet Psalm. 75. Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomẽ eius, & factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Syon, id est, Deus iste habuit habitationem suam in Syon, id est, in monte Syon, sc. in templo, quod erat in Ierusalem.

Et clangor victoriæ regis in illo. Id est, sonitus buccinarum ad victoriam regalem est semper in Israel. Dicitur autem de clangore isto, quia Deus iusserat fieri duas tubas argenteas ductiles, vt patet supra capit. decimo, & istæ erant ad vocandam multitudinem ad concilium, vel ad vocandos principes, vel ad pugnam, quia quando irent ad pugnam, deberent clãgere in illis, vel quando mouerent castra, aut quando facerent conuiuia, vel solennitates, vel potest referri hoc ad actum bellicum, scilicet, quod volebat rex Moab, quod Balaam malediceret Israelitis, & postea ipse posset pugnare contra illos.

Respondet Balaam, quod non poterit, quia clangor victoriæ est in Iacob, id est, buccinæ sunt in Israel, quibus clangitur ad bellum, & illæ sunt buccinæ victoriæ, id est, ad habendam victoriam, quia Deus iusserat, quod quandocunque pugnarent contra hostes clangerent in illis buccinis, & Deus recordaretur illorum dans eis victoriam, vt patet supra capit. 10 scilicet, si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes, qui dimicant aduersus vos, clangetis vlulantibus tubis, & erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, vt eruamini de manibus inimicorum vestrorum. Vel aliter : clangor regis est in illo, id est, sonitus tubarum regalium est in Israel, & est sonitus iste manifestatio victoriæ Dei sui, qui rex est inter eos: nam manifeste cognoscunt, quod Deus pro eis pugnat, vt patet Exod. cap. 14. scilicet, Deus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Et Exod. cap. 17. de bello quod factũ est contra Amalechitas, vbi Deus pugnabat propter orationes Moysi. Aliter potest dici, quod ista particula non faciat directe ad sententiam superiorum. sed solum ponitur ad laudem Hebræorum, scilicet, dixerat, quod Deus erat semper cum Israelitis, quod erat magna laus cum non haberent idola, sed Deum verum: etiam dixit, quod clangor victoriæ regis est in illo, id est, semper habet secum clangorem tubarum regalium. Et iste sonitus est semper in Israelitis, quia quando mouebant castra semper clangebant buccinis, vt patet supra capitu. decimo. Et quamquam clangor buccinarum ad mouendum castra non esset clangor victoriæ cum ibi non esset aliqua pugna, tamen vocatur clangor victoriæ, quia illis eisdem buccinis vtebantur Israelitæ ad bellum, quando vincere debebant. *Deus eduxit eum de Aegypto.* Ista possunt poni ad laudem Israelitarum non referendo ad superiorem sententiam, scilicet, quod Israelitæ erant valde laudabiles, quia Deus eduxit eos de Aegypto, & fortitudo illius magna est. Alio modo

Quòintelligitur an sit idolũ in Israel & reddantur multæ rationes à Balaã quare non possit maledicere Israelitis.

Litera Hebraica.

Idolum nihil significare.

A *Rhinoceros. i. vnicornis aliu[illegible] f[illegible] sim[illegible] cui comparatur fortitudo Dei.*

poteſt referri ad ſuperiora, ſcilicet, quod non poterat Balaam maledicere Iſraelitis, quia Deus prohibebat, & hoc, quia habebat magnam curam de eis. Nam tantum eos dilexit, quod eduxit illos de Aegypto faciendo mirabilia magna ſuper Pharaonem, & totum Aegyptum: ideo non eſt veriſimile, quod eos permitteret maledici. *Cuius fortitudo eſt, vt rhinocerotis.* Id eſt, fortitudo Dei eſt tanquam fortitudo rhinocerotis, ſcilicet, quia effugit potentiam eius, & hoc continuatur ad præcedentia, quia dixerat, quod Deus eduxerat Iſraelitas de Aegypto, & ad hoc indigebat magna potentia, ideo dixit, quod fortitudo Dei erat tanquam fortitudo rhinocerotis, quia illa maxima eſt in animalibus. Dicitur autem rhinoceros animal, quod apud nos vocatur vnicornis, qui habet vnicum cornu in fronte: omnia autem animalia timent illud, nam & leones ſe abſcondunt illo viſo. Eſt autem fortiſſimus, & impetuoſiſſimus inter omnia animalia. Vnde Iob de eo tãquam de fortiſſimo omnium loquitur 49. capit. ſcilicet, nunquid volet rhinoceros ſeruire tibi aut morabitur ad præſepe tuum? nunquid alligabis rhinocerota ad arandum loro tuo: aut confringet glebas vallium poſt te? nunquid fiduciam habebis in magna fortitudine eius, & derelinques ei labores tuos? nunquid credes ei, quod reddat ſementem tibi, & aream tuam congreget? Dicitur autem rhinoceros à rhinos, quod eſt naris, & ceros quod eſt cornu quaſi habens cornu in naribus. B Poteſt autem hoc referri ad populum Iudaicum ſecundum alios, qui erat fortis in conterendis hoſtibus, vt leo, & & leæna, vt patet hic, & cap. ſequenti, ſed magis refertur iſta litera ad Deum, quia hic dicitur, quomodo potuerit educere Iſraelitas de manu Pharaonis, & omnium deorum Aegyptiorum. Nam in Aegyptiis, & in diis eorum iudicia fecit, vt patet infra 33. c. & in hoc patuit ſua magna fortitudo.

Non eſt augurium in Iacob. Iſta eſt laus populi, & poteſt referri iſta littera ad duo, vno modo, quod detur cauſa, quare non poterant Iſraelitæ maledici per Balaam. Alio modo, quod aſſignetur differentia inter Iſraelitas, & reliquos populos ad laudem ipſorum. Primo modo eſt ſenſus, quod non poterant Iſraelitæ maledici, quia iſtæ maledictiones ſunt per auguria, & diuinationes, ideo non habent efficaciam, niſi ſuper gentem illam, quæ vacat auguriis, & diuinationibus, ſed in Iſraelitis non erat diuinatio, nec augurium: ideo nõ poterant maledici per maledictionem Balaam. Secundo modo eſt ſenſus referendo ad laudem populi, quod iſte populus erat excellentior aliis, quia reliqui non poterant cognoſcere aliquid occultum, niſi per auguria, & diuinationes, & iſti ſunt modi imperfecti, quia non faciunt cognoſci veritates ſufficienter: Iudæi autem non cognoſcebant veritates aliquas per auguria, & diuinationes, ſed per reuelationem diuinam, quæ certiſſima, iõ perfectior erat atque laudabilior cæteris populis.

Populꝰ Iſrael erat excellẽtior aliis.

Nec diuinatio in Iſrael. Iſtud ad idem pertinet, ſed repetitur eadem ſententia: ponuntur autem duo modi maleficiorũ, ſcilicet, augurium, & diuinatio, non quidem, quod aliæ gentes ſolum per iſtos inquirerent, quia per omnes alios illicitos modos inquirebant. Nec etiam erant iſti principaliſſimi, ſed poſiti ſunt, quia litera debebat ponere duos propter replicationem ſententiæ: ideo poſuit duos, quos voluit, quia non magis referebat hos quam alios poni. C Dicitur autem augurium inquiſitio veritatis per garritum, & motum auium, quamquam generaliter augurium vocemus vulgariter loquentes omnem ſuperſtitioſam obſeruationem: diuinatio eſt prædicere veritates occultas: cum aliqui eas quomodocunq; cognouerunt, & poſtea aliis quaſi ex ſeipſis illas reuelant. De augurio dictum eſt Leui. c. 19. De diuinatione habet Deutero. 18. cap.

Auguriũ, & diuinatio duo modi maleficiorum quid ſint.

Temporibus ſuis dicetur Iacob, & Iſrael quid operatus ſit Deus. Iſta eſt cauſa ſuperioris dicti, quaſi dicat, ideo non indigent Iſraelitę auguriis, vel aliis ſuperſtitioſis inquiſitionibus, quia quocunque tempore conueniens eſt eis aliqua ſcire immediate Deus reuelat, vt patet in Moyſe, qui quando interrogabatur de aliqua re dubia, dicebat: expectate modicum, & videbo quid præcipiat Dominus, vt patet ſupra cap. 9.

Quomodo Deus reuelabat Iſraelitis omnia dubia ad eos ſpectantia diuerſimode: & quomodo conſulebat Deum Moyſes, & quomodo ſummus ſacerdos. D

QVÆSTIO X.

QVod autem reuelaretur Iſraelitis id, quod conueniens eis erat, ſtabat dupliciter, quia aliquando reuelabatur ad inquiſitionem eorum: aliquando vero eis non inquirentibus: primus modus erat duplex, ſcilicet, per Moyſen, & per ſacerdotem magnum. De Moyſe dicendum, quod ipſe erat valde familiaris Deo, & quandocunq; volebat aliquid inquirere à Deo ad vtilitatem totius populi, vel propter ſeipſum, introibat in Sancta ſanctorum, & ibi audiebat vocem reſpondentis Dei de propitiatorio inter Cherubim, vt patet ſupra 7. cap. & poterat ingredi illuc quandocunque vellet, ita vt nullum tempus eſſet, in quo Iudæi habere non poſſent reſponſionem de dubiis ſuis. Alio modo cognoſcebatur hoc per ſummum ſacerdotem. Sic enim dictum eſt, infra 27. cap. vbi iuſſit Deus, quod ſi quid agere deberet Ioſue conſuleret Dominum pro eo Eleazar Sacerdos: & iſte erat Sacerdos magnus, ergo habebat reſponſionem à Deo, quia alias non poſſet dicere, quid agere deberet Ioſue, & iſtud erat dupliciter, quia aliquãdo fiebat ſemel in anno ex conditione cæremoniarum legis: & aliquando fiebat propter neceſſitatem, vel vtilitatem quãdocunque ſummus Sacerdos iudicaret bonum eſſe conſuli Dominum.

Primus modus erat in die propitiationis, qui erat ſemel in anno. & ibi ſacerdos introibat in Sancta ſanctorum, & habebat reſponſum à Deo, loquente ſibi Angelo de propitiatorio, vnde propter hoc iubebatur ne cum ſummus ſacerdos ingrediebatur in Sancta ſanctorum ſtaret quiſquam in prima parte tabernaculi, ſcilicet, ne audiret voces, quæ formabantur ſuper propitiatorium, vt declaratum eſt Leuit. 17. capitu. Hoc autem erat ſolum ſemel in anno, vt patet ad Hebræ. ca. 9. & hoc quia iſta feſtiuitas celebrabatur ſolum ſemel, vt patet Leu. cap. 16. E

Secundo modo fiebat inquiſitio per ſummum ſacerdotem quando ipſe iudicabat conueniens eſſe inquiri, & poterat fieri hoc quotidie, & non introibat ſummus ſacerdos intra ſancta Sanctorum, nec etiam requirebatur, quod introiret in Sanctuarium, ſed vbicunque haberet rationale, & ſuperhumerale poterat conſulere Dominum, & ſciebat veritatem, induebat enim ſe ſummus Sacerdos ſuperhumerali, & rationali, quæ colligata erant, & cum quæreret veritatem Dominus reſpondebat, vt patet de Abiathar ſacerdote, qui inquiſiuit Dominum pro Dauid cum eſſent in Ceila applicito Ephod, id eſt, ſuperhumerali, vt patet primo Regum cap. 23. & propter hoc dicebatur Exod. 28. cap. quod ſummus Sacerdos geſtabat iudicium filiorum Iſrael in pectore ſuo, id eſt, geſtabat rationale per quod reſpondebatur ſibi ad omnia, quæ inquirebat. F Quis autem autem modus eſſet cognoſcendi veritates per rationabile declaratum eſt Exod. 28. cap. Et cum eſſent aliqui prophetæ, qui veritates à Deo reuelatas prædicerent, vtebantur Iſraelitæ modo hoc cognoſcendarum veritatum; ideo iuſſit Deus, quod poſt mortem Moyſi conſuleret Eleazar ſacerdos Dominum pro Ioſue quandocunq; aliquid facere deberet, infra cap. 27. & hoc quia nullus erat tunc propheta cum mortuus eſſet Moyſes.

Secundus modus principalis conſulendi Deum. Qualiter Iudæis reuelabãtur veritates eis non interrogantib.

Secundus modus principalis, quo Iſraelitæ ſciebant veritatem, erat per ſolam reuelationem ſine aliqua inquiſitione, & hoc erat cum Deus aliquid prænunciabat, vel iubebat Iſraelitis eis non inquirentibus ipſum, & hoc erat dupliciter: vno modo quando reuelabat toti populo: alio modo, quando reuelabat alicui prophetæ, qui aliis denunciaret. Primus modus rariſſimus erat, ſcilicet, quod Deus, id eſt, angelus eius loqueretur ad totum populum: ſolum enim reperitur bis hoc fuiſſe factum.

Primo modo in monte Sinai, quando lex data eſt, quia totus populus audiuit ibi vocem Dei loquentis in tuba, & orauit ne vltra audiret vocem Domini, quia timebant mori oẽs audientes, ſed quod loqueretur eis Moyſes, vt patet Exod. 20 & Deuteronom. cap. 5. & tunc promiſit Deus, quod ipſe eis amplius non loqueretur, ſed daret eis prophetas, qui reuela-

rent

A

rent ea, quæ ipſe diceret, vt patet Deu. 18. poſt multum autem tempus, ſcilicet, poſt mortem Ioſue locutus fuit Angelus Domini ad totum Iſrael increpando eos, quod violaſſent legẽm Domini, & prædixit eis mala futura ſuper ipſos, vt patet Iudi. cap. 2. non legitur autem Deus, vel Angelus eius locutus fuiſſe alias toti populo. Secundus modus reuelandi veritates erat cum Deus loquebatur alicui ſpiritualiter non inquirenti, vt ipſe toti populo reſponderet, & iſtud erat in prophetis: ſic fuit toto tempore Moyſi poſtquam Deus locutus eſt in Sinai, ſ. quod loqueretur Deus ad Moyſen, & iuberet ei referri illa ad totum populum, vt patet ex proceſſu quatuor librorũ vlti. Moyſi, & hoc fuit, quia Iſraelitæ petierunt vt vltra non loqueretur eis Deus, ne morerentur, vt declaratum eſt. ſic etiam fuit in omnibus poſterioribus temporibus dum fuerunt prophetæ in Iſrael.

De quatuor modis cognoſcendi prophetice, ſeu reuelandi.

QVÆSTIO XI.

MOdus autem iſte reuelationis propheticæ erat quadruplex: quibuſdam enim reuelabantur veritates per ſolam reuelationem alias eleuationem intellectus: aliis per ſolam phantaſiam eleuatam. aliis vero per immutationem factam in ſolo ſenſu auditus: aliis etiam per immutationem factam tam in auditu quam in viſu.

B *Primus modus eſt ecſtaſi*

Primus modus eſt per ſolum intellectum eleuatum, ſcilicet, quando non facta aliqua mutatione in ſenſibus exterioribus, nec in phantaſia homo recipit in vigilia aliquas mutationes, quia tunc ſolus intellectus manet, qui poſſit immutari, & iſte modus eſt excellentior in prophetis omnibus aliis, cum fiat illuſtratio in parte excellentiori, vt declaratum eſt ſupra capit. 12. & ſubdiſtinguitur iſte modus, quia aliqui habent reuelationem per immutationem intellectus, & tamen nihil patiuntur in corpore, & hoc eſt cum non reuelatur prophetæ aliquid valde magnum, ad quod tota anima conuertere ſe debeat, quia tunc poteſt vacare aliis operationibus animalibus, & vegetatiuis: & ſic non poteſt fieri aliqua mutatio in homine, per talem illuſtrationem, ſicut cum nos aliquid in vigilia intelligimus, quia anima tunc vacat omnibus operationibus ſenſitiuis, & vegetatiuis.

C

Alius modus eſt cum per reuelationem intellectus fit aliqua paſſio, vel defectus in corpore, quamquam directe non fiat immutatio in corpore, ſed illuſtratio in intellectu: ſic enim eſt in illis, qui ſunt in raptu, ſiue ecſtaſi, quia tunc cognoſcunt aliquod magnum intelligibile, & tamen non habent aliquid ſenſationis, vel vegetationis apparẽtis. Fit autem hoc cum anima prophetę eleuatur ad intelligendum aliquod magnum intelligibile, ſicut ſi eleuetur ad diuinam eſſentiam videndam clare, quę eſt maximum inter cognoſcibilia: nam tũc anima non poterit cognoſcere illam niſi totaliter attendat ad illam, & quia anima noſtra eſt poteſtatis finitæ neceſſe eſt, quod cum in plura diuidatur minor ſit ad ſingula, & quia anima noſtra vacat ſimul operationibus vegetatiuis, & ſenſitiuis, & intellectiuis, neceſſe eſt quamlibet iſtarum minorem eſſe quam ſi ei ſoli vacaret. Sic patet de operatione vegetatiua, quæ eſt in ſomnis digerendo: nam ſemper anima digerit quandiu aliquid digeſtibile eſt, niſi ſit virtus naturæ debilitata, & tamen videmus, quod fortius digerit homo, & breuiori tempore per ſomnum, quam in vigilia. Cauſa huius eſt, quia in ſomno anima ceſſat ab operationibus intellectiuis, & ſenſitiuis, quæ ſunt animales, & vacat ſolis operationibus vegetatiuis, quæ dicuntur naturales: ſic ait Ariſt. 2. de ſomno & vigilia. ſomnus eſt quies virtutum animalium cum intenſione naturalium.

Somnus quid. Ecſtaſis quid.

Conformiter erit circa operationem intellectiuam, ſcilicet, quod ſi anima vacauerit illi ſoli non vocando operationibus naturalibus, nec ſenſitiuis, fortius intelligit, quam alias, ſcilicet, cum aliquando ſit valde magnum intelligibile, ad quod anima non ſufficiat cum vacauerit operationibus ſenſitiuis, & vegetatiuis, neceſſe eſt, vt abſtrahatur ab omnibus iſtis: & ſoli intellectioni vacet. Et dicitur homo eſſe tunc in raptu, vel in ecſtaſi, quia quamquam anima ſit in corpore nullam habet apparentem operationem vitalem, quia nec videt, nec audit, nec tangendo ſentit: iõ tunc poterit homo iugulari, vel comburi, ſed ſentire non poſſet, & tamen anima in corpore eſt: occupata tamen operationibus intellectiuis non vacat aliis, & quia diuina eſſentia clare cognita eſt maximũ cognoſcibile, & requirit maximam attentionis potentiarum cognitiuarum, neceſſe eſt, quod ſi aliquis viuens dẽt clare cognoſcere diuinam eſſentiam, quod rapiatur ſiue ponatur in ecſtaſi: alioquin non correſpondebit ſummo cognoſcibili ſumma attentio potentiæ cognoſcentis, quod falſum eſt: vnde ſi aliquis deberet diuinam eſſentiam cognoſcere, & nõ raperetur, non poſſet illam cognoſcere quantumcunque ſe Deus illi demonſtrare vellet, quia eſſet defectus ex parte potentiæ cognitiuæ: & propter hoc dicimus de Paulo & de Moyſe, quod rapti fuerunt, quia de vtroq; concedimus, quod diuinam eſſentiam clare viderit, & iſte modus directe non fit per aliquã immutationem in parte exteriori, quia non imprimitur aliqua ſpecies in phantaſia, nec in ſenſib. exteriorib. fit tñ per accidẽs aliqua immutatio, & defectus in corpore, cum anima, quę ante hoc vacabat operationib. ſenſitiuis, & vegetatiuis iam non vacet illis. Videbitur ẽt quod magis eſt corpus iſtud eſſe frigidum, quia actio calefaciendi, quæ eſt vegetatiua, ſcil. diffundendo calorem, qui eſt inſtrumentum animæ per totum corpus redditur caro quaſi gelida: & ſic apparet homo vere mortuus nec indiget homo tũc cibo, & potu. Etiamſi ſic per multos dies maneat, quia ibi non fit deperditio continua per actionem calidi naturalis in humidum radicale, cum iſta actio ſuſpenſa ſit, quia pertinet ad vegetationem. Pertinet aũt vterq; iſtorum modorum ad primum modum reuelationis prophetice, qui fit per ſolius intellectus illuſtrationem. Secundus modus reuelationis propheticæ eſt per ſolam phantaſticam immutationem, & iſtud eſt ſolum in ſomniis, quando Deus immittit aliquas nouas ſpecies in phantaſia prophetæ, & per illas intelligit aliquid quod ante non intelligebat, vel aliquæ ſpecies, quæ erant in phantaſia prius immutantur à Deo ſpecialiter ita, vt aliquid per illas propheta intelligat, & tunc ſola immutatio phantaſia eſt, quia intellectus nihil diiudicat de his, quæ in phantaſia tunc ſunt: impoſſibile eſt. n. quemquam in ſomno aliquid intelligere: immo includit contradictionẽ, cum ſomnus ſit quies virtutum animalium, iuxta Ariſto. Sed poſtea cum propheta euigilauerit cognoſcit ea, quæ per ſomnium reuelata ſunt manentib. veſtigiis immutationis factæ per noctem in phantaſia. Sic. n. fit in nobis, quando ſomniamus: nam tunc in ſola phãtaſia motus eſt, & nihil intelligimus, ſed cum euigilauerimus cognoſcimus ea, quæ ſomniauimus relictis veſtigiis in phantaſia. Differt tamen, quia immutatio illa, quæ fit per ſpecies à Deo immiſſas, eſt fortior, velut ſi aliquis realiter illa videret, quæ ſomniat, & manent certiſſima veſtigia illius immutationis poſtea in vigilantib. ita vt cognoſcant manifeſte ſe à Deo fuiſſe immutatos. Et iſte modus erat communiſſimus inter prophetas, ſc. quod per ſomnia acciperent reuelationem, vt patet ſup. 12. c. ſc. ſiquis fuerit propheta Domini inter vos, per ſomnium loquar ad illum, vel in viſione apparebo ei. Sic ẽt ſignificatur Iohelis c. 3. cum dicitur de prophetis, ſcil. & poſt hæc effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ: ſenes veſtri ſomniabunt ſomnia, & iuuenes veſtri viſiones videbũt: maxime aũt apparuit hoc in Daniele, qui quaſi omnia, quæ cognouit per ſomnium accepit, vt patet Dan. c. 7. ſcil. Daniel ſomnium vidit viſionem aũt capitis eius in cubili ſuo, & ſomnium ſcribens breui ſermone comprehendit. Et iterum: videbam in viſione mea nocte. Et iterum: Poſt hæc aſpiciebã in viſione noctis. Et ſic multoties in eod. c. & in aliis. Vnde dari põt regula, quod quandocunq; prophetæ dicunt ſe vidiſſe aliquas figuras, vel actus, illud erat ſecundum prophetiam, quæ eſt in ſomnio, quia in phantaſia conuenientiſſime repreſentantur iſtæ figuræ.

D

E *Secũdo modus.*

In ſomno nihil intelligi poteſt.

F

Tertius modus reuelationis propheticæ eſt per impreſſionem alicuius in parte exteriori in organo auditiuo. Et hoc fiebat cum Angelus in aliquo corpore aſſumpto formabat voces, quas audiebant prophetæ: & tamen nihil videbant. Sic patet in Moyſe, quando audiebat ad oſtium tabernaculi loquentẽ Angelũ Domini de colũna nubis: & hoc ſiue in tabernaculo ſuo paruo quod tetẽdit extra caſtra antequã fabricaretur tabernaculũ Dñi: ibi. n. deſcẽdebat colũna nubis ad oſtiũ, & loquebatur Moyſi videntibus omnibus Iſraelitis: Exod. 33. capit. ſiue in tabernaculo magno Domini, vbi loquebatur ei

Tertius modus.

Deus

A

Deus apud ostium tabernaculi: Exod. 19. cap. & hoc erat descendente columna ad ostium illud supra capit. 12. nec solum fiebat hoc in Moyse, sed in multis aliis, quia quando vocauit Deus Aaron,& Mariam,descendit nubes ad ostium tabernaculi,& ibi locutus est eis Deus supra capit.12. & hoc modo locutus fuit Deus toti populo in monte Sinai in datione legis, vbi solam vocem audierunt, & figuram nullam viderunt, vt patet Deuter.cap. 4. Quartus modus reuelationis propheticæ erat per apparitionem extra factam,& per locutionem, scilicet, quia Angelus sumeret aliquam effigiem visibilem de aere, & in illa apparens loqueretur: sic fuit aliquando in Iosue,vt patet Iosue capitu. 5. cum apparuit ei Angelus in agro Ierico euaginatum gladium habens,& locutus est ad eum:sic etiam fuit in Balaam, cui apparuit Angelus in via euaginato gladio eum volens occidere,vt patet præcedenti cap. Est autem sensus literæ huius. *Temporibus suis.* Id est,temporibus debitis,vel necessariis. *Dicetur Iacob.* Id est,omnibus Israelitis, qui veniunt de Iacob. *Quid operatus sit Dominus.* Id est, quid Deus debeat facere pro eis, quasi dicat, omnia necessaria eis reuelabuntur illis conuenienti tempore. *Ecce populus,vt Leæna consurget.* Ista est prophetia de statu futuro Iudæorum, scilicet quod ipsi insurgent feroces contra omnes hostes suos, sicut Leænæ. De Leæna propter ferocitatem: fortior enim est Leæna, quam Leo,si filios sublatos fuisse sibi reperiat: ideo dicitur ad significandum aliquando magnam ferocitatem in prophetis. Occurram eis tanquam Leæna raptis catulis. Fuit enim populus iste ferox:quia non solum prostratorum spolia tulit:sed etiam omnes gladio laniauit: sic enim iusserat Deus, quod nulli parcerent de Chananæis, nec facerent cum eis pactum:sed omnes gladio trucidarent Deuter.cap.20.& quia hoc non plene fecerunt Iudæi, tradidit Deus illos in magnas calamitates,vt patet Iosue cap.22.

Quart' modus.

B

Et quasi Leo erigetur. Ad eandem sententiam pertinet. Significat enim erectio Leonis suam fortitudinem, & impauiditatem,quia non timet occursum alicuius rei. Sic patet Prouerb. 30. capitu. Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum. Potest autem ista litera intelligi referendo ad superiora,scilicet, quod Balaam non posset maledicere huic populo,quia Deus erat illi tanta bona collaturus,vt esset fortis contra alios populos,sicut Leæna,& Leo. Quomodo ergo posset maledicere illi? Sed primus sensus est melior. *Non occubabit donec deuoret prædam.* Metaphora est de Leone transumendo ad totum populum, quia Leo postquam surrexit ad prædam nō accubat quousque aliquid ceperit, id est,non cessat inquirere vsquequo apprehendat:ita Hebræi cum introirent in terram promissionis,non quieuerunt à pugna captis quibusdam locis, sed semper erant in bellica expeditione quousque acquisiuerunt totam terram quam acquisituri erant, vt patet de terra duorum regum Amorrhæorum. nam postquam ceperunt terram regis Sehon non immediate quieuerunt, sed inuaserunt terram regis Og, quam etiam acceperunt, & adhuc non manentes ibi transierunt vltra Iordanem ad occupandas regiones Chananæorum, & nō quieuerunt quasi per septem annos à bellis quousq; acceperunt totam terram,quam acceperi erant,vt declaratum est Iosue 14.

C

An Israelitæ prius accubuerint,quam ceperint prædam.

QVÆSTIO XII.

SEd Aliquis arguet, quod prius accubuerunt, quam caperent prædam, quia prius requieuerunt in terra Chanaan, quam eam totam acciperent,vt patet Iosue capit. 13. nam iam Israelitæ cessauerunt à bellis,vt patet Iosue cap. 11. & diuiserant inter se terram captam, & tamen nondum ceperant totam terram Chananæorum, vt patet Iosue capit. 13. & tamen iussit Deus, quod illa terra quamquam nondum esset capta diuideretur,vt patet ibidem.

Respondendum est,quod Israelitæ prius quam cessarent à bellis acceperūt totam terram,quam accepturi erant, quamquam non acceperint totam terram promissionis. Et hoc, quia Deus prædixerat eis, quod non traderet illis simul, vel anno vno totā terrā Chanaan quia ipsi erant pauci,& nō possent eam occupare, & repleretur bestiis cum redigeretur in syluam:ideo dixit, quod paulisper, & per partes daret terram illam ipsis: totam autem non traderet, quousque essent aucti ad magnum numerum,vt patet Exod.cap.23.& Deu.7.&quia Israelitæ acceperunt totam terram, quam à principio accepturi erant, prius quam accubarent, etiamsi non acceperint totam terram promissionis: verum est, quod non accubuerunt,donec deuorarent prædam. Vel potest hoc intelligi de Moyse, quia frequenter Scriptura transit de toto corpore ad caput, vel de capite ad omnia membra secundum septem regulas Ticonij de modo exponendi sacram Scripturam. Erat autem Moyses caput totius Israel,ideo dicitur, quod non accubabit,id est,non morietur donec deuoret prædam, id est, donec accipiat spolia Madianitarum, qui erant hostes Israel, & peccare illum fecerant in idololatria,& fornicatione,vt patet infra capit. 25. ideo dixit Deus Moysi. vlciscere prius filios Israel de Madianitis, & sic colligeris ad populum tuum, id est, non morieris, quousque vlciscaris filios Israel de Madianitis.

D

Et occisorum sanguinem bibat. Continuatio metaphoræ est, scilicet,quod Leo,quando apprehendit prædam bibit sanguinem eius,& sic non accubat, quousque bibat sanguinem occisorum: ita de Israelitis dicitur, quod biberent sanguinem occisorum non secundum veritatem, quia istud horrendum facinus erat,sed dicuntur bibere,id est, delectabiliter fundere. Delectabantur enim in effusione sanguinis hostium: non ex crudelitate, sed ex diuino præcepto, & voluntate, vt Samuel occidit regem Agag Amalechitarum laniando eum in frusta, vt patet 1. Reg. capitu. 15. sic etiam Elias interfecit quadringentos quinquaginta Prophetas Baal manu super torrentem Cyson,vt patet 3.Reg.cap.18.& sic habetur Psa.57 Lætabitur iustus cum viderit vindictam, & lauabit manus suas in sanguine peccatoris.

Gloriandum est in occisione malorū

E

Dixitque Balac ad Balaam: Nec maledicas ei, nec benedicas. Et ille nonne ait dixit tibi,quod quidquid mihi Deo imperaret,hoc facerem? Et ait Balac ad eum: Veni, & ducam te ad alium locum: si forte placeat Deo, vt inde maledicas eis. Cumque duxisset eum super verticem montis Phegor,qui respicit solitudinem,dixit ei Balaam: Aedifica mihi hic septem aras,& para totidem vitulos,eiusdemque numeri arietes. Fecit Balac,vt Balaam dixerat:imposuitq; vtulos,& arietes per singulas aras.

Aedificat septē aras Balaam tertio.

Dixitque Balac ad Baalam non maledicas ei,nec benedicas. Videbat enim Balac,quod benediceret Balaam Israelitis: ideo dixit non maledicas ei, nec benedicas, id est, si non potes eum maledicere ita vt mala sibi euenire facias, vel futura prænuncias,ad quod ego induxi te,saltem non benedicas, id est, non inducas ei bona, vel non prænuncies ei esse futura. Putabat enim rex Balac, quod Balaam ariolus haberet potestatem maledicendi,& benedicendi: tamen nunc priuabatur à Deo, vel impediebatur maledicere,ideo cum benediceret,putabat benedictionem illam esse efficacem. Vnde orabat ne benediceret, quia sic existimabat aliquod bonum profuturū Iudæis, & ipsi atque populo suo aliquod malum euenturum. Et tamen benedictio,vel maledictio Balaam ad nihil efficax, vt supra declaratum est.

F

Et ait ille: nonne dixi tibi, quod quidquid Deus mihi imperaret hoc facerem. Quasi dicat, non debes mihi imponere culpam, quia ego dixi tibi à principio, quod non possem facere aliud, nisi quod Deus mihi iuberet, & sic quamquam ego maledicere velim, non permittor: non debet autem intelligi litera ista,quod Balaam faceret quidquid Deus iuberet, id est, nollet facere aliquid alterum,quia nolebat offendere Deum, sed quia non poterat aliud facere, etiamsi conaretur ad illud, vt patet supra in litera,& supra præced.c.

Et ait Balac ad eum. Hic ponitur tertium huius cap. scilicet, tertius ad maledicendicendum conatus. Nam quamquam non potuerit Balaam maledicere duabus vicibus præcedentibus, non erubuit iterum aggredi cæremonias ad maledicēdum:ad hoc tamen eum suasit Balac rex.

Veni, & ducam te ad alium locum. Scilicet iste locus est nobis infortunatus:eamus in alium locum,qui erit forsasis conuenientior operationi nostræ.

Si forte placeat Deo,vt inde maledicas eis. Id est, Deus noluit nos

adiuuare

adiuuare in locis iſtis, forte tamen adiuuabit nos in aliis locis: ideo mutemus loca.

A

Dicet aliquis, quod in hoc multum errabat Balac exiſtimans, quod Deus conſequeretur conditionem temporum: vel locorum: & in vno tempore, vel loco aliquid permitteret, quod nequaquam permittebat in alio. Sed hoc non ſtat, quia Deus non eſt aliquid corporale, ſed purus ſpiritus, & ſpiritualia non patiuntur à corporalibus. Hoc tamen non intendebat Balac, quia non expreſſit Deum cogi, vel induci ex conditione temporum, vel locorum, ſed liberam eſſe voluntatem ſuam vbicunque, vt patet cum dixit: ſi forte placeat Deo, vt inde maledicas eis. Erat tamen ſuperſtitioſus, quia putabat, quod forte placeret Deo maledicere ex vno loco, cum non placuiſſet maledicere ex alio, ſed iſte error grauis eſt, quia voluntas Dei immutabilis eſt, forte aũt dixit hoc rex Balac ex cõditione dæmonũ. quia dæmones in aliquib. locis faciebant, q̃ in aliis locis facere non poterant vel nolebant, & hoc vt inducerent hões ad ſuperſtitioſas obſeruationes locorũ. Forte aliquis dicet, q̃ in hoc obſeruabat Balac modum Philoſophorum, qui dixerunt Deum, ſiue primum motorem non eſſe infinitum ſecundum potentiam, & eſſentiam, ſed ſolum ſecundum durationem: & quod Deus nõ poterat facere contra ordinationem totius orbis, & quia forte locus ille non erat talis influentiæ qualis conueniens erat ad maledictionẽ, non placebat Deo maledicere in loco ipſo. Sed primum magis ſtat, quia placere inducit libertatem. quæ autem libera ſunt, non ſubduntur naturæ, quæ agit vniformiter, & non libere: ideo magis erat ſuperſtitioſus, quam aliter errans.

Balac non intelligebat Deũ poſſe cogi: erat tamen ſuperſtitioſus

B

Cumque duxiſſet eum ſuper verticem montis Phegor. Conſenſit enim Balaam, quod irent in alium locum, vt inde maledicerent, & de iſto loco dicendum eſt, ſicut de cæteris, quod viderent Iſraelitas inde Balaam, & Balac, quamquam non exprimatur hic, quia in omnibus ſuperioribus ibant ad locum, de quo viderent Iſrael. Et dicitur, quod duxit eum ſuper verticem montis Phegor, qui non erat alius mons ab eo, in quo prius ſteterant, ſed erat alia pars montis: & non vocatur mons Phegor quaſi iſtud ſit nomen proprium eius, vt aliqui volunt, ſed erat nomen idoli habentis templum in monte illo. Et vocatur illud idolum Phegor, vel Beelphegor. Et hoc patet Deuteronom. cap. 3. vbi cum agatur de hoc dicitur: Manſimuſque in valle contra fanum Phegor. Huic idolo immolauerunt Iudæi, quia in deſcenſu iſtius montis erant Madianitides, & Moabitides puellæ ornatæ cum holocauſtis, & victimis immolatis Deo ſuo, de quibus comederunt Iudæi, vt permitterentur fornicari cum puellis illis. Aliqui autem dicunt è contrario, ſcilicet, quod mons ille vocatur Phegor. ſiue pars montis: & ab illo dictum eſt idolum Beelphegor: & ſignum huius eſt, quia non inuenitur iſtud nomen Beelphegor, niſi vbi fit mentio de iſta immolatione, vt patet Pſal. 105. vbi hoc commemoratur. Vel poteſt dici, quod Beelphegor non ſit vna dictio, ſed duæ: & eſſet Phegor in genitiuo, ſcilicet, Beelphegor, id eſt, Deus Bel de monte Phegor. Et ſic dicitur præcedenti capitu. quod Balac duxit Balaam ad excelſa Baal, id eſt, ad altitudinem montis, in quo colebatur Baal.

Phegor nomen idoli.

C

Qui reſpicit ſolitudinem. Id eſt, mons iſte erat inclinatus contra ſolitudinem. ſic dicitur ſupra cap. 21. de monte Phaſga, qui eſt idem cum iſto, qui reſpicit contra deſertum, & poteſt hic accipi ſolitudo pro parte illa terræ duorum regum Amorrhæorum, in qua nunc erant Iſraelitæ: nam dicebantur eſſe in campeſtribus Moab, vt patet præcedenti cap. & ponitur hoc ad ſignificandum, quod ex iſto monte poterat videre Balaam Iſraelitas, quia iſte mons reſpiciebat ſolitudinem, in qua erant Iſraelitæ: & hoc patet ex litera cap. ſequentis, ſcilicet, dirigens Balaam vultum ſuum contra deſertum, & eleuans oculos vidit Iſrael commorantem per tribus ſuas.

Dixit ei Balaam ædifica mihi hic ſeptem aras. Iſtæ ſeptem aræ erant neceſſariæ ad ritum maledictionis ſecundum cæremonias maleficorum ideo in omnibus his locis, in quibus conatus eſt Balaã maledicere Iſraelitis fecit poni ſeptem aras. Cauſa autem huius ſupra declarata eſt.

Et para totidem vitulos eiuſdem numeri arietes per ſingulas aras. Duo animalia ponebantur in qualibet ara, ſcilicet, vnus vitulus, & vnus aries, & iſta immolabantur. Poſtea vero crema bantur poſita per partes vel ſimul ſuper aras. Ratio autem quare ponerentur tot animalia ſupra aſſignata fuit.

Fecit Balac, vt Balaam dixerat. Deſiderabat enim valde maledicere Iſraelitis, ideo quodcunque ei diceretur, vt maledici poſſit, Iſraelitis faceret.

D

Impoſuitque vitulos, & arietes per ſingulas aras. Id eſt, conſtruxit ad præceptum Balaam, & deinde fecit iugulari, & imponi animalia, ſcilicet, arietem; & vitulum vnum per ſingulas aras, quia iſte erat ritus, quem exigebant ſuperſtitiones.

CAPVT XXIV.

CVmque vidiſſet Balaam, quod placeret Domino, vt benediceret Iſraeli, nequaquam abiit, vt ante perrexerat, vt augurium quæreret, ſed dirigens contra deſertum vultum ſuum, & eleuans oculos, vidit Iſrael in tentoriis commorantem per trib. ſuas: & irruente in ſe ſpiritu Dei, aſſumpta parabola ait: Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cuius obturatus eſt oculus: dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionem omnipotentis intuitus eſt, qui cadit, & ſic operiuntur oculi eius: Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſrael. Vt valles nemoroſæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula, quæ fixit Dominus, quaſi cedri prope aquas. Fluet aqua de ſitula eius, & ſemen illius erit in aquas multas. Tolletur propter Agag rex eius, & auferetur regnum illius. Deus eduxit illum de Aegypto, cuius fortitudo ſimilis eſt rhinocerotis. Deuorabunt gentes hoſtes illius, oſſaque eorum confringent, & perforabunt ſagittis. Accubans dormiuit, vt Leo, & quaſi Leæna, quam ſuſcitare nullus audebit. Qui benedixerit tibi, erit & ipſe benedictus: qui maledixerit, in maledictione reputabitur.

Infra eo. Prophetia Balaã de Iſrael

E

Supr. 23

CVm vidiſſet. Poſito in ſuperioribus conatu Balaam ad maledicendum ſiue effectu per duas vices, hic ponitur conatus in tertia, & diuiditur in tria. Primo ponitur populi Iudaici prophetica benedictio. Secundo Balaam, & Balac ſuper hoc diſceptatio. Tertio de aliis gentibus prophetica annunciatio. Secunda ibi. *Iratuſque Balac.* Tertia ibi. *Sumpta igitur parabola.* Circa primum. *Cumque vidiſſet Balaam.* Hic non poteſt dubitari, ſicut fiebat ſæpe ſuperioribus, ſcilicet, an litera habeat ſe ad præcedentem ſecundum rectum ordinem, vel ſecundum anticipationem, aut recapitulationem, ſicut aliquando fit: & dato quod ſit ordo rectus inter hæc, an fuerit iſtud immediate poſtea, quæ dicuntur præcedenti capitulo vel fuerit aqua diſtantia temporum, ſicut interdum Scriptura ſubticet multa tempora intermedia, quia forte illorum nulla eſt hiſtoria coniungens hiſtorias temporum multum diſtantium, quaſi illorum geſta ſimul, vel conſequentia fuerint: hic autem ſatis apparet, quod ea quæ dicuntur hic fuerunt immediate poſt præcedentia, quia ſupra dicitur de aris paratis ad maledictionem: hic agitur quomodo maledicere non potuerit Balaam. Et iſta erant coniuncta: nam paratis aris debebat ſequi maledictio, vel non poſſe maledicere. Item patet, quia in duabus vicibus ſuperioribus poſt poſitionem ararum ibat Balaam ad conſulendum augurium, quia illud erat immediatum poſt aras poſitas ſicut ſignificatur hic in litera, ſed in fine capitul. præcedentis dicitur, quod Balaam conſtruxit aras, & poſuit vitulos, & arietes ſuper eas. Hic autem dicitur, quod non iuit ad inquirendum augurium, ſicut ſupra facere ſolitus erat: ergo iſta fuerunt immediate poſt illa. *Cumque vidiſſet Balaam quod placeret Domino, vt benediceret Iſraeli.* Id eſt, quod iam cognoſcebat Balaam, quod Deus volebat, vt benediceret Iſraeli, id eſt, prænunciaret de eo aliqua bona futura, quod eſt benedicere, ſicut fecit ſupra, & fecit hic.

F

A

Qualiter Balaam cognouit, quod Deo placebat, vt benedi-ceret Israeli.

QVÆSTIO I.

SEd quæretur quomodo Balaam vidit, quod placebat Deo, vt benediceret Israeli.

Respondebit aliquis, quod cognouerat ex duabus vicibus superioribus: nam in qualibet earum conatus est maledicere, & non potuit ideo sic existimauit iam futurum, quod nunquam posset maledicere. Sed hoc non stat, quia si propter hoc cognouisset non placere Deo, & non iuisset ad quærendum augurium, non construxisset aras tertia vice, nec imposuisset vitulos, quia istæ erant cæremoniæ ad maledicendum: & tamen fecit vt patet præcedenti capit. Item immediate, vt Balaam non potuit in secunda vice maledicere, destitisset à maledictione, & tamen non destitit, quia dixit ei Balac rex, quod irent in alium locum, & ipse iuit illuc cum eo ascendens super montem Phegor, vt patet præcedenti capit. ergo non intellexit quod placebat Deo, quod benediceret Israeli, quia non potuit in duabus præcedentibus vicibus maledicere. Aliquis dicet, quod Balaam cognouit hoc quando iuit ad quærendum augurium. nam in duabus vicibus præcedentibus solitus erat Balaam ire ad inquirendum augurium constitutis aris cum dicebat se ire, vt occurreret ei Deus, & tunc occurrebat ei ponens verba benedictionis in ore eis, vt patet præceden. cap. Ita ergo potuit esse hic, quod cum iret ad quærendum augurium Deus diceret ei ne maledicere curaret, quia non posset, & per hoc intellexit Balaam, quod placebat Deo, vt benediceret Israeli.

Sed etiam hoc non stat, quia oportebat ad istud, vt iret Balaam ad inquirendum augurium, sicut solitus erat: tamen hic dicitur, quod nequaquam abiit ad inquirendum augurium, sed conuertit se contra Iudæos ad benedicendum illis, vt patet in litera: ideo non cognouit sic, sed antequam iret ad quærendum augurium.

Ex his autem duobus apparet, quid responderi debeat: & dicendum, quod Balaam cognouit hoc, postquam constituit aras, & id antequam iret ad quærendum augurium, in quo innuitur, quod inter vtrumque facta est sibi reuelatio aliqua, quod Deus non permitteret eum maledicere. Et hoc erat quod intellectui eius imprimeretur ista cognitio sine aliqua exteriori apparitione, & tunc desisteret ab omnibus cęremoniis, quod patet, quia sicut nunc cessauit Balaam ab isto conatu antequam iret ad quærendum augurium, ita si reuelatio, per quam desistit fuisset facta in eo antequam constituerat aras, non iussisset illas constitui, sed cessasset, sicut cessauit postea ab augurio.

Responsio Aucto. An Balaã cognouerit quod nõ placebat Deo maledictio anteq̃ constituerit aras vel post, & quare desistit à cæremoniis suis.

C

Item patet, quod fuerit ista reuelatio ante augurium inquisitum: nam Balaam non distitisset à cęremonis maledictionis, nisi Deus eum commouisset saltem in hac tertia vice, quia iam posuerat aras, & sacrificia: ideo solum restabat, vt inquireret augurium ad videndum si placeret Deo, quod maledicere Israeli, & tamen non iuit: ergo post ararum constitutionẽ, & ante augurii inquisitionem reuelatio facta est.

Sed tunc arguet aliquis, quod Balaam non desisteret à cæremoniis maledictionis propter aliquam reuelationem. Nã Deus sæpe ei dixerat ne malediceret Israelitis, vt patet supra c. 22. ideo non magis per aliquam reuelationem moueretur. Item patet hoc, quia supra cap. præcedenti ipse Balaam dixerat, quod Deus non est, vt homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur, & per hoc intulit, quod cum Deus semel renuisset maledicere, nunquam faceret maledictionem, aut permitteret, & tamen post illud Balaam conatus est bis maledicere, quia illud in prima vice fuit quando non potuit Balaã maledicere, ideo non moueretur nũc ad nõ maledicendum per aliquam reuelationem, quia post illam clarissimam reuelationem conatus est maledicere. Respondendum est secundum quod fuit dictum in superioribus, quod Deus per lumen propheticum illustrabat intellectum speculatiuum Balaã, sed non intellectum practicum, aut voluntatem, ideo quamquam cognosceret quid Deus vellet, tamen non inclinabatur ad faciendum illud. Nunc autem Deus mouit intellectum practicum Balaam ad iudicandum bonum esse, quod non malediceret Israelitis, & voluntatem eius ad hoc volendum: ideo consensit non maledicere: sunt enim multum separata intellectus practicus, & intellectus speculatiuus: ideo potest aliquis bene se habere secundum vnum, & non secundum alterum: Deo autem est facultas mouendi vtrumque, quia aliquando mouet intellectum nostrum speculatiuum faciendo nos intelligere veritates, quas prius non intelligebamus, sicut est in prophetis. Aliquando autem mouet intellectum practicum illustrando illum, & confirmando ad firmiter iudicandum aliquid esse bonum, vel malum, & tunc voluntatem etiam ad volendum illud inclinat, vel ad respuendum. Et iste est motus, quem Deus facit continue super nostrum liberum arbitrium pulsando ad bonum per gratiam præuenientem, & aliquando efficaciter mouendo, vt bonum operemur. De hoc motu dicitur. Ioan. 15. capit. Sine me nihil potestis facere, id est, homo non potest facere aliquid bonum sine Deo, id est, nisi Deus eum ad bonum illud eligendum moueat. Et sic factum est nunc in Balaam. Vnde non dicebat hic Balaam bonum inuitus, sed voluntarius, quia iudicabat bonum esse maledicere Israelitis Deo mouente eum ad hoc. Si autem à principio Deus voluisset mouere eius practicum intellectum, & voluntatem, sicut nunc mouit, nunquam conatus fuisset maledicere. *Nequaquam abiit, vt ante perrexerat, vt augurium quæreret.* Id est, non abiit Balaam nunc ad inquirendum augurium constitutis aris sicut ante perrexerat, id est, sicut fecerat aliis duabus vicibus. Nam in qualibet earum ibat inquirendum augurium: hic autem non iuit, & cum iret in aliis vicibus occurrebat ei Deus ponens verbum prophetiæ in ore eius, & cogens loqui: etiam prohibere dæmonibus respondere Balaam: nunc autem videns frustra esse velle maledicere, non iuit ad augurium quærendum. Vocatur autem augurium proprie inquisitio aliqua futurorum in garritibus, vel in motu auium. sed non accipitur hic sic, sed generaliter pro omni arte maleficorum: nam non inquirebat hic Balaam auc s, quia istud augurium posset inquirere in præsentia regis Balac: sed ibat ad consulendum dæmonem, & istud erubescebat facere in præsentia alterius. Et forte quia dæmon ei nolebat ibi respondere. *Et dirigens contra desertum vultum suum.* Id est, quia intellexit non posse maledicere, incępit benedicere, sicut Deus eum mouebat, & ad hoc direxit vultum suum contra desertum, scilicet, vt videret Iudæos, qui erant in deserto, & benediceret eis. Et patet hoc ex litera, scilicet, dirigens contra desertum vultum suum, & eleuans oculos vidit Israel in tentoriis commorantem. Erat autem Israel in deserto, scilicet in campestribus terræ Moab, vbi est quædam terra aliqualiter deserta, & erat coniuncta huic monti. Colligitur etiam hoc, quia præcedenti capitulo dicitur quod Balaam ascendit in montem Phegor, qui respicit solitudinem, id est, desertum, quod ponitur ibi ad significandum, quod Iudæi poterant videri ex illo monte, quia erat inclinatus contra desertum, id est, contra locum, in quo erant ipsi. Iudæi dicunt, quod conuertit se Balaam contra desertum, scilic. contra desertum Sinai, scilicet quia non potuit vincere auguriis conuersus est ad preces, & vertit vultum suum contra desertum Sinai, quasi dicens: Domine Deus populus iste pessimus reliquit te, & coluit vitulum in monte illo, vt patet Exo. ca. 22. quare ergo non irascaris, vt destruas eum? precor quod irascaris ei. Sed istud ridiculum est, & contra literam. Nam dicitur, quod conuertens se contra desertum vidit Hebræos: non ergo vertebat se contra Sinai, sed contra castra Hebræorum: & tamen non erant castra Hebræorum tunc contra montem Sinai, sed multum disparata, quia mons Sinai erat Meridianus terræ illi Moabitarum: castra tamen Israel erant Aquilonaria, quia terra duorum regum Amorrhæorum, in quibus erant castra est Aquilonaris respectu terræ Moab. Item non stat hoc, quia ex hac litera patet, quod Balaam nollet iam maledicere saltem pro nunc: cum dicatur quod cum vidisset Deo placere, vt benediceret Israeli, non abiit ad quærendum augurium, sicut prius. Nec valet, si dicas, quod non abiit ad quærendum augurium, quia non poterat per auguria maledicere, & tamen adhuc volebat maledicere & orabat pro hoc. Nam tunc non diceretur, quod Balaam non iuit ad quærendum auguria, quia vidit, quod placebat Deo, vt non malediceret, vel vt benediceret, sed diceretur non iuit ad quærendum augurium, quia non poterat per auguria

D

Quo Deus cum lib. arb. cõcurrat.

E

F

maledicere.

maledicere. *Et eleuans oculos suos.* Scilicet ad videndum Israelitas, quia volebat eis benedicere, & pro tunc forte delectabatur videndo illos, quia inclinauerat eum Deus ad volendum benedicere. *Vidit Israel in tentoriis commorantem.* Id est, vidit totum Israel manentem in campo in tentoriis. Mouebantur enim Israelitæ per desertum: ideo non habebant domos ædificatas, in quibus manerent, sed domos portatiles, scilicet, tẽtoria, sicut fit in bellica expeditione. & ponitur hoc ad significandam pulchritudinem dispositionis Israelitarum manentium in castris: erant enim optime dispositi: ideo dixit postea Balaam. Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel. *Per tribus suas.* Iste est modus castrametandi, scilicet, quod commorabatur Israel in deserto diuisus per tribus suas, id est, quælibet tribus per se habebat castrametationem.

Modus castrametãdi Israelitarum.

Pro quo sciendum, quod modus castrametandi Israelitarum erat, vt tabernaculum Domini esset in medio: & ipsi in circuitu illius per quatuor partes. Erant enim tribus duodecim Israel, & diuidebantur in quatuor partes per quatuor vexilla, quorum vnum erat ad partem orientalem, & ibi erant tres tribus sub vexillo Iudæ. scilicet, Iudas Isachar, & Zabulon. Erat aliud vexillum ad partem Meridianam, scilicet vexillum Ruben, & ibi erant tres tribus, scilicet, Ruben, Simeon, & Gad. Erat tertium vexillum ad partem occidentalem, scilicet, vexillum Ephraim, & ibi erant tres tribus, scilicet, Ephraim, Manasse, & Beniamin. Erat ad partem Aquilonarem vexillum quartum, scilicet, filiorum Dan, & sub isto erant tres tribus, scilicet, Dan, & Nephtalim, & Aser. Ita quod erat dispositio castrorum per quadrum, & non miscebantur sibi istæ partes, quod pertinebat ad quandam pulchritudinem. Præter hoc etiam tres tribus, quæ erant sub quolibet vexillo habebant inter se ordinem, quod nulla tribus accedebat ad aliam, & quælibet harum habebat suum vexillum paruum de ordinatione istorum vexillorum, & tribuum in castrametando patet supra 2. De ordine autem eorum in mouendo castra, patet ibi, & magis supra 10. c.

Deinde istæ tribus distinguebantur per familias, quia quælibet tribus habebat aliquas familias, vt patet infra 26. cap. & quælibet harum familiarũ erat distincta ab alia: familiæ quoque diuidebantur per domos, non solum accipiendo domum pro œconomia, quæ constat ex sex extremis, quæ sunt quatuor personæ, scilicet dominus, & seruus: pater, & filius: vir, & vxor, iuxta Aristot. 1. Politic. capit. 2. Sed etiam accipiendo domum pro quadam particulari cognatione, quæ est minor quam familia, & interdum ista domus continet magnam multitudinem, scilicet mille virorum, vel plurium, & istæ etiam erant distinctæ inter se. Ex quo magna pulchritudo apparebat, quia principale quod pertinet ad pulchritudinem est ordo. Hoc autem est, quod viderit Balaam commorantem Israel per tribus suas, id est, distinctum per tribus. Et per hanc distinctionem significauit omnes alias, sc. per distinctionem per quatuor vexilla totius Israelis, & distinctionem cuiuslibet tribus in familias suas, & distinctionem cuiuslibet familiæ per Domos. De quo admiratus Balaam dixit ea, quæ sequuntur, sc. quam pulchra tabernacula, &c.

Et irruente in se spiritu Dei ait. Id est, tunc venit super eum spiritus Domini, & incœpit prophetare, scil. de statu Iudæorum futuro, vt apparet hic.

Quis erat iste spiritus, qui irruit super Balaam: & quem modum prophetia habuit prænunciando ista.

QVÆSTIO II.

DE isto spiritu dicet aliquis, quod fuerit Angelus apparens ei, & loquens, sicut cum ibat ad inquirendum augurium. Occurebat enim ei Deus, & ponebat verbum in ore ipsius, sed non est sic in præsenti, quia non iuit Balaam ad inquirendum augurium, sed manebat cum Balac apud aras. Ideo dicendum, quod non apparuit hic ei aliquis Angelus loquens, nec facta est aliqua vox sine corpore apparente, quia Deus nolebat, vt audiret ista Balac rex, sed solum irruit in eũ spiritus Domini, id est, spiritus propheticus, scilicet, eleuans intellectum eius ad intelligendum ista, quæ reuelantur. Et iste erat vnus modus reuelationis propheticæ, vt præcedenti cap. declaratum est. Nec potest poni hic aliquis alius: tam non fuit aliquod corpus formatum, ne illud videret Balac, nec etiam fuit aliqua vox sola prolata, ne illam audiret Balac. Etiam non potuit esse tertius modus, scilicet, per mutationem phantasticam, quia hoc solum fiebat in somno, vbi sola phantasia immutatur. In vigilia autem non potest immutari phantasia, quin immutetur intellectus; ideo necesse erat, vt per solum intellectum tunc immutaretur Balaã. Nec tamen fuit per ecstasim, quia tunc caderet in terram, & nihil sentiret per aliquantum spatium, sed etiam ista nolebat Deus videri à rege Balac. Item quia ecstasis est necessaria ad maximum reuelabile, scilicet cum alicui demonstratur diuina essentia, quæ aliter clare cognosci non potest. Ad reuelabilia autem parua non requiritur ecstasis: sed per solam eleuationem intellectus sine cessatione animæ ab operibus sensitiuis, & nutritiuis intelligi possunt, sicut cum nos intelligimus aliquid non cessat anima nostra ab his operationibus. Et propter hoc non dicitur hic, sicut in aliis duabus vicibus dicebatur, scilicet, quod occurrit Dominus Balaam, & posuit verbum in ore eius, sed solum dicitur, quod irruit in eum spiritus Domini ad indicandam differentiam. Vocatur hic spiritus Domini lumen supernaturale infusum intellectui prophetæ ad intelligendum abscondita, & quia à Deo est, vocatur spiritus Domini. Et quoniam illud lumen est tanquam aliquid viuens, vocatur spiritus, quia spiritus dicitur à spirando, vel à mouendo, sicut flatum dicimus spiritum, & omne quod habet modum vitæ, & motus dicimus esse spiritum, vel habere spiritum, *Assumpta parabola.* Id est, inchoauit parabolam suam: reuelatio enim prophetica vocatur hic parabola, quia non fit per verba manifesta, sed per quasdam transumptiones, vel similitudines. Sicut dicitur de Christo, quod loquebatur in parabolis, & aliquando exponebat parabolas Matth. 13. cap. si tamen parabolæ essent verba manifesta non exponerentur. *Dixit Balaam filius Beor.* Hic ponitur propheticum ad propheticam annunciationem; ipsa autem annunciatio incipit infra scilicet. Quã pulchra tabernacula tua. & hoc est quod dixit ipse Balaam. Ponuntur autem hic reperitiones sententiarum, sicut fiebat præcedenti ca. in verbis Balaam ad quendam ornatum, & ipse Balaam dicit de seipso: Dixit Balaam filius Beor. Quia mouebatur à spiritu prophetico ad dicendum hæc. Dicunt aliqui ex hoc, quod Beor pater Balaam erat propheta ex hoc, quod exprimitur hic nomen eius secundum regulam Hebræorum, quam ponit Hieronymus super Sophoniam in prologo quodam, scilicet quoties alicuius prophetæ pater exprimitur in sacra Scriptura etiam ille propheta fuit. hoc autem quamquã non probetur solide, tamen si assentire velimus satis erit, quod concedamus in prophetis Iudæorum, sed ad prophetas gentilium non oportet extendi literam. *Dixit homo cuius obturatus est oculus.* Ista omnia pertinent ad eandem sententiam: significatur enim per omnia illa, quod Balaam dixit ista, quæ sequuntur, & tangitur in hoc modus propheticus Balaam. Dicunt enim quidam, vt Aben Ezra, quod quando iste recipiebat reuelationem à Deo, dormiebat: Deus enim deprimebat eum somno, vt sic à minori gradu prophetiæ moueretur, vt declaratum est supra c. 12. Si enim vigilaret quando reciperet reuelationem oportebat cæteris parib. esse maiorem gradum prophetiæ, & ob hoc dicunt. quod in nocte ei Dominus apparebat, sicut apparet supra cap. 22. & tunc cadebat in terra per somnum, & obscurabantur oculi eius, id est, claudebantur. & tunc aperiebantur oculi mentales eius recipiendo cognitionem supernaturaliter de aliqua re. Et secundum istum est sensus: Cuius obturatus est oculus, sc. corporalis, quia sopore deprimitur, dum prophetat, scil. accipiendo: non autem aliquando aliquid denunciabat, quia tunc vigilabat.

Lumen supernaturale est spiritus Domini.

Rabi. Salom. dicit, quod oculi Balaam erant eruti de capite illius, vel saltem vnus oculus, ita quod esset luscus, & habebat locum oculi in capite patentem, & tamen non videbat, & ita exponit vtranque particulam, sc. cuius obturatus est oculus. i. oculus clausus eo, q̃ nihil vidit, cũ haberet locũ oculi in capite, sed non oculum. Et quando infra dicitur sic aperiuntur oculi eius, id est, oculi eius aperti sunt, quia nunquam possunt claudi cum non habeat oculos, sed oculorum loca patentia.

2. op. Rabi Salo. de oculis Balaam.

Sed hoc ridiculum est, & insanum: nam dato quod haberet oculos erutos Balaam non expressisset, quia nihil hoc attinebat ad prophetiam: ipse enim intendebat declarare hic aliquẽ

Dictũ D. Hieronymi defenditur.

A

modum prophetiæ ſuæ,qui non erat manifeſtus,& tamen an haberet oculos erutos,vel non manifeſtum erat.Item nō poterat dici,quod haberet vtrunque oculum erutum,quia tunc nihil videret, & tamen ipſe vidit quando occurrit ſibi Angelus in via,& videbat omnia alia,quæ faciebat: ergo non erant eruti oculi.Dicit etiam Ra. Sal. quod oculi Balaam eruti fuerant de capite eius,dum ipſe cogitaret quædam ſuperba contra ſemen iuſtum Iudæorum,ſed omnia iſta ridicula ſunt.

Aliaop. fatua Rab.

Aliqui autem volunt referre ad diſtinctionem intellectus practici,& ſpeculatiui dicentes,quod oculi Balaã erant aperti quantum ad intellectum ſpeculatiuum,ſcilicet quod cognoſcebat Deum per lumen propheticum ſpeculatiue:tamen intellectus eius practicus non illuſtrabatur ad recte iudicandũ de agibili,quia etiam ad operationes oculus ſeductor eſt. ſed iſte ſenſus ſatis eſt alienus, quia ſcriptura non conſueuit diſtinguere talem modum. Sed intelligitur hoc totum de intellectu ſpeculatiuo,qui vocatur hic oculus,& ipſemet eſt aliquando obturatus,& aliquando aperitur. nam antequã propheta habeat lumen propheticum nihil magis intelligit quã alii homines,& tunc intellectus ſuus, qui vocatur oculus eſt obturatus.Cum vero innuit lumen propheticum aperiuntur oculi eius,id eſt,eleuatur intellectus ſupernaturaliter ad comprehendendum veritates illas, quas prius naturaliter cõprehendere non potuiſſet,& ad illas obturatus erat.Primo expoſitio Aben Ezra non tenet, ſcilicet, quod dormiret Balaam, quando reciperet reuelationem. Nam licet aliquando hoc contingeret in eo, ſicut in prophetis Iudæorum, vt patet ſupra c.12.tamen non ſic ſemper recipiebat propheticam reuelationem:nam neceſſe eſt nunc dici, quod Balaam recipiebat diuinam reuelationem vigilans, quia nunc factus eſt ſuper eum ſpiritus Domini, & incœpit propherare, & tamen erat ipſe coram Balac;ergo non dormiebat.Item præced. cap. ponitur bis quomodo Balaam iuerit ad inquirẽdum augurium, & occurreret ei Dominus ponens verbum in ore eius, tunc autem non dormiebat:ideo tenenda eſt præcedens expoſitio.

B

Dixit auditor ſermonum Dei. Eadem ſententia eſt, id eſt, dixit Balaam:nam ipſemet erat auditor ſermonum Dei.Et dicitur ſic, quia ſæpe Deus loquebatur ei,ſcilicet Angelus eius, vt patet præcedenti cap. & ſupra 22. capit. & iſtud pertinebat ad duos modos propheticos, in quibus Balaam vocem aliquam audiebat. Primus modus erat quando apparebat ei Angelus in aſſumpto corpore,& loquebatur:ſecundus erat quando formabatur vox in aere,&non apparebat aliqua effigies formans illam:vtroque enim modo vere audiebat verba.Aliter poteſt vocari Balaam auditor verborum Dei,id eſt,recipiens reuelationes eius : quomodocunque enim acciperet dicebatur audire verba,ſiue per ſolam mutationem phantaſiæ,ſiue per ſolum intellectum eleuatum; quia omnia iſta per quæ intelligimus quando ab aliquo nobis ſignificantur, large vocantur verba. *Qui viſionem omnipotentis intuitus eſt.* Iſta eſt repetitio ſuperiorum ad ſignificandum Balaam loquentem:& tamen exprimuntur hic multæ proprietates prophetiæ eius : dicitur autem Balaam intueri viſionem omnipotentis, id eſt, videre viſionem Dei,qui eſt omnipotens. Et eſt improprius modus loquendi,quia nemo videt viſionem,ſed videt per viſionem. Poteſt autem dupliciter intelligi,quod Balaam videret diuinã viſionem, ſiue Deum. Vno modo referendo ad apparitionem ſenſitiuam, ſcilicet quod aliquando Angelus apparebat ei in aſſumpto corpore,vt patet ſupra 22.cap.& præcedenti cap.& vocatur Angelus ille Deus. Hoc modo Balaam ſignat quaſdã conditiones prophetiæ ſuæ, ſcilicet quod Deum videbat,& audiebat,& illa litera ſuperior,ſcilicet auditor ſermonum Dei refertur tunc ad auditionem ſenſitiuam quando formabantur voces ab Angelo,ſiue in aſſumpto corpore, & apparenti. Alio modo poteſt vocari Balaam videns diuinam viſionem,id eſt,videns Deum intellectualiter, quia Deus ſe reuelabat illi declarando ei intelligibilia, & quælibet talis reuelatio vocatur viſio:nam & intellectus noſter vocatur viſus animæ ſecũdum Ariſ.6.Ethic. vterque ſenſus poteſt ſtare:quoniam vtroque modo reuelationes recipiebat Balaam. *Qui cadit,& ſic aperiuntur oculi eius.* Iſtud refertur ad modum prophetandi Balaã, ſcilicet, quod aliquando cadebat, quando recipiebat reuelationem:non quidem ad omnem reuelationem,quia quando apparuit ei Angelus in via,& locutus eſt illi non cecidit, vt patet ſupra c.22. Sed aliquando fiebat in eo quaſi ecſtaſis licet non eſſet proprie raptus,quia rapi pertinet ad maximum gradum reuelationis, cum alicui diuina eſſentia clare repræſentatur,ſed hoc non concedimus de Balaam:ſolum enim de Paulo,& Moyſe dicitur. Et dato quod diceremus Balaam vidiſſe Deum per eſſentiam, quod non eſt ſatis rationabile: tamen non videret ſæpius,cum de Paulo, & de Moyſe ſolum ſemel concedamus fuiſſe diuinam eſſentiam clare reuelatam.Iſta litera tamen ſignificat quaſi conſuetudinem Balaam in cadendo, ſcil. quod multoties caderet cum prophetabat, ergo non intelligitur de raptu ad contemplandum diuinam eſſentiam: ſed ſolum quod aliquando patiebatur caſum quando prophetabat:non tamen rapiebatur penitus,quia non deſtituebatur omnibus operationibus vitalibus,ſicut fit in raptu.

C

Cap. 6. li. 1.

D

De Moyſe & Paulo conceditur, q̃ viderit Deũ per eſſentiã

Opin. Rabi Salom. quare Balaam cadebat cum prophetare debebat.

QVÆSTIO III.

RAbi Sal. dicit, quod cadebat Balaam eo,quod erat incircunciſus,quia nulli concedebatur ſtare coram Deo, niſi circunciſo. Sed hoc non ſtat, quia Deus apparuit multoties Abrahæ antequam circuncideretur,& locutus fuit ei: tamen non cadebat,vt patet Geneſ.12.13.&15.capit.de circunciſione autem ſua habetur Geneſ.17.capit.ergo non fiebat caſus propter hoc, ſed forte,quia Deus volebat deprimere ſuperbiam Balaam,ideo cum eleuatione intellectus volebat, vt pateretur quandam depreſſionem corporis.Sed adhuc forte melius intelligeretur hoc de quodam modo reuelationis propheticæ,ſcilicet quæ fit in ſomniis,quæ erat communis prophetis: & Balaam habebat aliquando iſtum modum,vt patet ſupra c. 22.vbi Deus apparuit ei bis per noctem,& tunc cadebat antequã à perirentur oculi eius,id eſt,prius cadebat per ſomnum, vel iacebat in lecto,& poſtea aperiebantur oculi eius,ſcilicet, eleuabatur intellectus ſuus,vel magis immutabatur tunc phãtaſia,& manebant in eo veſtigia immutationis illius,ita vt poſtea euigilans poſſet intelligere,quod per ſomnium reuelatũ ei fuerat. & ſic aperiuntur oculi, id eſt, phantaſia, quæ eſt iudicatiua. Vel oculi,id eſt,intellectus, qui quamquam tunc nõ iudicet, & aperiatur : tamen aperitur poſtea in vigilia per ea, quæ relicta ſunt in phantaſia,& iſto modo per ſomnium, habet quis oculos apertos. Similis modus loquendi eſt Canticorum cap.5.ſcilicet,Ego dormio & cor meum vigilat. *Quam pulchra tabernacula tua Iacob.* Hic incipit prophetia de Iudeis.nã totum ſupra poſitum erat prologus,& iſtud eſt quod dixit Balaam,ſcilicet.Quam pulchra tabernacula tua Iacob. ad totum Iſrael loquitur,& vocat hic tabernacula tentoria, in quibus manebant Iſraelitæ in deſerto:nam non habebant domos aliquas cum non manerent alicubi fixi : tabernaculum tamen proprie ſignat domum.

E

Prophetia Balaam de Iudæis.

F

Et tentoria tua Iſrael. Eadem ſententia eſt repetita:quia Iſrael, & Iacob idem ſunt cum nomen Iacob fuerit mutatum, vt vocaretur Iſrael,vt patet Geneſ.ca. 32. ſcilicet,non vocaberis amplius Iacob, ſed Iſrael: tentorium etiam &tabernaculum idem ſunt,vt hic accipitur. Quamquam proprie tabernaculũ ſignet domum ſtantem, & tentorium ſignat domum portatilem,quæ eſt ex pellibus,vel pannis. Dixit autem pulchra eſſe tabernacula Iſraelitarum propter ordinem eorum : nam erant diſpoſiti ipſi per vexilla & tribus, vt ſupra declaratum eſt, & etiam litera ponit motiuum ſuum ad dicendum hoc, cum fuerit ſupra dictum:Eleuans oculos ſuos,vidit Iacob cõmorantem in tentoriis per tribus ſuas. Vel poteſt hoc referri ad pulchritudinem, & bonã habitudinem Iſraelitarum propter Dei cuſtodiam,& aſſiſtentiam, ſpecialiter enim illis aſſiſtebat ad obſeruandum eos ab omni malo. & iſta erat maior pulchritudo.

Vt valles nemoroſæ. Id eſt,ita pulchra ſunt tentoria tua, ſicut valles nemoroſæ.Dicuntur valles nemoroſæ, quæ multos arbores habent, ſicut eſt in nemore, & ibi pulchritudo eſt, & conuenientia,ita erant tabernacula Iacob, ſcilicet, quia erant valde multa.

Vt horti iuxta fluuios irrigui. Id eſt, etiam ita ſunt tabernacula tua, ſicut horti plantati iuxta fluuios, qui poſſunt irrigari ex eis. dant enim fructum ſuum in tempore ſuo in magna

abundantia,

A

abundantia, & quidquid faciunt proſperatur, nec defluunt folia eorum, vt patet Pſalm. 1. in Hebræo habetur ſupra. *Sicut torrentes extendentes ſe.* Vbi dicit litera noſtra, vt valles nemoroſæ, & ad idem redit, quia valles multarum aquarum ſunt aptæ ad gignẽdas multas arbores, vel torrens abundans aqua gratus eſt ad habitationem propter ipſum, ſicut valles nemoroſæ, in quibus aliquis delectabiliter habitat. *Vt tabernacula, quæ fixit Dominus.* Id eſt, illa ſunt multum firma ad manendum, ita erat populus Iſrael, quem nemo poterat concutere, quia Deus illum ſolide conſeruabat. in Hebræo habetur. *Sicut caſſiæ, quas fixit Dominus.* Eadem dictio habetur in Hebræo, & in Pſalm. 44. vbi nos dicimus: Mirrha. & gutta, & caſſia. Eſt autem facilis error in hoc. Vel quia in Hebræi punctum mutauerunt in dictione iſta, vel quia Hieronymus non curauit de illo. Eædem enim literæ, & tot, & in eodem ordine ponuntur in dictione, quæ ſignificat tabernacula, quæ ponuntur in dictione ſignificante Caſſias. Differt tamen in quodam puncto, qui aliter, & aliter literam ſonare facit. Videtur tamen, quod iſte error ſit Hebræorum, & non Hieronymi, quia ſententia non pertinet ad caſſias. non enim figuntur caſſiæ, ſed plantantur, tabernacula autem figuntur: litera tamen dicit de fixione. ergo debent hic poni tabernacula, & non caſſia. Apud Hebræos autem facillimus error erat in puncto vno: non erat autem tam facilis ſi mutarentur literæ, vel ſi eſſet alia dictio. Nec eſt inconueniens dici quod libri Iudæorum interdum corrupti ſunt: nam nihil eſt propter quod eorum ſcriptores impeccabiles fateamur: potiſſimum, quia interdum maiores errores ſunt in libris eorum, & quaſi generaliter, ſcilicet, quod interdum deficiant aliqui verſus, ſicut patet Ioſue cap. 21. vbi duo verſus ſunt in litera noſtra circa finem cap. qui non habentur in libris Hebræorum communiter. & tamen doctores eorum dicunt illos deficere, & quod in libris antiquis, & correctiſſimis fuerint, vt dicit ſuper locum eundem Rab. Dauid Canhi. *Quaſi cedri prope aquas.* Id eſt, ita ſunt tabernacula Iſrael ſicut cedri, quæ plantatæ ſunt iuxta aquas. eſt. n. quaſi generalis, vt ſaltem communior lignorum conditio, vt prope aquas plantata magis proſperentur, ſicut patet Pſalm. 1. de arbore, quæ plantata ſecus decurſum aquarum, quæ fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & non defluunt folia eius, ſed proſperatur in omnibus. Quarundam tamen arborum conditio eſt magis exigere propinquitatem ad aquas, & ita eſt de cedro, indiget enim magno alimento aquæ: ideo prope aquas valde conſeruatur, ſic erant Iſraelitæ prope aquas, id eſt, prope Deum ſuum, qui infundebat eis abundanter alimenta, & omnia quibus indigebant, vt patet Deuteronom. capit. 2. & ipſi gloriabantur in hoc, quod Deus eorum eſſet propinquior eis, quam dii aliarum gentium ipſis gentibus, vt patet Deute. capit. 4. ſcilicet. Quæ eſt natio tam grandis, quæ habet Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris? *Fluet aqua de ſitula eius.* Id eſt, de ſitula Iacob, eſt enim ſitula inſtrumentum, quo aquam de puteis haurimus, & de illa in omnia alia vaſa transfunditur. Hebræi autem omnes intelligunt hoc de Meſſia, qui tanquam aqua de ſitula defluxit de ſemine Patriarcharum, & ſucceſſorum illius populi. Vel poteſt intelligi de ſtudio ſapientiæ legis, quod viguit in Iudæis tempore, quo conſtructum eſt templum Salomonis, & tempore prophetarum qui legem valde expoſuerunt, & compleuerunt, quia ſicut in ſitula aquæ tenentur, quæ educuntur de puteo ad reficiendum, & de ipſa transfunditur aqua ad bibentem, ita per doctrinam magiſtrorum ſapientia in diſcipulos transfunditur, ſcilicet, quia ibi generatur. Magis autem intelligitur primo modo de deriuatione ſeminali ad gignendum, quæ fit, ſicut ſi fluat aqua de ſitula, & ad hoc concordat litera ſequens, ſcilicet, & ſemen eius erit in aquas multas, id eſt, valde multiplicabitur populus Hebræorum. Alio modo poteſt, & conuenienter intelligi de doctrina Meſſiæ faciendo tranſitum de toto ad partem, ſcilicet, de toto populo Iſrael ad Meſſiam, qui eſt quaſi pars illius populi cum ſit princeps, & tamen non eſt proprie pars, quia principes ponuntur ſupra populum, & non tanquam aliqui de populo. Quidquid autem ſit Scriptura tranſit interdum à toto ad partem, vt patet in regulis exponendi Ticonii. Et tunc intelligeretur litera iſta de doctrina Meſſiæ, ſcilicet, fluet aqua de ſitula eius, id eſt, fluet doctrina abundanter de illo, ſicut de ſitula abundanter aqua fluit. intantum hoc erat, vt miraretur totus orbis de doctrina illius, nec ipſe ſolũ effundebat doctrinam, ſicut aquam, ſed etiam illi, qui edocti erant ab ipſo, ſicut patet Ioan. 7. capit. In nouiſſimo autem die magno feſtiuitati ſtabat Ieſus, & clamabat dicens: Siquis ſitit veniat ad me, & bibat, qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. *Et ſemen illius erit in aquas multas.* Iſta litera redit in eandem ſententiam cum ſuperiori; ideo ſicut ſuperior exponebatur tripliciter ita poterat iſta exponi, ſed quia primus & tertius modus erant principaliores de illis exponetur iſta litera, ſcilicet, ſemen eius, id eſt, Iacob erit in aquas multas, id eſt, dilatabitur in multos populos, ſicut dilatantur aquæ. Vel erit in aquas multas, id eſt, multos populos, quia more Scripturæ populi vocantur aquæ, vt patet Apocal. 17. cap. Aquæ multæ populi multi ſunt. Et iſto modo erat dilatandum ſemen Iacob in populos multos particulares, quia multa oppida, & vrbes habitabantur à ſemine Iacob, quod erat eſſe populos multos; & non ſolum poterant vocari populi multi, ſed gentes multæ, quia in Iſraelitis erant duodecim tribus, quarum quælibet erat vna cognatio ſpecialis diſtincta ab aliis, & erat valde magna habens multas vrbes & oppida, vt patet in libro Ioſue capit. 15. vſque ad 21. & iſto modo dicebantur ſeptem gentes Chananæorum, ſcilicet Chananæi Amorrhæi, &c. Quamquam omnes eſſent cognationes ſpeciales venientes ab eodem patre immediato, ſcilicet, de Chanaan, vt patet Geneſ. capit. 10. Alio modo poteſt intelligi litera iſta concordando tertiæ expoſitioni de doctrina Meſſiæ, quæ dabatur ſuperius, ſcilicet, quod ſemen eius, id eſt, Meſſiæ erit in aquas multas, non quidem, quod Meſſias eſſet geniturus aliquos filios carnaliter, ſed gignebat eos ſpiritualiter, ſcilicet per doctrinam, vel redemptionem. Primo modo patet, quia ſemen vocatur verbum Dei, vt patet Matt. 13. cap. & per iſtud verbum generabat Meſſias ſibi filios multos. Sic etiam Apoſtolus dicebat ſe gignere omnes illos, quos ad fidem conuertebat inquiens: Filioli mei, quos ego quotidie parturio, donec formetur in vobis Chriſtus. Et iterũ: Per Euangelium ego vos genui.

Secundo modo etiam dicebatur Meſſias gignere filios multos per redemptionem: & hoc patet Iſa. 53. capit. ſcilicet, ſi poſuerit pro peccato animam ſuam videbit ſemen longæuũ, id eſt, ſi voluerit mori pro peccatoribus, multi erunt filii eius per redemptionem ei generati ſecundum vitam æternam. Quantum ad primum modum dicebatur, quod ſemen eius, id eſt, Meſſiæ erit in aquas multas, id eſt, multos populos, quia doctrina eius fuit dilatata per totum orbem, iuxta illud Pſalm. 18. In omnem terram exiuit ſonus eorum, id eſt, prædicatio Euangelii, & maior pars vniuerſi conuerſa eſt, ita vt in omnibus gentibus fides Chriſti ſit, quia vbique ſunt aliqui de cultoribus eius. Et hoc fuit, quia doctrina Meſſiæ erat vniuerſalis, & non pertinebat ad aliquem populum ſpecialiter, ſicut lex Moyſi pertinebat ſpecialiter ad Iudaicam politiam: ideo miſit diſcipulos prædicare Euangelium omni creaturæ per vniuerſum mundum, vt patet Marci cap. 16. & de hoc intelligitur illud, quod habetur Iſa. cap. 2. & Micheæ cap. 4. ſcilicet, quod in vltimis diebus, qui ſunt dies Meſſiæ, exibit lex de Sion, & verbum Domini de Ieruſalem, & confluent illuc omnes gentes. De ſecundo modo patet, quod ſemen Meſſiæ fuerit dilatatum in multos populos, quia per redemptionem ſuam omnes gentes fecit ſibi populos: nemo eſt enim quem ſanguis Meſſiæ ſufficienter non redemerit, quamquam non omnes redempti fuerunt efficienter, quia ex culpa ſua non participauerunt redemptionem Meſſiæ nolentes habere redemptionem Meſſiæ nolentes habere rectam fidem, ſpem, & charitatem. *Tollet propter Agag rex eius.* Hic ponitur prophetia de regibus Iudæorum, & prophetatur de primo rege, ſcilicet, de Saule, qui fuit ablatus, id eſt, priuatus regno, quantum ad filios ſuos propter Agag regem Amalechitarum: Iuſſerat enim Deus, quod Saul rex Iſrael pugnaret contra Amalech, & quod non relinqueret in eo virum, nec fœminam, nec quidquam viuens vſque ad pecora, quia nocuerat nimis Amalech Iſraelitis venientibus de Aegypto Deuteronom. 16. capit. Saul autem pugnans contra Amalech occidit omnes Amalechitas: regem tamen Amalech, qui vocatur Agag non occidit: etiam pecora pinguia, & optima reſeruata ſunt atque ducta in terram Iſrael, propter quod iratus eſt Dominus, & prædixit, quod abſcinderet regnum de manu Saulis 1. Reg. 15.

Quare erra-uerunt hic Hebræi.

Aquã fluxiſſe de ſitula quid figuret.

Nota intellectum huius prophetiæ.

Meſſiã gignere filios quo intelligitur per fidẽ & redemptionẽ.

Prophetia de regibus Iudæorũ & laus populi eorum.

A

capit.non tamen in vita eius tolleretur ſibi regnum,quia ipſe regnabit,& poſt eum filius eius Hisboſeth,vt patet 2.Regum cap. 2. tamen in reliqua poſteritate Saulis ablatum eſt regnũ, quia duobus annis ſolum regnauit Hisboſeth, vt patet præalle.ca. Deinde conuerſum eſt totum regnum ad Dauid, quia occiſus eſt Hisboſeth à latrunculis, & ſic dicitur tolletur,id eſt,priuabitur rex eius,id eſt,rex Iſrael,ſcilicet, carebit regno. Propter Agag,id eſt, propter peccatum quod commiſit conſeruando à morte regem Agag.In Hebræo habetur. *Exaltabitur magis quam Agag rex eius.* Id eſt, Saul primus rex Iſrael exaltabitur magis quam Agag, id eſt, præualebit in pugna contra Agag regem Amalechitarum delendo totum populum eius: poteſt autem litera noſtra aliqualiter concordari literæ Hebraicæ licet diſſorte, quia iſtud verbum tollere ſignat priuare,vel eleuare nutrire,& auferre, & multa alia, & ſic poſſet intelligi,quod rex Saul tolleretur, id eſt, eleuaretur ſuper Agag,ſed non conuenit iſta concordia,quia dicit litera tolletur propter Agag, ſi tamen diceretur magis quam Agag, vel ſuper Agag ſtaret ſenſus.Item dicendum eſt,quod iſta expoſitio ſit melior quam ſi dicamus eleuabitur ſuper Agag,quia litera ſequens hoc declarat,ſc. & auferetur regnum illius, & tamen hoc non pertinet ad exaltationem, ſed ad ablationẽ honoris. Hic tamen fiunt repetitiones earundem ſententiarum in verbis Balaam,vt patet præced.cap. & hic. Vnde ſignificant iſta duo idem.ſed iſtud ſecundum ſignat ablationem regni: ergo, & primum. *Et auferetur regnum illius.* Id eſt,priuabitur regnum de ſtirpe huius regis Iſrael: non tamen eo viuente,ſed in poſteritate ſua:nam immediate,vt mortuus eſt Saul conuenerũt omnes de tribu.Iuda,& vnxerunt Dauid in regem, vt patet 2. Reg.c.2.deinde mortuo filio primo Saulis,ſci.Hisboſeth totus Iſrael conuenit ad Dauid, & vnxerunt eum in regem, vt patet 2.Reg.cap.5. *Deus eduxit illum d Aegypto.* Nunc redit Balaam ad narrandum alia de toto populo cum narrauerit de rege,ſc.quod Deus eduxit Iſraelitas de Aegypto. & poteſt poni hoc tanquam enarratio hiſtorica enumerando ea, quæ pertinebant ad iſtum populũ etiamſi iſta particula nihil pertineat ad præcedentes. Alio modo poteſt intelligi, quod reddatur hic cauſa ſuperiorum,ſc.quod Deus Iudæorum facturus erat eis omnia bona, quæ ſupra dicta ſunt, & etiam infra prophetantur.& hoc,quia erat verus Deus,& poterat hæc omnia facere cum fortitudo eius eſſet maxima, ſicut fortitudo rhinocerotis,vt infra patet:poſuit autem eductionem de Aegypto, quia iſta fuit in magnis prodigiis, & horrendis pœnis Aegyptiorum inferendo decem plagas,& ad vltimum ipſos Aegyptios ſuffocando in mari ruoro, & iſta omnia erant cognita apud gentes: ideo arguebant ex hoc, quod ſicut potuit Deus Hebræorũ iſta facere,ita poſſet facere quęcũq; vellet,quia iſta demõſtrabãt maximã potentiã. *Cuius fortitudo ſimilis eſt rhinocerotis.* Id eſt, Deus Hebræorum eſt ita fortis, ſicut rhinoceros. Non ſignificatur hic æqualitas,quia rhinoceros nõ eſt æqualiter fortis Deo,ſed ſignificatur ſimilitudo,nec tamen eſt perfecta ſimilitudo,quia fortitudo rhinocerotis eſt robur corporale,fortitudo autem Dei eſt ſpiritualis virtus eius,ſed ſignificatur hic quædam proportionalitas,ſcilicet,quod ſicut ſe habet fortitudo rhinocerotis ad fortitudinem omnium animalium, quia omnibus fortius, & impetuoſius eſt,ita fortitudo Dei ſe habet ad robur omnium rerum, quia nulla ei æqualis eſt,immo nec comparabilis aliqualiter, & iſtud vocatur proportionalitas, vel analogia. De rhinocerote autem ſupra dictum eſt præcedenti cap.ſignificat enim vnicornem. *Deuorabunt gentes hoſtes illius.* Hic ſignificatur fortitudo iſtius populi pugnando contra aduerſarios, ſcilicet, quod omnes illos ſuperaret.Et dicitur deuorare large ſumendo:quia Iſraelitæ nullum deuorabant: ſed quia eos conſumebant totaliter delentes deuorare dicebantur, quia id quod deuoratur, conſumitur,& ſic dicitur,quod ignis deuorat ligna Iſa. c. 5. & tamen ignis nihil deuorat,quia non eſt animal,ſed conſumit,& dicit, quod deuorabunt gentes hoſtes illius, id eſt, quod Iſraelitæ deuorabunt gentes,quæ ſunt hoſtes ipſorum,ſc.illius, id eſt, ipſius populi Iudaici.Et ponitur gẽtes,& hoſtes in accuſatiuo tanquam vnum ſit adiectiuum alterius.ſic enim fit in ſubſtantiuis,quæ ſe habent tanquam exponens, & expoſitum, vel quæ coniunguntur per figuram appoſitionis. Aliqui autem erant in hoc exiſtimantes,quod dictio hoſtes,ponatur in nominatiuo,ſed tunc nullus eſſet ſenſus verus literę. Quomodo enim Gentiles deuorarent hoſtes Iudæorum, quia ipſimet erant hoſtes eorum ? ſed ſolum intelligitur, quod ipſi Iudæi deuorabunt gentes,quæ ſunt hoſtes illius,id eſt,ipſius Iacob, ſiue populi Iudaici.

D

Oſſaque eorum confringent. Iſtud ponitur ad ſignificandum durum bellum,quod facturi erant Iſraelitæ contra gentes,in quo contererent totam fortitudinem,vel robur earũ,quæ nomine oſſium deſignatur, in quibus totius corporis firmitas eſt. Non eſt autem intelligendum quantum ad literam,quia Hebræi non confringebant oſſa hoſtium.ad nihil enim hoc profuiſſet illis;ſed ſunt iſtæ metaphoræ. Sic patet ſupra quod Balaam aſſumpta paraboſa ſua dixit hæc:parabola autem figurationem quandam notat. *Et perforabunt ſagittis.* Id eſt,perforabunt oſſa hoſtium ſagittis. Et hoc,quia forte talibus armis Iudæi contra hoſtes pugnabant. Vel intelligitur ſecundum metaphoram,vel ſignificetur magna debilitatio in hoſtibus, quæ ſignificatur in perforatione oſſium, ſicut ſignificabatur ſupra in confractione. *Accubans dormiuit vt leo.* Significatur etiam hic fortitudo populi huius, contra quem non auderent alii populi pugnare. Et refertur iſtud ad tempus illud, in quo acquiſita eſſet terra Chanaam: nam in præcedenti prophetatum fuerat de iſto populo, quomodo ſe haberet in acquirenda terra promiſſionis,cum dictum eſt præced.cap.Ecce populus,vt Leæna conſurget,& quaſi leo erigetur:non accubabit, donec deuoret prædam, & occiſorum ſanguinem bibat,id eſt,quod ille populus fortior ageret, vt leo, & non ceſſaret à bellis, donec deuoraret prædam, id eſt, acciperet totam terram Chanaan, quam accepturus erat. Hic autem ponitur qualiter ſe haberent poſtquam ſuſcepiſſent terram illam, ſcilicet, quod in pace quieſcerent potentes, & omnibus gentibus terribiles, & quod nemo eos ſuſcitare auderet tanquam leonem aut Leænam dormientem ad inferendum eis bellũ, & tunc quamquam ponatur iſta litera de præterito, ſcilicet, accubans dormiuit,tamen intelligenda eſt de futuro,ſcilicet, accubans dormiet, quia in prophetiis mutantur tempora ad ſignificandum certitudinem maiorem, nam futurum ſecundum ſe incertum eſt, præterita autem ſunt certiſſima,quia impoſſibile eſt illa aliter ſe habere,vt patet 6. Ethi. & quia intendit Deus ſignificare magnam certitudinem in eis, quæ prænunciat, facit vt interdum ponatur tempus præteritum pro futuro,vt patet Iſai. capit. 53. vbi ſecundum intentionem tam Iudæorum quam catholicorum agitur de Meſſia, tamen omnia verba fere ponuntur in præterito, ſed tunc nondum erat Meſſias. Alio modo poteſt exponi litera iſta de tempore præſenti,in quo loquebatur Balaam,& eſt ſenſus ſatis conueniens, ſcilicet, quod Balaam eleuans oculos vidit Iſrael commorantem per tentoria ſua,& conſiderans eius diſpoſitionẽ, & robur, dixit: Populus iſte accubans dormiuit,vt leo,id eſt, ita eſt nunc iſte populus ſine timore accubans, & dormiens, ſicut leo,quem nullus audet ſuſcitare,quando dormit.Et hoc eſt,quia iſte populus eſt fortis,& confidens in Deo ſuo intendit, quod nullus populus audebat pugnare contra eum, ideo ſecurus dormit,& tunc poteſt poni iſta litera tanquam cauſa ſuperiorum, ſcilicet, quod non poteſt quiſquam maledicere iſti populo,vel conterere eum,quia fortis eſt,ſicut leo, & cõfidens accubuit,& dormit. *Vt leo,& quaſi Leæna.* Id eſt,populus iſte eſt fortis,ſicut leo,& ſicut Leæna. Vterque enim fortis eſt, ſed leo eſt fortis,id eſt,impauidus, quia non timet occurſum aliorum animalium,ſic patet Prou.cap.30.leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pauebit occurſum, leæna autem fortis eſt, id eſt, ferox: potiſſimum quando rapiuntur catuli,quia tunc vehementer efferatur. Vtrumq; aũt erat in Iudæis,vt erant cõfidentes in Deo ſuo,quia nullum aliorum populum timebãt, & oẽs ferociter laniabantur. *Quem nemo ſuſcitare audebit.* Id eſt, quando leo dormit,vt Leæna nullus audet ſuſcitare illos propter eorum fortitudinem,& ferocitatem: iõ ipſi confidentes dormiunt nullum malum præſtolantes, ſic erat de Iudæis, ꝙ nullus populus audebat inquietare eos quando iſta dixit Balaam.Nam tunc cum ſuperauiſſent duos reges Amorrhæos, ſcilicet,Sehon, & Og, nullus audebat contra eos bellum gerere,quin potius timebant omnes populi,qui in circuitu eorum erant. Timuit enim eos rex Moab,& oẽs Moabitæ,vt patet ſupr.22.c.timebãt ẽt Ammonitæ,& Idumęi,vt patet Deut. capit.2. Timebant quoque omnes Chananæi,qui erant ad occidentalem plagam Iordanis,vt patet Ioſue capit.ſecundo vbi

E

F

Quo oẽs gentes timebant Iudæos, quando fuit hoc potiſſime.

dixit

A dixit Raab exploratoribus Iudęorum, quod omnes habitatores Chanaan expauerunt, atque languerunt corda ipſorum, nec remanſit in eis ſpiritus. Alio modo poteſt hoc intelligi de tempore, quo manſuri erant Iſraelitæ in terra Chanaan illa acquiſita, ſcilicet, quod nullus tunc illos ſuſcitare auderet inferendo bellum, ſicut nemo dormientem leonem ſuſcitat. Hoc tamẽ non fuit ſemper apud Iudæos, quia multoties hoſtium clades ſæuiſſimas, & bella ferocia paſſi ſunt. Fuit tamen completum tempore Dauid, quia omnes gentes incircuitu eum timebant, nec audebat quiſquam mouere bellum contra ipſum, vt patet ex proceſſu ſecundi libri regum: maxime 8. & 10. ca. Sed adhuc magis fuit hoc tempore Salomonis, quia licet ipſe non fecerit aut ſuſtinuerit bella magna: tamen, quia pater eius Dauid contriuerat omnes gentes in circuitu non auſa eſt aliqua gens contra Salomonem pugnare, ſed fuerunt omnes populi ſubditi ei, qui fuerunt relicti de ſtirpe Chananæorum ſoluentes ei tributa, vt patet 2. Parali. cap. 8. ſcilicet, omnem populum, qui derelictus fuerat de Hethæis, & Amorrhæis, & Pherezæis Heuæis, & Iebuſæis, qui non erant de ſtirpe Iſrael, & de filiis eorum, & de poſteris, quos non interfecerunt filii Iſrael, ſubiugauit Salomon in tributarios. Et hoc ſignificauit Salomon in verbis ſuis ad regem Hiram. Tu ſcis voluntatem patris mei Dauid, & quod non potuerit ædificare domum Domini propter bella imminentia per circuitum, donec daret Deus eos ſub veſtigio pedum eius: nunc autem requiem dedit Deus mihi, & non eſt Sathã nec occurſus malus, id eſt, non eſt aliquis, qui poſſit contra me pugnare, aut velit, vt patet 3. Reg. ca. 5. & tamen non durauit hoc tota vita Salomonis, quoniam ad ſenectutem eius fuit infœlix: habuitque aduerſarium Idumæum, qui nimis inquietabat eum. Habuit etiam aduerſarium Razon qui factus eſt princeps latronum. De hoc 3. Reg. 11. cap. Fuit autem illa aduerſitas, quia Salomon declinauit ad idola, & admonitus à Deo non deſtitit, vt patet præalle. cap. *Qui benedixerit tibi erit ipſe benedictus*. Id eſt tantum bonus, & fœlix reputaberis, quod benedicentes tibi aliquod bonum inde ſe cõſequi putent, quod eſt eſſe benedictum: Benedicere enim eſt bona prædicere, vel imprecari, eſſe autem benedictum eſt in bonis eſſe augmentatum, quia benedictio augmentationem, & maledictio diminutionem ſignat, vt patet 2. Corint. capit. 9 vbi opponitur benedictio auaritiæ: ſed auaritia ſignificat diminutionem: ergo benedictio augmentationem. Aliter poteſt intelligi. Qui te benedixerit, id eſt in tua benedictione, & proſperitate defendere cupierit, erit benedictus, id eſt Deus defendet illum: vnde quando aliquæ gentes bene, & amicabiliter cum Iudęis ſe habebant magis conſeruabantur à Deo, vt patet ex proceſſu hiſtoriarum totius ſacræ Scripturæ: vnde Iudæi pro talibus gẽtibus Deum rogabant eo modo, quo licitum erat pro eis orari, & pro aliis benefactoribus Gentilibus, ſicut pro rege Seleuco Syriç, qui omnes ſumptus pertinentes ad ſacrificia erogabat in ſanctuario Domini, qui ſatis magni ſunt. De hoc 2. Mach. c. 3. *Qui maledixerit tibi in maledictione reputabitur*. i. ſi aliquis tibi maledixerit, vel mala infligere voluerit reputabitur maledictus, velut ſiquis ſanctis Dei maledireret ille, vt maledictus haberetur, ita quia iſti in magna bonitate reputabãtur, maledicentes eis mali, & infœlices ęſtimabantur. Hoc aũt erat quando Iſraelitæ toto corde Deo adhærebant. Vel qui maledixerit tibi, id eſt, priuauerit te bonis tuis: in quo augmento conſiſtebat benedictio Hebræorum, erit maledictus, quia Deus huiuſmodi viros multum puniebat, ſicut patet de omnibus hoſtibus Iudæorum quando Iudæi Deum colebãt. Ponuntur autem iſta verba ad concluſionem intentionis Balaã: poſtquam enim multa bona de Iudæis annunciauerat, dixit, quod qui maledicetet Iudæis eſſet maledictus, & ob hoc ipſe non poſſet maledicere Iſraelitas, nec conaretur ad hoc ne efficeretur maledict⁹. Etiam per hoc diſſuadebat regi Balac, ne Iudæos maledici vellet, quia ex hoc ſe maledictum certiſſime cognoſceret. Iſta autem dicebat Balaam iam vlterius non maledicturus. An autem nunc diceret iſta coactus, ſicut præceden. capitu. faciebat, vel quia iam nullo modo vellet maledicere Iſraelitis non conſtat, ſatis tamen patet ex ſupra declaratis, quod cum cœpit loqui iſta, erat ſimpliciter volens non maledicere: ideo non iuit ad quærendum augurium, ſicut præcedentibus vicibus, in quibus licet bona diceret: mala tamen ſemper faciebat explens cæremonias ad maledicendum, & tamen poſt hoc immediate apparuit in Balaam voluntas maledicendi: nam cum infra conquereretur rex Balac de Balaam, reſpondit, quod quamquam non potuerit maledicere, daret conſilium quid facere deberent Moabitæ contra Iſrael. D

Iratuſque Balac contra Balaam, comploſis manibus ait. Ad maledicendum inimicis meis vocaui te, quibus è contrario tertio benedixiſti. Reuertere ad locum tuũ. Decreueram quidem magnifice honorare te, ſed Dominus priuauit te honore diſpoſito. Reſpondit Balaam ad Balac. Nonne nuncijs tuis, quos miſiſti ad me, dixi. Si dederit mihi Balac plenam domum ſuam argenti, & auri, non potero præterire ſermonẽ Domini Dei mei, vt vel boni quid, vel mali proferam ex corde meo: ſed quiquid Dominus dixerit, hoc loquar? Veruntamen pergens ad populum meum dabo tibi conſilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore. Sup. 22

Iratuſque Balac. Hic ponitur ſecundum huius cap. ſcilicet Balac, & Balaam ſuper hoc diſceptatio, nam cum Balac audiuit, quæ dicebat Balaam exarſit contra eum vehementer quare hoc feciſſet, vt patet infra, & dicitur. *Iratuſque Balac.* Scilicet, magis nunc quam in aliis vicibus iratus eſt, quia plura bona nunc prænunciauit Iudæis, quam prænunciauerat aliis vicibus. Balac enim non conquerebatur principaliter de Balaã, quia non maledicebat Iſraelitis, exiſtimabat enim eum à Deo impediri, ſed conquerebatur, quod benediceret Iſraelitis, ſic patet præcedenti ca. cũ dixit Balac. Non maledicas ei, nec benedicas. Nunc autem nimis benedicebat, ideo nimis iratus eſt Balac, & maxime irat⁹ eſt, quia ex hoc ſignificabatur ipſum eſſe maledictum cum dixiſſet Balaam, quod qui maledireret Iſraeli eſſet maledictus, ſed hoc maxime faciebat Balac rex, *Comploſis manibus ait*. Id eſt, manibus ligatis. eſt autem hoc ſignum magnæ deſolationis, & triſtitiæ quando homo neſcit quid agat, & ita erat in Balac rege, quia iam neſciebat aliquod remedium, quo abigere poſſet Iſraelitas de terra ſua. *Ad maledicendum inimicis meis vocaui te.* Conqueritur de Balaam, quia non fecit, ſicut ipſe petebat: petiit enim, quod malediceret Iſraelitis, ipſe autem benedixit. Vocauit autem rex Moab Iſraelitas inimicos ſuos: non quod eſſent vere inimici ſui, ſed quod ipſe eos inimicos eſſe exiſtimaret: nam Iſraelitę non intendebant nocere Moabitis, vt patet Deuteron. cap. 2. quamquam ab eis prouocati fuerint ponendo occaſionem Iſraelitis, ſcilicet, per fœminas, & ſacrificia, propter quæ perierunt de populo 24. millia virorum, vt patet ſequen. cap. Inimicus tamen eſt nomen relatiuum æquiparantiæ: ideo nemo inimicus eſſe poterit, niſi alium habeat inimicum, ſed Iſraelitæ nõ erant huiuſmodi: ergo Moabitæ non erant inimici Iudæorũ, nec Iudęi inimici Moabitarum, quamquam Moabitæ Iudęos exoſos haberent hoſtilia corda ad illos gerentes. Dicitur autem hic ad maledicendum vocaui te, quia non ſolum, vt Propheta occultorum cognitor, & reuelator Balaam reputabatur, ſed etiam, vt potens opere, & ſermone maledictionem, & benedictionem inducere, qui autem pure Propheta eſt ſolum abſcondita reuelat, ſed virture ſua nihil mali aut boni efficere poteſt: ſi autem Balaam ſolum Propheta reputatus fuiſſet non recte conquereretur de eo Balac, quia Propheta nihil aliud quam cognoſcere dicere debet. Etiam non vocaretur ad maledicendum, ſed ad declarandum fortunam populi Hebræorum ſecundum intentionem Gentilium. Maledicere autem eſt aliquid mutare in re, quod intelligenti ſolum nõ competit, ſciebat enim Balac, quod Balaam inuitus benedicebat, quia ſi putaſſet eum hoc voluntarie facere, occidiſſet illum, & patet, quia dicitur infra decreueram re magnifice honorare, ſi autem iſte voluntarie benedixiſſet, non priuaret eũ Deus honore, ſed ipſe ſeipſum priuaret, ideo non erat conqueſtio Balac multum rationalis contra Balaam, quia ex impotentia agebat, dicebat tamen hoc præ magnitudine iræ, quia erat afflictus nimis non habens aliquod remedium contra Iſraelitas. *Quibus è contrario benedixiſti tertio*. Id eſt, contra intentionem meam benedixiſti Iſraelitis tribus vicibus. hoc patet ex ſuperiori, quia ter fuerat conatus Balaam maledi-

A cere Iſraelitis conſtituens aras, & ponens holocauſta, & qualibet vice Deus ponebat verbum in ore eius compellens benedicere. De duabus vicibus primis habetur præcedenti cap. de tertia habetur hic.

Reuertere ad locum tuum. Id eſt, quia non potes mihi proficere maledicendo Iſraelitas vade in terram tuã, quia ad nihil aliud vocaui te. Hoc etiam dicebat Balac iratus, nam quamquã non poſſet maledicere Balaam poterat ab eo inquirere aliqua conſilia, ſicut Balaã non inquiſitus dixit ſe daturum conſiliũ, quia tamen iratus erat, nimis moleſtum erat ei videre Balaã, ideo voluit, quod iret in terram ſuam à facie eius.

Decreueram quidem magnifice honorare te. Id eſt, ſi potuiſſes maledicere Iudæis, ſicut ego volebam, ego diſpoſueram apud me facere tibi valde magnum honorem, ſ. ditare eum nimis, & conſtituere eum in poteſtate magna, ſic dixit illi cum miſit ad vocandum ſupra cap. 22. Ne cuncteris venire ad me paratum honorare te, & quidquid volueris dabo tibi. Erat autem hoc valde rationabile, nam ſi potuiſſet Balaam maledicere Iſraelitis, ſicut intendebat rex Moab, ſcilicet, quod ille, qui maledíceretur à Balaam, eſſet maledictus ſupra cap. 22. potuiſſet ſuperare, & delere Hebræos, & caperet infinitam prædam eorum, atque duo regna Amorrhæorum, quæ iam ipſi cœperant. Hæc autem omnia erant duplo maioris valoris, quam totum regnum Moab: ideo ſi Balaam potuiſſet maledicere Iudæos valde magna bona ei danda eſſent, & hoc eſt magnifice honorare. Dixit autem magnifice, quia proprie magnificentia eſt circa talia. Sũt enim duæ virtutes in erogatione pecuniarum, vel in expenſis faciendis, ſcilicet, magnificentia, & liberalitas, quæ habent idem obiectum materialiter, ſed differunt per quantitatẽ, ſcilicet, quod liberalitas eſt circa quotidianas, & paruas expenſas: magnificentia autem eſt in valde magnis ſumptibus, & elargitionibus. De his Ariſt. 4. Eth. ſed Balac rex erat daturus valde magna prophetæ Balaam ſi maledicere potuiſſet: ideo proprie erat iſta magnifica honoratio. *Sed Deus priuauit te honore diſpoſito.* Id eſt, Deus fecit ne haberes id, quod ego diſpoſueram dare tibi. In hoc innuit rex Balac ſe intelligere, quod Balaam coactus eſſet ad faciendum hæc, quia dicit, quod Deus priuauit eum honore, id eſt, fecit ne poſſet maledicere, & per hoc careret honore, quem ei dare diſpoſuerat.

Quare Balac dixit q̃ debebat honorare Balaã ſi potuiſſet maledicere Hebræos.

B

Magnificentia & liberalitas qũo differunt.

Quis eſſet Deus, quem Balac dixit priuaſſe Balaam multis bonis.

QVÆSTIO IV.

QVæret aliquis, quis Deus eſſet iſte, de quo loquebatur Balac rex, quod priuaſſet Balaam honore diſpoſito. Nã non videtur poſſe intelligi de diis Gentilium, qui ſeruiebant in auguriis, quia iſti non impediuiſſent Balaam. Aliquis forte dicet, quod intelligitur hoc de Deo vero, qui priuauit Balac deſiderio ſuo, & Balaam poteſtate maledicendi. Sed tunc obiicietur, quod iſte cognouiſſet verum Deum profitendo poteſtatem eius. Ad hoc autem faciliter reſponderetur non eſſe inconueniens, quia Deus verus naturaliter cognoſci poteſt, & multa eius attributa, vt quod eſt æternus. Sic declarat Apoſtolus ad Roma. cap. 1. Sed tunc arguetur, quod ſi cognouiſſet rex Moab verum Deum conuerſus fuiſſet ad cultum illius, ſed non fuit conuerſus. Ad iſtud tamen reſponderi poteſt, quod non ſequitur: nam Philoſophi cognouerunt verum Deum per ordinem cauſarum agentium naturalium, & tamen non coluerunt eum, ſic patet ad Roma. ca. 1. ſcilicet, qui cum Deum cognouiſſent, non vt Deum glorificauerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Magis tamen reſponderi conuenit, quod iſte Deus, quem dixit hic rex Moab impediuiſſe operationẽ Balaam, non fuerit verus Deus, quem colebant Iſraelitæ, ſed æſtimabat eſſe aliquem alium de diis Gentilibus: nam Gentiles ponebant eſſe multos Deos, ſiue ſpiritus, & non habere eundem vigorem, ideo dii potentiores impediebant operationem minorum deorum, vel eam tollebant, ſicut eſt in omnibus agentibus naturalibus, quod minor virtus prohibetur agere à maiori. Et tamen quis eſſet iſte Deus non determinabatur, quia multos credebat eſſe Balac, & quod iſte Deus, qui nunc impediuit Balaam eſſet potẽtior diis, qui adiuuabant eum in maleficiis iſtis: ſic enim dixerunt malefici Pharaonis, quando facientes omnia prodigia, quæ faciebat Moyſes non potuerunt facere cyniphes: dixerunt enim Digitus Dei eſt hic, id eſt, alius Deus ſuperior eſt, qui impedit operationem noſtram. Si tamen vellemus dicere, quod intellexit rex Moab ex hoc virtutem veri Dei, & non fuit conuerſus ad ipſum. Poterit reſponderi, quod neſciebat, ad quem conuerteretur, nam licet ſciret aliquem eſſe verum Deum, tamẽ neſciebat an ille eſſet, qui colebatur à Iudæis, vel ab aliis gentibus, ideo non conuerteretur ad aliquem Deum propter cognitionem iſtam. Sed primus modus reſpondẽdi melior eſt, ſcil. quod putauerit eſſe aliquem Deum de Gentilibus potentiorem diis Balaam. *Reſpondit Balaam ad Balac.* Quia conquerebatur Balac tanquam Balaam egiſſet aliquid iniuſtum, excuſat ſe Balaam, quod nihil culpabile egerit, cum nihil aliud agere poſſet. *Nonne nuncijs tuis, quos miſiſti ad me, dixi.* Conſiſtit excuſatio Balaam in hoc, quod ipſe non peruenit dicere aliquid regi Moab, quod malediceret Iudæis, ſed ab eo perſuaſus eſt, vt veniret ad maledicendum. Si autem Balaam dixiſſet da mihi aliquid, & ego maledicam Iſraelitis: ſi poſtea benediceret eis, vel nõ poſſet maledicere, eſſet culpabilis, quia promiſerat ſe facturum id, quod facere non poterat; & ad hoc ſollicitauerat, ideo etiãſi impediretur à Deo ne malediceret eſſet culpabilis, quia non debuiſſet promittere tanquam certum id, quod facere non poterat. Item ſi rex Moab primo ſollicitaſſet Balaam, vt malediceret, & ipſe dixiſſet, quod malediceret, erat aliquo modo culpabilis, etiamſi poſtea impediretur, quia tamen ipſe ſemper dixit, quod non poſſet facere aliud, niſi quod Deus ei iuberet, ſiue benedicere, ſiue maledicere, & poſtea Deus prohibuit maledictionem, non erat ipſe culpabilis. *Si dederit mihi Balac plenam domum ſuam argenti, & auri.* Dixit hoc Balaam, quia erat impoſſibile, & per hoc confirmabatur ratio ſua, ſcilicet, quod dato, quod Balac daret ei domum ſuam plenam auro, & argento, non poſſet immutare verbum Domini, ſed erit impoſſibile, quod Balac daret ſibi hoc, ergo magis impoſſibile erat, quod ipſe immutaret verbum Domini. *Non potero præterire ſermonem Domini Dei mei.* Accipit hic non poſſe, id eſt, non poſſe de iure, nec de facto, quia licet de iure non eſſet licitum, quod Balaam mutaret verbum Domini: tamẽ ſi poſſet de facto immutare, immutauiſſet. Quod patet, quia ſæpe conatus eſt maledicere, quamquã Deus hoc vetuiſſet. Et licet Deus dixiſſet ei in itinere, quod cum veniret in terram Moab non malediceret Iſraelitis: tamen veniebat cum intentione maledicendi, vt patet ſupra 22. cap. ſed dixit, quod non poſſet immutare verbum Domini, ſcilicet, de iure, nec de facto, quia cohiberet eum, & dixit hic: Sermonem Domini Dei mei, in quo Deum accepit pro Deo vero. cognoſcebat enim Balaam Deum verum, quia receperat ab eo reuelationes, & ſciebat poteſtatem illius, de dæmonibus autem ſatis intelligebat, quod non poſſent eum prohibere à benedictione, vel maledictione, nam etiamſi poſſent, non facerent, ſed magis adiuuarent. De Deo autem vero timuit, quia ipſe non conſentit maleficia, quia non eſt Deus volens iniquitatem, vt patet Pſalm. 5. etiam, quia inhibuerat ei maledicere, vt patet ſupra capit. 22. *Vel, vt boni quid, vel mali proferam ex corde meo.* Id eſt, nõ potero proferre ex corde meo, id eſt, à me ipſo aliquid bonum, vel malum, id eſt benedictionem, vel maledictionem. Dicitur aliquis proferre ex corde ſuo, quando ea, quæ ipſe concipit profert, & non ea, quæ ſibi dicuntur, quia ibi cor eſt principium iſtorum, quæ proferuntur. Cum autem proferimus ea, quæ alii nobis dicunt, non eſt in nobis primum principium iſtius prolationis, ſed ab alio. *Sed quidquid Dominus dixerit hoc loquar.* Id eſt, ſiue dixerit, quod benedicam, ſiue quod maledicam, hoc faciam. *Veruntamen pergens ad populum meum dabo conſilium.* Hic vult Balaam aliquo modo conſolari regem Balac, nam excuſauerat ſe, quod Deus non permiſerat eum maledicere: ideo quia non poterat per iſtum modum ſuperare Iſraelitas: dixit, quod ipſe daret cõ-

Quare Balac dixit q̃ debebat honorare Balaã ſi potuiſſet maledicere Hebræos.

D

E

F

C

ſilium qualiter ſe haberent Moabitæ contra Iſrael.

Quare Balaam antequam daret consilium Balac iuit in terram suam.

QVÆSTIO V.

SEd dicet aliquis, quare dixit Balaam, quod cum iret in terram suam, daret consilium. Cur enim non dabat immediate? Respondebitur, quia credebat, quod nõ posset malum aliquod dicere contra Iudæos cum staret coram rege Balac, sicut iam experimẽto didicerant, sed putabat, quod cum iret in terram suam relinqueret eum spiritus Domini, & tunc posset loqui malum, quod conceperat, & dicitur: Pergens in terram meam, id est, quãdo perrexero, & iam stetero in terram meã, vel quando fuero in itinere elongatus à te, quia etiamsi nunc recedere vellet, dum tamen coram rege Balac stabat, credebat se non posse loqui: perrexit autem in terram suam, scilicet, in terram Mesopotamiæ, quia de ipsa venerat, vt patet p̃cedenti cap. scilicet, de Haram vocauit me Balac rex Moabitarum de montibus orientis, id est de Mesopotamia, & Deuteron. 23. ca. dicitur, quod conduxerunt Moabitæ Balaam de Mesopotamia Syriæ. Et quamquã reuersus fuerit Balaam in Mesopotamiam, tamen non mansit ibi, quia postea reuersus est in terram Madian, cum ibi occisus fuerit cum Madianitis, vt patet infra 31. cap. & Iosue 13. cap. fuit autem hoc, quia forte Madianitæ suaserunt ei, vt habitaret in terra eorum nimis honorantes eum, & ipse consensit illuc ire, sed quia primo debebat expedire negotia sua, iuit in terram Mesopotamiæ, vt ibi dispositis rebus suis, rediret in terram Madian. *Dabo consilium.* Et hoc innuit Balaam, quod benedictio, vel maledictio, quam ipse alicui populo prædicebat, non erat ex virtute sua sed Dei, quia nunc relictus suæ malæ voluntati non poterat maledicere, malum aliquod irrogando, sed consilium dare, quod ad hominem sapientem, non autem potentem, & efficacem pertinet. *Quid populus tuus huic populo faciat in extremo tempore.* Id est, ego consulam aliquid, per quod populus tuus, id est Moabitæ, præualeat contra istum populum Israel. Secundum istam punctuationem literæ, scilicet, quid faciat populus tuus huic populo in extremo tempore: oportet dici, quod consilium, quod dedit Balaam, fuit quomodo se haberent Moabitæ contra Israelitas in tempore multum distanti, scil. post futurũ: ergo consilium de fornicatione Moabitidarum mulierum cum Hebræis, & immolatio Beelphegor non fuit datum à Balaam, quia ista immediate facta sunt, scil. cum essent Israelitæ circa Iordanẽ, sed infra 31. c. dicitur, quod Balaam dedit consilium qualiter fœminæ Moabitarum per fornicationem deciperent Israelitas: ergo oportet literam istam aliter punctuari, scilicet, Dabo consilium, quid populus tuus huic populo faciat, & ibi sit finis clausulæ, & est sensus. Ego dicam tibi quid faciant nunc Moabitæ contra Israelitas, scilicet, dando consilium de mulieribus exponendis in lupanari, per quod Moabitæ multum nocuerunt Israelitis. Et tunc sequitur alia clausula, scilicet, in extremo tempore, id est, etiam dicam tibi quid patietur populus tuus à populo Hebræorum in extremo tempore, id est, multum longe post hoc, & ideo ista, quæ sequuntur, id est, prophetice dicta sunt mala, quæ Iudæi Moabitis fecerunt tempore Saul, & Dauid multo tempore post hoc. sed ista expositio est multum distorta, quia facit clausulam per se illam particulam in extremo tempore, quæ non potest esse clausula, sed est determinatio verbi suprapositi, scilicet, faciat. Item non stat, quia dicitur, dabo consilium, tamen consilium non est de his, quæ patimur, sed de his, quæ agimus, cum passio non sit in potestate nostra, quando patimur, sed sola actio. Etiam, quia dixit, quod pergens in terram suam daret consilium de eo, quod facere deberet populus Moab Israelitis in extremo tempore, & tamen ista, quæ sequuntur, quæ dicebantur esse mala, quæ fecerunt Israelitæ Moabitis in extremo tempore, non dicta sunt à Balaam postquam perrexit in terram suam, sed ibi corã rege Balac, & post ista sequitur, quod iuerit Balaam in terram suam. sed est exponenda litera, ita quod tota ponatur sub vna clausula, & tunc est sensus, quod Balaam daret consilium regi Balac, quid populus suus, id est, Moabitæ facerent Israelitis in extremo tẽpore, scilicet, quod deciperent eos ponendo fœminas in lupanari. Et istud fuit in extremo tempore, id est, postquam iuit Balaam in terram suam, quoniam aliquando Scriptura vocat dies vltimos, vel tempus extremum, siue in sempiternum id, quod durabat vsque iobelæum dicebatur durare in sempiternum, & tamen si aliquis fuisset seruus effectus duobus annis ante iobelæum, & teneretur manere vsque in iobelæum per legem, quæ habetur Exo. 21. ca. & Deuteronom. 15. dicebatur manere vsque in sempiternum, & sic extremum tempus, in quo Balaam esset in terra sua postquam illuc perrexisset vocatur hic extremum tempus, vel tempus vltimum, quo manerent Israelitæ in mansione illa, in qua tunc erant: sed primum verius est, scilicet, postquam veniret Balaam in terram suam, fuit tamen paucum tempus hoc, quoniam in eodem anno venerunt Israelitæ de Cadesbarne in circuitu terræ Seir, & Moab, & pugnauerunt contra duos reges Amorrhæos, & facta sunt hæc, quæ dicuntur de Moabitis, & postea in mense 11. anni eiusdem in principio Moyses scripsit, atque prædicauit Deuteronomium: ideo non potuit esse magnum tempus ex eo quo stetit Balaam in terra Moab ad maledicendum Israelitas: vsquequo datum est consilium de ponendis mulieribus Moabitarum in lupanari, & factum est hoc: ideo forte nõ fuit spatium duorum mensium, quia Aaron mortuus est anno 15. ab exitu de Aegypto mense 5. eiusdem anni, vt patet infra 33. cap. & tunc erant Israelitæ in monte Hor, vt patet eodem capitul. & supra 20. post hoc autem circuerunt montem Seir, & ambulauerunt in circuitu terræ Moab, & pugnauerunt contra duos reges Amorrhæorum capientes totam terram eorum, & factum est hoc, quod dicitur de maledictione Balaam, & de consilio eius contra Israelitas, & traditum est executioni, postea autem pugnauerunt Israelitæ contra Madianitas destruentes totam terram eorum, & facta sunt omnia ista in sex mensibus, scilicet, à principio mensis quinti vsque ad finem decimi: nam in principio mensis vndecimi anni eiusdem primo die mensis incœpit Moyses exponere Deuteronomium vt patet Deuteron. capitul. 1. & immediate post hoc mortuus est, vt patet Deutero. ca. vlt. ergo cum diuisa fuerint omnia ista per menses sex modicum tempus poterit correspondere ab eo, quo recessit Balaam de terra Moab vsquequo dedit consilium contra Israelitas. Considerandum autem circa istud consilium, quod Balaam cognoscebat se non posse maledicere Israelitis, quia Deus tunc conseruabat illos valde, quia non declinabant ab eo per aliquod vitium: cum autem declinarent ab eo tradebat eos in manus hostium: ideo cogitauit Balaam, quod si posset facere vt caderent Israelitæ in iram Dei, possent faciliter tradi in manus Moabitarum, & quia nihil erat, per quod Deus magis irasceretur Israelitis quam per idololatriã, excogitauit quomodo posset eos deducere ad idololatriã, & quia nullus magis suaderet eis hoc, quam pulchræ virgines Moabitarum, & Madianitarum blanditiis suis eos ad hoc trahentes: iudicauit virgines ornatas Moabitarum, & Madianitarum ponendas esse apud castra Israel cum idolis suis, & cum cibis consecratis illis, & quod non permitterent quemquam de Israelitis accedere ad eas, nisi sumeret de cibis consecratis, & coleret Deos illos: sic autem illarum fruerentur concubitu quod factum est, vt patet sequenti capit.

Consilii Balaã contra Israelitas

Sumpta igitur parabola, rursum ait: dixit Balaam filius Beor: dixit homo cuius obturatus est oculus: dixit auditor sermonũ Dei, qui nouit doctrinã altissimi, & visiones omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos. Videbo eum, sed non modo, intuebor illum, sed non prope. Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. Et erit Idumæa possessio eius: hæreditas Seir cedet inimicis suis: Israel vero fortiter aget. De Iacob erit, qui dominetur, & perdat reliquias ciuitatis. Cumque vidisset Amalech assumens parabolam, ait. Principium gentium Amalech, cuius extrema perdentur. Vidit quoque Cinæum, & assumpta parabola, ait: Robustum quidem est habitaculum tuum, sed si in petra posueris nidum tuum, & fueris electus de stirpe Cin, quamdiu poteris permanere? Assur enim capiet te. Assumptaq; parabola, iterũ locutus est. Heu, quis victurus est, quando ista faciet Deus: Venient in

Supra eo. Prophetia Balaã de Christo.

Prophetat Balaã de diuersis populis.

trieri-

Quod fuit cõsiliũ q̃ dedit Balaã Balac.

A

trieribus de Italia, ſuperabunt Aſſyrios: vaſtabuntq; Hebræos, & ad extremum etiam ipſi peribunt. Surrexitque Balaam, & reuerſus eſt in locum ſuum: Balac quoque via, qua venerat, redijt.

Sumpta igitur parabola ſua. Hic ponitur tertium huius cap. ſcil. de multis gentibus prophetica annunciatio. Nam cum dixiſſet Balaam ad Balac, quod cum pergeret in terram ſuam, daret conſilium, quid facerent Moabitę Iſraelitis, pergere parabat, & tunc irruit in eum ſpiritus Domini, & dixit iſta, quæ ſequuntur vſq; ad finem ca. prophetans de multis gentibus, & dicitur ſumpta parabola ſua, id eſt, incipiens parabolice, vel ſub figura loqui, quia iſta, quæ dicuntur hic aliqua obſcura erant, & transformata. *Dixit Balaam filius Beor.* Iſtud non eſt aliquod propheticum, ſed eſt exordium quoddam ad ea, quæ prophetare debebat quæ incipiunt ibi: videbo eum ſed non modo, & dicitur. *Dixit Balaam.* Quia ipſe loquebatur de ſeipſo cum ſpiritus propheticus ſic eum moueret. Dicet autem aliquis, quod Balaam non dixit iſtam clauſulam, ſcil. dixit Balaam, ſed Moyſes, quando iſta ſcripſit appoſuit iſtam clauſulā. Tamen non ſtat, quia hic ſunt duo verba ſimul ſignificantia dicere, & vnum pertinet ad Moyſen ſcriptorem, & aliud ad Balaam loquentem, ſcilicet, ſumpta parabola ſua ait: Dixit Balaam: ſi tamen Moyſes appoſuiſſet iſtam clauſulam ſolum poneretur vnum verbum iſtorum, ſcilicet, ait, vel, dixit: ergo Balaam incœpit loqui ſic, ſcilicet, Dixit balaam filius Beor. Nec eſt iſtud nouum in prophetis, quia prophetæ multa loquuntur de ſeipſis mouente ſpiritu prophetico, quæ alias non loquerentur. Sic dixit Moyſes de ſeipſo ſupra cap. 12. Erat enim Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes, qui morabantur in terra. Quod pertinebat ad magnam laudem, & manifeſtum eſt, quod Moyſes non dixiſſet iſtud de ſe, ſi ipſe loqueretur à ſeipſo non motus à Deo, quia videretur eſſe arrogans, ita ergo de Balaam eſſet, quod ipſe aliqua diceret motus à ſpiritu prophetico, quæ alias dicturus non eſſet. *Dixit homo cuius obturatus eſt oculus.* Ad idem pertinet: iſtemet enim eſt Balaam, & dicitur oculus eius obturatus, id eſt clauſus, quod refertur ad intellectum, vt declaratum fuit ſupra, vbi ponebatur iſta litera. ſcilicet, quod intellectus Balaam erat obturatus, quia ante reuelationem propheticam non intelligebat aliquid magis quā alij homines, ſicut fit de omnib. prophetis, poſtea autem intelligit omnia illa, ad quæ eleuatur ſupernaturaliter, vt cognoſcat: vnde oculus eius, id eſt, intellectus ſimpliciter erat obturatus quantum ad iſta cognoſcibilia ſupernaturaliter, quia nihil omnino de illis cognoſcebat, ſed poſtea fit cognitio per reuelationem. *Dixit auditor ſermonum Dei.* Ad idem pertinet, quia etiam iſte eſt Balaam. & vocatur auditor ſermonum Dei dupliciter: vno modo, quia aliquando apparebat ei Angelus in aſſumpto corpore, & loquebatur aliqua, quæ Deus iubebat, & tunc audiebat voces veras, quæ vocantur voces Dei. i.

C Angeli Dei. aliquando autem formabatur voces ad Balaam, ſicut ad alios prophetas non apparente aliquo corpore, in quo illæ voces formarentur, & etiam erant tunc illæ voces reales, quas vere audiebat Balaam. Secūdo modo poſſunt accipi ſermones Dei pro omni reuelatione facta à Deo, ſiue ſit per ſolum motum phantaſiæ, ſiue per eleuationem intellectus, qa omnia per quæ aliquid nobis ab altero ſignificatur, ſermones vocantur, & vtrumq; erat in Balaam.

Qui nouit doctrinam altiſſimi. Id eſt, qui cognoſcit ea, quæ Deus docet: Deus enim interius illuſtrando docet, & ſic prophetas conſtituit inſtruendo eos de occulto ſibi cognito. Balaam autem cognoſcit doctrinā altiſſimi, quia Propheta erat, & diuina ſibi reuelabantur, & ſic interius docebatur. *Et viſionem omnipotentis videt.* Id eſt Deum videt. Omnia hęc referūtur ad Balaam, & erant proprietates prophetiæ eius: dicitur autē improprie, quod videret Balaam viſionem, quia viſio eſt, per quam videmus, & non eſt ipſa viſibilis: maxime, quia iſta dicitur eſſe viſio Dei, viſionem. autē alterius minus videbit quiſquam quam viſionem ſuam etiamſi viſibiles eſſent. Sed eſt ſenſus, quod videt viſionem Domini, id eſt Deum, & hoc dupliciter intelligitur, ſicut dicebatur de auditione ſermonum: vno modo referendo ad apparitionem realem Angeli, quia interdum Angelus apparebat Balaam ad annunciandum ei aliquid, ſicut fuit in via cum veniret in terram Moab, quia tunc apparuit ei in medio viarum euaginatum habens gladium, & ille Angelus vocabatur Deus, quia apparebat loco Dei, vel tanquam Deus loquebatur ſupra ca. 22. Alio modo poteſt intelligi, quod Balaam videbat Deum, ſcilicet, intellectualiter, quia Deus ſecundum ſe non eſt viſibilis cum non ſit aliquid corporeum, ſed eſt manifeſtabilis per intellectum, & quia intellectus dicitur oculus, & intelligere dicitur videre, cū Deus reueletur per intellectum, dicetur aliquis videre Deum, quia tunc Deus ibi ſe demonſtrat faciendo aliquid ſe cognoſci ſupernaturaliter, quod alias cognoſci impoſſibile erat, & hoc modo dicimus, q beati vident Deum in vita æterna, ſic patet Matt. cap. 5. ſcilicet, Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt, & accipitur de viſione ſpirituali: ita & de Angelis dicitur: Angeli eorum ſemper vident faciē patris mei Mat. 18. cap. & iſte modus ſecundus magis accipitur hic, ſcilicet, viſio pro reuelatione prophetica, & ſic dicitur de omnibus prophetis in libris ſuis: Verbum quod vidit talis, vel talis, id eſt, quod reuelatū eſt ei. *Qui cadens apertos habet oculos.* Id eſt, quod Balaam habet oculos, id eſt, intellectum apertum, quando cadebat, id eſt, quando fiebat ei reuelatio prophetica. Dicebatur ſupra, quod habebat Balaam obturatum oculum, hic dicitur, quod habet apertos oculos, ſed vtrumque refertur ad intellectum. Primum autem ante prophetiam, cū nihil Propheta cognoſcit, ſecundum vero quando fit reuelatio, quia tunc Deus eleuat intellectum prophetæ, & facit eum habere oculos apertos, ſed hoc fit quando cadit, id eſt, prius cadit quā aperiantur oculi eius. quod intelligitur de quodam modo prophetandi Balaam, ſcilicet, quod interdum cadebat in terram antequam prophetaret, & illud erat quaſi ecſtaſis licet non eſſet vere ecſtaſis, vt declaratum eſt ſupra, & non patiebatur Balaam ſemper iſta ſed ſolum in quibuſdam reuelationibus, aliæ autem fiebant eo non cadente, vt ſupra fuit inductum. Referunt autem quidam hoc ad ſomnum, quia vnus modus cognoſcendi propheticus eſt per ſomnum, & tunc cadit Propheta, quia primo per ſoporem cadit: deinde in ſomno ſopitis omnibus corporeis ſenſibus incipit fieri imaginaria viſio, ſecundum quam Balaam prophetice immutabatur, & fit ſpecialior mentio de oculis, quam de aliis membris, vel organis ſenſitiuis, quia viſio magis iudicat, & plures rerum nobis differentias oſtendit, vt patet in principio Metaphy. Ariſt. ideo magis per oculos ſignificatur immutatio interior quam per aliquid alterum.

Videbo eum, ſed non modo. Hic incipit denunciatio prophetica Balaam, quia quod ſupra ponebatur erat tanquam proœmium, & denunciat hic de ſtatu Iudæorum, ſcilic. quomodo iſte populus ventur⁹ erat ad magnā proſperitatem, & excellentiā ſed hoc non erat futurum immediate, ſed poſt multa tempora, ideo dicitur: videbo eum, id eſt, iſtum populum Iudaicum videbo valde proſperatum, ſed non modo, id eſt, non ita cito. ſed poſtea in futuro tempore regum Dauid & Salomonis.

F

Quomodo quidam Iudæi dicunt, quod ſiquis non expoſuerit literam iſtam de Meſſia non habet locum in Scriptura ad probandum eſſe Meſſiam, & qualiter iſta litera in quibuſdam magis conuenit Dauid quam Meſſiæ, & applicatio eius quoad ſingula, & triplex expoſitio totius huius literæ in ſolo ſenſu literali.

QVÆSTIO VI.

QVod intelligatur litera iſta de populo Iudaico quantum ad exaltationem ſuam non eſt dubium, ſed iſta exaltatio fuit duplex, ſcilicet, per reges Iſrael, qui hoſtes confregerunt, & ampliauerunt terminos terræ, vel per Meſſiam, qui erat venturus de iſto populo, quod pertinebat ad magnā gloriam Iſraelitarum, ſic patet Lucæ cap. 2. ex verbis Simeonis, ſcilicet, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael, id eſt, Meſſias iſte erit lumen ad reuelationem gentium. i. ad reuelandā eis veritatē, quia prius erant in tenebris, & vmbra mortis. Etiam erat ad gloriam plebis Iſrael, id eſt, ad magnam laudem totius populi Iſraelitarum, ſcilicet, quod de ſtirpe eorum talis vir naſceretur. Ideo an litera iſta debeat exponi de exaltatione per reges, vel per Meſſiā dubium videtur: plurimi tamen Iudæorū de Meſſia exponunt. Quidam namque eorum tantum in hac parte de Meſſia pedem figunt, quod dicunt illos, qui non exponunt hoc de Meſſia negare Meſſiā.

Prophetia de Meſſia aduētu

Balaā videre Deū dupliciter intelligitur.

Sed

A

Sed Aben Ezra respondet ad hoc, quod præter istam auctoritatem aliæ sunt, quæ de Messia intelligantur, & probent illũ: ideo poterit exponi ista litera tam de Messia, quam de Dauid, quia Dauid fuit, qui maxime exaltauit regnum Iudęorum inter omnes reges tam sanctitate sua quam bellis, & videntur quædam particulæ huius literæ magis conuenire Dauid quã Messiæ: aliæ autem magis conueniunt Messiæ quam Dauid. Nec est inconueniens eandem literam duos historicos habere sensus. Sic patet in libris regum, & in libro psalmorum vbi multa de Salomone, & de Christo ad literam simul intelliguntur: licet non æqualiter: ideo ista litera exponetur dupliciter, scilicet, de Dauid. & de Messia. Primo de Dauid. *Videbo eum sed non modo.* Id est, ego videbo regem glorioſum huius populi, scilicet, Dauid, & hac visione spirituali, quoniam non erat visurus eum oculis suis cum Dauid multis temporibus post hoc fuerit, & hoc patet cum dicit, sed non modo, id est, non erit nuncille rex, sed post multa tempora, quia ego video in spiritu quando ille rex futurus sit. *Intuebor illum, sed non prope.* Eadem sententia est, sed repetuntur verba ad exornationem, sicut factum est in omnibus sermonibus Balaam p̃cedenti cap. & hic. nam intueri coincidit eum videre. Et non prope, cum non modo. Sed ponuntur alia verba, quia turpis est repetitio per eundem sermonem. *Orietur stella ex Iacob.* Ad Dauid refertur, scilicet, quod ipse fuerit stella, & fuit ex Iacob, id est, de stirpe Iacob. Vocatur autem stella propter duo scil. propter illustrationem, & propter celsitudinem: stellæ enim totum orbem illuminant. Ita. n. Dauid illustrauit, vel inclytã fecit totam gentem Hebræorum fama gestorum suorum. Et hoc, siue quantum ad sanctitatem, quia nimis placuit Deo, & ambulauit in vijs eius, ita vt Deus de eo perhiberet testimonium, scilicet, inueni virum secundum cor meum, vt patet Psal. 88. Etiam excellẽtia gestorum suorum quantum ad bella illustrauit Hebręos, quia nemo fuit, ita bellicosus inter omnes reges Israel. Cum enim esset iuuenis nõdum eleuatus ad regnum occidit Goliath Gethæum, qui erat maximus inter Philisthiim in quo fecit bellũ illustre, quia ille vir Philisthęus exprobabat agmina Iudæorum quotidie, quod nemo esset in toto Israel, qui cum eo descendere vellet ad singulare certamen 1. Reg. 17. capitul. etiam postquam fuit in regnum assumptus, claruit in bellis, nã domuit omnes hostes Hebræorum in circuitu. Etiam, vt iam nullus auderet insurgere contra eum, & post mortem eius tempore Salomonis nullus insurgebat præ timore, quem Dauid incusserat, ita significauit Salomon 3. Reg. cap. 5. dicens, quod Deus dederat omnes hostes sub vestigio patris sui, ita vt iam non supereſſet Sathã, nec occursus malus. Vocatus etiam fuit Dauid stella propter sublimitatem, quia sicut nemo potest tangere astra, ita nemo de hostibus poterat tangere Dauid, quia Deus conseruabat eum nimis. Ista litera videtur conuenire magis Dauid quam Messiæ saltem in cortice, quia illi, qui exponunt de Messia dicunt istam stellam fuisse, quæ duxit magos in Bethleem, sed non conuenit, quia ista stella dicitur orta ex hominibus, scilicet, ex Iacob, qui natiuitatem humanam signat: ergo non intelligetur de stella, quæ erat in cœlo. Item dato, quod non dicat hic, extra originem, vel materiam, tamen non potest stare, quia ista stella, quæ orta est tempore Saluatoris ad ducendum magos in Bethleem non fuit orta ex Iacob, id est, in terra Iacob, sed fuit orta in terra illorum trium regum magorum, qui venerunt ad adorandum Saluatorem, & ipsa mouit eos ad veniendum de terra sua, atque direxit vsquequo venirent in locum vbi erat puer: ergo non intelligitur de illa stella, quia nõ orta est ex Iacob. *Et consurget virga de Israel.* Replicatio est eiusdem sententiæ, quia idem significatur hic per virgam, & per stellam. Sic fiebat supra cum dicebatur: Dixit Balaam filius Beor. Et iterum: Dixit homo cuius obturatus est oculus. Et tamen idem est Balaam, & homo cuius obturatus est oculus, ideo sicut supra dicebatur stella Dauid, & ita ipse vocatur hic virga, & patet esse replicationem, quia supra ponebatur de Iacob. Hic ponitur de Israel, quod idem est: vocatur autem Dauid virga à proprietate virgæ. sc. à percutiendo; quoniam ipse percussit hostes Iudæorum sicut dicitur infra, quod percutiet duces Moab, & vastabit omnes filios Seth. Vel vocatur virga, vt alij volunt propter regalem sceptrum, quia Dauid fuit rex: & dicitur consurget, quia in stirpe Dauid à principio non fuerunt reges, sed incœperunt in stirpe Beniamin: nam primus rex Israel fuit Saul, & ipse fuit de genere Beniamin, vt patet 1. Reg. cap. 9. postea vero, quia ipse fuit nequam abiecit illum Deus faciens, quod dominaretur Dauid 1. Reg. 15. & 16. cap. Et in hoc dicebatur consurgere virga. i. nouiter nasci; quia ipse incipiebat esse rex cum prius de stirpe sua nullus fuisset rex. Sed primus sensus melior est, scilicet, quod dicatur virga instrumentum percussorium cum immediate ponatur proprium connotatum suum, scilicet, percutere, quod pertinet ad bella. *Percutiet duces Moab.* Primo enim prophetauit Balaam de eo, quod facturi erant Hebræi contra Moabitas, quam contra alias gentes, quia loquebatur ista in præsentia regis Moab: percussit autem Dauid duces Moab, quia pugnauit contra illos, & fecit sibi tributarios: atque mortificabat quos volebat, & viuificabat quos volebat. vnde faciebat funiculos de Moabitis vnum ad viuificãdum, & alium ad occidendum, nec fuit aliqua gens, quam ita affligeret Dauid, sicut Moabitas à principio: postea autem misertus illorum fecit eos tributarios, vt patet 2. Reg. 8. cap. scilicet. Et percussit Moab: & mensus est funiculo eos coæquans terræ: mensus est autem duos funiculos vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum, & impleuit funiculum ad viuificandum, & factus est Moab Dauid seruiens sub tributo. *Vastabitque omnes filios Seth.* Id est, Dauid erit tantæ potestatis, quod destruat omnes filios Seth. Secundum aliquos Seth est nomen ciuitatis in terra Moab, quam Dauid totaliter destruxit non relinquens in ea vllas reliquias, & tunc vastati sunt filii Seth, id est, omnes habitatores illius vrbis, sicut in Scriptura vocat filios Ierusalem, vel filios Babylonis omnes habitatores Ierusalem, & Babylonis: & forte fuit hoc, qa illa ciuitas Seth cecidit sub funiculo, qui erat ad mortificandum. nam duos funiculos fecerat Dauid in terra Moab: vnum ad occidendum, & alterum ad viuificandũ, vt patet 2. Reg. c. 8. & ista erat conueniens expositio si acciperetur Seth pro ciuitate. Sed tam Hebræi quã Latini non accipiunt sic. Rabi Salo. aliter legit.

Verecundiam faciet filijs Seth. Siue vastabit omnes filios verecundiæ, & intelligit, quod Dauid vastaret omnes filios Seth, qui verecundo modo nati sunt, & solum intelligitur hoc de Moabitis, & Ammonitis, qui verecunda natalia habent. Nam geniti sunt Moabitæ & Ammonitæ de Loth coeunte cum duabus filiabus suis cum inebriauerunt eum in spelunca mõtis Sodomæ, & ibi cognita maiori filia conceptus est Moab: cognita autem minori conceptus est Ammon, vt patet Gen. decimonono, sed non poterant esse verecundiora natalia, quã quod filia conciperet ex patre, vel mater ex filio. Sed iste sensus satis est alienus.

Dicendum autem, quod Seth est hic nomen viri, qui fuit tertius filius Adæ, vt patet Genes. quarto, omnes autem filij Seth sunt omnes homines, quia isti fuerunt, qui manserunt, nam habuit Adam tres filios, sc. Cain, Abel, & Seth. De Abel nullus genitus est, quia antequam acciperet vxorẽ occisus est à fratre suo: de Cain omnes perierunt diluuio: quia erant viri reprobi: sola ergo stirps Seth mansit, & ab eo propagati sunt omnes quotquot sunt: & sic cũ dicitur: vastabit omnes filios Seth: est sensus, quod vastabit omnes homines.

Sed arguetur, quod non, quia præter filios Seth fuerunt alii homines, & præter filios Cain, nam postquam genuit Seth Adam genuit etiam alios multos filios; & filias, vt patet Gen. c. 5. sc. facti sunt dies Adæ postquam genuit Seth, 800. anni, & genuit filios, & filias: ergo de illis manebit nunc aliqua posteritas præter filios Seth.

Respondendum est, quod nullus homo est nunc, nec post diluuium fuit, qui non sit de filiis Seth, nam licet ante diluuium fuerint multi filii Adæ, & quilibet eorum fecerit specialem lineam, sicut Cain, & Seth, quamquam sacra Scriptura illas enarrare non curat: tamen post diluuium nemo mansit, nisi de filiis Seth, quia in diluuio omnes homines consumpti sunt præter Noe cum tribus filiis suis, & vxoribus eorum, qui soli in arcam ingressi sunt Genes. cap. 7. Noe autem erat de stirpe Seth Gen ca. 5. ergo nemo post diluuium fuit de hominibus nisi de stirpe Seth, ideo si acciperetur hic ista litera vniuersaliter intelligeretur, quod Dauid vastasset oẽs homines, sed nõ sic intelligitur: Scriptura. n. accipit sępissime ꝓpositiones vniuersales in voce, quæ tñ secũdum rẽ non sunt vniuersales, qa subiecta earũ non distribuuntur vniuersaliter, sed supponũt pro multis, sic dicitur Gẽ. 41. Oẽs prouinciæ veniebant

B

C

D

E

F

Non est inconueniens eãdem literam duos habere sensus literales.

Dauid stella dicitur ꝓpter duo

& ista applicatur ipsũ etiam Messiæ.

Dauid vocatur virga.

an Seth ciuitas destructa per Dauid sit vel vir.

Nullus post diluuium remansit, qui non sit de filijs Seth.

A bant in Aegyptum, vt haberent escas, & tamen manifestum est, quod non veniebãt omnes prouinciæ orbis illuc, nec saltem decima pars illarum, quia non suffeciſſet eis Aegyptus pro vno mense. Sic accipiuntur hic omnes filij Seth. id est, multi, quia valde multos occidit Dauid de hostibus eorum per circuitum, vt de Philisthæis, & Syriis, Moabitis, Ammonitis, & Idumæis, & Cetharis populis Chananæorũ, qui nõdum fuerant subiecti Israelitis. vt patet per discursum secundi libri Reg.

Et erit Idumæa possessio eius. Hic ponitur prophetia contra Idumæos, & dicitur de eis immediate, quia Idumæi coniuncti sunt terræ Moab à parte meridiana. Quod satis colligitur Deuteron. cap. 2. vbi dicitur post transitum Israelitarum per filios Edom qũo immediate transierunt per terram Moabitarum per confinia Moab, & Ammon. Idem patet supra capitul. 21. vbi post transitum in circuitu terræ Seir dicitur de transitu Israelitarum per terram Moab, & ob hoc prophetabat immediate Balaam de Idumæis: nam ipse conuertebat se ad gẽtes, quæ habitabant in circuitu illius montis, in quo erat ipse tunc cum rege Moab, quod patet infr. ſ. cum vidisset Amalech assumens parabolam ait, & iterum: Vidit quoque Cinęum, & assumpta parabola ait. Ita ergo dicendum, quod postquam prophetauit de Moabitis vidit Idumæos, & locutus est de eis, & dicitur, quod erit Idumæa possessio eius, id est, Dauid, quia ipse pugnauit contra Idumæos, vt patet 2. Regum ca. 8. cum dicitur: Et posuit in Idumæa custodes, statuitque præsidium, & facta est vniuersa Idumæa seruiens Dauid, & hic completum est quod prædictum est Gen. 25. & 27. c. de Esau, & Iacob, à quibus deriuati sunt duo populi. ſc. Idumæi, & Israelitæ, & prędictum est Gen. 25. quod maior seruiret minori, id est, Idumæi seruirent Israelitis, & tamen erant Idumæi geniti fratre maiore, & Genes. 27. cap. dixit Isaac ad Esau. viues in gladio, & fratri tuo seruies. Dicitur autem, quod Idumæa erit possessio Dauid, in quo significatur aliquid vltra iura tributorũ: nam cum aliqui reges suscipiunt solum tributa de regnis extraneis, non habent aliquam iurisditionem in regnis illis, ita vt in eis obediatur quantum ad aliquid, vel iudices ponant, aut aliqua loca specialiter possideant. Ideo nihil dicuntur isti possidere in regnis illis. Dauid tamen dicebatur habere Idumæam pro possessione, ergo vltra iura tributorũ aliquid habebant. Istud autem erat, quia quamquam Dauid non esset rex Idumææ, tamen plurima loca terræ Idumææ erant de manu Dauid, & ponebat ipse ibi custodes: potissimum in locis fortissimis, qui vocantur præsidia, vt quãquam rebellare velint Idumæi non possent. Sic patet 2. Reg. c. 8. ſ. & posuit in Idumæa custodes statuitq; prędidium, & facta est vniuersa Idumæa seruiens Dauid. *Hæreditas Seir cedit inimicis suis.* Eadem sententia est cum superiori. Nam Iudæi erant hostes Idumæorũ: nam istæ duæ gentes ab vtero fuerunt hostes: patres enim earum fuerunt Iacob, & Esau: & isti duo in vtero pugnauerunt, quia Iacob supplantauit Esau tenens plantam eius manu sua, ne exiret prior Genes. 25. ca. & dum isti vixerunt, semper fuerunt aduersarij. Oderat enim Esau ipsum Iacob, & cogitabat quod postquam venirent dies luctus patris sui, occideret eũ Genes. 27. etiam postea eorum posteriores fuerunt aduersarij: semper enim conseruauerunt Idumæi iram contra Israelitas, & propter hoc loquitur contra eos Abdias capit. vnico. Deus autem prędixerat hoc Rebeccæ, antequam isti duo paruuli nascerentur, vt patet Gen. 25. c. ſ. duæ gentes in vtero tuo sunt, & duo populi ex ventre tuo diuidẽtur: populusq; populum superabit, & maior seruiet minori. Idem ergo est, quod Idumęa esset possessio Dauid, & quod hęreditas Seir cederet inimicis suis: nam Idumæa, & Seir idem sunt; quia deriuatur Idumæa ex nomine Esau. Habet autem Esau tria nomina, scilicet Esau, & Edom, & Seir: fuit autem nomen suum Esau, vt patet Genes. c. 25. & tamen quia erat hispidus in modum pellis vocatum est nomen eius Seir, quia Seir in Hebræo significat pellem, aut villositatem, vt patet præallegato ca. Item vocatus est Edõ: Edom in Hebręo significat rufum. Causa huius nominis fuit, quia petiuit à Iacob patrẽ pulmenti rufi, & vendidit ꝑ eo primogenita, vt patet Gen. 25. ſ. Da mihi de coctione hac rufa, q a oppido lassus sum: quã ob causam vocatum est nomen eius Edõ. Ista tria nomina ponit Hieronym. in prologo super Abdiã: & ex his tribus nominib. accepit nomen terra, in qua habitabant filij Esau: nam aliquando vocatur mons Seir, vt patet Deut. ca. 2. l. circuiuimus montem Seir longo tẽpore. Aliquando autem vocatur terra Edom, vt patet supra capi. 20. & 21. & ab hac vocatur Idumæa: nam Idumæa est nomen formatum de Edom secundum formam latinam. Aliquando vocatur terra ista mons Esau, vt patet Abdiæ capit. vnico. *Israel vero fortiter aget.* Id est, quamquam deprimantur Moabitæ, & Idumæi, & tamen Israelitæ fortiter agerent, id est, fortiter pugnarent contra eos, & contra omnes alias gentes hostiles: nam cum Iudæi adhærebant Deo suo, nulla gens poterat eis nocere, aut resistere. Si autem declinassent à præceptis eius tradebat eos in manus tribulantium. Aliqui ponunt hic verbum augeri, ſc. quod Israelitæ nimis augebantur in prole, & efficietur magnus populus, & hoc, quia nullus deprimeret eos: Moabitæ autem, & Idumæi efficerentur pauci, quia deprimebantur ab hostibus. *De Iacob erit, qui perdat reliquias ciuitatis.* Id est, nascetur aliquis de stirpe Iacob, q destruat reliquias ciuitatis, id est, reliquias multarum ciuitatum: sic enim aliquando ponitur in sacra Scriptura singulare pro plurali, & è cõtrario. Sic patet Exo. c. 8. ſ. venit musca grauissima. i. multæ muscæ, quia vna non poterat ꝑsequi oẽs Aegyptios, & iste modus loquendi est etiam apud poetas: sic dicit Virgil. Aeneidos lib. 2. dixerat.

Vterumq; armato milite complent.

Id est, armatis militibus. Et est talis locutio per figuram, q̃ vocatur enallage, vt agit Ebrardus in Græcismo, allegãs istud exemplum. Hoc autem conueniebat Dauid, quia cũ ipse subiecerit sibi multas gentes, & pugnauerit contra multas vrbes, destruxit reliquias multarum ciuitatum.

Prophetia contra Idumæos.

B *Quãdo verificatum ſt, q maior seruiet minori.*

C

Esau habuit tria nomina.

D

E

F

An exponi possit litera ista tota in sensu literali de Christo: & an istud de stella possit conuenienter exponi de stella, quæ direxit magos: aut de ipso Christo, qui est stella.

QVÆSTIO VII.

ALio Modo potest intelligi tota ista litera de Messia à principio vsque huc, & erit sensus literalis, cum litera vtrumque intendat, vt supra dictum est: nec pertinebat ad allegoriam, vt aliqui volunt, & incipit. *Videbo eum.* Id est Messiã, qui futurus erat de progenie Iacob, per quem maxime erat exaltandus iste populus: nam licet tempore Dauid fuerint exaltati Iudæi nimis: magis fuerunt exaltati tempore Messiæ, qui fuit ad gloriam totius Israel, & ille redemit totam gentẽ: vnde Scriptura magis de eo loquitur quam de aliquo alio: & iste erat, de quo dicitur quod benedicerentur in eos omnes gentes, quando dicebatur de Abraham, quod in semine suo benedicentur omnes gentes Genes. 12. ca. istud autem semen erat Messias, vt dicit Apos. ad Gal. 4. & de isto dicit Isaias, quod exaltabitur magis quam Abraham: & tamẽ Abraham fuit glorioſior in tota gente Hebræorum, quia sanctior aliis, & quia pater ipsorum.

2. expositio principalis huius literæ est de Christo

Sed non modo. Id est, quamquam ego videbo Messiam, sed non videbo modo, quia non veniet nunc, sed in fine sæculorum: dies enim Messiæ quando venit in carne vocantur vltimi dies, vt patet Isai. ca. 2. & Micheæ 4. vbi dicitur de monte Domini præparato in vltimis diebus: & tamen omnes etiam Iudæi exponunt illud de Messia. Balaam autem videbant nunc Messiam in spiritu, sed dicebat, quod videret eum postea. ſ. in fine sęculorum: nam Balaam non vidit adhuc Messiam veniẽtem in carne, quia licet venerit, non vidit eum. Nisi forte dicatur, quod vidit apud inferos cum descendit Messias educere animas sanctorum de sinu Abrahæ, sed ibi non poterat ꝑprie videri, quia ibi erat anima Messię, sed non Messias: etiam quia Balaam non erat ibi in carne, vt videre posset: videbit tamẽ Messiam Balaam in vltim. iudicio in generali resurrectione, quia ibi Messias in carne aderit cunctis videndus, & Balaã etiam in carne erit cum tunc surrexerit.

Intuebor eum, sed non prope. Ad eandem sententiam pertinet, ſc. quod videbit Balaam Messiam, sed non prope, quia videbit in vltimo iudicio.

Orietur stella ex Iacob. Exponendo hoc de Messia potest exponi dupliciter. Vno modo de ipso Messia quod sit stella. Alio modo de stella, quæ apparuit in natiuitate eiº, & duxit magos ad locum, in quo erat Christus. Communiter autem Do-

Stella orta ex Iaco. fi-

ctores

A

figura fuit Messiæ & figura opera Christi omnia.

ctores noſtri applicant auctoritatem iſtam ad ſtellam dirigẽte magos, ſed melius applicatur ad ipſum Chriſtum, quia dicitur hic, quod orietur ſtella ex Iacob, & ſignificat habitudinem cauſæ materialis, vel deriuationem progenici; & cum dicatur ex Iacob: neceſſe eſt, quod iſta ſtella ſit orta de Iacob ſecundum deriuationem carnis, ſed non poteſt intelligi ſic, niſi de aliquo homine, qui naſceretur, quoniam ſtella nulla naſcitur de Iacob. Item quia dato, quod vellemus intelligere, quod, ex, non importet hic habitudinem cauſæ materialis, importabit habitudinem loci, & erit ſenſus, quod orietur ſtella ex Iacob, id eſt, in terra Iacob. Sed falſum eſt, quia orta eſt iſta ſtella in terra illa, in qua tres reges morabantur, & per apparitionem illius fuerunt iſti tres reges moti ad veniẽdum dirigente eos ſtella vſque ad locum, in quo erat Chriſtus: ergo non eſt orta in Iacob, ſed in alia regione. Intelligitur autem conuenienter de Chriſto, qui vocatur ſtella, eo quod ipſe vehementer fulſit: nam interdum vocatur Sol, quia maxima lux ei conuenit, & proprie dicitur ſtella, quia actus ſtellæ ei competit, ſcilicet, illuminare: ipſe enim ad hoc venit, vt illuminaret eos, qui erant in tenebris. ſic dicitur Luc.ca.2. ex verbis Simeonis; lumen ad reuelationem gentium, id eſt, Chriſtus fuit lumen ad detergendam, vel reuelandam gentium cæcitatem. Nec ſolum pro gentilibus, ſed etiam pro Iudæis, qui aliqualiter in cæcitate erant: vnde quando Chriſtus incœpit eis prædicare, dicitur apparuiſſe lumen populis habitantibus in tenebris: ſic prænunciauerat Iſaias capi.9. ſcilicet. Primo tempore alleuiata eſt terra Zabulon, & Nephtalim, & nouiſſime aggrauata eſt via maris trans Iordanem Galilææ gentium: populus, qui habitabat in tenebris vidit lucẽ magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis. Quod intelligitur de principio prædicationis Chriſti. Sic exponit Beatus Matth.cap.4. vbi dicit, quod principium prædicationis Chriſti fuit in terra Galilææ in finibus Zabulon, & Nephtali apud mare Galilææ, quod vocatur mare Genezareth, ſiue mare Galilææ. Et dicit, quod tunc impletum eſt dictum Iſaiæ ſupra poſitum, & quia tota Saluatoris occupatio erat in eruditione, ſicut ipſe dixit Luc.c.2. Cur me quęrebatis? neſciebatis.n.quod in his, quę patris mei ſunt, oportet me eſſe? Et loquebatur de diſputatione, & prædicatione, quia tunc erat ipſe diſputans inter doctores, vt patet eodem ca. Proprie ergo Chriſtus vocatus eſt ſtella, & ipſe ortus eſt de Iacob, id eſt de ſtirpe Iacob ſecundum carnem.

Chriſtꝰ proprie ſtella dicitur.

B

Si tamen vellemus exponere auctoritatem iſtam de ſtella, quæ apparuit regibus in natiuitate Saluatoris, debet aliter dici, quod orietur ſtella ex Iacob. i. orietur q̃dam ſtella ad demõſtrandum eum, qui natus erat de Iacob: ſic.n.dixerunt tres reges, qui veniebant ad adorandum Chriſtum: Vidimus ſtellam eius: Mat.c.2. id eſt, ſtellam ſignatiuam natiuitatis illius: quia aliter non vocaretur ſtella ſimpliciter.

Chriſtꝰ proprie hic intelligitur per ſtellam

C

Stella Magos dirigens quando eis apparuit, & direxit: & quomodo venerunt ad adorandum Chriſtum.

QVÆSTIO VIII.

CIrca iſtam ſtellam aliqui multa falſa dicunt. Habent autem originem propter hoc, quod iſta ſtella videtur direxiſſe Magos in tredecim diebus à terra ſua vſque ad Bethlehem. Nam dies Epiphaniæ, in quo fuit adoratio Regum tredecim diebus eſt poſt diem Natalis, & quia volunt ſtellam illam primo apparuiſſe nato Saluatori, dicunt quod tũc incœpit dirigere reges Magos verſus terram Iudææ: prius tamen ipſi diſpoſiti fuerunt: nam videntes ſtellam continuo ſe parauerunt iteracturi. Et quia dicitur Matt.ca.ſecundo. Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venire ab Oriente in diebus tredecim, vſque Bethlehem non videbatur poſſibile: multi variant circa modum poſitionis iſtius aduentus. Aliqui enim volunt, quod apparuerit iſta ſtella vno anno ante natiuitatem Chriſti, & tunc incœperunt ſe parare illi reges ad procedendum, & venerunt tredecim diebus poſtquam natus fuerat: ita, quod habuiſſent vnum annum & tredecim dies ad veniendum & ad diſponendum ſe.

Sed iſta poſitio non ſtat, quia Magi incœperunt venire de terra ſua poſtquam natus eſt Saluator, vt patet Matt.ca.ſecundo.cum dicitur: Cum ergo natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iudææ in diebus Herodis regis, ecce Magi venerunt ab Oriente Ieroſolymam: ergo poſt natiuitatem ſuam incœpit eorum aduentus: & ſic ſolum manent tredecim dies ad veniendum.

D

Alij dicunt, quod iſta ſtella apparuit immediate, vt natus eſt Saluator, & tunc Magi incœperunt venire, ſed morati ſunt veniendo per annum vnum, & dies tredecim, nec venerunt tredecim diebus ſolum poſt natiuitatem Saluatoris, ſicut Epiphania diſtat, ſed poſt annum vnum & tredecim dies ab eius natiuitate.

Hoc tamen non ſtat, quia reges iſti venerunt ad Saluatorem in Bethlehem, & ibi inuenerunt illum, ſed poſt vnum annum & tredecim dies non erat ipſe in vrbe Bethlehem, ſed in ciuitate Nazareth: nam Ioſeph, & mater eius nõ erãt in Bethlehem, quaſi habitantes ibi, quia habitatio eorum erat in Galilæa in vrbe Nazareth: ſolum autem venerunt in Bethlehẽ, quia exierat edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis, & quilibet iret in ciuitatem, de qua oriundus erat, vt ibi profiteretur. & ob hoc Ioſeph receſſit de ciuitate Nazareth cum MARIA coniuge ſua vadens in vrbem Bethlehem, & accidit, vt ibi complerentur dies pariendi, atque pareret. Manſerunt autem in eadem vrbe vſque ad tempus, quo mater eius purificari debuit, ſc. in 40. die, & tunc aſcendit Ioſeph cum ea de Bethlehem in Ieruſalem, vt ibi fieret ſecundum conſuetudinẽ legis pro puero nato. Cum aũt factum eſt aſcenderunt in vrbem ſuam Nazareth in Galilæam. Hęc omnia patent Luc.cap.2. ergo videtur quod non potuit inueniri Saluator noſter in vrbe Bethlehem niſi quadrageſimo die ad plus poſt natiuitatem ſuam, ſed iſti reges inuenerunt eum in Bethlehem, vt patet Matt.ca.2. ergo nondum fluxerunt à natiuitate ſua dies quadraginta, cum venerunt reges in Bethlehem, ſed ſolum dies tredecim, qui ſunt inter Natalem Domini, & Epiphaniam.

E

Alij autem ob hoc dixerunt, quod reges iſti venerunt die decimotertio poſt natiuitatem Domini in Bethlehem, & nõ receſſerunt de terra ſua ante natiuitatem, quia non apparuit prius ſtella, & quia videbatur eſſe difficile, imo impoſſibile, quod à terra Orientes vſque Ieruſalem venirent iſti reges in diebus tredecim dixerunt, quod venerunt ſuper dromedarios, qui ſunt animalia velociſſima, & poſſunt quolibet die multum de itinere conficere, & in his ambularent in diebus tredecim, vel paucioribus, quod alias non poſſent pertranſire in multis diebus. Sed adhuc nemo nos cogit ad hanc expoſitionem. Si enim proprie accipiantur partes orientales, etiam non ſufficiet iſtud tempus, vt in dromedariis poſſent peruenire reges iſti in Ieruſalem tam breui tempore: nam proprie Oriens eſt in fronte terræ indicæ, vbi incipit terra habitabilis à parte Orientis, ſed ab illa terra vſque ad Ieruſalem non poſſent peruenire reges iſti diebus tredecim etiamſi ſuper dromedarios mouerentur, quia eſt valde magna diſtantia. Etiam quia quis iſtos reges induceret, vt tam cito mouerentur? nam ipſi non habebant aliquam cauſam quare deberent ita velociter moueri. erat enim valde magnæ difficultatis, & laboris motus tam velox, quem vix quiſquam tolerare poſſet, præcipue cum per dies tredecim ſic præcipites mouerentur: ideo non eſt ſatis rationabiliter dictum, quod venirent iſti reges ſuper dromedarios, & ob hoc potuerint de Oriente venire in Ieruſalem diebus tredecim.

F

Item motiuum iſtorum eſt in dictis Iſaiæ c.60. vbi de Meſſia agitur & dicitur: Dromedarij Madian, & Epha operient te. Et propter hoc credunt, quod reges iſti venerint in dromedariis. Nam etiam ibi de regibus dicitur. Et ambulabunt gẽtes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui. & legitur illud in die Epiphaniæ: ideo credunt, quod pertineat ad iſtam itinerationem regum illud quod dicitur de dromedariis. Sed hoc non ſtat: imo magis è contrario arguetur ex litera illa, quia Madian, & Epha ſunt gentes propinquæ terræ Ieruſalẽ: terra enim Epha eſt de Madianitis prouenies: nam Madian fuit filius Abrahæ, vt patet Gen.25.capitul.ex Cethura vxore ſua: Epha autem filius fuit Madian, vt patet eo. cap. iſti autem habitauerunt ſimul: Madianitæ tamen ſunt circa terram Chanaan, vbi erant Iudæi: quod patet, quia cum venirent de Aegypto Iudæi pugnauerunt contra Madianitas, & deleuerunt terram ipſorum, vt patet infra 31.cap. ergo neceſſe eſt modicũ diſtare terram Madian à Ieruſalem. Sic declaratum eſt ſupra

A cap.22.ergo ad hoc,quod aliquis veniret de terra Madian in Ieruſalem in diebus 13.non oportebat dromedarios inquirere:imo pedeſter venire quiſque poſſet in pauciori tempore: ideo quod dicitur de dromedariis Madian, & Epha nihil agit ad hoc,ſed magis ad contrarium.Dicendum aũt circa hoc ſecundũ poſitionem quorundam vulgarem,q̃ ſatis rationabilis eſt,q̃ iſti reges,qui directi ſunt à ſtella ad veniẽdum in Bethlehem fuerunt de terra Balaam: nam qũ dixit Balaam de iſta ſtella,quæ oriri debebat ad indicandũ Meſſiam natum: reges terræ illius conſiderabant dil genter circa aduentũ,& apparitionẽ ſtellæ illius,vt cum appareret irent ad adorandum regẽ natum:cum aũt,nato Saluatore, apparuit ſtella in terra illa.ſ. in Meſopotamia,continuo tres reges parauerunt ſe ad veniendum,vt adorarẽt infantem natum,& venerunt die 13. quia à terra eorum vſque Bethlehem parua diſtantia eſt:ita vt non ſolum in dromedariis, ſed etiam in quibuſcunque ſimplicibus iumentis,vel pedeſtres venire potuiſſent in diebus illis, aut pauciori tempore in Bethlehem, ſed non multum curauerunt feſtinare,quia reges erant quibus competit mollis,& paruus inceſſus. Quod autem terra Balaam,de qua erant iſti reges ſit propinqua Ieruſalem patet, quia Balaam erat de terra Meſopotamiæ,vt patet præcedenti cap. ſ. De Haram vocauit me Balac.& illa vocatur apud nos Meſopotamia,quod patet Deuter.cap.23.cum dicitur, quod Moabitæ conduxerunt

B Balaam de Meſopotamia Syriæ,vt veniret ad maledicendum Iudæis:Meſopotamia tamen non multum diſtat à Ieruſalem, quia forte non per dietas vndecim , vel duodecim , vt patet Geneſ.cap.31.cum fugit Iacob de Meſopotamia veniendo directe in terram Chanaan, & perſecutus eſt eum Laban ſocer ſuus , atque poſt dies ſeptem comprehendit eum in monte Galaad:eſt autem iſte mons in terra Iudęorum,ſcilicet,in terra duarum tribuum, & dimidiæ ad Orientalem plagam Iordanis:cum medietas montis Galaad ceciderit in ſortem Gad, & alia medietas dimidiæ tribui Manaſſe, vt patet Deuteronom.capitulo.3.& Ioſue 13. cap.ab eo autem loco vſque Ieruſalem non poteſt eſſe magna diſtantia cum totum ſit intra regnum Iudæorum , nec ſunt quatuor dietæ: ideo à terra Meſopotamiæ vſque in Ieruſalem parua via eſt, quæ ſatis confici poterat pauciorbus quam tredecim diebus, ſcilicet in nouẽ vel decem.& tamen iſti reges parauerunt ſe per aliquot dies ad veniendum,quia non poterant eſſe immediate diſpoſiti,vt appareret ſtella.

Quid ꝑ Oriens ſit intelligendũ in ſac. Script.

Sed cum obiicitur,quia dicitur veniſſe reges iſtos de Oriente,& terra Meſopotamiæ non eſt Oriens.Reſpondendum eſt nihil afferri ex hoc: quoniam Oriens ſi accipiatur propriiſſime ita quod aliquis locus ſit Oriens , & nullus alius non poterit inueniri talis locus in toto vniuerſo, quia in omni loco Oriens eſt,& in omni loco occidens.Dicitur enim Oriens primus punctus horizontis ab ea parte , à qua Sol mouetur procedendo verſus nos , & quia non eſt aliquis locus in toto orbe,vbi non ſit punctus Orientalis alicuius horizontis non

C erit aliquis locus,in quo non ſit Oriens:eodem modo de Occidente , quia ſicut vbique eſt Oriens ita vbique eſt Occidens. Et iſto modo nunquam accipitur in Scriptura, quia nihil magis determinaretur per Orientem quam per Occidentem cum in eodem puncto , in quo eſt Oriens, in eodem eſt Occidens.

Alio modo accipitur Oriens magis large: & tũc poteſt ſumi abſolute,vel reſpectiue:abſolute enim dicimus Orientem primam partem terræ habitabilis verſus locum illum,de quo Sol oritur: & iſto modo dicimus Orientem eſſe in terra Indiæ,quia illa eſt prima pars terræ habitabilis,& iſte eſt modus communis loquendi de Oriente. Alio modo accipitur Oriens reſpectiue,& iſto modo dicimus vnum locum eſſe ad Orientem alterius:nam quicunque locus magis appropinquat parti illi, de qua Sol mouetur verſus nos dicitur eſſe magis Orientalis quam alius,& hoc modo non eſt aliquis locus,qui non ſit Orientalis reſpectu alicuius alterius. Et iſto tertio modo accipitur hic,ſcilicet, quod venerunt iſti tres reges de Oriente, id eſt, de aliqua terra, quæ erat Orientalis reſpectu terræ Chanaan. & ex hoc multum conuenit, quod dicamus iſtos tres reges veniſſe de terra Balaam,ſcilicet, de Meſopotamia, quia illa vocatur Orientalis , vt patet præcedenti capitu. ſcilicet de Haran vocauit me Balac rex Moabitarum de montibus Orientis.Ergo cum reges venirent inde in terram Chanaan, dicerentur proprie venire de Oriente, & adhuc magis quam reſpectu terræ Moab, quia terra Moab eſt magis Orientalis quam terra Chanaan, quia terminatur terra Moab in Occidentali parte ſua apud Iordanem, vt declaratum eſt Ioſue duodecimo , & decimotertio capitul. terra tamen Chanaan habet pro parte Orientali ipſum Iordanem, vt patet infra trigeſimo quarto capitul. ſed in terra Moab exiſtens Balaam dixit. De Haram vocauit me rex Moabitarum de montibus Orientis: ergo magis dici poterat hoc reſpectu terræ Chanaan.

Si tamen aliquis nolit hoc quod eſt ſatis rationabile poteſt dicere,quod iſti reges venerunt de aliqua alia terra, quæ erat ſatis propinqua terrę Chanaan:ideo potuerunt venire in diebus tredecim,& etiam tunc dicetur, quod venerunt de Oriente,quia illa terra eſſet Orientalis reſpectu terræ Chanaan, ſicut vnus locus vocatur magis Orientalis, quam alius , quia magis accedit aliqualiter verſus partem , à qua mouetur Sol etiamſi per modicum.

Sciendum autem, quod litera Hebraica magis concordat huic expoſitioni de ſtella,quam litera noſtra, quia vbi nos dicimus:Orietur ſtella:Hebraica litera dicit:Armabitur,vel extendetur,ſiue progredietur.Vnde Aben Ezra dicit, quod iſta ſtella non mouebatur motu aliarum ſtellarum firmamenti, ſed quodam alio motu: hunc tamen dicit ſibi eſſe incognitũ. Extendebatur autem iſte ſtella,ſcilicet,motu recto,& regulari deſcribendo lineam rectam , & non in magna celſitudine, ſed quaſi ſuper capita ipſorum regum. Omnia autem aſtra firmamenti,& planetæ motu non recto feruntur, ſed circulari , nec poteſt in eorum motibus aliquid rectum aſſignari. De iſta ſtella,quæ præceſſit reges , an fuerit de ſtellis cœleſtibus,vel de cometis: & ſi fuit de cometis an fuit naturalis eius generatio , vel ſupernaturalis (nam etiamſi eſſet naturalis poſſet durare per dies multos, ſicut aliquando vnus cometes viſus eſt durare per dies nonaginta) & quid fuerit factum de hac ſtella, poſtquam reges venerunt in Bethlehem , & an mouebatur per ſe, vel ab alio, & quomodo per diem videri poterat non offuſcantibus eam radiis ſolaribus , & multa huiuſmodi declarabuntur ſuper Matthæ. capitul. ſecundo.

De regno Chriſti

Et conſurget virga de Iſrael. Scilicet, Chriſtus qui habuit virgam regni,id eſt,ſceptrum regale,ſed non de hoc mundo Ioa. 18.cap.ſ.regnum meum non eſt de hoc mundo:imo illud valde fugiebat,quia ſemel cum pauiſſet in deſerto multos viros ex paucis panibus voluerunt eum rapere, vt facerent regem: ipſe autem ſciens cogitationes eorum fugit ab eis priuſquam ipſi eum raperent,vt patet Ioan.c.6. Prophetæ tamen vocant eum regem,quia erat de ſemine regali.ſ.de linea Dauid ſecũdum carnem:erat tamen regnaturus ſpiritualiter ſic patet Iere.cap.23. Ecce dies veniunt dicit Dominus , & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum;& regnabit rex,& ſapiens erit;& faciet iudicium & iuſtitiam in terra. Et ſequitur : Et hoc eſt nomen quod vocabunt eum Dominus iuſtus noſter. Habuit aũt virgam regni ad dirigendum in iuſtitia: ſic patet Pſal.2.qui eſt de Meſſia,cum dicitur:Reges eos in virga ferrea;& tanquam vas figuli confringet eos. Vel poteſt vocari Chriſtus virga ꝓpter percuſſionem,quia percutiebat eos ſpiritu oris ſui increpans nimis vitia eorum. Vnde quando introiuit in templũ Domini,& inuenit ibi ementes, & vendentes,euertit menſas nummulariorum , & cathedras vendentium columbas facto flagello de funiculis,vt patet Matth.ca.21. *Et percutiet Duces Moab.* Hic poteſt intelligi literaliter quantum ad Moabitas.ſ. quod Chriſtus percuſſit duces Moab,ſcilicet, prædicatione ſua reprehendens vitia eorum. & aliquos eorum conuertens: nam cum Chriſtus ambularet per totam Iudæam fama eius creſcebat in omnes regiones propinquas, & veniebant ad eum, vt de Syria,& de aliis regnis propinquis,vt patet Matth.capi. 4.& tunc Moabitæ,qui erant circa terram Chanaan poterant conuerti ad Chriſtum,vel ſaltem aliqui eorum redarguti verbo eius. Vel poteſt exponi aliter quaſi magis allegorice,ſcilicet, quod percutiet duces Moab, id eſt , cultores dæmonis verbo oris ſui, & ſignis mirabilibus.Iſti autem vocãtur Moabitæ: nam Moab interpretatur ex patre quod proprie conuenit idololatris,qui ſunt ex patre diabolo: ſic dixit Chriſtus phariſæis Ioan.c.8. vos ex patre diabolo eſtis,& deſideria patris veſtri vultis facere.Hos autẽ percuſſit Chriſtus,quia poſt

Deus ꝑ cuſſit reges Moab.i.cultores dæmonũ.

eius

A

eius aduentum, & mortem prędicata est fides per vniuersum mundum, & cessauit cultus idolorum paulisper quousq; totaliter eradicatus est. *Et vastabit omnes filios Seth.* Id est, Christus destruet omnes filios Seth. sc. omnes homines, qui sunt de stirpe Seth. Et hoc quia in omnem terram Apostolorum clamor intonuit, & de omnibus gentibus aliquid ad Christū conuersi sunt. Conuersio autem ista dicitur destructio, quia per conuersionem non manet homo secundum id quod ante erat, quia prius erat peccator, & postea efficitur iustificatus: sic patet Prouerb. capit. 12. scilicet, verte peccatores, & non erunt, id est, conuerte peccatores ad bonum, & iam non erūt, scilicet, id quod ante erant, quia in conuersione exuimus veterem hominem, & nouitatē sensus accipimus. Sic enim vult Apostolus ad Roma. cap. 6. quod in baptismo consepelimur Christo, & morimur, & homo noster vetus crucifigitur, vt destruatur in nobis corpus peccati. totus autem homo vetus per conuersionem destructus est. *Et erit Idumæa possessio eius.* Ad Christum pertinet, scilicet, quod ipse possederit terram Idumææ.

An Idumæa sit vrbs Romana possessio Christi.

QVÆSTIO IX.

B

INtelligunt Enim aliqui per Idumæam vrbem Romanam, quæ est possessio Christi, & sedes Petri principis Ecclesiæ. Iudęi enim secundum falsam existimationem Romanos Idumæos vocant. Putant enim, quod de Idumæis Romanorum progenies sit. Sed falsum est, quia Romani à Troianis exordia assumpserunt, vt ait Salustius in principio Catilinarij. Vel si vlteriora primordia resumamus Archades, qui & Græci dicuntur terram illam primo inhabitauerunt, vt ait Virg. 6. Aeneidos, & Solinus in Polihistore cap. 1. multum ergo distant Romani à progenie Idumæorum.

Sed potest intelligi, quod erit Idumæa possessio eius, id est, quod Christus possedit terram Edom, quoniam conuertit Idumæos, vel saltem aliquos eorum, & istud est possidere illos, cum ille, qui conuertitur ad Christum est aliquid ipsius: sic dicit Apostolus, q̄ omnia nostra sunt, & nos sumus Christi: Christus autem Dei, & de ista possessione, vel conuersione Idumæorum potest intelligi id, quod dicitur Abdiæ ca. vnico. in fine. sc. ascendent Saluatores in monte Sion iudicare montem Esau: & erit Dño regnum. Mons autem Esau est terra Idumæorum. Et hoc satis conueniēs est: nam de terra Idumææ veniebant aliqui ad audiendum doctrinam illius, quia erat terra propinqua, sicut dicunt Marcus, & Lucas.

Alio modo potest accipi, quod per istas duas gētes. s. Moabitarum, & Idumæorum hic positas intelligantur omnes gētes ad Christum conuersæ: nam frequenter Scriptura habet

C

talem modum: sic enim Apoc. c. 7. per eos, qui signati sunt intelliguntur omnes conuersi doctrina Apostolorum ad Christum, & tamen ibi solum signati fuerūt viri de duodecim tribubus Israel per quas necesse est intelligi omnes gentes. Et patet hoc, quia in eadem sententia dicitur, quod vnus Angelus clamauit ad quatuor Angelos, quibus datum est nocere terræ, & mari, dicens: nolite nocere terræ, & mari, nec arboribus, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum. Et postea cum ponitur numerus signatorum, nō ponuntur signati de aliqua gente, nisi de Iudæis: ergo necesse est intelligi per illos omnes alias gentes, cum etiam in aliis gentibus essent serui Dei: cum multi iam conuersi fuissent ad Christum, quando beatus Ioannes ista dicebat. Ita ergo per istas duas gentes. s. Moabitarum, & Idumæorum intelligentur omnes aliæ gentes ad Christum conuersæ. *Hæreditas Seir cedet inimicis suis.* Ad eundem sensum pertinet, quia per Seir significatur Idumæa: ideo eo modo, quo dicebatur Idumæam esse possessionē Christi, dicetur quod Seir cesserit ei in hæreditatem: dicitur autem quod cedet inimicis suis. i. Christo, & Apostolis suis, qui dicebantur inimici istorum, quia boni & mali inimici sunt ex natura oppositionis: ideo cum boni conuertunt malos ad se verbis suis, vel exemplo, & subiiciunt eos doctrinæ suæ, ita est velut si in bello hostis hostem capiat, & quia hostis captus manet in seruitute eius, à quo captus est, ita & malus conuersus per doctrinam bonorum manet iā subditus præceptis eorum. Vel potest intelligi per hæreditatem Seir tota congregatio malorum, quia Seir significat hispidū, id est pilosum, & asperum: & isti sunt omnes, qui iniquitatibus pleni sunt, & ad obediendum bono sunt valde duri. Vel significatur dæmon per Seir, quoniam ipse hispidus est, id est omni iniquitate plenus, & iniquitatis principium, quia ipse est rex super omnes filios superbiæ, vt patet Iob capitu. 41. & Christus dicit de eo quod est mendax, & mendacii pater, & quod à principio homicida fuit, vt patet Ioan. cap. 8. Hæreditas autem huius est tota malorum congregatio, quia quasi iure hæreditario mali debentur sibi, vt torqueat eos igne æterno: hi autem cesserunt inimicis suis, id est, conuersi sunt per prædicationem Christi, & Apostolorum, & cesserunt in potestate eorum. *Israel vere fortiter aget.* Id est, iste Messias, qui vocatur Israel, quod nomen interpretatur fortis Domini, vel fortis cum Deo, vel secundum modum literæ nostræ interpretatur vir videns Deum. *Aget fortiter.* Quia prædicatione sua contra malos pugnans, eos deficere faciet, ad se conuertēdo. Vel significatur per Israel tota congregatio bonorum, qui vocantur viri videntes Deum, & isti fortiter agent, id est, fortiter se habebunt contra malos semper diminuendo numerum eorum, & conuertendo ad Christum: nam quemadmodum in pugna corporali fortiter agere est, ita in pugna bonorum, & malorum: est enim eis mutua pugna, & vtrinq; armis confligitur: tamen arma nostra carnalia non sunt, sed spiritualia ad subiiciendum omnes non obedientes, & captiuandum eos in obsequium Christi. sic ait Apost. 2. ad Corin cap. 10. arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatē redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Ista autem pugna fortis est: ideo vincenti in illa magnum prę-

D

mium datur, & septuplex, quod patet Apoca. ca. 2. & 3. vbi septies de vincentibus dicitur. Conuenit hoc autem tempore Christi, quia ante eius aduentum mali semper in orbe prævaluerunt, postea vero boni prævalere incœperunt cū doctrina Christi conuersi mali obedierunt bonorum præceptis. *De Iacob erit, qui dominetur, & perdat reliquias ciuitatis.*

E

An sit verum quod Messias destruxit vrbem Romanam etiam secundum Hebræos, & quomodo.

QVÆSTIO X.

HOc Magis intelligitur de Messia ad literam quā omnia præcedentia; & accipitur hic ciuitas proprie pro vnica ciuitate, vocatur tamē ciuitas sine speciali nominatione, quia ista, de qua agitur est excellenter ciuitas, scilicet, ciuitas Romana. Et etiam hoc apparet ex testimonio Hebręorum: hanc enim subiecit sibi Christus, & dominatus est illi, quia fecit illam sedem vicarii sui Petri, & non solum dominatus est Christus huius ciuitatis spiritualiter inquantum subdita est præ-

F

ceptis eius, sicut cæteræ vrbes conuersæ ad ipsum, sed etiam ad literam dominatus est illi, quia ista ciuitas cessit in patrimonium Ecclesiæ cum Imperator Constantinus tradiderit, alias resignauerit eam Papæ Syluestro, & successoribus eius, quando ad Christum conuersus est, & postea vrbs Roma māsit specialiter in dominio Ecclesiæ, & facta est princeps Ecclesiarum omnium & mater. Reliquias autem ciuitatis huius Christus perdidit, quia hic erant fortissimi defensores ciuitatis diaboli, qui multos de Christi cultoribus, & Euangelicis prædicatoribus gladio peremerunt: & tamen cum Christo placuit tota ciuitas quasi subito ad Christum conuersa est baptizato Imperatore Constantino. Destructæ sunt autem reliquiæ illius vrbis, quia nō manserunt ibi mali, & idololatræ, sicut à principio fuerant per prædicationem cultorum Christi ad fidem conuersi.

Dicit autem Rabi Salom. quod Messias destruet reliquias ciuitatis, id est, vrbis Romanæ, & consequenter totius imperii. Vocatur autem Roma specialiter ciuitas non expresso alio nomine p excellentiā, vt habetur Insti. De iure naturali, gē tium, & ciuili. Et in hoc catholice loquitur, quia Daniel p̄dixit, q̄ lapis de monte abscissus sine manib. destrueret omnia regna, & iste lapis ab omnib. dicitur Messias, cui Romana ciuitas subiecta fuit, in qua Ecclesiæ principatus locatus est. *Opi. Rabi Salo.*

Sed erat Rabi Salom. quia putat Messiam suum futurum,

A

Christ⁹ nõ erat subiecturus sibi oẽs gentes armis, sed ratione, et suasionibus.

& destructurum Romanos, sed qui futurus est frustra expectatur velut siquis chimæram, aut vacuum spectaret: nihil.n. ista sunt. Item errat, quia intelligit virtute bellica istam subiectionem causandam quod non competit Messiæ, sed pacifice sibi omnes gentes subiicere sine bello, & armis, ita dixerat Isaias loquens de Messia cap.42. Ecce seruus meus suscipiam eum, electꝰ meus complacuit sibi in illo anima mea: dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet: nõ clamabit, nec accipiet personam, nec audietur foris vox eius: calamum quassatum non conteret, & lignum fumigans non extinguet. Hanc etiam auctoritatem Euangelistę de Christo exposuerunt: ergo alius modus subiiciendi sibi gentem cõpetebat ei: maxime, quin principatus, qui armorum virib. acquiritur, vel qui contra voluntatem subiectorum aliqualiter est tyrannicus est, vt patet 3. Politic. tyrannicus tamen principatus omnium politicorum pessimus est principatuum, vt patet 8. Ethi. principatus aũt quem populi gratiose sine aliqua metꝰ coactione, vel inductione alicui conferunt regendum, regalis & virtuosus est: vnde si omnes gentes, vel multa regna voluntarie aliquem sibi Dñm præponerent, iste monarchicus & omnium optimus esset. talis fuit principatus Messiæ in oẽs gentes, quia omnes homines auditis verbis vitę æternę, & visis signis mirabilibus cum magno desiderio Messiæ nostro, se subiecerunt, & pro eo prę amoris vehementia mortui sunt.

B

Erant dulcia valde, & efficacia Saluatoris nostri verba, ita vt omnes ad eum audiendum delectabiliter conuenirent, & sequebantur eum quocunque iret, & dato, quod vita sua aspera esset, cum iuberet hominem discedere à delectationibus, & diceret, quod venerat mittere ignem in terram, & non pacem, sed gladium, & separare hominem aduersus patrem suũ, & filiam aduersus matrem, & quod qui amat patrem, aut matrem plusquam Deũ, non erat dignus vita æterna, & multa alia hmõi satis dura, de quibus Mat.c.10. & in aliis locis: tñ no recedebant à verbis eius, quia efficacia nimis erãt. Vnde cum semel propter duriciem verborũ Christi. s. quia dicebat: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam, recederent ab eo quidam de discipulis, dixit Christus ad duodecim Apostolos: nunquid & vos vultis abire? respondit ei Petrus: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognouimus, quod tu es Christus filius Dei: Ioan.ca. 6. Alio modo intelligitur istud qꝺ dicitur de reliquiis ciuitatis de ipsa ciuitate diaboli, quã Christus perdidit, id est, destruxit, & dominatus est illi: duæ enim sunt ciuitates. s. ciuitas Dei, & ciuitas diaboli, vt inducit Aug. 14. de ciuitate Dei. s. duo amores fecerunt sibi duas ciuitates. Ciuitas enim Dei incipit ab amore Dei perueniens vsque ad contemptum suiipsius, ita vt quicunque in ciuitate illa sunt reputent omnia tanquam stercora, vt solum Christum lucrifaciant ad Philip.c.3. Ciuitas autem diaboli incipit ab amore suiipsius vsq; ad contemptum Dei. Deus aũt eos, qui in ciuitate ista diaboli erant idolis seruientes ad agnitionem suam conuertit, & per hoc eos perdidit. i. destruxit faciens non esse quod prius fuerant. Primus tamen modus exponendi melior est, & magis literalis.

C

Tertia expositio totius huius Propheti̇æ mixtim de Christo, & de Dauid.

QVÆSTIO XI.

ALio Modo potest exponi ista litera tota mixtim non sequendo vnicam expositionem, sed transeundo de vna ad alteram, quia prophetæ fixi non sunt, sed transeunt de vno in alterum, scilicet, de tempore in tempus, de persona in personam, de toto ad partem, de capite ad membra non secuti aliquem proprium stilum, sed sicut Spiritus sanctus reuelans per eos mysteria sua dat eloqui illis. Hoc patet per septem regulas Ticonij de modo exponendi sacram Scripturam, quas omnes doctores sequuntur. Ideo dicendum, quod quamquam vtraque expositio præcedens sit conueniens, & literalis: tamen magis conueniens est expositio mixta vtraq;. Nam quædam sunt hic, quæ proprie conueniunt Dauid, & populo Iudæorum secundum carnem: alia autem non tantum conueniunt Messiæ. Etiam quædam horum multum congruunt: alia vero non videntur de eo dici, nisi allegorice saltem inspicientibus ea leuiter. Cum autem ea, quæ proprie conueniunt Dauid attribuantur ei, & ea, ꝙ proprie Messiæ congruunt, dicantur de illo, erit expositio totaliter literalis, & non differret penitus à duabus supra positis, quia cuiuslibet earum partem accipit, & secundum hanc exponemus principium istorum verborum de Messia secundum literam, scilicet.

D

Videbo eum, sed non modo intuebor illum, sed non prope: orietur stella ex Iacob. Et ista exponuntur ad literam de Messia, sicut supra exposita sunt. Deinde sequitur litera exponenda de Dauid, scilicet.

Consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab vastabitque omnes filios Seth: & erit Idumæa possessio eius: hæreditas Seir cedet inimicis suis; Israel vero fortiter aget. Hęc omnia proprie conueniũt Dauid secundum literam, & exponãtur de eo, sicut supra fuerunt exposita: deinde litera sequens ad Messiam proprie pertinet, scilicet. *De Iacob erit, qui dominetur, & perdat reliquias ciuitatis.* Et exponatur hoc, vt supra fuit expositum. Ista expositio est conuenientior duabus aliis, quia nulla aliarum potest penitus ad literam applicare: ista autem applicat. *Cumq; vidisset Amalech.* Hic prophetat Balaã de Amalechitis, & dicitur, quod cum vidisset Balaam Amalech, id est, terram Amalechitarum, incœpit de eis prophetare ista.

E

An Balaam potuerit videre ex monte, in quo erat omnia regna, de quibus hic prophetauit.

QVÆSTIO XII.

DIcunt Quidam, quod ista visio non erat realis, sed in spiritu, sicut dicebatur supra: Videbo eum, & non modo: & hoc, quia non poterat videre Balaam omnes istos populos oculis corporeis: imo dicunt, quod quando ista Balaam à Deo recipiebat, erat dormiens clausis oculis carnis.

Sed non stat positio istorum: cum enim dicunt, quod Balaam dormiebat, quando à Deo recipiebat reuelationes, verum est, quod aliquando dormiebat, quia etiam sic erat in prophetis Iudæorum, vt dicitur supra capi. 12. si quis inter vos est propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somniũ loquar ad illum: tamen non erat iste solus modus reuelationis propheticæ: & etiam licet ipse Balaam aliquãdo per somnium à Deo reuelationem susciperet tamen non semper habebat istum modum, sed aliquando vigilans aliquid recipiebat: quod apparet, quia supra cap. 22. dicitur, quod bis locutus fuit ad eum Dominus per noctem, scilicet, quando venerunt bis nuncii Moabitarum ad eum, & tamẽ iterum habetur ibi, quod apparuit per viam, scilicet, cum iret per viam, & percutienti asinam, apparuit Angelus loquens euaginato gladio, & locutus fuit ea, quæ locutus fuerat per noctem, cum sibi apparuerat, sc. ne malediceret Israelitis: & tamen tunc non dormiebat Balaam.

F

Item patet hoc, quia præcedenti cap. dicitur quomodo cõstructis aris, & impositis sacrificiis Balaam ibat si forte occurreret ei Dominus, & occurrebat, atque dicitur ibi quomodo prius loquebatur Balaam ad Dominum, & Deꝰ ponebat verbum in ore eius, & tunc regrediebatur Balaam ad Balac: illud autem necesse erat esse in vigilia. Aliquando etiam sine aliqua apparitione, vel formatione vocis in vigilia reuelabat Dominus aliquid Balaam, solum eleuando intellectum suum, sicut patet in principio huius capitul. scilicet, quod cum staret Balaam coram Balac irruit in eum spiritus Domini, & eleuans oculos suos contra desertum, in quo erat Israel incœpit prophetare, ibi autem manifestum est, quod in vigilia erat. Etiam non apparuit ei aliquis Angelus loquens, nec vox sine corpore apparente formata est, quia erat Balaam coram rege Balac, & coram eo nollet Deus ista demonstrare: erant etiam ibi principes Moabitarum, vt patet supra: sed solum fuit in eo eleuatio intellectus, & signatur, cum dicitur ibi: Irruente in se spiritu Dei: quod nunquam dicitur de eo cui apparet Angelus loquens, vel auditur aliqua vox; quia nõ est tunc in hominem irruens aliquis spiritus, vel aliquod lumen supernaturale, quod eum intelligere faciat, sed illud per quod intelligit extra est, scilicet, vox, quæ formatur. Intra eum autem nihil magis est, quam antea erat, in eo enim

qui

A qui ſine aliqua voce formata,&apparitione ſenſitiua exteriori aliquid ſupernaturaliter intelligit, neceſſe eſt eſſe intra ipſum aliquid,per quod immutetur,ſcilicet,lumen eleuãs. & iſtud proprie eſt irruere ſpiritum Domini ſuper aliquem: ita autem de Balaam dicetur quando ipſe dicebat iſta vltima verba prophetica,quod non erat dormiens.ſc. in recipiendo viſionem,quia ipſe poterat habere alios modos reuelationis,ſ. in vigilia.

Item non poteſt dici,quod fuerit iſta reuelatio in ſomnis, quia Balaam erat coram Balac,quando iſta fiebant ſuper mõtem Phegor, & ibi prophetabat: non ergo dormiret ibi Balaam coram Balac ad hoc,quod prophetaret,ſed in vigilia neceſſe eſt dici,quod fiebat.

Alterum autem,quod iſti dicebant non ſtat, ſcil. quod nõ viderit Balaam iſtas gentes, quas hic nominat oculis ſuis, ſcilicet,viſione ſpirituali:& hoc dicunt,quia credũt eſſe impoſſibile,quod viderit illas, ſed falſum eſt, faciliter enim videri poterant: nam Balaam,& Balac erant nunc in monte altiſſimo in vertice Phegor,& ante hoc fuerant in alio colle altiſſimo,ſcilicet,ſuper Phaſga, & ab iſtis locis poterant videri multa regna. Quod patet, quia ſuper iſtum montem Phaſga, in quo nunc erant Balaam, & Balac aſcendit Moyſes,cum debuit videre totam terram Chanaan. & inde vidit eam ſecundum partes ſuas, vt patet Deuteronom.capitul. trigeſimoquarto: ita ergo poterant videri alia regna ex illo monte, ſi-
B cut videbatur tota terra Chanaan, cum ille mons eſſet extra terram Chanaan, ſcilicet, in terra Moab: potiſſimum autem videri poterant inde multa loca,quia erat iſte mons in extremitate terræ Moab,vbi coniungitur aliis regnis. Quod patet,quia ad radices iſtius montis Phaſga, ſiue Phegor eſt mare Sodomorum, quod vocatur mare ſalſiſſimum, vel mare ſolitudinis,vt patet Deuteronom. capitul.tertio,& tamen iſtud mare eſt in fronte Orientali terræ Chanaan, vt patet infra capitu. trigeſimoquarto: ergo mons iſte Phaſga eſt in extremitate regni Moab,vbi cõiungitur terra Moab terræ Chanaan:& conſequenter alia regna ibi coniunguntur. Ideo ex illo monte videbuntur alia regna; ibi namque coniungitur terra Idumææ terræ Chanaan, & terræ Moab, vt patet infra 34.cap.ſ.apud mare ſalſiſſimum,& illud eſt apud montẽ Phaſga:ergo videretur inde terra Idumææ. Etiam terra Amalechitarum non multum inde diſtat, quoniam eſt coniuncta extremitati terræ Idumææ ad partem meridianam terræ Chanaan,ſcil. apud Cadesbarne, quæ eſt ciuitas terræ Edom,& eſt in latere terræ Chanaan.Primum patet ſupra ca.20. ſecundum infra 34.& Ioſue ca 15. quod autem terra Amalechitarũ ſit coniuncta vrbi Cadesbarne colligitur ſatis ſupra 14. capit. & ibi declaratum eſt,& ſupra c.20.poterant ergo Amalechitæ videri de monte Phaſga,ſiue Phegor, qui erat coniunctus
C terræ Edom.

Item terra Cinæorum, de qua hic etiam prophetatur ſatis poterat videri ex illo monte, quia Cinæi habitabant in ſorte Iudæ ad partem Meridianam in deſerto, vt patet Iudic. capit. primo.iſta terra eſt tamen prope Iordanem: ſic enim dicitur, quod Ioannes Baptiſta prædicabat in deſerto Iudææ, & venientes ad eum baptizabantur ab ipſo in Iordane: ergo deſertum Iudææ erat apud Iordanem.Hoc patet Matth. capitul.3. & Marc.1.Iordanis tamen eſt circa montem Phaſga,ſiue Phegor; quia mare ſalſiſſimum, quod eſt quoddam ſtagnum eſt ad radices montis Phaſga Deuteronom.capitu.3. & tamen in iſtud mare intra Iordanis, vt patet Ioſue cap.3. ergo Iordanis eſt prope montem Phaſga: potiſſimum in parte ſua Meridiana, in qua habitabant Cinæi, vt patet Iudicum capitulo primo.

Item patet hoc, quia apud vada Iordanis eſt terra Moab, cum dicantur vada quædam Iordanis tranſmittere in Moab, vt patet Iudic.capitu.4. ergo terra Cinæorum, quæ erat prope Iordanem non multum diſtabat à terra Moab:vnde videri poterat de monte Phaſga, ſiue Phegor: & ſic Balaam potuiſſet videre de monte Phegor,in quo tunc erat, omnes iſtas gentes,de quibus hic prophetauit,ſcilicet,Idumęos,Amalechitas,Cinæos.de Moabitis autem non oportet dici, quia in terra eorum tunc erat,ideo neceſſe eſt,quod quando Balaam iſta dicebat, videret populos iſtos,& non ſolum videret, ſed etiam conuerteret ſe ad illos, quia infra dicitur de Cinæis:robuſtum quidem eſt habitaculum tuum, ſed ſi in petra poſueris nidum tuum Aſſur capiet te: ibi enim ponuntur pronomina demonſtratiua tria,& tamen iſta ſi priuentur demõſtratione caſſa ſunt: nam ſicut eſt fundamentum commune Grammaticæ artis circa modum ſignificandi pronominum, neceſſe eſt ipſa ſignificare cum demonſtratione,&relatione, ſine quibus caſſa ſunt, & vana. Nam ſiquis protulerit aliquod pronomen nihil per illud demonſtrans, nec referens, nihil omnino ſignificabit.Ergo eſt neceſſe,quod cum Balaam loqueretur iſta,demonſtraret aliquid per illa pronomina.Poterat autem fieri iſta demonſtratio dupliciter: vno modo per modum cuiuſdam quaſi relationis, ſcilicet, quod loquamur de aliqua re etiam illam non videntes: & tunc ſæpe poterimus de ipſa proferre pronomina demonſtratiua, quia licet non demonſtretur aliquid ad oculum: demonſtratur tamen id,de quo locutio fiebat. Alius modus demonſtrationis eſt cum aliquam rem ad oculum oſtendimus, & tunc non oportet,quod præceſſerit aliqua locutio de ipſa re, quæ demonſtratur: hic autem Balaam, quando demonſtrabat Cinæos, non exprimebat aliquem,de quo loquebatur, quia ipſe incœpit ſic loqui. Robuſtum eſt quidem habitaculum tuum: ergo oportebat,quod ipſe demonſtraret hic ad oculum:non poterat autem iſta demonſtratio fieri niſi conuerteret ſe contra terram Cinæorum: ergo conuertebatur contra illam, & videbat eam. Dicendum ergo in hoc, quod Balaam quando prophetauit de iſtis gentibus quatuor,ſcilicet,Moabitis,Idumæis,Amalechitis,& Cinæis,primo incœpit prophetare de
E Moabitis cum dixit:conſurget virga de Iſrael,& percutiet duces Moab.Et quantum ad hoc non fecit Balaam aliquam cõuerſionem,quia erat intra ipſam terram Moab. Cum vero de Idumæis prophetauit, dicens: erit Idumæa poſſeſſio eius, conuertit ſe verſus terram Idumææ ad partem Meridianam, quia terra Edom eſt magis Meridiana, quam terra Moab,& magis intra deſerta Arabica: ideo Iſraelitæ venientes de Aegypto, quæ eſt multum Meridiana primo acceſſerunt ad terram Edom quam Moab,& cum circuiuiſſent terram Edom, venerunt in terram Moab, vt patet ſupra capitul. vigeſimoprimo. Deinde cum loqueretur Balaam contra Amalechitas conuertit ſe ad terram eorum, ſcilicet ad partem occidentalem:terra enim Amalech aliqualiter eſt occidentalis, & aliqualiter Meridiana reſpectu terræ Moab. Vltimo cum prophetaret de Cinæis conuertit ſe verſus terram eorum ad Occidentem,quia illa terra adhuc eſt magis Occidentalis directe reſpectu Moabitarum,quam terra Amalech. *Aſſumens parabolam ait.* Id eſt, incœpit ſermonem ſuum propheticum, qui vocatur parabolicus,cum ſit aliqualiter figuratus. *Principium gentium Amalech.* Id eſt, Amalechitæ ſunt primi inter gentes. Non eſt ſenſus,quod Amalechitæ ſint antiquiores inter omnes gentes:multi enim alii populi ante eos fuerunt: nam Amalechitæ ſunt de genere Idumæorum:nam Idumæi ſunt de ſtirpe Eſau, cuius primogenitus fuit Eliphaz & huius filius fuit Amalech,ſcilicet, nepos Eſau, à quo Amalechitæ nati ſunt,vt patet Geneſ.trigeſimoſexto capitul. Et ob hoc Amalechitæ habitauerunt apud Idumæos: nam terra Idumæorum finitur in Cadesbarne, vt patet ſupra capitul. vigeſimo: & apud Cadesbarne erat terra Amalechitarum, vt colligitur ſupra capitul.decimoquarto, ſed ante Eſau fuerunt multæ gentes: ergo Amalechitæ non ſunt principium gentium,ſed vocantur principium gentium, id eſt, prima inter omnes gentes, quæ contra Iudæos pugnauerunt, quia egredientibus eis de mari rubro, & intrantibus ſolitudinem primo occurrit in bello Amalech,vt patet Exodi capitul.decimoſeptimo,& occidit extremos agminis Iudæorum, qui laſſi reſederant,vt patet Deuteronom. capitul. vigeſimoquinto. deinde pugnauerunt aliæ gentes contra Iſrael,ſcilicet,Chananæi, de quibus ſupra capitul.decimoquarto, & duo reges Amorrhæorum ſupra capitu. vigeſimo primo,& poſtea omnes reges Chanaan.

Cuius extrema perdentur. Id eſt, finis Amalechitarum erit interitus,quia ipſi totaliter à Iudæis deleti ſunt:iuſſerat enim Deus,quod Iſraelitæ occiderent Amalechitas non parcentes eis cum locum haberent,vt patet Deuteronom.capitu.vigeſimoquinto,ſcilicet, memento quid fecerit tibi Amalech in via,quando egrediebaris ex Aegypto: quomodo occurrerit tibi,& extremos agminis tui,qui laſſi reſidebant, occiderit. Cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, dele-

Amalechitæ de genere Idumæo
F *rũ sũt, et primi bellauerũt contra Iſraelitas*

A bis nomẽ eius ſub cœlo: caue ne obliuiſcaris. Fuit autem poſtea hoc factum per regem Saul, qui miſſus eſt contra Amalechitas, & pugnans deleuit omnes tam viros, quam fœminas, ſenes, & paruulos, vſq; ad pecora, & iumẽta: ſolum autem regem Amalech non occidit, & de pecorib. reſeruauit pinguiora: propter quod iratus Deus valde abſtulit regnum de progenie eius: primo Reg. c. 15.

Vidit quoq; Cinæum. Hic prophetabat Balaam contra aliam gentem, ſc. contra Cinæos.

Prophetia de Cinæis.

QVÆSTIO XIII.

SCiendum Autem, quod Cinæi, & Sinæi non ſunt eædem gens ſecundum, quod apparet ex differentia literarum tã apud nos, quam apud Hebræos. Cinæi enim ſunt de genere Iethro cognati Moyſi, ſcilicet, ſoceri eius, vt patet Iudic. capitul. 1. ſcilicet, filii autem Cinæi cognati Moyſi aſcenderunt de ciuitate palmarum, & Iudic. ca. 4. dicitur: Haber autem Cinæus receſſerat quondam à cæteris fratribus ſuis Cinæis filiis Hobab cognati Moyſi. Sinæi autem ſunt de genere Chanaan, vt patet Gen. ca. 10. vbi ponitur Sinæus inter filios Chanaan, ſcilicet, Sinæum Arabium, & Samaritem. De Cinæis, q. ſunt de genere Iethro intelligitur litera iſta. Iſti enim habitauerũt cum filiis Iſrael, nam Iethro ſocer Moyſi venit in deſertum Sinai ad Moyſen, & ſtetit ibi cum eo. Cum vero recedere vellent Iſraelitæ de monte illo, rogauit Moyſes Iethro, ne recederet ab eis, ſed iret in terram Chanaan cum illis, & ibi daretur ei optima poſſeſſio, vt patet ſupra capit. 10. ibi autem dixit Iethro. non vadam tecum, ſed reuertar in terram meã, in qua natus ſum. Poſtea autem inſtantius orauit Moyſes, ne recederet, ſed non patet in litera ibi an receſſerit, vel ſteterit: tñ Exo. cap. 18. dicitur, quod Moyſes dimiſit cognatum ſuum, qui reuerſus abiit in terram ſuam. Tamen, ſicut fuit declaratum filii eius poſtea venerunt ad Iſraelitas exiſtentes in deſerto, vt irent cum eis in terram Chanaan, quia videbant Moyſen cognatum ſuum dominum tanti populi, & credebant, quod eis multa bona faceret, ſicut promiſerat patri eorũ Iethro, & iſte aduentus fuit antequam Iſraelitæ irent ad pugnandum cõtra Madian, de quo patet infra cap. 31. Nam ſi non veniſſent ante hoc periſſent cum omnibus aliis Madianitis. Iſti enim Cinæi acceperunt poſtea locum habitandi inter Iſraelitas, ſcilicet, in ſorte Iudæ, quia illa ſors erat valde magna, ſic patet Iudic. c. 1. filii autem Cinæi cognati Moyſi aſcenderũt de ciuitate palmarum cum filiis Iudæ in deſertum ſortis eius, quod eſt ad Meridiem Harad, & habitauerunt cum eo. Aliqui tamen de iſtis Cinæis receſſerunt de ſorte Iudæ, & venerunt ad habitãdum in ſorte Nephthali apud ciuitatem Cedes, ſc. Haber Cinæus, vt patet Iudi. c. 4. & vxor illius, ſcilicet, Iahel occidit Siſaram principem exercitus Chananæorum, infixo clauo in cap. eius, vt patet ibidem.

Cinæi, et Sinæi diuerſæ gentes.

B

C

Quomodo potuit videre Balaam Cinæos, cum nondum haberent aliquem locum, in quo morarentur.

QVÆSTIO XIV.

QVæret aliquis quomodo vidit Balaam Cinæum, quia nondum Cinæus acceperat poſſeſſionem, ſed erant Cinæi inter Iſraelitas, & poſtea venerũt cum eis in terram Chanaan, & acceperunt poſſeſſionem, vt ſupra dictum eſt. Forte dicet aliquis, quod quando Balaam debuit prophetare contra Cinæos conuertit ſe contra tentoria Iudæorum, qui tunc manebant ad radices montis illius, in quo erat Balaam, ſcilic. in campeſtribus Moab, & quia inter Iudæos erant Cinæi cõuertendo ſe ad Iudæos conuertebat ſe ad Cinæos, & demonſtrabat illos. Sed non ſtat, quia dixit Balaam: Robuſtum eſt quidem habitaculum tuum: ergo videtur, quod tunc reſpiceret Balaam habitaculum Cinæorum, & tamen reſpiciendo Iudæos non aſpiciebat terram, in qua poſtea habitauerunt Cinæi: ergo cum loquebatur ad Cinæos non conuertebatur ad Iſrael. Aliqui autem propter hoc dicerent, quod non loquebatur Balaam ad Cinæos, qui erant de ſtirpe Iethro ſoceri Moyſi de quib. dictũ eſt, ſed ad Sinęos, qui erãt de ſtirpe Chananæorum, iſti autem iam acceperant poſſeſſionẽ ſuam, quia erant populi antiquiſſimi, ſicut cæteri Chananæi: ideo poterat de eis dici, quod eorum habitaculum erat robuſtum. Et nos quoque de eis exponere teneremus, niſi obſtaret litera: obſtat autem, quia illi non vocantur Cinæi ſed Sinæi, vt patet conſiderando literam Hebraicam hic, & Geneſ. cap. 10. Item obſtat, quia ſi intelligeretur de his diceretur infra, & fueris electus de ſtirpe Cham, & non de ſtirpe Cin, & tamen è cõtrario dicitur, quamquam aliquæ Bibliæ habeant hic de ſtirpe Cham, ſed vitium eſt, quod apparet ex litera Hebraica, quæ habet de ſtirpe Cin.

D

E

Ideo dicendum, quod intelligitur de Cinæis filiis Iethro, & non de Chananæis. Ad hoc tamen dicendum eſt, ꝙ quando Balaam loquebatur de Cinæis non conuertebat vultum ſuum contra Iſraelitas, ſed contra locum, in quo habitaturi erant Cinæi, nam licet nondum accepiſſent Cinæi aliquem locum manendi, tamen Balaam ſpiritu prophetico cognoſcebat, in quo loco manſuri eſſent, ſicut cognoſcebat quod Aſſur caperet eos, & contra illum locum ſe conuertẽs loquebatur iſta. Poſſet forte dici, quod conuertebat ſe Balaam tunc ad Cinæos, qui erant inter Iudæos, & dicebat, quod habitaculum eorum erat robuſtum, id eſt, futurum erat robuſtum. *Et aſſumpta parabola ait.* Id eſt, incœpit parabolice loqui, quia prophetia in quibuſdam figuratis locutionibus eſt. *Robuſtum eſt quidem habitaculum tuum.* Id eſt terra, in qua morabantur Cinęi erat firmiſſima, & quaſi inexpugnabilis, & nõ intelligitur de habitaculo, quod tunc haberent, quia nullum adhuc habebant, ſed intelligitur de habitaculo, quod habituri erant, ſcil. cum poſtea acceperunt poſſeſſionem inter filios Iudæ in terra deſerti, quæ erat montuoſa, & fortis. De hoc patet Iudi. c. 1. ſ. quod aſcenderunt Cinæi cum filiis Iuda in deſertũ ſortis eius ad meridiem. Vel poteſt dici robuſtum habitaculum ex confœderatione, & amicitia cum Hebræis: ideo quãdo Saul pugnauit contra Amalechitas dixit Cinæis: Abite, & recedite ab Amalech, ne forte inuoluam te cum eo: tu enim feciſti miſericordiam cum omnibus filiis Iſrael, cum aſcenderẽt de Aegypto. *Sed ſi in petra poſueris nidum tuum.* Metaphora eſt, id eſt, etiamſi habueris habitationem fortiſſimam, non poteris multum permanere. Ponitur enim de petra, quia habitatio ſuper petram eſt fortiſſima, ſic dixit Chriſtus Mat. 7. ca. de viro ſapiente, qui ędificauit domum ſuam ſupra petram, Deſcẽdit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & non cecidit, quia fundata erat ſuper petram. Idem dicit Boetius de conſolatione. lib. 1. Metro. 4. quod incipit. quisquis. vbi docet qualiter ſit eligendus ſtatus humanus.

F

Et fueris electus de ſtirpe Cin. Id eſt, quamquam ſis electus de ſtirpe Cin nõ poteris magno tempore permanere. Aliqui dicunt hoc intelligi propter illos, qui fuerunt de ſtirpe Haber Cinæi, qui à cęteris Cinæis fratribus ſuis ſeparauerunt ſe, & venit, vt habitaret iuxta ciuitatem Cedes, q̃ eſt in ſorte Nephthali, vt patet Iudic. capi. 4. & eſt ſenſus, quod quamquam ſeparentur quidam Cinæi ab aliis caperentur à rege Aſſur, & intelligunt iſti, quod Cinæi non habitabant inter Iudæos, ſed in alia terra ſeparata, & quidam de eis, ſcilicet, Haber Cinæus cum poſteritate ſua ſeparauit ſe à cæteris adiungens ſe Iudęis. Sed hoc falſum eſt, nam omnes Cinæi habitauerunt inter Iudæos, ſic patet Iudic. ca. 1. ſcil. quod Cinæi filii cognati Moyſi fuerunt cum filiis Iuda in ſortem ſuam, & habitauerunt cum eo ad meridiem: deinde receſſit ab iſtis Haber Cinæus: ergo, ſiue Haber, ſiue alii Cinæi, habitabant in terra Iudæorum, ſed Cinæi omnes habitabant in ſorte Iudæ, quæ eſt ad partẽ Meridianam: Haber autem Cinæus receſſit ab eis verſus Aquilonem, & habitauit in ſorte Nephthali iuxta ciuitatem Cedes, & iſta terra eſt multum aquilonaris in tota terra Chanaan. Sed arguet aliquis, quod Cinæi non habitarent in terra Iudæorũ ſed in terra Amalech, quia 1. Reg. 15. cap. dixit Saul Cinæo. Abite, & recedite ab Amalech, & poſtea concluditur. Et receſſit Cinæus de medio Amalech: ergo inter Amalechitas habitabant Cinæi. Reſpondendum eſt, quod Cinæi habitabant in ſorte Iudæ, & tamen terra eorum applicabatur terræ Amalechitarum, quia ſors Iudæ eſt maxime Meridiana in tota terra Chanaan, vt colligitur Ioſue 15. capitul. & in iſta ſorte habitauerunt Cinæi, vt patet Iudic. capitul. primo. & manſerunt in extremitate Meridiana ſortis huius, vt patet ibidem: Amalechitæ autem ſunt coniuncti terminis ſortis Iudæ. Quod patet quia

A

tet quia Cades barne est in latere Meridiano sortis Iudæ: Iosue capit. decimo quinto, & tamen apud Cades barne est terra Amalechitarum, vt colligitur supra decimo nono capitu. & sic Cinæi essent coniuncti terra Amalech: ideo quando Saul iuit contra Amalechitas dixit, vt recederent Cinæi ab Amalech, id est, de extremitate eius ne forte ipse pugnans contra Amalech putaret loca Cinæorum esse loca Amalechitarum, & occideret Cinæos. Vel potest intelligi, quod quamquam Cinæi à principio habitauissent solum in sorte Iudæ, quia tamen erant in extremitate eius, & coniuncti terræ Amalech, potuerunt acquirere aliqua loca terræ Amalechitarum, & habitare in eis, & quantum ad hoc erant Cinæi in medio Amalechitarum: vnde dicitur primo Regum capit. decimo quinto, recessit Cinæus de medio Amalech. Alio modo poterat intelligi ista litera, scilicet, & fueris electus de stirpe Cin, id est, licet sis electus de omnibus gentilibus, quia es de stirpe Cin, id est, de stirpe Iethro, qui vocatur Cin, tamen non poteris diu permanere, & tunc intelligitur, quod inter omnes Gentiles nulli fuerunt magis electi quam Cinæi, eo quod omnibus aliis gentibus aduersabantur Iudæi, vel saltem non communicabant, Cinæis autem multa bona fecerunt, quia acceperunt eos inter se, & dederunt eis Hæreditatem, sicut dixerat Moyses ipsi Iethro, cuius filii erant Cinæi, vt patet supra capit. decimo & Iudic. capit. primo, Et tunc

B

erit sensus, quod quamquam magis fuerint electi Cinęi quam omnes aliæ gentes ad beneficia Iudæorum, tamen non excusauerunt se propter hoc, quin caperentur à rege Assur. Primus tamen sensus est melior, scilicet, quod quamquam quidam de Cinæis eligerentur à cæteris, id est, separarent se ab eis, tamen caperentur à rege Assur, sicut fuit de posteritate Haber Cinæi: nam iste separatus est à reliquis Cinæis, vt habitaret in terra Nephthali, & tamen quando rex Assur accepit terram illam Cinæi capti sunt. Aliquæ Bibliæ habent: Si fueris electus de stirpe Cham, tamen litera vitiosa est, quia litera Hebraica habet de stirpe Cin. Si autem diceretur hic de stirpe Cham, referretur ad Sinæos, qui erant vnus de populis Chananæorum, & esset sensus, quod quamquam Sinæi essent electi de populo Chananæorum, tamen non possent diu permanere, quasi dicat, omnes alii de stirpe Cham peribant cum Deus tradidisset in potestatem Israelitarum totam terram Chanaan: Sinæi autem habebant in hoc aliquid speciale, quia non erant intra terminos Chanaan promissæ Iudæis: ideo Iudęi non delebant eos, tamen hoc nõ obstante non possunt diu permanere, quia licet Iudæi non destruerent eos Assur caperet illos. Sed primus modus debet teneri, cum litera ista non possit loqui de Sinæis, qui sunt de stirpe Cham: sed de Cinæis, qui sunt de stirpe Iethro, qui vocatur Cin.

Quandiu poteris permanere. Quasi dicat, non manebis magno tempore, licet sit habitaculum tuum fortissimum. Fuit tamen satis magnum tempus, quia vsque ad regem Salmanasar manserunt Cinæi inter Iudæos, à Balaam autem vsque ad Salmanasar fuerunt magna tempora, scilicet fere totum tempus, quo durauerunt Israelitæ in terra Chanaan, sed Scriptura vocat istud paruum tempus, quoniam mille anni ante oculos Dei, sicut dies hesterna sunt, quæ præteriit, sicut ait Propheta Psalm. 94.

C

Assur enim capiet te. Id est, non poteris permanere, quia Assur, id est, rex Assyriorum capiet te. Hoc enim fuit quando Salmanasar venit in terram Iudæorum, & transtulit inde tribus decimo in terram Medorum: de quo quarto Regum capitu. decimo septimo tunc enim transtulit cum eis Cinæos, scilicet, progeniem Haber Cinæi, qui recesserat ab omnibus aliis Cinæis, vt habitaret in sorte Nephthali, & quia fuerunt translati habitatores Nephthali in terram Medorum etiam Cinæi cum eis translati sunt.

Prophetia aliarũ gentium à Cinæis.

Assumptaque parabola ita locutus est. Hic prophetat de aliis Gentibus, id est, de Italicis, & Assyriis, & Iudæis. Istas autem gentes saltem duas primas non videbat Balaam, quando erat in monte Phegor prophetans de eis: ideo non dicitur hic de istis, quod conuerteretur Balaam contra illas, vel quod videret eas, sicut dictum est, quod vidit Amalech, & vidit Cinęum, & ponitur hic de istis Gentibus, quasi depensiue ex superioribus. Dixerat enim, quod Assur, id est, rex Assyriorum caperet Cinæos, in quo etiam intelligebantur, quod caperet Iudæos, nam decem tribus Israelitarum captæ sunt à rege Assur, quando cępit Cinæum, & quia rex Assur in hoc male agebat, licet esset instrumẽtũ iræ Domini ipse passurus erat mala. & ob hoc ponitur destructio eius, scilicet, quod Italici destruerent eum: hoc enim signat Isaiæ capitu. 10. dicens. Væ Assur virga furoris mei, & baculus ipse: in manu eorum indignatio mea: ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi. & postea sequitur ibidem, quomodo quamquam esset instrumentum Dei, tamen superbe egit, & non æstimauit se esse instrumentum, sed quod à se haberet potentiam istam magnam, & propter hoc sequitur ibidem magna pœna illius, ita etiam fit hic, quia post eius iniquitatem in destruendo Iudæos ponitur pœna illius infligenda à Romanis.

D

Heu, quis victurus est, quando faciet ista Dominus? Exclamatio enim doloris est, quam præposuit Balaam, quia malum quod futurum erat tempore istorum vltimorum bellorum, scilicet, quando Romani contra Assyrios pugnarent, & postea ipsi inter se, erat maius malum omnibus præcedentibus. Et sic dicit: heu, quis victurus est, quando faciet ista Dominus? id est, valde magna calamitas erit, quando Deus inducet ista super terram, & illi, qui tũc vixerint, magis affligentur, quam qui fuerint in omnibus aliis temporibus. Similem enim exclamationem facit Christus de malis vltimorum temporum, quia illa erunt talia, qualia nunquam fuerunt ab exordio sæculi. Sic dicitur Matth. 24. capitu. væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus: erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modo, nec fiet. Sic iterum quando prædixit Christus magnam tribulationem super Iudæos futuram tempore belli Romanorum ait, filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vosipsas flete, & super filios vestros, quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: beatæ steriles, & ventres, quæ non genuerunt, & vbera, quæ nõ lactauerunt, tunc incipient dicere montibus, cadite super nos, & collibus, operite nos. Luc. 23. cap.

E

Venient in trieribus de Italia:

Bellum Romanorum contra Assyrios prædicitur.

QVÆSTIO XV.

HIc ponitur bellum Romanorum contra Assyrios, magno enim tempore durauit iste conflictus, & multi de nobilibus Romanis in eo defecerunt, & senatores atque consules. Crassus namque, qui cum Pompeio consulatum gerebat bello Parthico peremptus est. Dicitur autem, quod venient in trieribus, id est, in magnis nauibus: est enim trieris genus magnæ nauis, quæ à tribus ordinibus denominata est, & in istis venerunt Romani de Italia ad pugnandum contra Asianos, & inde dicitur trierarcha, id est, princeps nauium, vel rector. Sic accipit Arist. 2. Ethi. scilicet, quod non est idem medium circa temperantiam Miloni, & trierarchæ, atq; magistro gymnasiorum. *Cap. 6.* F

Et superabunt Assyrios. Id est, Romani pugnauerunt contra Assyrios, & superauerunt eos: multa enim bella fuerunt Romanorum contra Assyrios: nec solum contra vnam gentem, scilicet, Assyriorum pugnauerunt, sed etiam contra omnes gentes Asianas pro maiori parte, nam vsque ad Taurum, & Caucasum montem Romani omnes Asianos sibi subiecerũt, sicut patet in historiis Romanorum per Titum Liuium, & Paulum Orosium, & Eutropium, Suetonium, atque alios Romanorum chronographos. Fuerunt autem ista bella maxime facta per Pompeium, qui maxime pro vrbe Romana laborauit. Primo in piratico bello intra paucos dies omnes piratas delens, deinde bello terrestri omnes terræ Asiæ, & Africæ reges Romanorum subiecit imperio. Felicissimus quidem si potentia temporalis, & honor aliquod fœlicitatis habent vestigium, admirandæ. Et tamen condolendæ calamitatis suæ origo fuit, quod intrauit in templum Domini, & Sancta sanctorum in Ierusalem, & omnia vasa, & Dei cæremonias contempsit, nihil tamen cupiditate ductus inde tulit, & equos suos in porticu Salomonis stabulauit, & inde miserrimus recedens, qui fœlix accesserat cum Iulio Cæsare congressus inferior fuit, postea in Aegypto infœliciter ab eo, quem ipse in regem exaltauerat, decapitatus est. De his Lucanus per decem libros latissime, & elegantissime locutus est.

A *Tempore Balaã nõ erat Roma sed postea cõdita est annis fere 700 post hãc prophetiam Balaã.*

Et vastabunt Hebræos. Id est, Italici, qui vastauerunt Assyrios etiam vastauerunt Iudæos, nam fere contra totam Asiam pugnauerunt: nam post bella contra Assyrios aliquantis temporibus post defunctos Machabæos Pompeius terram Iudæorum Romanis subdidit. Ante hoc autem reges, & sacerdotes de genere Machabæorum erant. Romani vero tanquam dominantes terræ illi instituebant reges, quos volebant, & sacerdotes magnos, Sic instituti sunt Aristobolus, Alexander, & Ioannes. Postea autem magna seditione orta inter eos, qui de genere regio erant Romani priuauerunt eos regno, transferentes illud ad alienigenas distinctum per Tetrarchias. Vnde posuerunt primum Herodem Aschalonitam, qui de genere Philisthinorum erat de vrbe Aschalone principalissima inter omnes vrbes Philisthinorum, sub quo Christus natus est. Erat autem tunc distinctus principatus totius terræ Iudæorum per quatuor viros, quorum quilibet vocatur Tetrarcha, id est, principes pro quarta parte. Hos quatuor Tetrarchas ponit beatus Lucas cap. 3. scilicet, pontium Pilatum Tetrarcham Iudææ, & Herodem Tetrarcham Galilææ, & Philippum fratrem eius Tetrarcham Iturææ, & Traconitidis regionis, & Lisaniam Tetrarcham Abilinæ. horum tñ quatuor principum Iudæi nullum regem vocabant. Sic patet Matth. 27. cum Pilatus dixisset de Christo, quod crucifigeret regem Iudæorum, dixerunt Iudæi non habemus regem, nisi Cæsarem, scilicet, Imperatorem Romanorum. Et iterum dicunt, Si dimittis hunc non es amicus Cæsaris, quia omnis, qui se regem facit contradicit Cæsari, in quo videtur, quod nec ipsi intelligebant esse alium regem super se, nisi Cæsarem: nec etiam Cæsar volebat esse alium regem, nisi seipsum. Hæc omnia facta sunt vt compleretur, quod dictum erat Genes. 49. scilicet, non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, id est, Messias secundum Chaldaicam translationem, & sic Iudæi vastati erant, & magna calamitate pressi, cum nullum dominum naturalem haberent, sed multos, & alienos. Non fuit tamen completa Iudæorum destructio vsque ad 42. annos post Christi passionem, quando Titus deleuit totam vrbem Ierusalem, & omnes Iudæos, qui conuenerant ad vrbem ipsam, nam erat tunc festum azymorum, in quo omnes viri Israelitæ conuenire debebant illuc, quia iusserat Deus, quod omne masculinum de genere Israel ascenderet ter in anno ad locum Sanctuarii, nec poterat esse cõuenientius tempus ad delendum omnes.

Romani diuiserunt dominiũ Iudæorum, in 4. Tetrarchias.

B

Prophetia contra Romanos.

Ad extremum, & ipsi peribunt. Ponitur pœna Romanorum, scilicet, quod ipsi perirent, sicut cæteræ gentes, quia ipsi inflixerant multa mala aliis populis, eis quoq; mala inflicta sunt. Sic dictum fuerat supra de Assyriis, qui capturi erant Cinæos, & cum eis Iudæos, & postea subiunctum est, quod ipsi Assyrii à Romanis perirent, ita & cum dictum fuerit de Romanis, quod cæteras gentes vastarent subditur, quod ipsi vastabuntur.

C

Quo bella ciuilia vrbẽ maxime vastauerunt.

Hebræi volunt, quod hoc fiet per Messiam suum, qui veniet in magna potestate, & subiiciet sibi omnes gentes. sed falsum est, quia Messias venturus non est, cum iam venerit. Item licet venturus esset, non esset pugnaturus contra gentes ad subiiciendas eas sibi, sed alio modo assecuturus erat principatum, vt supra probatum fuit: sed intelligitur hoc de Romanis, qui perierunt inter seipsos, scilicet, propter malitiam imperatorum suorum. In quo sciendum, quod bella ciuilia fuerunt, quæ vrbem Romam à principio maxime vastauerunt, cum pugnauerunt Sylla, & Marius duo consules Romani, qui infinitas strages in vrbe Romana, & in prouincia dederunt, ita vt nunquam hostes tantum nocuerint bello hostili, quantum ipsi bello ciuili nocuerunt, sed quia postea vrbs Roma ad maximam peruenit excellentiam, adhuc non computatur illud tempus tanquam principium Romanæ cladis, nam post tempora Syllæ & Marii, tempore Pompei, & Iulii Cæsaris Roma ad magnam peruenit excellentiam, cum isti ei multas prouincias subiecerint, scilicet, Pompeius in partibus Asianis, & Iulius Cæsar in tota Europa: ipsi tamen bello ciuili magnam partem Romani status deleuerunt. Sed adhuc post ipsorum tempore Octauianus Augustus surrexit: cuius tempore fuit maxima gloria Romanorum, nam tunc totus orbis Romanis subditus fuit, & iussit Octauianus, vt describeretur vniuersus orbis, & singuli profiterentur in vrbibus suis se subiectos esse Romanis, vt patet Luc. ca. 2. Omnes ergo præteritæ clades Romanorum ante tempore Octauiani non cõputantur in ruina Romanorum.

D *An prophetia de destructione status Romani intelligatur quantũ ad mala, quæ fuerunt ante tẽpus Octauiani, vel post.*

Item Scriptura ista non potest intelligi de malis, quæ passi fuerant Romani ante tempora Octauiani, quia hic dictum est, quod ipsi vastarent Assyrios, & Hebræos, & ad extremum ipsi perirent, sed vastatio facta in Iudæis post Romanos fuit post Octauianum, & multos alios Imperatores, scilicet, tempore Vespasiani, & Titi. ergo post hoc computanda est ruina Romanorum fuit autem hoc propter malitiam Romanorum Imperatorum, & discordiam, multæ enim prouinciæ fuerunt, & vsque hodie fere nihil mansit. Hostes etiam pro magna parte statum Romanum deleuerunt. Nam Alaricus rex Gothorum irrupit vrbem Romam tempore Imperatoris Honorii, & ipse plurimos trucidauit, & vrbem ferro, & igni magna ex parte consumpsit, vt declarat Paulus Orosius 6. libro de Ormesta mundi. ista autem litera est indifferens, vt possit intelligi de bellis hostilibus, per quæ Romani perierũt, vel quod ipsi à seipsis mutuis discordiis conturbati fuerint, nam non dicitur hic, quod ad extremum Romani vastabuntur, sicut dicitur de omnibus aliis gentibus, sed quod ad extremum peribunt.

Quomodo Moyses scripsit gesta Balaam, cum eum nunquam viderit.

E

QVÆSTIO XVI.

QVæret aliquis quomodo Moyses ista scripsit de gestis Balaam, nam ipse non vidit hæc cum fiebant, quia erat inter Hebræos.

Respondebit aliquis, quod sicut Balaam prophetæ reuelabantur ista, quæ habentur hic futura de statu gentium, ita & Moysi reuelata sunt, ita vt ipse scribere ea posset tanquam verba prophetiæ suæ.

Sed adhuc dato isto non est plena responsio, quia de pure historicis, scilicet, de eis, quæ faciebant Balaam constituendo Aras, & quærendo auguria nihil prophetabat Balaam, sed faciebat illa, ideo si Moyses solum similiter prophetaret, vt Balaam, non potuisset cognoscere omnia ista, quæ facta sunt.

Respondendum est igitur, quod Moyses cognouit hæc omnia prophetice, & sic scripsit, scilicet, à principio 22. capit. vsque nunc. Nihil enim de istis factis Moyses vidit, scilicet, qualiter venerit Balaam in terram Moab, & quid ibi egerit, sed omnia sibi spiritus reuelauit. nec aliquis moueatur, quia ista non erant futura, de quibus prophetæ reuelationes habere solent, quia Propheta non magis determinatur ad futurum, quam præteritum, vel præsens, sed omnis veritas, quæ modo humano cognosci non potest, & diuinitus reuelatur, vocatur prophetica. Et quia quædam præterita sunt, quæ nequaquam ab homine cognosci possunt, cum ex historia nulla constent, reuelatione quadam indigent, vt sciantur. Idem modus fuit cum scripsit Moyses historiam de creatione rerum, & annos atque discursus ætatis primæ vsque ad diluuiũ, nam de his per nullam historiam sibi constare poterat. De præsentibus quoque reuelatio prophetica est, si id, quod ab aliquibus occulte fit, Deus aliis tunc reuelet, sic erat de Propheta Eliseo, cui reuelabat Dominus omnia, quæ faciebat rex Syriæ Benadab, ita vt conqueretur rex Syriæ de seruis suis, dicens quod aliquis esset proditor in domo sua, qui reuelaret omnia, quæ ipse faciebat regi Israel, & responderunt serui Benadab. nequaquã domine mi rex sed Eliseus Propheta, qui est in Israel indicat regi Israel quæcunque locutus fueris in conclaui tuo, vt patet 4. Reg. capit. 6. sic etiam Moysi reuelabantur de præsenti ea, quæ faciebat Balaam contra Israel, & erat reuelatio proprie prophetica, per quam cognouit omnia ista Moyses tanquam historice facta, & nihil eorum tanquam futurum, quia licet multa prædixerit Balaam hic futura, Moysi tamen non reuelabantur hæc, vt futura erant, sed solum reuelabatur, quod Balaam istæ prænunciasset, & sic circa idem erant duo prophetæ, & diuersimode, vnus qui sciebat quid futurum esset, alius autem, quia cognoscebat quid dictum fuisset. Vnde Moyses non dicetur hic Propheta de futuro, licet futura scripserit. quia non simpliciter prænũciauit, sed prænunciata retulit, in hoc tamen quantum ad esse prophetam nihil differt, quia cum vtrobique sit reuelatio fa-

Narratio præteritorũ ac præsentium prophetia nũcupari potest.

F

Circa eadem Moyses, & Balaam habebant spiritũ prophetiæ. sed vnus, vt futura cognoscẽs alius, vt res gestas scribẽs.

A

cta à Deo eius quod alias cognosci non poterat prophetia est. Differt tamen aliqualiter, quia futurum magis accedit ad rationem prophetiæ, nam præterita, & præsentia licet alibi in remotissimis partibus fiant, ita vt nequaquam à nobis sciri possint, dæmones tamen illa reuelare queunt, futura autem nequaquam possunt, nisi inquantum eis ab Angelis bonis reuelantur, vel quantum ex præsentibus colligi potest, velut cum aliqua negotia incœpta sunt homo prudens diligenter inuestigans, licet consummationem eorum non viderit, de ea verisimiliter suspicari potest. Dæmones autem in naturali sollertia incomparabiliter super homines vigent, præcipue cũ multa didicerint antiquissima experientia sæculorum, quod maxime ad prudentiam confert, iuxta Aristot. 6. Ethico. ideo cum reuelantur præterita aut præsentia non est ita manifestum an à Deo, vel Dęmone ista sint. De futuris autem minus dubitamus, sunt tamen quædam præterita, & præsentia, quæ nequaquam sub Angelorum aut Dæmonum iudicio cadunt, vt quid homo apud se tacitus velit, aut quid aliquando voluerit, hæc enim soli Deo, qui voluntati nostræ, & intellectui, maxime in trinitate, illabitur, cognita sunt: ideo cum de talibus aliquid certum annuncietur, & non per coniecturas, cognoscimus quoniam à Deo hæc sunt. De Moyse autem quando constat, quod omnia ista à Deo reuelata susceperit, eum prophetam vocauimus, licet dæmon illa renunciare potuisset, quia pure historica erant.

Cap. 9.

B

Surrexitque Balaam, & reuersus est in locum suum. Id est, postquam Balaam omnia ista annunciauit coram rege Balac de futuro statu gentium, & maledicere non potuit Iudæis reuersus est in terram suam, & dicitur surrexit, id est, ante manebat, nunc autem incœpit progredi. Aliqui dicunt surrexit Balaam, scilicet, quia quando omnia superiora ei reuelabantur iacebat in terra dormiens, sed supra improbatum est, & dicitur, quod reuersus est in locum suum, id est, in Mesopotamiam, de qua venerat, vt patet præced. cap. & Deut. 23.

Et si obiiciatur, quod non rediit in terram Mesopotamiæ, sed in terram Madian, quia ibi post paucum tempus cum Madianitis occisus est, vt infra 31. cap.

Respondendum est, quod Balaam suasus est à Madianitis, vt iret in terram eorum, & consensit, prius tamen rediit in terram suam, scilicet, in Mesopotamiam, vt disponeret de rebus suis, postea vero venit in terram Madian, & ibi occisus est cum Madianitis.

Balac quoque via qua venerat rediit. Id est, rex Moab etiam rediit in locum suum via, qua venerat postquam recessit Balaam non potens maledicere Iudæis. Ista litera potest intelligi dupliciter. Vno modo, quod sicut Balaam recessit de monte Phegor, in quo prius erat cum rege Balac, & iuit in terram suã, ita & rex Balac rediit de eodem monte in aliquam ciuitatem suam via, quæ venerat, id est, per viam, qua venerat ad montem illum.

C

Aliter intelligi potest, quod cum Balaam surrexit, vt iret in terram suam, Balac rex Moab iuerit cum eo associans vsque ad extremitatem regni sui, sicut fecerat à principio, nam cum sciuit venisse Balaam, exiuit ei obuiam vsque ad fines regni sui ad oppidum Arnon, vt patet supra 22. capit. nunc autem non desperans penitus aliquod bonum futurum sibi per consilium Balaam honorauit eum associans vsque ad extremitatem regni. Vterque sensus satis stat, sed primus magis videtur cõsonare literæ.

Aliqui autem dicunt, quod rex Moab iuerit cum Balaam vsque ad extremitatem regni sui, vt daret ei consilium, sicut promiserat, scilicet, qualiter se haberet cõtra Iudæos, & quod in extremitate regni Moab dederunt ei consilium, quo suscepto rediit Balac via, qua venerat, scilicet, rediit ad montẽ Phegor, in quo prius fuerat, quia apud eundem montem fuerunt fœminæ Moabitarum, & Madianitarum prostitutæ, & facta est immolatio Beelphegor. Etiam sic volunt, quod immediate, vt recessit Balaam traditum fuerit istud executioni, sed magis videtur, quod consilium dederit Balaam, quando fuit extra terram Moab euntibus cum eo aliquibus Moabitis, quibus redeuntibus consilium executioni traditum est, nam Balaam dixerat, quod postquam pergeret in terram suam, daret consilium Moabitis contra Israel.

An Balac fuerit cum Balaã vsq; ad extremitatẽ regni, sui, vt ibi acciperet consiliũ

CAPVT XXV.

D

Morabatur autem eo tempore Israel in Settim, & fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt, & adorauerunt Deos earum. Initiatusque est Israel Beelphegor: & iratus Dominus, ait ad Moysen Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israel. Dixitque Moyses ad iudices Israel: occidat vnusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor. Et ecce vnus de filiis Israel intrauit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, vidente Moyse, & omni turba filiorum Israel, qui flebant ante fores tabernaculi.

Fornicatur Israel cũ Moabitis. Ios. 22. Exo. 32.

MOrabatur. Dicto superius de consilii datione, hic agitur de eius executione, & tanguntur quatuor. Primo Iudæorum transgressio: secundo pœnæ debitæ per sententiam promulgatio: tertio eiusdem in parte, & in toto inflictio; quarto Iudæorum ad occidendum Madianitas prouocatio. Secunda ibi. *Et iratus Dominus.* Tertia ibi. *Quod cum vidisset.* Quarta ibi. *Locutusque est Dominus.* Circa primum considerandum, quod Balaam promiserat dare consilium regi Balac contra Israelitas, cum non posset maledicere eis, vt patet præcedenti capitulo istud autem non dedit cum esset in terra Moab, sed postquam iuit in terram suam, & deinde executioni traditum est. Quomodo autem consilium datum fuerit, subticetur hic, quia scriptura non curat enarrare omnia, quæ fiunt, potissime, quia vtitur modo artificioso abbreuiando historiam, scilicet, non referendo ea, quæ ex aliis colligi possunt, & ita fuit hic quia præcedenti capitu. dictum fuerat, quod Balaam daret consilium contra Iudæos, & hic apparet quomodo Moabitæ caute deceperint Israelitas, ideo colligitur satis, quod consilium datum fuerit, maxime, quia hoc exprimitur infra 13. cap.

E

An quæ in hoc capi. dicuntur sint immediate facta post præcedentia.

QVÆSTIO I.

QVæret aliquis an ea, quæ dicuntur hic, fuerint facta immediate post ea, quæ supra habentur, vel an forte sit aliqua mutatio ordinis.

Respondendum est, quod ordo rectus est. Primo enim facta sunt ea, quæ habentur præcedenti capitulo vbi Balaam dixit, quod daret consilium Moabitis, postea autem hæc fuerunt cum hic agatur de executione huius consilii. An vero immediate fuerit hoc post illud licet non constet, satis potest iudicari, quod immediate fuerit, quia Moabitæ diligenter conabantur ad Iudæorum, destructionem, ideo immediate, vt accepissent consilium à Balaam tradidissent illud executioni, vnde inter istam literam, & cap. præcedens nihil subticetur, nisi tempus, in quo Balaam consilium dederit. Satis ergo fuit istud quod hic dicitur coniunctum superioribus, & hoc etiam signat litera in principio huius cap. scilicet, quod morabatur eo tempore Israel in Settim, id est, quod quando ista supra dicta acciderunt, erant Israelitæ in mansione, quæ vocatur Settim, & immediate subditur, quomodo in eodem locõ fornicati fuerint Israelitæ cum filiabus Moab, ideo simul ista fuerunt.

F

Morabatur autem eo tempore Israel in Settim. Istud ponitur ad continuandum historiam istam cum præcedenti, scilicet, quod eo tempore quo facta sunt præcedẽtia morabatur Israel in Settim, id est, manebat ibi in tentoriis suis. Est autem Settim quædam mansio, siue pars terræ apud Iordanem in planioribus locis Moabitarum, & ista est vltima mansio, quam habuerunt Israelitæ in toto deserto, nam post eam non fecerunt aliam mansionem vsque ad transitum Iordanis, & vocatur ista mansio Belsathim infra capitulo trigesimo tertio, vbi ipsa ponitur vltima omnium mansionum. Est autem idem Settim, & Belsathim, sed quia ista mansio Settim erat iuxta montem Phegor, vbi erant templa idoli, vel

A

forte accepit ex illo idolo istam adiunctionem, vt vocaretur Belsathim. Quod autem sit propinqua illi monti patet, quia mulieres Moab descenderunt in Settim vbi erant castra Israelitarum, & descenderunt de monte Phegor, qui erat extremus in terra Moab, ipsæ tamen non irent in aliquid distans, ergo mansio Settim erat apud montem Phegor. Forte aliquis dicet, quod ista mansio, quæ vocatur Settim non est illa, quæ vocatur Belsathim infra 33.capi. & sic non erit vltima in mansionibus. Sed dicendum est non stare, quia Iosue ca.2.dicitur, quod misit Iosue duos viros exploratores de Settim.

An mã sio qua vocatur hic Settim sit illa quavocatur Belsathim, infra 33.cap.

Item Iosue cap.3.dicitur, quod Iosue de nocte surgens mouit castra, egredientes de Settim venerunt ad Iordanem, constat tamen, quod Iosue erat in vltima mansione cum iam mortuus esset Moyses, qui peruenit ad vltimam mansionem deserti, cum ipse omnes mansiones descripserit infra 33.capitu. ergo Settim, & Belsathim, quæ est vltima mansio dicuntur esse eadem. nam Settim de qua hic, & de qua Iosue 2. & 3. capit. eadem est.

Sciendum tamen quando dicitur hic, quod Israel morabatur eo tempore in Settim, quod potest referri ad duo, scilicet, ad tempus quo fornicatus fuit Israel cum mulieribus Moab, & Madian, vel ad tempus, quo datum fuit consilium istud contra Israelitas, & quando Balaam conabatur maledicere Israelitas faciens cæremonias super montem Phegor, quæ supra descriptæ sunt. Et istud secundum est quod intendit litera, quia non dicitur hic. Morabatur Israel eodem tempore in Settim, quo fornicatus est populus cum filiabus Moab, sed dicitur: Morabatur eo tempore Israel in Settim, & fornicatus est populus: ideo necesse est vt istud tempus referatur ad alium actum quam ad fornicationem, quia ista ponuntur hic per modum additionis. Ideo dicendum; quod quando Balaam maledicere volebat Israelitas super montem Phegor morabatur populus Israel in Settim, id est, in mansione Belsathim, & post hoc sequitur, quod fornicati fuerint Israelitæ cum filiabus Moab.

B

Quomodo Israelitæ erant in Belsathim cum supra tamen dicatur, quod erant in campestribus Moab.

Qvæstio II.

Qværet aliquis quomodo poterat esse Israel in Belsathim, quando Balaam maledicere conabatur Israelitas, quia supra 22.capit.dicitur, quod Israelitæ castrametati sunt in Moab, & tunc facta sunt ista, & tamẽ mansio, quæ est in campestribus Moab differt à Belsathim, quæ est in planioribus locis Moabitarum, vt patet infr.33.cap.sc.profecti de montibus Abarim transierunt ad campestria Moab, ibique castrametati sunt de Bethsimon vsque ad Belsathim in planioribus locis Moabitarum. Aliquis forte respondebit, quod Israelitæ erant in campestribus Moab à principio quando venit Balaam ad maledicendum super monte Phegor: postea tamen recesserunt inde ad planiora loca Moabitarum, scilicet ad mansionẽ Belsathim. Sed hoc non conuenit, quia dicitur hic, quod eo tempore morabatur Israel in Settim, id est, eo tempore quo facta sunt præcedentia, sed supra ponitur solum conatus Balaã ad maledicendum, & prophetia de futuris temporibus: ergo tempore, quo illa fiebãt, erat Israel in Settim, sed illa omnia in eodẽ die facta sunt, vt satis colligitur ex litera 23.&pręc.c.cum solum conatus fuerit Balaam ad maledicendum ter, & cum vna vice non posset, dicebat ei Balac. Veni ducam te in alterum locum, & tunc ducens eum in alium collem propinquum faciebat iterum conari ad maledicendum. Et sic in eadem die immo in pauco tempore illa fieri potuissent, sed quando illa fiebant erat Israel in Settim, vt patet hic, ergo quando incœperunt fieri etiam erat in Settim, & sic non potuisset esse in cãpestribus Moab. Respondendum est igitur, scilicet quod quãdo Israelitæ fornicati sunt cum filiabus Moabitarum erant in Settim, & ibi etiam erant quando Balaam conabatur maledicere eis, & antequam ipse venisset ad maledicendum. Dicitur tamen supra 22. cap. quod erant in campestribus Moab, quia campestria ista accipiuntur dupliciter. Vno modo tota illa terra, quæ est descendendo à montibus Abarim vsque ad Iordanem vocantur campestria Iordanis, & sic accipitur large. Alio modo vocantur campestria solum pars illa, quæ est conC

Campestria Moab dupliciter.

iuncta montibus Abarim descendendo ab illis versus Iordanem, & non pertingit ad Iordanem, sed postea sequitur alia pars, quæ non est ita montuosa, & extenditur vsque ad Iordanem, & ibi nominantur planiora loca Moabitarum. Isto modo accipitur infra 33.cap. vbi distinguuntur campestria, & planiora loca. Causa distinctionis est, quia campestria sunt aliqualiter montuosa, & ista sunt immediate apud descensum montis Abarim versus Iordanem.

D

Cum autem magis acceditur ad Iordanem, succedunt loca minus montuosa, & illa vocantur pleniora loca Moab. Accipiendo primo modo est dicendum, quando Israelitæ erant in Settim, siue Belsathim erant in campestribus Moab. Accipiẽdo secundo modo dicetur, quod erant in planioribus locis Moabitarum. Primo modo accipitur supra capit.22.sed simile Deuteronom.capit.2.cum dicitur, quod mortuus est Moyses, & fleuerunt eum filii Israel in campestribus Moab. Sed manifestum est, quod tunc erant Israelitæ in Settim, siue Belsathim, quæ est vltima mansio, quia in illa locutus est Deus Moysi multa, vt patet infra trigesimo tertio capitulo, ergo Belsathim dicitur esse in campestribus Moab, constat tamen, quod ipsa est in planioribus locis Moabitarum infra trigesimo tertio capitulo, ergo non distinguitur ibi inter campestria Moab, & planiora loca Moabitarum. Et sic accipiuntur supra 22.c. campestria Moab.

Et fornicatus est populus cum filiabus Moab. Ista est executio cõsilii Balaam. Conabatur enim Balaam maledicere Israelitis, vt patet duobus præcedentibus cap. & quia non potuit, excogitauit qualiter nocere posset illis, & quia non poterat ipse nocere, nisi Deus noceret, conabatur prouocare Deum ad iram Israelitarum. Sciebat autem, quod si prouocatus esset permitteret Israelitas in manus Moabitarum, & quia cognouerat nihil esse, quo magis Deus irritaretur, quam per cultum idolorum, excogitabat qualiter posset Israelitas mouere ad culturam dæmonum. Arbitratus est autem nihil esse facilius quam si mulieres Moabitarum adornatæ descenderent ad castra Hebræorum, & illos per libidinem mouerent ad idololatriam. Moabitæ autem rectum esse credentes ornauerunt virgines suas multas nimis, vt totus populus posset ad eas confluere, quæ descenderunt per montem Phegor ad mansionem Settim, in qua tunc erant Iudæi, quæ erat valde coniũcta extremitati Moab, cum dicatur esse in campestribus Moab. Tuleruntautem virgines istæ secum deos suos, & cibos, vt consecrarent illos diis suis, & vocarent Israelitas ad cibos, & ad consecrationem eorum diis suis faciendam. Venerunt autem mulieres istæ in forma vendentium cibos ne Iudæi fraudes intelligerẽt, & occiderent eas, iuuenes autem Hebræorũ videntes eas prope tentoria sua ornatas, & sine custode, tabernacula habentes quasi ad hoc parata confluebant ad eas. Ipsæ autem cum viderent iuuenes exardescentes in earum pulchritudinem, & ornatum, non permittebant eos sibi commisceri quousque per blanditas illectos ad comedendum de cibis consecratis Beelphegor, & vt ipsi per se consecrarent inducerent. & sic consummabatur iniquitas.

E

Qño Israelitæ fornicati sunt cum filiabus Moab, & vnde habuit Balaã exordiũ ad inueniendũ consiliũ cõtra Iudæos.

Aliqui autem volunt, quod istæ fœminæ induxerunt viros Iudæos ad hoc peritum sacrificiorum Priapi: in cultu enim Priapi primo sacerdotes faciebant sacrificia, deinde in loco excelso existens sacerdotes monstrabat omnibus cultoribus Priapi genitalium turpitudinem, & tunc ipsi per loca frondosa, vel subterraneas specus ad ipsa sacrificia Priapi, scilicet, ad opus venereum confluebant. Ideo Deus iste colebatur in montibus in locis frondosis, vel in subterraneis specubus, vt magis sic humana verecundia in coeuntibus celaretur, quod aliqualiter colligitur 3.Regum capit.decimoquinto, vbi dicitur de rege Asa, qui confregit idolum Priapi, & abstulit matrem suam, ne esset princeps in sacrificiis Priapi, & subuertit subterraneam specum. Per ritum ergo istorum sacrificiorum possent mulieres Moabitæ concitare viros Iudæos ad sacrificia sub spe libidinis, quia in ritu Priapi priora sunt sacrificia quam opera venerea. hæc enim satis recte dicta sunt, sed ex litera magis videtur, quod mulieres Moabitarum permittebant ad se accedere viros Iudæos, & cum eos libidinoso amore illaqueassent, vocabant ad sacrificia sua, ipsi autem faciebant quidquid fœminæ iussissent. Et hoc apparet ex ordine literæ, scilicet, fornicatus est populus cum filiabus Moab, quę vocauerunt eos ad sacrificia sua.

F

An mulieres Moabitidesinduxerit Iudæos ad sacrificia Priapi, & an primo induxerũt Iudæos ad sacrificandũ quam permitterent Iudæos sibi cõmisceri, vel è cõtrario.

A

Item patet, quia infra dicitur, quod vnus de filiis Israel intrauit ad scortum Madianitidē videnteMoyse, & omni turba filiorum Israel, quem secutus est Phinees Eleazari, & intrans in lupanar arrepto pugione perfodit eum coeuntem cū Madianitide. Si tamen prius mulieres istæ inducerent Israelitas ad sacrificandum quam permitterent eos commiscericum, vel primo deberent comedere de sanctificatis, quando ingressus est lupanar Phinees post virum Hebræum non inuenisset eum coeuntem cum Madianitide. Et sic magis videtur dicendum, quod permitterent fœminæ istæ Israelitas secum commiscerei, deinde eos inducerent ad sacrificandum. Dicitur, autem hic, quod fornicatus est populus, id est, multi de populo, nam solum ille vir, qui pugione confossus est accessit ad scortum Madianitidem, sed & multi alii. nam viginti quatuor, millia hominum perierunt ex hac causa, vt patet infra.

Inuectiua cōtra Moabitas, qui exposuerūt virgines suas Hebræis ludificandas.

B

Considerandum in hoc satis fuisse Moabitas vilissimos, qui omnes virgines suas alienæ genti prostituebant, potissimum cum non sibi constaret ex hoc se quidquam boni conseeuturos, virilius enim fuerat eos fortiter agentes duro bello perire, vel cuicumque generi mortis se exponere, quam eis superstitibus tam infanda omnes eorum virgines paterentur: immo quod exprobabilius est tam turpia agerent. Sed nec mirum, rudis enim populus adhuc erat de honestate morali, & humana dignitate parum curans, vt enim modicum saltem vitæ spatium eis daretur, nihil turpe esse putabant, præeligentes quamcunque etiam vilissimam, vel dehonoratissimam vitam, vt glorioſam mortem effugerent, nec tamen eis quidquam hoc profuit, quin potius nocuit: nam si nihil huiusmodi fraudis commisissent, Israelitæ non erant pugnaturi contra eos. Deus enim iusserat, ne mouerentur contra eos in bellum, Deuteronom. capit. 2. hoc autem facto, licet propter Domini præceptum tunc non pugnauerint, tamen pœna magna eis imposita est, & æterna hostilitas inter eos, & Israelitas fuit introducta Deuteronom. 23. capitulo, scilicet, Ammonites, & Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt Ecclesiam Domini in æternum. Et postea sequitur. Non facies cum eis pacem, nec quæres eis bona cunctis diebus vitæ tuæ in sempiternum.

Quare Moyses, & alij Israelitæ non occidebant mulieres Moabitas fornicantes.

QVÆSTIO III.

QVæret aliquis cum Moyses, & Israelitæ viderent, quod plurimi de populi fornicabantur cum filiabus Moab, & colebant Deos earum, quare non occiderunt eas, vel non effugabant eas de circuitu castrorum.

C

Respondebit aliquis, quod forte Moyses non videbat hęc, quia cum mulieres istæ venissent in specie vēdentium cibos, licet multi de populo confluerent ad eas, & commiscerentur illis, poterat res latere Moysen, & alios, qui non ibant illuc.

Sed non stat, quia Moyses videbat istud, & dolebat atque flebat, quod talia fierent, vt patet infra, scilicet, vnus de filiis Israel intrauit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem vidente Moyse, & omni turba filiorum Israel, qui flebant ante fores tabernaculi.

Ideo aliquis respondebit aliter, scilicet, quod Moyses, & Israelitæ cognoscebant malum istud, tamen non audebant occidere mulieres Moabitarum, quia Deus iusserat, ne mouerentur in bellum contra Madianitas.

Sed ad hoc dicet aliquis, quod ex illa prohibitione nō erat simpliciter illicitum Iudæis pugnare contra Madianitas, vel inferre eis damna. Nam quamquam non liceret aggredi nulla præcedente causa: liceret tamen si Moabitæ nocuissent eis si pugnarent contra eos.

Respondendum est, quod etiam hoc non stat. nam si Moabitæ mouerentur in bellum contra Iudæos, liceret Iudæis immediate iniuriam propulsando occidere Moabitas, tamen si semel nocuissent facto interuallo non liceret pugnam committit contra illos, sicut nobis defensio sine interuallo licet, facto autem interuallo nequaquam, & apparet hoc ex sequētibus, nam licet Moabitæ intulissent Iudæis malum istud graue, scilicet, quod perierint 24. millia de Iudæis, tamen non pugnauerunt contra illos, nec Deus iussit, vt pugnarēt, sed solum contra Madianitas. Ideo dicendum, quod forte nō licebat Israelitis occidere mulieres Moabitidas fornicantes cum Israel.

D

Sed obiicietur, quod Phinees filius Eleazari pugione perfodit virum Hebræum, & mulierem, cum qua coibat, & ex hoc placatus est Deus, vt patet infra. ergo similiter licuisset omnes alias fœminas Moabitarum occidi.

An Phineas potuit occidere mulierē in coitu quia erat de Madiā.

Respondendum est, quod illa fœmina, quam occidit Phinees cum viro Israelita non erat de virginibus Moabitarum, sed Madianitarum, vt patet cum dicitur infra, quod intrauit ad scortum Madianitidem, non erat tamen inhibitum Israelitis pugnare contra Madianitas, sicut contra Moabitas: immo Deus iussit infra Israelitis, quod percuterent Madianitas. De fœminis autem Moabitarum, & Madianitarum sic erat, quod non licebat Israelitis occidere aliquam de illis. Sed adhuc semper stabit ratio, quia quāquā non possent licite illas occidere, poterant eas abigere de castris, cur ergo non abigerunt? Respondebit aliquis, quod istæ fœminæ non venerunt sub hac specie, vt Israelitæ commiscerentur eis, sed veniebāt, vt venditrices ciborum, ideo non audebat Moyses eas expellere, quia videretur contra vtilitatem publicam priuando populum cibis, vnde non assentiret ei reliqua multitudo. Sed adhuc potuisset Moyses occidere omnes Israelitas coeuntes cum alienigenis quamquam non occideret mulieres Moabitarum, aut Madianitarum, sicut in mōte Sinai occidit omnes, qui coluerunt vitulum, & hoc liceret sibi, sicut licuit Phinees filio Eleazari occidere virum Hebræum coeuntem cum Madianitide, & Deus hoc valde approbauit, immo ex hoc placatus est, vt patet infra. Itē patet, quia Deus iussit postea Moysi, vt occideret omnes istos, & ipse iussit omnibus iudicibus, quod occiderent omnes, qui fornicati fuerant cum alienigenis, & coluerant Beelphegor.

E

Dicendum est, quod Moyses cognouit istos peccare, & sciebat, quod morte digni erant, & tamen non audebat contra aliquos eorum procedere, quia timebat totum populum. Nam fere totus populus ad hoc declinauerat, vt patet eum de istis occisi fuerint 24. millia, plures quoque alii erant, qui quamquam non commiscerentur alienigenis, nec colerent Beelphegor, tamen fauebant facientibus hæc, ita vt Moyses timerent paucos futuros sibi in auxilium contra istos peccatores, si conaretur eos punire pro peccatis, sed flebat, & dolebat nimis ipse cum quibusdam aliis Israelitis habentibus zelum Dei. & manentibus apud ostium tabernaculi, vt patet infra. Quod autem maior pars populi ad hoc declinasset, ita vt nequaquam timerent Moysen patet, quia videnteMoyse, & tota multitudine, vir de quo infra dicitur, ingressus est ad scortum Madianitidem nihil timens: si enim timuisset Moysen aut reliquum populum, vel non iuisset ad scortum aut non fecisset palam.

F

Sed obiicietur, quod Moyses non omiserit à principio punire istos peccantes ex timore, nam postea patet, quod punierit eos occidendo 24. millia.

Respondendum est, quod ante mandatum Dei de occidendo idololatras, & fornicantes timuit Moyses punire aliquos de populo, quia tota turba fere ad hoc inclinata erat, cum autem Deus iussit, quod punirentur, Moyses accepit vigorem ad puniendum: intellexit enim, quod quia Deus iusserat punire illos, daret ei vigorem ad puniendum, & faceret, quod nemo resistere posset, populus quoq; cum sciuit, quod Deus iusserat puniri omnes peccatores. timuit valde, & nemo ausus est resistere Moysi, aut iudicibus exequentibus hoc, sicut in monte Sinai solus Moyses cum leuitis ambulauit per omnia castra Israelitarum, & occidit omnes idololatras, nemine sibi resistente, vt patet Exo. c. 32.

Cum filiabus Moab. Non soli fornicati sunt Israelitæ cum filiabus Moab, sed etiam cum filiabus Madianitarum: erant enim in hac prostitutione multæ de virginibus Madian, vt patet infra, quia illa, ad quam introiuit Iudæus, quem occidit Phinees, erat de filiabus Madian, cum dicatur infra, quod introiuit vir iste ad scortum Madianitidem. Et postea etiam dicitur, quod filia principis nobilissimi Madian occisa est in die plagæ pro fornicatione. Dicit enim historia Scholastica, quod de filiabus Moab paucæ fœminæ

fuerunt

A

fuerunt in ista prostitutione, quia mulieres Moabitides naturaliter sunt deformes, sed fuerunt plurimæ de terra Madian, vnde filia principis nobilissimi Madian fuit hic prostituta, & occisa. Hoc autem fuit, quia Madianitæ erant valde amici Moabitarum, & quasi subiecti regi Moab, vt patet supra ca. 22. cum principes Madian iuerint ad vocandum Balaam, vt malediceret Israelitas, & conati sunt diligenter in hoc facto tanquam esset proprium eorum, ideo de virginibus suis prostituerunt plurimas cum filiabus Moab, vt magis incitarent Iudæos. *Quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua.* In hoc patet ordo huius præuaricationis, scilicet, quod primo mulieres istæ Israelitas permiserũt sibi cõmisceri, postea autem induxerunt eos per blanditias ad sacrificia. Et licet aliquibus videatur, quod primo mulieres istæ impulerint Israelitas ad sacrificandum quam permiserint eos commisceri sibi, vt sic magis possent eos cogere ad sacrificia, tamen rationabilius est, quod primo permiserint eos se accedere, & postea poterant inducere eos ad idololatriam, sicut potuissent prius inducere, & adhuc fortius per blanditias suas, quia iam magis assentirent Iudæi mulieribus illis, quam à principio, quia alias viderentur ex conuentione agere, & sic non ita delectabiliter mouerentur ad idololatriam, sicut si permitterentur libere accedere ad eas, & postea blanditiis suis inducerent eos, & hoc desi

Mulieres prius permiserunt Iudæos secum coire, ꝙ eos ad sacrificia traherent.

B

guat ordo literæ. Item videbatur hoc esse necessarium, quia si non permitterent mulieres Moabitæ accedere ad se Hebræos nisi primo idololatrantes intelligeretur earum fraus, scilicet, quod venerant, vt inducerent Israelitas ad peccandum, & occideret eas populus, atque ab eis abstinerent, nec possent ipsæ perficere quod intendebant, ideo debuerunt permittere libere se cognosci ab Israelitis, deinde per blanditias suas traxerunt eos ad sacrificia, & ex hoc populus non cognouit fraudem, nec intulit eis quidquam mali. Et hoc litera signat primo ponẽs fornicationem, quam sacrificia, & dicitur, quod vocauerunt istæ fœminæ viros ad sacrificia, quia ipse habebãt Deos suos secum, quos tulerant de terra Moab, & postquam fornicatæ essent cum Israelitis eos amore venereo illaqueatos, & nihil mali suspicantes vocabant, vt irent cum eis ad sacrificia deorum suorum, & tunc sacrificantibus eis Israelitæ obseruabant cæremonias earum, & inducebantur ab eis, vt ipsi quoque similia facerent.

At illi Comederunt, & adorauerunt Deos earum. Id est, Israelitæ ibant cum filiabus Moab ad sacrificia deorum suorum, & ibi comedebant cum eis, scilicet, de cibis consecratis idolis. Erat enim mos apud Gentiles, vt facerent sacrificia magna diis suis, & postea comedebant de cibis illis, quos consecrauerant coram diis suis. Sic quoque Iudæi faciebant in sacrificiis pacificis. Nam immolabant Deo hostias, & cremantes modicum de illis super altare, reliquas carnes ipsi comedebant, facientes magna conuiuia, & exultationes, vt patet Deuteronom. capit. 12. & 16. & de istis cibis erat graue peccatum Israelitis sumere. Vetuerat enim Deus Exod. capit. 34. ne communicarent Israelitæ cum Gentilibus, ne forte inuitarent eos ad comedendum de cibis consecratis idolis. Et quamquam dicatur hic solum, quod comederũt intelligendum est, quod comederint de cibis consecratis, quia comedere de aliis cibis nihil nocebat. Et patet per hoc quod dicitur comederunt, & adorauerunt, id est, quando comedebant de cibis istis adorabant deos Moab, quia coram eis cibi consecrabantur. Erant autem mulieres istæ ad hoc edoctæ: vt primo per libidinẽ demulcerent Iudæos; deinde de cibis consecratis eos comedere facerent inducentes per gaudia venerea: nam cibi & potus veneri coniuncti sunt. vltimo autem inter ipsos cibos, & potus Israelitas ad adorationem Beelphegor prouocarent.

Initiatusque est Israel Beelphegor. Id est, adorauit Beelphegor, vel consecrauit se illi, scilicet, quia cibos coram Beelphegor Israelitæ consecrauerunt, vel seipsos consecrauerunt applicantes se cultui eius. Sic dicitur Psal. 105. Et initiati sunt Beelphegor, & comederunt sacrificia mortuorum. Initiari enim ritum consecrationis signat. Et sic dicuntur manus sacerdotum initiatæ, id est, consecratæ. Sic patet Exod. capit. 29. scilicet. Postquam autem initiaueris manus eorum, id est, consecraueris. Et iterum ibidem: Sumes quoque pectusculum de ariete, quo initiatus est Aaron, id est, in quo consecratus est.

C

Et iratus Dominus. Hic ponitur secundum, scilicet, pœnæ debitæ per sententiam promulgatio: nã Israelitæ per idololatriã incurrerunt culpam grauissimam, pro qua Deus hic pœnam imponit, scilicet. *Et iratus Dominus ait ad Moysen.* Id est, prouocatus fuit Deus ad iram per idololatriam Israelitarum accipiẽdo iram Dei, sicut accipit Scriptura pro punitione ab eo inflicta, secundum quam eum iratum iudicamus, quamquam iratus nequaquam sit, monstrauit se tãquam iratus nimis ex verbis, & locutus est ad Moysen, quia ipse punire debebat hanc transgressionem.

D

Tolle cunctos principes populi, & suspende eos. Hoc intelligitur de principibus duodecim, qui vocantur principes totius populi, qui erant principes 12. tribuum, quæ erant totus populus, vel secundum alios dicuntur hic principes omnes iudices, scilicet, decani, quinquagenarii, centuriones, tribuni, de quibus Exodi capitu. 18. & isti erant principes totius populi, quia erat totus populus diuisus per istos, scilicet, quod nullus esset vir in toto Israel, qui non esset sub aliquo decano, & sub aliquo quinquagenario, & centurione atque tribuno, vt declaratum fuit Exod. capit. 18. de istis iubetur, quod suspendantur, quia ipsi peccauerunt fornicando & idololatrando, vel quia idololatris non restiterant cum eos corrigere, & cohibere tenerentur, & quia omnes principes in hoc delinquebant omnes iussi sunt suspendi. Alii autem dicunt, quod non fuerunt suspensi omnes principes, quia solum fuerunt occisi viri vigintiquatuor mille, vt patet infra, & tñ soli principes erãt plures si accipiantur principes pro omni genere gubernationis, s. pro decanis, & quinquagenariis, cẽturionib. & tribunis. Secus aut si accipiantur solum principes pro principib. tribuũ duodecim, quia tunc quamquã isti suspenderentur, non videbatur sequi inconueniens. nam præter istos duodecim occiderentur multi alii de peccantibus, ità vt omnes essent vsque ad vigintiquatuor millia. Aliter tamen est intelligendum, scilicet, quod non iusserit Deus accipi principes populi ad suspendendum, sed solum ad cognoscendum ab eis peccatores, & sic dicitur.

An cũcti principes suspensi sunt pro scelere Idololatriæ.

E

Tolle cunctos principes. Id est, voca ad te omnes principes, scilicet principes, qui sunt iudices, sicut sunt decani, quinquagenarii, & centuriones, & hoc vt cum eis cognoscere posset, qui essent peccantes in idololatria. Quilibet enim princeps scire poterat quis de suis subditis peccasset, & potissimum hoc scire poterant decani, cum quilibet eorum haberet paucos subditos, scilicet decem. *Et suspende eos in patibulis.* Dictio eos, non refertur ad principes specialiter, sed ad omnes peccantes, siue principes essent, siue non. Et intelligitur tolle cunctos principes, id est, facias, quod cuncti principes cognoscant, qui fuerunt delinquentes. *Et suspende eos.* Scilicet illos, quos per eorum inquisitionem inueneris deliquisse, quod autem debeat sic intelligi, & nequaquam de principibus, patet quia Moyses iussit iudicibus id, quod sibi Deus iusserat: & tamen immediate, vt Deus dixit Moysi: tolle cunctos principes, & suspende eos, dixit Moyses ad iudices Israel: Occidat vnusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor: ergo hoc Deus iusserat.

F

Si autem Deus iussisset, vt ipsi principes suspenderentur non dixisset Moyses quod peccantes occiderentur à iudicib. sed magis è contrario, quod totus populus occideret principes. Item non videbatur rationabile, quod omnes principes populi occiderentur, quia non est verisimile, quod omnes peccauissent idololatrando, vel permittendo alios idololatrare.

Item si Deus vellet, quod omnes principes occiderentur, quia peccassent committendo, vel omittẽdo: etiam iussisset, quod omnes alii peccatores suspenderentur, quia non erat verisimile, quod soli principes peccassent: iussit tamen tolli solos principes: ergo non fuerunt assumpti ad suspendendum, sed ad cognoscendum de delictis. Item patet, quia si omnes principes debuissent suspendi, non iussisset Moyses omnibus iudicibus Israel, quod occideret vnusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor, quia si iudices erant principes cũ haberent potestatem ius dicendi super totum populum, & ordinandi multitudinem. Item non stat, quia dicitur infra, quod occisi sunt vigintiquatuor virorum idololatrantium: si tamen occiderentur omnes principes, plures quam vigintiquatuor millia occiderentur, etiamsi soli occiderentur, quod

An Deus iusserit suspẽdi oẽs principes vel solũ 12. principes tribuum.

non

A non est verisimile, quia multi præter principes delinquerẽt. Antecedens patet, quia omnes principes populi erant plures quam 78.mille,& sexcenti accipiendo decanos, quinquagenarios,cẽturiones, & tribunos præter reliquos principes, sc.70. seniores, qui erant super omnes istos, de quibus patet supra cap.11.& ibi declaratum est:Etiam præter principes tribuum, & familiarum. Quod autem illi essent tot principes patet, quia Israelitæ erant nunc plures quam sexcenta millia, nam post occisionem istorum 24. milliũ, de quibus infra fuit facta numeratio totius populi, vt patet c. seq. & inuenta sunt 600.millia,& 70.3c. de tribubus 12.præter Leuitas. Accipiẽdo tamen saltem sexcẽta millia virorum essent tot principes, s.68.millia,& sexcẽti. Quod patet,quia essent 60.millia decanorum, cum quilibet decanus esset assumptus de decem viris, & essent de quinquagenariis 12. millia, & de centurionibus sex millia,& de tribunis sexcenti. Quod patet dando cuilibet tribuno mille, & cuilibet quinquagenario quinquaginta,& centurioni centum,& decano decem,ergo non fuerunt suspensi omnes principes, nec Deus hoc iussit, sed solum intelligetur, quod assumpti sunt isti principes ad iudicandum, non ad hoc, quod suspenderentur. Quod patet, quia dixit Moyses illis: Occidat vnusquisque proximos suos.

Sed obiiciet aliquis, quod suspensi fuerunt omnes principes,sed non intelliguntur isti principes minores, scil. decani, B quinquagenarij,&c.sed principes maximi, scil.duodecim tribuum.& positis istis non sequitur inconueniens,quia potuerunt isti occidi,& omnes alij peccantes,& simul peruenirent ad vigintiquatuor millia. Occiderentur autem isti principes, quia cum essent maximi, non restiterunt peccantibus in tribubus suis.

Respondetur, quod non stat, quia isti principes pro negligentia corrigendi erant, sed magis principes minores, quam maiores, quia cum isti principatus sint subordinati, maiores curam habent de his,de quibus minores : ideo minus efficaciter de quolibet particulari curant cum in plures diuidãtur, nec tantum curare obligabantur:sicut si Episcopus ab omnibus Ecclesiis bonos animarum rectores instituat,si aliquis de populo propter alicuius spiritualis boni defectum pereat ex negligentia pastoris, magis presbyter curatus, quam Episcopus tenebitur, quia pereuntes non pertinent immediate ad curam Episcopi,sed curatorum sacerdotũ. sic ergo cum principes minores subordinati haberent curam specialius de suis quam principes superiores, si iuberentur suspẽdi omnes maiores principes, minores quoque suspensi fuissent, & sic sequeretur id, quod prius, scil.quod essent plures principes suspensi quam 78.millia,quod falsum est, cum solum perierint, siue de principibus,siue de subditis solum 24.millia. Item nõ stat, quod omnes principes tribuum fuissent suspensi, quia Zambri, qui coiuit cum Madianitide non fuit suspensus, sed transfossus gladio à Phinees filio Eleazari, & tamen ipse erat C princeps tribus Simeon,vt patet infra. *Et suspende eos* Id est, eos, quos inueneris per inquisitionem deliquisse, siue principes,siue plebei. *Contra solem in patibulo.* Potest intelligi dupliciter. Vno modo, quod suspenderentur contra solem, id est,ad partem Orientalem castrorum,de qua parte sol mouetur. Alio modo contra solem, id est, quod vultus istorum suspensorum sit contra solem, & hoc vt notificetur ignominia faciei eorum aliis videntibus, quia non erubuerunt contra mandatum Dei sui agere: forte magis iussum est,quod suspẽderentur contra solem, i. ad partem Orientalem, vt ibi magis videri possint, quam in aliis locis, & fuerunt suspensi vigintiquatuor millia virorum. Aliqui dicunt,quod fuerũt positi ad partem Orientalem,quia ibi erat conueniẽtior locus ad hoc, quod fœtor exhalans de cadaueribus suspensorum minus inficeret castra,quia illa pars sic dispositа erat,vt minus inde noceri possit castris, quam si suspenderentur versus aliam partem castrorum. Sed non stat,quia suspensi in eadem die, qua apponebantur,deponebantur de patibulis, & sepeliebantur, ne inficerent terram, vt patet Deut.21.cap. Ergo quamquam isti essent in medio castrorum,odor exhalans non noceret castris,quia eadem die suspendebantur, & sepeliebantur, secus si pluribus diebus manerent in patibulis. *Vt auertatur furor meus ab Israel.* Sic est conditio hominum iratorum,vt quando vindicta detur,cesset ira. Erat autem furor Domini contra Israel propter peccatum, & si peccantes punirentur, cessaret: intendebat enim Deus dicere: si omnes peccantes occiditis, ego placabor vobis,sin autem totum populum tanquam negligentem simul delebo: nam si non punirent peccantes, essent impœnitentes. Deus autem pro impœnitentia omnes delet simul.Sic dixit Christus Luc.13.c. Dico autẽ vobis,quoniam si pœnitentiã non egeritis,omnes simul peribitis. Deus autem placatur, quando pœna iusta iniustæ correspondet actioni secundum quantitatem demeriti; nam ira Dei non est aliquis motus in eo, sed sola dispositio, vel voluntas puniẽdi. Cum autem nos punierimus peccantes iuxta demerita,Deus non habet quid puniat, ideo cessat ira sua, i.voluntas puniẽdi.

D *Ira Dei quid sit*

Si autem non punierimus delinquentes magis exardescit ira illius,quia non solum iam punire vult pro peccatis primis, sed pro noua etiam negligentia punientium: vnde maior est pœna. Et quia in istis quamquam peccatum non fuerit totius populi primo,quia tamen negligentia punienda est,postea in toto populo cum fuerit peccatum factum notorie. Ideo cum Deus sic peccata punit, totum populum punit.

Dixitq; Moyses ad iudices Israel. Hic exequitur Moyses,quod ei dixerat, scil.quod tolleret princeps, ipse autem locutus est ad omnes iudices, vt ipsi inquirerent, qui essent in toto populo rei idololatriæ. Hoc autem pertinebat ad iudices, quia inquirere,& punire actus iudiciales sunt: isti autem erant decani,quinquagenarij,centuriones,& tribuni,quorum singuli habebãt iurisdictionem super aliquos viros, & quilibet inter suos inquirebat. *Occidat vnusquisque proximos suos.* Id est, suspendat eos,qui peccauerunt idololatrãdo. Ad solos enim iudices ista dicuntur, qui potestate iudiciaria debebant occidere omnes peccantes, & non est iste sermo ad totum populum, sicut Exo.c.32. quando Israel coluit vitulum: iussit enim Moyses tunc omnibus Leuitis, Ponat vir gladiũ super femur suum : ite & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum:& occidat vnusquisque fratrem suum,& amicum,& proximum suum: illi tamen non erant iudices, sed meri executores dati à Moyse.Item quando dicitur:Occidat vnusquisque proximum suum. non intelligitur de alio genere mortis,nisi de suspensione,quia Deus iusserat,quod suspenderentur ad solem in patibulis. Etiã cum dicitur,quod occiderent, præsupponitur, quod primo cognoscerent per inquisitionẽ, vel notorietatem facti,qui essent delinquentes: nam nõ constabat de omnibus peccantibus. *Proximos suos.* Non est sensus, quod Moyses iuberet specialiter occidi proximos, quasi nullos alios iuberet occidi,sed dixit proximos suos,& etiam proquos suos, quasi dicat, si aliquis iudex reperiret quemquam de propinquis suis, vt fratres vel alios huiusmodi deliquisse, debebat eos suspendere, sic iussit Moyses Leuitis Exod.c.32. scil.& occidat vnusquisque fratrem,& amicum, & proximum suum.

Aliter potest intelligi, quod proximi vocentur hic omnes Hebræi inter se,& tunc est sensus, quod vnusquisque occideret proximos suos,id est,quoscunque de Iudæis,quos reperiret deliquisse. F

Quare suspensi sunt cõtra solem.

Quare mandauit ad iudices occidere delinquentes, non autem Leuitis.

QVÆSTIO IV.

QVæret aliquis, quare Moyses specialiter ad iudices locutus est,vt occiderent omnes delinquentes,& tamen in adoratione vituli non locutus est ad iudices,sed ad Leuitas quoscunque,qui non erant iudices-& ipsi occiderunt omnes peccatores.

Respondebit aliquis,quod factum est propter mandatum Domini,quia Deus iussit hic Moysi, quod tolleret principes, id est, quod acciperet iudices ad cognitionem delictorum istorum,& ad punitionem:& tamen in adoratione vituli non iussit, quod acciperentur iudices, sed Moyses ad arbitrium suum iudices non accepit, sed Leuitas. Hoc autem quamquam verum sit, tamen non est reddere causam, quia quamquam non posset Moyses hic accipere alios ad punitionem huius delicti omissis iudicibus,quia Deus iussit sic: Aliqua tamen causa fuit, quare Deus iusserit, quam isti non reddunt. Item in punitione adorationis vituli,cum Deus nihil iusserit, non videtur aliqua causa,quare magis iudices accipere debe-

A *Alia responsio.*

ret, quam alios, & tamen non accepit iudices. Dicendum ergo cauſam eſſe, quia delictum hic quantum ad perſonas non erat manifeſtum, & tamen in adoratione vituli erat manifeſtum, ſcilicet, quod quamquam Moyſes ſciret populum fornicatum fuiſſe, tamen non conſtabat ſibi de omnibus fornicatoribus, & idololatrantibus: ideo ad hoc vt punirentur, oportuit cognoſci per inquiſitionem, ſed iſte eſt actus iudicialis: ergo ſolis iudicibus committi debuit, in adoratione autem vituli erat peccatum manifeſtum quantum ad perſonas, quia Moyſes, quando deſcendit de monte, combuſſit vitulum, & redigens in puluerem proiecit in aquas dans inde potum omnibus Iſraelitis. Exodi 32. cap. & per hoc apparuerunt quædam ſigna in omnibus delinquentibus, de quibus hic declaratum eſt, per quæ patebat quis deliquiſſet, ideo tunc non erat opus iudice ad inquiſitionem, ſed mero executore ad punitionem, & tunc quamquam potuiſſet accipere Moyſes executores iſtos, ſiue de iudicibus, ſiue non iudicibus, tamen accepit de non iudicibus, quia iſtud factum erat arduum, ſcilicet exponere ſe contra totum populum ad occidendum delinquentes, ideo illis ſolis committi debuit, qui haberent maximum zelum Dei, vt pro eo ſe exponerent periculo: etiam non dubitarent occidere proximos ſuos, ſi reperiſſent eos peccaſſe. Et propter hoc Moyſes dixit: ſi quis

B Domini eſt, iungatur mihi, id eſt, ſi aliquis habet zelum Dei veniat ad me, & tunc congregati ſunt ad eum omnes filij Leui, ſi tamẽ veniſſent aliqui alij, qui forte eſſent iudices, etiamſi fuiſſent executores illius punitionis, ſed non poterat hoc cõmitti iudicibus, etiamſi Moyſes voluiſſet, quia tunc nullus erat iudex in populo, niſi Moyſes. nam decani, quinquagenarij, tribuni, & centuriones non fuerant eo tempore conſtituti, quia illi fuerunt poſiti ad conſilium Iethro, vt patet Exo. cap. 18. & ante hoc ſolus Moyſes iudicabat, vt patet ibidem: vnde dixit ei Iethro: Stulto labore conſumeris tu, & populus iſte, qui tecum eſt. Iethro tamẽ non venerat eo tempore, quo facta eſt iſta punitio in plebe, ſed poſtea aliquanto tempore, vt probatum fuit Deut. c. 18. ideo etiamſi negotium iſtud indiguiſſet aliquibus iudicibus inquirentibus non fuiſſet aliquis, cui Moyſes hoc iuberet, ſed oportebat, quod ipſe per ſe inquireret, vel iudices de nouo inſtitueret.

Qui initiati ſunt Beelphegor. Id eſt, occidere omnes, qui iuerunt ad ſacrificia Beelphegor, ſcilicet comedentes de cibis conſecratis Beelphegor, & adorantes eum. Erat autem Beelphegor Deus, quem attulerunt mulieres Moabitides, & illi omnes immolabant, & exhibebant cultum. habebant tamen Moabitæ alium Deum principaliorem, qui vocatur Chamos, vt patet tertio Regum cap. vndecimo. vnde vocabantur Moabitæ populus Chamos, id eſt, populus ſubiectus Deo Chamos, vt patet ſupra vigeſimoprimo cap. ſcilicet, Væ tibi Moab periſti populo Chamos. Adduxerunt tamen mulieres iſtæ ſecum Deum Beelphegor, & hunc induxerunt adorare Iudæos. Vel forte adorauerunt Beelphegor, quia ibi circa caſtra Hebræorum, vbi erant fœminæ Moabitides, & Madianitides, erat templum Beelphegor, & non idoli Chamos, ideo ibant ad colendum iſtum. & hoc verius eſt, ſic patet Deuter. capit. 3. vbi dicitur de vltima manſione Iſraelitarum, quæ eſt iſta, in qua erant. Et dicitur: manſimusque in valle contra Phanum Phegor, id eſt, fuimus ibi in quadam valle, apud quam eſt templum idoli Beelphegor.

Beelphegor Deus Moabitarum.

C

Quomodo cognoſci poterant qui fecerunt ſacrificia Beelphegor. Et an ſufficeret probari, quod aliquis comediſſet de cibis conſecratis ad hoc, quod eſſet idololatra.

QVÆSTIO V.

QVæret aliquis, quomodo ſciri poterat, qui erant illi, qui initiati fuerant Beelphegor: nam videtur, quod hoc non poterat probari, niſi per ipſos delinquentes, quia alij Iſraelitæ non ibant ad templum Beelphegor, in quo fiebat adoratio: ſoli autem delinquentes cognoſcerent in alterutrum, qui peccauiſſent, ſed per iſtos non poterat ſciri veritas, quia non proderent ſe mutuo, immo omnes ſubticerent. ne quiſquam puniretur.

Reſpondendum eſt, quod fuit probatum delictum iſtud per eos, qui non deliquerant, non tamen oportebat probari, quod aliquis iſtorum adorauiſſet Beelphegor, vel comediſſet de cibis ſanctificatis: ſed ſufficiebat probari, quod iuiſſet quiſque ad mulieres Moabitidas introiens in tabernacula ipſarum. Per hoc enim cenſebatur conuictus de tribus, ſcil. fornicatione, & de comeſtione ciborum conſecratorũ Beelphegor, & de adoratione Beelphegor aliàs idolorum: probari tamen quod aliquis iuiſſet, & introiuiſſet in tabernacula mulierum Moabitidarum & Madianitarum ſufficienter poterat per illos, qui non peccauerunt, & erant in caſtris, quia ipſi exiſtentes ibi videbant eos, qui ingrediebantur in cellulas mulierum: ſicut patet de viro, qui ingreſſus eſt ad ſcortum Madianitidem: & vidit, eum Moyſes, & reliqui Iſraelitæ, qui erant plorantes coram tabernaculo, vidit quoque eum Phinees filius Eleazari, & ſecutus eum occidit cum ipſa Madianitide, vt patet infra.

D

Sed dicet aliquis, quod non ſufficeret hoc ad probandum aliquem eſſe idololatram, & comediſſe de cibis conſecratis Beelphegor.

Reſpondendum eſt, quod per hoc, quod aliquis videretur ire, & ingredi in cellulas mulierum Moabitidarum, & Madianitarum erat præſumptio violenta, quod commiſceretur eis carnaliter, quia ad nihil aliud tabernacula earum erant diſpoſita, ipſæ autem nullum euntem reiiciebant, quin potius omnes ad venereas blanditias incitabant, ſicut edoctæ fuerãt. Ergo cum aliquis ingrederetur in tabernacula earum, nulla vlterior requirebatur probatio ad conuincendum huiuſmodi viros de fornicatione cum alienigenis: ex hoc autem ſolo merebantur mortem, etiamſi nõ probaretur eos idololatraſſe, aut comediſſe de cibis ſanctificatis: nam valde inhibitum erat Iſraelitas accipere vxorem de alienigenis, vt patet Exodi trigeſimoquarto, & Deuteron. ſeptimo capit. ad eam tamen, ad quam non licet accedere affectu coniugali, delictum eſt, & capitale qualitercunque accedere. Quod patet, quia ſi accipiantur aliquæ fœminæ, cum quibus non liceat nobis matrimonium contrahere, ſiue quia aliorum vxores ſunt, ſiue quia affines, aut conſanguineæ in gradu prohibito, ſiue quia moniales, aut extra legem Chriſtianorum, ſi quis de nobis cum harum aliqua coierit, mortis reus eſt. Ita in Iudæis cum coierint cum mulieribus, quæ erant eis vetitæ ſecundum legem ad matrimonialia fœdera. Præter hoc autem erat præſumptio, licet non ita violenta, quod omnes euntes ad mulieres Moabitidas, & Madianitidas comederent de cibis conſecratis Beelphegor, & colerent idola, quia ipſæ mulieres ad hoc venerant, vt deciperent Iſraelitas inducendo ad ſacrificia. Conſtabat autem, quod quidam de fornicantibus cum eis ibant ad ſacrificia ipſarum: ideo de omnibus aliis rationabile erat ſic præſumi, & ſic lex præſumpſit. Vnde quando iuſſum eſt, quod omnes iſti occiderentur, quamquam ſufficeret dici, quod occiderentur omnes, qui fornicati fuerant cum mulieribus Moab, & Madian: tamen dictum eſt, quod occiderentur omnes, qui initiati fuerant Beelphegor, quia præſumebatur omnes illos adorauiſſe idola.

E

Si vero aliquis contendat, quod Iſraelitæ pro ſola carnali commixtione cum iſtis mulieribus Moab, & Madian non merebantur mortem, quia non eſt expreſſum lege determinate de hoc caſu.

Dicendum eſt, quod merebantur, quod patet, quia Phinees filius Eleazari inſecutus fuit virum Hebræum introeuntem ad ſcortum Madianitidem, & occidit eum immediate, vt inuenit coeuntem cum Madianitide, & iſte valde laudatus eſt, quia Deus dixit, quod iſte placauerat iram eius, quod non fuiſſet ſi non mererentur Iſraelitæ coeuntes cum alienigenis mortem ex ſolo coitu.

Sed forte dicetur, quod iſte Phinees non ſolum vidit commiſceri carnaliter Hebræum cum Madianitide, ſed etiam colentem idola, & comedentem de cibis conſecratis Beelphegor, & propter hoc licuit ei occidere ipſum.

Dicendum eſt eſſe falſum, quia Phinees inſecutus fuit virum Hebræum, & intrauit poſt eum in Lupanar, inuenitque pariter commiſcentes, & occidit: ergo nihil vidit, niſi commixtionem carnalem, & ex hoc occidit licite, immo laudabiliter illum virum.

F

An Iſraelitæ merebantur mortẽ propter coitum ſolum cum alienigena.

An si quis de iudicibus idololatrasset, posset puniri.

QVÆSTIO VI.

QVæret aliquis, quid si aliqui de iudicibus facientibus istam inquisitionē peccauissent idololatrando, & fornicando cum mulieribus illis, quia non posset peccatum istius inueniri per inquisitionem, & consequenter non puniretur.

Respondendum est, quod de omnibus iudicibus posset inueniri delictum si deliquissent, quia non erant omnes iudices æquales: sed subordinati: quidam n. decani habentes sub se 10. viros, & isti erant minimi inter omnes principes. Alij erāt principes quinquagenarij, quorum quilibet habebat quinquaginta viros, quibus ius dicebat, & quilibet horum habebat quinque decanos sub se. Alij erant centuriones, quorum quilibet habebat centum viros, & decem decanos, & duos quinquagenarios sub se. Alij erant tribuni, quorum quilibet habebat mille sub se, & 100. decanos, & 20. quinquagenarios & 10. centuriones. Omnes aūt tribuni subiiciebantur Moysi, & 70. senioribus. Et hoc modo poterat de omnibus fieri inquisitio, nam si peccasset aliquis de decanis, quinquagenarij inquirebant, si autē quinquagenarij peccarent, inquirebant centuriones, & si delinquerent centuriones, tribuni inquirebant, & iudicabant, si autem tribuni peccarent, 70. seniores, qui erant æquales Moysi, vt declaratum est supra 11. cap.

Si vero quisquam de 70. senioribus peccaret, poterat inquirere Moyses, si autem Moyses peccaret, solum Deum habebat vltorem, sicut est de Papa si peccauerit, à nullo punitur, nisi in quibusdam casibus, de quibus 40 distin. in capit. si Papa. an vero in aliis vniuersaliter, vel saltem in quibusdā concilium sit maius Papa, vel è contrario satis grauis quæstio est, & à multis hactenus inquisita. de quo nihil ad præsens.

Et ecce vnus de filiis Israel. Hic ponitur quidam casus specialis de quodam Israelita delinquente, & quamquam multi deliquissent, coeundo cum alienigenis mulieribus: tamen quia iste fuit maioris rebellionis, & pœna istius fuit specialior omnibus aliis, expressum fuit hic. Erat autem iste vir excellens in Israel, scilicet princeps de tribu Simeon nomine Zambri, & propter hoc erat facinus grauius & periculosius, quia multo plures sic imitarentur illud, quam si fieret ab homine plebeio.

Peccata manifestū grauiō puniendum.

Intrauit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem. In hoc significatur magnitudo delicti, scil. quia fuit ex rebellione, & valde publicum: nam non egit illud occulte, & captata temporis opportunitate secundum conditionem adulterorum: iuxta illud Iob 24. cap. Oculus adulteri obseruat caliginem, dicens: non me videbit oculus, & operiet vultum suum: sed publice tanquam [illegible] ret operam licitæ rei in rebellionem omnium Israelitarum ad scortum ingressus est, & ob hoc meruit, vt tale sibi daretur supplicij genus, quale secutum est. Iste enim inuerecundior cæteris fuit, qui non solum peccare, sed etiam coram omnibus facere illud non erubuit, & hoc graue peccatum est, quando aliqui peccatum suum, vt Sodoma prædicat ostendendo, vt habetur Esaiæ cap. 3. Hoc enim est signum voluntatis multum depranatæ, à qua mensuratur meritum, vel demeritum in operatione.

Ad scortum Madianitidem. Id est, ad mulierem scortariam de Madian. Et est hic scortum fœminini generis, quia nomina terminata in um, pertinentia ad fœminas sunt fœminini generis, vt Glycerium, Dortium, Scortum: quod patet, quia dicitur Scortum Madianitidem.

Sciendum autem, quod ista fœmina fuit filia regis Madian, & nobilissimi regis inter omnes Madianitas. Iste autem vir erat princeps super totam tribum Simeon, & erat quasi rex, quia erat princeps virorum, quasi sexaginta millia virorum, vt patet supra cap. 1. ideo ingressus est ad illam, quæ erat filia regis, vt patet infra.

Vidente Moyse, & omni turba filiorum Israel. Id est, iste iuit in præsentia Moysi, & omnium aliarum Israelitarum ad scortum: & quia tentoria mulierum Moabitarum, & Madianitarum erant apud castra Israelitarum, viderunt omnes Israelitæ, quomodo introibat vir ille in Lupanar, & ex hoc fleuerunt nimis, vt patet infra.

Iosephus dicit, quod Zambri duxerat mulierem istā Madianitidem in vxorem, & quod dixit sibi hoc licere, & coram Moyse, & omnibus ingressus tabernaculum Madianitidis coiuit cum ea. Sed litera non vult, quod ista fuerit ducta in vxorem, sed erat cum aliis filiabus Moab, & Madian, quia dicitur, quod iste ingressus fuit ad scortum Madianitidem: si tamen esset vxor illius, non vocaretur scortum, ideo dici posset, quod iste Zambri multū rebellis dixit Moysi in facie multitudinis, q̄ licebat ei ducere vxorē de filiabus Madian, & colere idola, sicut ipse duxit Sephoram Madianitidem filiam Iethro in vxorem, vt patet Exo. cap. 2. & quod leges quas Moyses dederat, confinxerat de corde suo, vt premeret Hebræos maiori seruitute, quam in Ægypto premebantur, & tunc intrauit ad scortum Madianitidem. Ista dicit Iosephus dixisse Zambri, & satis potest stare, quod ille dixerat, quia inhonestus erat, & potens nec erubuit coram multitudine hoc facere: male tamen loquebatur Zambri: non enim licebat sibi idola colere, quia est contra ius decalogi, quod naturale est innatum mentibus hominum, vel ex innatis in mente elicitum, aut conclusum: nec etiam recte dicebat de Madianitide muliere, quia Moyses accepit illam ante legem datam, & tunc non erat aliqua obligatio. Sic etiam Iudas de genere Chananæorum accepit vxorem, vt patet Genes. 38. capit. nunc autem lex erat iam data, vt patet Exod. capit. 34. & obligabat: ideo non poterat Zambri accipere vxorem Madianitidem.

Item quia lex ista de non contrahendo cum alienigenis data erat, ne conuerteretur vir ad cultum idolorum propter cohabitationem vxoris. In Moyse autem non tenebat hoc, quia è contrario ipse eam ad Iudaismum conuertit. Iste autē Zambri ad idololatriam inclinatus erat, quia istæ mulieres alienigenæ ad nihil aliud venerant, nisi vt Hebrēos ad idololatriam conuerterent: ideo ipse Zambri, vt vult Iosephus, dicebat se posse licite idola colere secundum suæ voluntatis arbitrium, ideo poterat eam licite ducere in vxorem.

Qui flebant ante fores tabernaculi. Id est, Moyses, & reliquus Israel plorabant ante ostium tabernaculi, quia ex loco ipso videbant, quomodo iret Zambri ad mulierem Madianitidem. Et accipitur hic ostium tabernaculi pro ostio atrij: nam non erant Israelitæ cum Moyse apud ostium tabernaculi, quia tunc non possent videre Zambri euntem, cum tabernaculum esset intra atrium, & atrium esset velatum in circuitu per totum, sed erant ad ostium atrij, scilicet extra atrium, & ibi dicebantur esse ad fores tabernaculi, quia totum Sanctuarium vocatur Sanctuarium, tam atrium, quam ipsum tabernaculum. & ibi lugebat Moyses cum cæteris Israelitis. Et hoc propter duo.

Primo ex dolore grauis facinoris, quia videbat, quod totus Israel declinabat ad idololatriam.

Secundo fiebat, vt cōuerteret Deum ab ira: timebat enim, quod Deus immitteret breuiter iram suam, & subuerteret totum Israel propter grauia facinora. Dixit autem esse ibi omnem turbam filiorum Israel, non quod ibi essent omnes, quia tunc faciliter potuissent compescere ipsum Zambri ab opere stulto, sed solum erant aliqui cum Moyse habentes rectum zelum: magna pars tamen populi declinauerat ad idololatriam, cum occisi fuerint vigintiquatuor millia hominum, vt patet infra, & maxima pars populi erat in commotione, scil. quod si durassent facinora ista per aliquot dies totus Israel fuisset conuersus ad iniquitatem.

Quod cum vidisset Phinees filius Eleazari filij Aaron sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione, ingressus est post virum Israelitem in Lupanar, & perfodit ambos simul, virum scilicet & mulierem in locis genitalibus. Cessauitque plaga à filiis Israel: & occisi sunt vigintiquatuor millia hominum. Dixitque Dominus ad Moysen: Phinees filius Eleazari filij Aaron sacerdotis auertit iram meam à filiis Israel, quia zelo meo commotus est contra eos, vt non ipse delerem filios Israel in zelo meo. Idcirco loquere ad eum: Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quam semini eius pactum sacerdotij sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo, & expiauit

1. Macha. 1. Phinees Zelat. pro Domino.

1. Cor. 10. Eccl. 45 1. Macha. 2. Phinees detur perpetuū sacerdotium

A

piauit scelus filiorum Israel. Erat autem nomen viri Israelitæ, qui occisus est cum Madianitide: Zambri filius Salu dux, de cognatione, & tribu Simeonis. Porrò mulier Madianitis, quæ pariter interfecta est, vocabatur Cozbi filia Sur principis nobilissimi Madianitarum. Locutusq; est Dominus ad Moysen, dicens: Hostes vos sentiant Madianitæ, & percutite eos: quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos, & decepere insidiis per idolum Phogor, & Cozbi filiam ducis Madian sororem suam, quæ percussa est in die plagæ pro sacrilegio Phogor.

Infr. 31.

Quod cum vidisset Phinees. Hic ponitur tertium, scil. pœnæ diffinitæ in parte, & in toto inflictio, sc. quia fuit Zambri punitus specialiter pro suo scelere, & fuit totus populus punitus pro delicto suo. & quia fuit peccatum Zambri speciale, fuit punitio eius distincta à punitionibus aliorũ popularium.

Quod cum vidisset Phinees filius Eleazari. Id est, vidit eum Phinees euntem ad tentorium mulieris Madianitidis, & secutus est eum: ibat enim publice cum dicatur supra, quod iuerit coram fratribus suis, id est, videntibus omnibus fratribus suis, scil. Moyse, & aliis Israelitis, qui erant flentes apud ostium tabernaculi. Iste Phinees vocatur filius Eleazari, id est, nepos Aaron summi sacerdotis, & ipse fuit tertius summus sacerdos: nam primus fuit Aaron, secundus Eleazarus filius Aaron, tertius Phinees filius Eleazari, nam hic infra promittitur ei summum sacerdotium, & semini suo pro hoc, quod fecit,

B

Filij Aaron sacerdotis. Id est, iste Eleazarus, cuius erat filius Phinees, erat filius Aaron sacerdotis magni. Et hoc ponitur ad differentiam, & cognitionem, vt sciatur quis erat iste, qui tantum pro Deo zelatus est. Describuntur autem progenitores eius vsq; ad Aaron, quia ipse erat magis notus, quam Eleazarus, & vocatur hic Aaron sacerdos, id est, summus sacerdos per excellẽtiam sacerdos, quia nullus ante eum sacerdos fuit consecratus: & nullus fuit maior sacerdos: sed tempore suo ipse fuit summus pontifex. Sic aliquando vocatur Eleazarus sacerdos post mortem Aaron, id est, summus sacerdos, cum successisset in summo sacerdotio, vt patet seq. c. & infra 27.

Surrexit de medio multitudinis. Cum vidit Phinees virum illum euntem ad mulierem Madianitidem commotus zelo magno, vt eam iniuriam vindicaret, surrexit de medio multitudinis, vt occideret virum illum, si inueniret turpiter agentem. Erat autem iusta commotio, quia iste vir erat princeps in cognatione Simeon, & publice atque in rebellionem omnium introibat ad scortum Madianitidem, quod si nõ fuisset vindicatum totus populus præsupposita publica impunitate huius, & auctoritate facientis dilaberetur ad vitium: ideo fuit valde vtile istum puniri. Phinees autem fuit magni animi persecutus illũ: nam ipse erat princeps tribus Simeon,

C

& si conaretur contra eum quidquam inferre, timere debebat totam tribum Simeon insurrecturam contra se, quamquam postea non surrexerit, quia immisit Deus timorẽ super omnes, ne auderent quidquam agere contra Phinees: nec tamen propter hoc ipse fuit minoris animi, quia cum aggrederetur principem vnius tribus, irrationabile erat timere, quod tota tribus contra eum insurgeret. Et quia timor iste erat durus valde, fortis iudicatus Phinees, & ob hoc Deus valde laudauit eum promittens sacerdotium æternum: & dicitur, quod surrexit de medio multitudinis, scil. apud Sanctuarium, vbi erat reliqua multitudo cum Moyse: ibi enim castrametabatur Phinees cum Eleezaro patre suo: nam sacerdotes ad partem orientalem Sanctuarij castrametabantur, vt patet supra 3. cap.

Et arrepto pugione. Hoc fecit, quia intendebat occidere virum illum, sicut fecit, vel aliàs si eum videret fornicantem, vel idololatrantem, ideo sumpsit arma.

Ingressus est post virum Israelitem in Lupanar. Erat enim mulier Madianites in tentorio paruo, quod vocatur Lupanar, illuc autem introiuit vir iste Israelites: singulæ namque mulieres Moabitides, & Madianitides tentoria habebãt ad hoc dispositа, ne cunctis earum pateret turpitudo. In Hebræo dicitur.

Ingressus tabernaculum. Sed idem est tabernaculum meretricis, & Lupanar. Vel si diceretur, quod iste volebat ducere Madianitidem illam in vxorem tabernaculum, esset aliquod magnum tentorium apparatum, quod forte pater puellæ asferre iussisset, vt ibi nuptiæ celebrarentur. sed hoc multum distat à litera, quia non accepit Zambri fœminam istam in vxorem, sed introiuit ad eam affectu fornicatorio, cum dicatur supra, quod intrauit ad scortum Madianitidem.

D

Et perfodit ambos simul virum scil. & mulierem. Id est, cum intrasset Zambri ad Madianitidem commixtus est illi. Phinees autem continuo ingressus inuenit eos pariter commiscẽtes, ideo cum vnum occidit, vtrumq; occidit, quia transuerberauit virum, & fœminam simul. vt sicut in vitio simul erant, ita & mors eis simultanea foret. Ecce enim mors turpissima cum ipsi in scelere suo viliter commixti perierint. Nec est de talibus inquirendum, an potuerint habere locum saluationis: nam in ipso actu peccati defuncti sunt.

An Zãbri, & scortũ Madiã perierint æternaliter, quia occisi sunt in ipso coitu.

Et si quis dicat, quod dolere poterant saltem quasi per indiuisibile, quod sufficiebat ad contritionem, & saluationem: sicut declaratũ fuit de Nadab, & Abiu qui simul mortui sunt, & in actu peccati, sc. offerendo ignem alienum, tamẽ dictum est ibi, quod saluari potuerunt, & sic præsumendum est.

Respondendum est: non est simile propter diuersitatem vitiorum: nam quædam sunt vitia, in quorum actibus non tollitur totum iudicium, ita vt homo possit confestim diuertere ad alia, quæ bona sint. in libidine autem non est sic: tollitur n. omnis actus iudicij, nam iuxta Aristot. 7. Ethico. aiunt in libidine intelligere neminem posse, ideo quamquam in aliis vitiis possit aliquis subito conuerti ad actum bonum, in ipso tamen actu libidinis fere impossibile videtur.

Cap. 2.

In locis genitalibus. Id est, percussio ista fuit facta super genitalia: direxerat enim manum suam, vt super locum illum percuteret, & ibi percussit vtrumque transfodiens. Dignum n. erat, vt per quæ peccauerant, punirentur. Dictio autem Hebraica hic posita aliud videtur signare, sed ad hoc redit.

E

Quare Moyses non est motus ad interficiendum Zambri, sicut Phinees.

QVÆSTIO VII.

QVærunt aliqui, quare non fuit persecutus virum illum, sicut persecutus est eum Eleazarus.

Respondent quidam, quod Moyses non fuit motus hic zelo contra istum Zambri, nec contra alios peccatores ad puniendum eos, sicut fuit motus in monte Sinai occidendo viginti tria millia pro adoratione vituli, Exodi capit. 32. quia viderat se angustiatum, vel quasi conclusum ex argumento Zambri contra se pro vxore Madianitide, vt supra dictum est, ideo Phinees filius sacerdotis Eleazari loco eius executus est. Sed hoc nihil est, nam an sic argueret Zambri contra Moysen non constat.

Sed etiamsi constaret dicendum, quod non concludebat argumentum saltem apparenter: ideo non multum curaret Moyses, sed non fuit motus, quia timebat plebem: viderat enim, quod omnes vere declinauerant, & declinare parabant,

F

& si ipse eis resisteret forte omnes insurgerent in ipsum, & nihil proficeret, nec adhuc Deus mouerat cor eius, vt ista faceret. Talia enim sine quodam motu speciali Dei non fiunt, quia magna sunt. In monte autem Sinai, mouerat Deus Moysen ad puniendum acriter populum, tam mouendo eum in corde, quam proponendo ei exterius grauitatẽ delicti, & magnitudinem pœnæ, quam ipse inferre volebat, ideo Moyses concitatus fuit ad puniendum peccatores. Hic autem Phinees motus est, quoniam Deus mouit cor eius ad exequendum hoc. Voluit enim eum facere virum glorioſum, & ministrum voluntatis suæ: ideo dedit animositatem illi ad hoc.

Aliter potest responderi, quod Moyses persecutus fuisset istum virum Israelitem introeuntem in lupanar: nec formidasset, quanquam etiamsi pro hoc mori æstimasset, quia non erat illi preciosa vita. cum videret cõtemni leges Dei, sed non fuit persecutus virum illum, quia erat ad ostium tabernaculi flendo pro Israel, ne Deus immitteret iram suam subitaneam super eos delens totam gentẽ, quia facinoris magnitudo hoc exigebat: existimabat autẽ fortassis Moyses, quod si ipse desineret ab oratione, totus populus periret: prælegit ergo magis flendo preces effundere pro toto Israel, quam persequẽs vnum virum pro scelere ab oratione cessare, & hoc videtur satis rationabiliter dictum. *Cessauitque plaga ab Israel.* Id est, quando fecit istud Phinees cessauit plaga, quæ erat in Israel.

De ista

A *Plaga quæ erat in Israel propter Beelphegor quæ fuerit.*

De ista plaga aliqui dicunt, quod erat percussio, quam faciebant iudices suspendendo eos, quos inueniebãt deliquisse, sicut iusserat Moyses illis, & quia reperierunt 24. millia deliquisse, occiderunt omnes.

Sed non stat conuenienter, quia plaga non significat interfectionem factam ordine iudiciario, sed signat pœnalitatem aliquam immissam à Deo, vel mortem inflictam ab hostibus. Item non satis videtur, quod iudices potuissent occidere 24. millia hominum suspendendo, & tamen dicitur hic, quod in plaga ista 24. millia hominum perierunt. Item si istud intelligeretur de morte illata per iudices, non diceretur, quod cessaret plaga, quando Phinees percussit virum illum, sed semper continuarent inquisitionem suam, & punitionem quousque nullum criminis reum inuenirent: & tamen dicitur, quod mortuo Zambri immediate cessauit plaga: ergo magis pertinet hoc ad plagam à Deo inflictam.

Item videtur, quod adhuc iudices non auderent per mandatum Moysi inquirere, & punire pro delictis istis, quia Moyses cum reliquis Israelitis erat plorans cum videret vitia multitudinis.

Si autem iudicarent iudices dati à Moyse de vitiis populi, & punirent, non esset Moyses plorans cum Israele, quia hoc magis pertinet ad timentes, & prouidere non potentes. Item si per sententiam iudicum vigintiquatuor millia fuissent occisi, sicut erant, quando plaga cessauit, Zambri non fuisset ausus coram tota multitudine ingredi in Lupanar, ne interficeretur, quia si vsque ad mortem suam occidissent iudices de peccatoribus vigintiquatuor millia etiam eum occidere potuissent, quia sine magna potestate talis occisio fieri non potuisset, & tamen non timuit, nec erubuit coram tota multitudine ingredi in Lupanar: ergo iudices non occiderant istos viros, qui perierunt in plaga.

B

Sed magis dicendum, quod ista fuit plaga inflicta ab Angelo percutienti, scil. mors, vel pestis sicut aliàs factum est, scil. tempore regis Sennacherib Angelus Domini occidit per noctem centum octogintaquinque millia virorum, vt patet 4. Regum cap. 24. & ista sententia patet Psal. 105. vbi dicitur, quod Deus misit plagã propter hoc, quod imitati sunt Beelphegor, & comederunt sacrificia mortuorum, & illa plaga cessauit, quando Phinees percussit Zambri.

Quomodo isti 24. millia occisi sunt.

De istis autem vigintiquatuor millibus virorum, quomodo occisa fuerint, scil. an omnes perierint per plagam à Deo missam, vel aliqui de istis suspensi fuerint per mandatum mihi incertum est.

Sed videtur dicendum, quod omnes mortui in plaga à Deo missa, & suspensi à Moyse si aliqui fuerunt, non excesserunt numerum viginti quatuor millium: nam scriptura plures posuisset, si plures occisi fuissent ex hac causa. Quod autem aliqui in plaga Dei occisi fuerint, manifestum est, cum dicatur, quod cessauerit plaga: quod etiam aliqui per mandatum Moysi fuerint suspensi satis rationabile est: aliàs mandatum Dei suprapositum de suspendendo ad solem delinquentes, non fuisset completum, nec pro aliqua parte executioni traditum. Ideo dicẽdum videtur, quod antequam Zambri introiret ad scortum Madianitidem, Deus incœperat mitti plagam super populum, quia declinauerant Israelitæ ad vitium cum alienigenis, & perierant multi. Et nisi forte Phinees occidisset Zambri, ista plaga fuisset continuata vsque ad disperdendum totum populum.

C

Cum vero iste zelo Dei permotus occidit Zambri, cum Madianitide placata est ira Dei, vt patet immediate, scil. Phinees filius Eleazari auertit iram meam à filiis Israel, ne ipse delerem filios Israel zelo meo, & tunc cessauit plaga immissa per Angelos percutientes, quia nihil aliud est placari iram Dei, nisi cessare punitionem, quam infert, vel eam, quam inferre parabat. In Deo enim nullus alius iræ motus est: post hæc autem iudices incœperunt tradere executioni, quod iusserat Moyses. Nam ante hoc non poterant, quia totus populus fere declinabat ad mulieres alienigenas, & timebãt tunc exequi, ne fieret seditio, concitato toto populo contra eos, cũ autem cessauit plaga, in qua non perierunt vigintiquatuor millia virorũ, habita opportunitate, iudices incœperunt inquirere, & punire quos deliquisse repererãt, quia Deus non occiderat omnes peccatores, cum placatus esset per id, quod fecerat Phinees: iudices aũt non cessauerunt ab inquisitione & punitione, quousq; nullum noxium reperierũt, quod fuit per aliquot dies. Fuerunt autem isti suspensi contra solẽ, sicut supra iussum fuerat, & omnes isti tam occisi à Deo, quam à iudicibus peruenerunt ad summam vigintiquatuor millium.

D

Dixitq; Dominus ad Moysen. Hic ponitur remuneratio, & laus bonæ actionis Phinees, sc. quod Deus reddidit testimonium illi, quod placasset iram eius, & promisit ei sacerdotium æternum. Ista locutio Dei ad Moysen fuit apud ostium tabernaculi: ibi enim consueuerat Deus loqui Moysi, vt patet Exo. c. 29. & interdum aliis, vt patet supra 12. de Maria, & Aaron, & hoc fuit, quando erat Moyses flendo cum alia multitudine apud ostium tabernaculi, vt supra patet. Nam tunc surrexit de medio illorum Phinees, & occidit Zambri, quo facto Deus locutus est ista Moysi. *Phinees filius Eleazari auertit iram tuam à filiis Israel.* Id est, doluit offensam meam, & puniuit, sicut ego punire debebam, & hoc est auertere iram, siue proprie, siue large sumatur. Nam in nobis ira proprie est impetus quidam animi concitati ad vindictam, & generale est in omnibus speciebus iracundorum, quod habita sufficienti vindicta cesset ira, iuxta Aristot. 4. Ethi. quamquam aliqui iracundi sunt, qui sine punitione cessant, de quo ibidem. *Cap. 5.*

E

Si ergo Deus habuisset iram proprie, vt in nobis est & aliquis dolens de offensa eius sumpsisset vindictam de peccatoribus, cessaret ira, est tamen in Deo ita large sumpta, & propter hoc necesse est velocius cessare, quia non est in eo impetus animi concitati ad vindictã exigendam, sed sola voluntas puniendi pro scelere ab omni passione, & motu sequestrata, & cum ipsa nihil sit, nisi volitio puniendi pro quantitate delictorum, cum aliquis loco Dei tantum de pœna exigat, quantum Deus exacturus erat: necesse est iram illius auerti: alioquin dabitur, quod postquam aliquis nomine Dei sufficienter punierit aliquod delictum, adhuc Deus punire vellet iterum, quod est contra æquitatem: nam Deus non iudicat bis in ipsum, vel nõ insurgit duplex tribulatio, vt patet Naum c. 1. in nobis autem quamquã regulariter hoc fit, quod habita punitione pro illata, vel æstimata iniuria cesset ille impetus: fit tamen interdum, vt quando impetus animi grauis est, si immediate vindicta habeatur, etiamsi nondum cessauerit impetus, & ob hoc interdum cum sufficienter pro illata iniuria aliquem punierimus, adhuc punire vlterius velimus. si tamẽ ira cessasset, hoc non vellemus. *Quia zelo meo commotus est cõtra eos.* Non fuit Phinees commotus contra omnes Israelitas, quia solum fuit persecutus Zambri ad mortem, quia tamen displicuit ei valde facinus istud inquantum contra Deum erat, non solum contra istum mouebatur, sed etiã contra omnes peccatores: si n. omnes delere potuisset, deleuisset, sed quia iste enormius cæteris peccauit, magis in Dei contumeliã publice agens cõtra hunc specialius motus est. Et dicitur motus zelo Dei, id est, desiderio puniendi offensam Dei. Duo n. erant in isto actu satisfactoria pro offensa, sc. punitio duorum fornicariorum simul, & zelus Phinees. Sed multo magis placauit zelus Phinees Deum, quã pœna inflicta, si autem Phinees motus fuisset ad occidendum Zambri ex alia causa, quamquam offensa Dei aliqualiter vindicaretur, quia tamen Phinees non agebat ad istam vindictam, non fuisset Deus placatus.

F

Vt non ipse delerem filios Israel in zelo meo. Id est, propter hoc quod fecit Phinees: ego ipse, id est, per meipsum non delebo Israelitas zelo meo, id est, desiderio vindicãdi offensam meã. Zelus proprie amor priuatus est nolens consortium in amato, sic vir zelat vxorem, sicut inuidi zelant honorem sibiipsis solis honorem volendo: sic Deus zelat latriam nulli alteri eam dare volens, & sic vocatur Deus zelotes Exod. capit. 34. Alio modo zelus est amor, vel desiderium vindictæ, & sic est zelus in iracundis, & iste modus est hic. Aliter accipitur zelus, id est, amor, vel desiderium conseruandi, vel dolor de re, quæ destruitur: sic patet Psal. 68. scil. zelus domus tuæ comedit me, id est, dolor de malis, quæ fiebant in domo tua, affligebat cor meum. Et dicit Deus, ne ipse delerem in zelo meo, id est, ego habebam desiderium vindicandi offensam irrogatã, & vindicassem eam, quia tamẽ Phinees zelauit loco mei, ego non vindicabo. Et dicitur: ne ipse delerem, quasi dicat, ante hoc plaga, quæ inferebatur à Deo per se inferebatur, sc. sine ministerio hominum, quamquam non sine ministerio Angelorum, quia Deus per seipsum nihil agit, nisi quod instantaneum, & sine motu est. ista autem omnia cum successione

Zelus quid dicatur.

A

fiebant, & per motum quendam, ideo miniſtri Dei faciunt, quia tamen iſti miniſtri non apparent nobis, dicit ſcriptura, Deum per ſe iſta facere.

Sciendum, quod iſta litera, ſcilicet, vt non ipſe delerem, non legitur per modum cauſæ finalis, ſed per modum conſecutionis.

Primo modo eſt ſenſus, quod Phinees ſciebat Deum puniturum offenſam hãc, niſi aliquis loco eius puniret, & quod ipſe acriter puniret: ideo ne Deus totum populum deleret in ira ſua, motus fuit ipſe ad puniendum loco Dei.

Secundo modo intelligitur, quod Deus puniturus erat Iſraelitas zelo ſuo, niſi aliquis puniret loco eius, & quia Phinees exegit iſtam vindictam, conſecutum fuit hoc, ſcilicet ne Deus per ſeipſum deleret Iſrael. Primus ſenſus non ſtat, quia tunc non fuiſſet motus Phinees zelo Dei, ſed zelo populi, ſc. ne totus populus deleretur, ſi Deus per ſeipſum vindictam exigeret: litera tamen dicit, quod fuit motus zelo Dei, ergo neceſſe eſt dici, quod intentio ſua fuit punire offenſam Dei, quia dolebat de contumelia Deo illata, non curans, an Deus per ſe poſtea vindictam exigeret, vel non: & ob hoc placatus fuit Deus, quia erat zelus pro Deo. Quod autem Deus non deleuerit in zelo ſuo Iſrael, non fuit finis actionis Phinees, ſed conſequens ad actionem eius.

Idcirco loquere ad eum. Hic ponitur præmium datum pro bona operatione Phinees, & iuſſit Deus, quod Moyſes denunciaret hoc ei, vt magis gauderet ſciens ſummum ſacerdotium permãſurum in æternum in filiis ſuis. Si autem ſummum ſacerdotium futurum eſſet ſemper in ſemine eius propter hanc operationem, & tamen ipſe neſciret, non gauderet, non exiſtimans ſe aliquod bonum habere, quia cum ignorantia rei nullum bonum eſſe poteſt ex re ipſa. Cum autem Phinees cognoſceret ſummum ſacerdotium in domo eius ſemper manſurum, gauderet cognoſcens filios ſemper in magno honore futuros.

B *Præmium datũ Phinees ꝓ zelo Dei.*

Ecce do ei pacem fœderis mei. Id eſt, ecce ego concedo ei, vel facio cum ipſo ſecuritatem pacti, ſcil. quod habebit ſummum ſacerdotium poſt patrem ſuum, & deinde eius progenies. Fœdus enim Dei ad Phinees erat compoſitio, vel pactum quam faciebat cum ipſo, ſcil. vt daret ei ſummum ſacerdotium, & dicitur dare pacem fœderis, id eſt, ſecuritatem fœderis, ſcil. quod nunquam violabitur iſtud fœdus. Cum enim ſunt aliqua fœdera, quæ aliquando infringenda ſunt, pacem non habent, vel ſecuritatem, vel firmitudinem: & quia Phinees forte exiſtimaret, quod iſtud pactum interpoſitũ poſſet infringi propter aliqua delicta ipſius, & timeret: ideo dixit Deus, quod erat pactum pacis, id eſt, inuiolabile, & in hoc maxime gauderet Phinees ſciens ſe bonum poſſidere, quod nullo perditurus eſſet tempore, nec poſteri eius.

Quam quam hic non exprimitur ſacerdotium Phinees tamen ſatis intelligitur. & ꝓmitti

C *tur ſummũ ſacerdotium.*

Et erit tam ipſi, quam ſemini illius pactum ſacerdotij ſempiternum. Supra dicebatur, quod pactum Dei cum Phinees eſſet inuiolabile, ſed non dicebatur, quid illud erat, hic exprimitur, q̃ ſit pactũ de ſummo ſacerdotio, ſcilicet, quod ipſe, & filij ſui habituri eſſent illud in ſempiternum. Et quamquam hic dicitur de ſacerdotio nihil determinando, tamen intelligitur ſolum de ſummo ſacerdotio, quia illud vocatur ſacerdotium per excellentiam, ſicut ſupra vocabatur Aaron ſacerdos ſolum, & tamen intelligebatur, quod erat ſummus ſacerdos. Item patet, quia ſi intelligeretur de ſacerdotio minori nihil ſibi promitteretur: non enim erat illud aliquid magnum, quod ſpecialiter alicui promitti deberet.

Item & fortius non poterat illud promitti, quia eſſe ſacerdotem minorem ex cognatione proueniebat, ita vt neceſſe eſſet omnes natos de ſemine Aaron ſacerdotes eſſe, niſi haberent maculas inſanabiles, propter quas non permitterentur accedere ad miniſtrandum, de quibus Leuit. 21. cap. ideo ſi aliquis de genere Aaron non habens maculam nollet miniſtrare dimittens omnia iura ſacerdotalia, quæ ſibi prouentura erant ne miniſtraret, cogebatur miniſtrare, & conſecrari, vt declaratum eſt ſupra 20. capit. Non ergo potuiſſet ſacerdotium paruum promitti Phinees, & filiis eius; ſed promittitur hic ſacerdotium: ergo neceſſe eſt intelligi de ſummo ſacerdotio.

Sempiternum quõ accipitur improprie.

Conſiderandum, quod cum dicitur hic pactum ſacerdotij ſempiternum, non accipitur proprie ſempiternum, quia non durauit iſtud ſacerdotium ſemper. Nullus namque de Iudęis eſt nunc ſacerdos magnus, aut minor. Accipitur tamen large ſempiternum pro eo, quod durat magno tempore, ſed non ſemper duret, & ſic dicitur de plurimis cæremoniis veteris teſtamenti, vt in ſacrificiis, & ſimilibus, quod eſſent ſempiternæ, & tamen non durauerunt ſemper, quia nunc non durãt: ſatis tamen poterat dici, quod pactum ſacerdotij erat ſempiternum, quia ipſum per ſe nunquam ceſſaturum erat, ſed ceſſauit ceſſante ſtatu Hebræorum: fuerunt n. diſperſi Hebræi de terra ſua, & totus eorum ſtatus periit non manentibus ſacrificiis, nec aliis cæremoniis, cum lex prohiberet iſta extra locum Sanctuarij fieri, quod ſolũ erat in terra Chanaan. Ideo neceſſe erat, vt ſummum ſacerdotium, & minus atq; omnis ſtatus Leuiticus ceſſaret, cum tamen manſit ſtatus Iudaicus ſemper, manſit ſummum ſacerdotium in progenie Phinees, & ſi vſq; ad finem ſęculi ſtatus Iudaicus perſeueraſſet, ſemper ſtetiſſet ſacerdotium in progenie illa, quod ſatis eſt ad vocandum pactum æternum, ſicut dicimus aliquã legem æternam eſſe, quæ durat quamdiu populus cuius eſt lex. Si autem populus totus pereat, lex neceſſario peribit, quia nõ poteſt manere, niſi in ſubditis, cum ſit dictamen rationis, quia tamẽ lex illa mãſura erat ſemper, ſi populus ſemper fuiſſet, dicetur lex æterna: ob hoc autem lex Iudaica tota ſimul non vocatur proprie æterna, quia non ſolum non ſemper durauit, ſed etiam non durauit tamdiu, quamdiu manent ſubiecti illius, ideo lex abrogata eſt ſuccedẽte alia, & de tali nõ proprie dicitur, quod ſit æterna. Aliqua tamen ſunt in veteri teſtamento, quæ per ſeipſa ſola vocantur æterna, ſicut ſunt quædam cæremoniæ, quæ ſemper manſiſſent, ſi actus illi, circa quos erant, ſemper fuiſſent, ſic eſt de cæremoniis ſacrificiorum, quæ habentur in Leuitico, quæ non manent, quia nunc nulla ſacrificia de pecoribus fiunt, ſi tamen fierent, manerent cæremoniæ illorũ ſacrificiorum, quæ fiebant prius, & ſic fuit de pacto ſummi ſacerdotij, quod manſiſſet ſemper in linea Phinees, ſi ſemper fuiſſet aliquod ſummum ſacerdotium, ſed nullum eſt.

D

E

Quæ bona promittebat Deus Phinees faciendo pactum cum eo de ſummo ſacerdotio. Et de maximis redditibus, & honoribus ſacerdotum ſummorum, & quod aliquando erant reges.

QVÆSTIO VIII.

QVæret aliquis, quæ bona promittebat Deus Phinees faciendo pactum de ſummo ſacerdotio.

Reſpondendum eſt, quod duo bona promittebantur, quę ſecundum humanam æſtimationem maxima ſunt, ſ. excellentiſſimus honor, & abundantiſſimæ diuitiæ. Vulgariter enim de bonis ſentientes nulla maiora dicunt. De diuitiis apparet, quia reditus ſummi ſacerdotis erant valde magni. Habebat n. duplices redditus, ſc. quoſdã communes cum aliis ſacerdotibus, & alios proprios. Quãtum ad communes redditus nihil refert. nam quamquam illi ſatis magni ſint, tamen non erant totaliter determinati: ſunt n. iſti de iuribus ſacrificiorum, & de redemptione primogenitorum, & ſolutione votorũ, oblationum, & omnium bonorum, & de partibus primitiarum. De his omnibus, & quibuſdam aliis patet ſup. c. 18. Redditus autem proprij ſummi ſacerdotis erant maximi, ſc. quod quolibet anno percipiebat centeſimam partem omnium fructuũ totius Iſrael, & pecorum, & iumentorum, quæ nimis multa erant, quia Iſrael erat populus valde magnus, ideo nullus ita diues erat in toto populo, ſicut ſacerdos magnus. patet de hoc ſupra 18. cap. cum iubetur, quod Leuitæ accipiãt omnes decimas Iſraelitarum quolibet anno, & quod debet ſummo ſacerdoti decimam decimæ ſuæ, & illa eſt centeſima pars omnium fructuũ totius Iſrael. Secundum bonum, quod promittebatur, erat honor excellẽtiſſimus. Nam ſummus ſacerdos erat princeps temporalis ſuper totam tribum Leui, ſicut quilibet alij principes erant dñi in tribubus ſuis. Erat etiam princeps totiꝰ Iſrael quantũ ad ſpiritualia, quia ipſe faciebat omnia, quæ pertinebat ad Deũ pro Iſrael. Itẽ erat maximus in temporalibus, quantũ ad iuriſdictionẽ, quia ipſe erat maximꝰ iudicum, à quo non licebat aliquatenus appellari, ſi quis autem appellaret, vel non obediret mandato illius occidebatur, vt patet Deut. 17. cap. & hoc fuit toto tempore, quo manſerũt Iſraelitæ in terra Chanaã. nam etiã tempore paſſionis Chriſti

F

A

summus sacerdos erat maximus iudicũ, ideo ad eum ductus est Christus, vt condemnaretur, Matth. 26. c. & condemnatus est. Item erat maximus honor summi sacerdotis, quia quãdo erant reges in Israel, summi sacerdotes accipiebant in vxores filias regum, sicut patet de sacerdote Ioiada, qui accepit filiam regis Iuda in vxorem, vt patet 4. Reg. 11. cap. sed non videbatur esse maior honor isto, tam intensiue, quam extensiue, scilicet, quia extendebatur ad spiritualia, & temporalia: imo & ipsi summi sacerdotes aliquando reges fuerunt, vt patet in Machabæis. Ioannes enim Hircanus filius Simonis Machabæi fuit sacerdos magnus, vt patet 1. Machab. cap. vlt. & tamen ipse fuit rex, quia imposuit sibi diadema regni: alii etiam post eum fuerunt reges, & sacerdotes magni, vt Aristobolus, & Alexander, & quidam alii: manstque hoc vsque quo facta seditione inter eos, qui erant de genere regio paulo ante natiuitatem Saluatoris, Romani, qui tunc dominabantur orbi, transtulerunt principatum regnatiuum ab istis in alienigenas diuidentes totam terram Israel in tetrarchas, vt præced. capit. dictum est. Hæc autẽ omnia promittebantur Phinees, quando fiebat pactum de summo sacerdotio cum isto: ergo valde bonum promittebatur isti.

Quomodo promissum fuit summum sacerdotium Phinees, quia proueniebat ei ex linea stirpis.

B

QVÆSTIO IX.

QVæret aliquis, quomodo fieri potuit pactum cum Phinees, quod daretur sibi summum sacerdotium, vsq; in sempiternum, quia summum sacerdotium proueniebat ei ex linea stirpis suæ, ideo ad eum pertinebat de iure. Et quod suum erat ex vna causa, ex altera suum effici non poterat, nisi desineret esse ipsius. Quod autem proueniret ei, patet quia summum sacerdotium erat veniens per lineam primogenitorum: erat enim ex successione, vt patet Exodi capit. 29. & Leuit. 6. ca. cum dicitur: Sacerdos, qui patri suo iure successerit: ergo non dabatur ista dignitas per electionem, aut voluntatem, sed per lineam stirpis. Quod autem primogenitus succederet, patet Leuit. capit. 21. vbi dicitur, quod sacerdos magnus est maximus inter fratres suos: sic enim factum est in Eleazaro, quia cum mortuus est Aaron, non successit ei Ithamar, sed Eleazarus, qui erat primogenitus, vt patet supra 21. capit. quod autem Phinees esset per lineam primogenitorũ, patet quia erat filius Eleazari primus: Eleazarus autem erat primogenitus Aaron de viuentibus, ideo ad ipsum proueniebat recte summum sacerdotium.

Respondendum est, quod istud pactum factum cum Phinees de summo sacerdotio habendo fuit quoddam beneficiũ ei impensum, vt patet 1. Mach. c. 2. vbi dicebat Mathathias filiis suis, quod Phinees filius Eleazari pater eorum zelando zelum Dei accepit testamentum sacerdotii æterni. Consistebat autem istud beneficium in duobus, quæ erant supra ius sacerdotale. Primum erat, quod Deus certificabat Phinees de vita aliqualiter longa, s. quod non moreretur ante patrem suũ, sed succederet ei, & hoc erat magnum beneficium secundũ humanam existimationem, sc. vitæ diuturnitas, de qua non erat alias certus Phinees. Secundũ erat, quia denunciatur ei, quod non posset auferri illi sacerdotiũ, & à domo sua ex aliqua causa: nam licet ad eum de iure pertineret summum sacerdotiũ, tamen poterat ei auferri ex aliqua causa, sicut ablatum est sacerdotium de domo Eli, vt patet 1. Reg. c. 2. nam propter peccata filiorum suorum, dixit Deus, quod sacerdotium transiret ad alterum, ita autem poterat esse in domo Phinees, quia licet Deus promitteret ei sacerdotium tamen poterat illi auferri, propter aliquod delictum, vel licet non tolleretur in vita sua poterat auferri in semine suo, sicut factum est de Eli. Deus autem certificauit eum, quod nunquam auferretur sacerdotium in æternum de stirpe sua, ideo magnum beneficium erat, ac si donaret ei non habẽti aliquod ius ad illud. Item licet postea sacerdotium, deriuatum fuerit per primogenitos tamen à principio putabatur, quod non maneret in primogenitis semper, sed Deus eligeret digniorem. Cum autem determinauit, quod istam lineam Phinees semper vellet, fecit ei magnum beneficium: sic enim fuit in Aaron, & aliis primogenitis Israel: nam à principio fuerat ius sacerdotale in primogenitis omnibus, postea autem Deus transtulit totum ius ad tribum Leuiticam, vt patet supra 17. ca. etiam cum in tribu Leui essent alii multi primogeniti, transtulit Deus ab omnibus ius in solum Aaron, & filios eius, ita ergo quanquam dedisset ius istud domui Phinees, tamen poterat postea transferri ad alias domos, sed hoc firmatum est per pactum istud, ne transiret ad alias domos. Patet igitur, quod quanquã Phinees haberet secundum ius succedere in summo sacerdotio, & tota domus eius, tamen promissio ista de summo sacerdotio multum operata est.

C

Quomodo pactum sacerdotii fuit sempiternum in domo Phinees, cum fuerit translatum in domum Samuelis.

QVÆSTIO X.

QVæret aliquis quomodo dicitur hic, quod pactum sacerdotii fuit sempiternum in domo Phinees, quia vero quod transierit postea ad aliam domum: nam Heli summus sacerdos erat de linea Phinees, vt quidam putant, & postea translatum est sacerdotium de domo eius in domum Samuelis, vt patet 1. Reg. 2. cap. vbi dicitur, quod transferretur brachium domus patris Heli in alteram domum, & videret æmulum suum in templo in vniuersis prosperis Israel. Iste autem erat summus sacerdos, quem suscitaturus erat Deus ablata domo Heli. Aliquis respondebit ad hoc, quod fuit pactum sempiternum de summo sacerdotio cum Phinees, sed sempiternum non significat aliquam continuitatem sine termino secundum literam Hebraicam, sed quandam temporis longitudinem, quæ interdum non excedit quinquaginta annos, sicut est in Iubileo, qui fiebat de anno quinquagesimo in quinquagesimum, Leuit. cap. 25. & tamen id, quod durabat vsque ad Iubileum, etiamsi non duraret per totum illud tempus dicebatur in sempiternum, Exod. ca. 21. & Leuit. cap. 25. & sic ista promissio facta Phinees magno tempore durauit, scilicet, vsque ad Eli, vt quidam putant, in quo finito sacerdotio non transiuit ad filios eius, sed ad Samuelem translatum est, ideo potest dici, quod sacerdotium fuerit æternum in domo sua. Sed hoc non valet, quia etiam post translationem ad Samuelem fuerunt summi sacerdotes de genere Phinees, scilic. Sadoch, vt habetur 1. Paral. c. 24. etiam filii sui: nam ipsi ministrauerunt in summo sacerdotio in templo, quod constituit Salomon in Ierusalem, & de genere suo fuerunt omnes sacerdotes magni toto tempore regum, vsquequo translati sunt Israelitæ in Babylonem, & tunc erat sacerdos magnus Iesus Iosedech, vt patet 1. Paral. c. 6 & hoc signat Zacharias ca. 3. qui locutus est de tempore captiuitatis Babylonicæ, & de reditu de captiuitate: nam in anno vltimo prophetauit, scilicet, septuagesimo, vt patet Zach. cap. 1. & iste in c. 3. dicit: Et ostendit mihi Dominus sacerdotem magnum Iesum stantem corã angelo Dei. Et ibi ponuntur ornamenta sua pontificalia. Iste tamen erat in linea Phinees, & est vltimus eorum, qui ponuntur in hac linea, 1. Paral. cap. 6. quia ibi solum agitur vsque ad Babylonicam captiuitatem, & tamen non solum fuerunt ante tempus, isti sacerdotes de genere Phinees, sed etiam post reditum de captiuitate, quasi vsque ad tempora Saluatoris: nam Machabæi non fuerunt magno tempore ante natiuitatem Christi, & isti erant summi sacerdotes, vt colligitur ex primo libro Machabæorum, vbi sæpe Iudas, Ionathas, & Simon, qui erant tres fratres, sibi mutuo succedentes, vocantur summi sacerdotes, & Ioannes Hircanus filius Simonis, etiam vocatur summus sacerdos, 1. Mach. cap. vltim. Isti tamen erant de genere Phinees, & vocauerunt Phinees patrem suum. Vnde 1. Machab. cap. 2. Mathathias pater istorum, dixit: Phinees pater noster, zelando zelum Dei, accepit testamentum sacerdotii æterni, & post istos etiam deriuatum est sacerdotium, per lineam Phinees. Pauco autem tempore ante natiuitatem Saluatoris, cum esset magna contentio inter eos, qui erant de genere sacerdotali simul, & regali, qui essent sacerdotes, gentiles, intromiserunt se, sc. reges, qui erant in circuitu Iudæorum, & ponebant summos sacerdotes manu sua, & plurimi eorum emebant summum sacerdotiũ, sicut patet de Menelao Andronico, & Lysimacho aliisque de quibus 2. Machab. cap. 4. & 5. Immediate autem ante natiuitatem Christi Romani, qui dominabantur terræ illi instituebant summos sacerdo-

D

E

F

Semper fuerunt sacerdotes de genere Phinees vsque quo Romani dominabantur Iudæis, & vendebant sacerdotia.

A

tes ad libitum ſuum, ideo an aliqui tunc inſtituerentur, qui non eſſent de ſtirpe Phinees, non eſſet multum admirandum quia iam incipiebat variari totus ſtatus Iudaicus, tamen vſque ad tempora Machabæorum quibus aliquo modo durauit ſtatus Iudæorum, ſemper fuerunt ſummi ſacerdotes de linea Phinees.

Aliquis autem forte dicet, ꝙ quando mutatum eſt ſacerdotium ſummum de filiis Heli ad Samuelem non fuit mutatum de domo Phinees ad aliã domum, ſed iſtæ duæ domus, ſ. Eli, & Samuelis erant intra domum Phinees, & ſic licet nunquam redierit ſacerdotium ad domũ Heli, tamen ſemper fuit in domo Phinees, licet non per lineã primogenitorum, ſed aliorum minorum. Sed hoc non poteſt ſtare, quia Samuel non erat de genere Phinees, imò nec de genere Aaron, ſcilic. quia non erat aliquo modo ſacerdos, ſed pertinebat ad alterum genus Leuitarum. Quidã enim dicunt illum eſſe de Gerſonitis, & allegant id, quod habetur 1. Paral. 26. quia ibi cum agatur de diuiſionibus Leuitarum, & ponantur ibi Leuitæ, Gerſonitæ, qui erant cuſtodes theſaurorum, ponitur ibi Samuel. Sed dicendum eſt non ſtare, quia ibi non ponitur Samuel, tanquã Leuita, vel cuſtos theſaurorum, ſed dicitur quod Samuel ſanficauit, id eſt, applicuit Domino omnia, quæ cuſtodiebant iſti Leuitæ in theſauris, & ponuntur cum eis multi ſanctificantes ſcilic. Dauid, & principes tribuum, & centuriones, & Saul, & Abner, & Ioab, ergo non habetur inde, quod fuerit Samuel de Gerſonitis, niſi etiam dicas Dauid, & Saulem eſſe de Gerſonitis. Sed falſum eſt, quia Dauid erat de tribu Iuda, & Saul de tribu Beniamin. De Dauid Matth. c. 1. De Saule 1. Reg. ca. 9. Sed dicendum. quod Samuel erat de ſtirpe Caathitarum, quę eſt vna familia Leuitarum, vt patet 1. Paralip. capit. 6. vbi inter Caathitas in domo Coritarum ponuntur Samuel, & pater eius Elchana. Erat autem iſte pater Samuelis, vt patet 1. Reg. capit. 1. Sed aliquis arguet, quod Samuel non fuit de ſtirpe aliqua Leuitarum, ſed fuit de Iſraelitis popularibus, ſcil. de ſtirpe Ephraim, vt patet 1. Reg. cap. 1. vbi Elchana pater Samuelis vocatur Ephrataeus, id eſt, de ſtirpe Ephraim, ergo non erat Leuita. Reſpondendum eſt, quod erat Leuita de Caathitis, vt dictum eſt, & cum vocatur pater eius Ephrataeus: Dicendum, quod non vocatur Ephrataeus, id eſt, de ſtirpe Ephraim, ſed Ephrataeus, id eſt, de terra Ephraim: nam habitabat in terra Ephraim, quia Leuitæ non habebant aliquam ſortem propriam, ſed acceperunt vrbes de omnibus tribubus Iſraelitarum exiuſſione Domini, vt patet infra 35. cap. & Ioſue cap. 14. & 21. & tunc illi Leuitæ, qui habitabant in ſorte Ephraim vocabantur Ephrataei, & qui in ſorte Ruben, vocabantur Rubenitæ, & quia pater Samuelis habitabat in monte Ephraim, 1. Reg. ca. 1. vocatus eſt Ephrataeus. Samuel quoque habitabat in terra Ephraim, quia domus eius erat in Ramatha, & ibi iudicabat Iſraelem, 1. Reg. c. 8. tamen in Ramatha eſt in ſorte Ephraim. Sed aliquis obiiciet, quod non fuerit Elchana pater Samuelis Leuita, quia tunc habitaſſet in vrbibus Leuitarum, quæ datæ ſunt de tribu Ephraim, ſed non habitauit in eis, quia ipſe habitabat in Ramathaim, 1. Reg. cap. 1. tamen vrbes, quę datæ ſunt Leuitis de ſorte Ephraim fuerunt 4. inter quas non eſt Ramathaim, ſcilicet, Bethoron, Gazer, Sichen, Cebſan, vt patet Ioſue cap. 21. & 1. Paral. cap. 6. Reſpondendum eſt, quod quanquam iſtæ vrbes ſolæ fuerint datæ Leuitis de tribu Ephraim, tamen poterãt Leuitæ declinare ad alias vrbes ad peregrinandum ibi, id eſt, ad manendum ibi pergere, vt ſibi melius prouiderent, & hoc poterant facere Leuitæ, ſiue in ipſa tribu, de qua acceperant poſſeſſionem, ſiue in aliqua alia, vt patet Iudic. 17. ca. de quodam Leuita, qui erat de Bethlehem, & exiuit ad peregrinandum, vnde dicitur ibi: Egreſſuſque de ciuitate Bethlehem peregrinari voluit vbicunque ſibi commodum reperiſſet. Et poſtea ſequitur, quomodo manſit in tribu Ephraim, à fortiori ergo Elchana pater Samuelis, qui erat de Leuitis in ſorte Ephraim in aliqua de quatuor ciuitatibus ſupra poſitis poterat peregre habitare in Ramathaim, quæ erat ciuitas in ſorte Ephraim, tamen non erat de quatuor ſupra aſſignatis. Patet igitur, quod Samuel erat de Leuitis Caathitis, & ſic cum ſacerdotium translatũ eſſet ad ipſum de domo Heli transferebatur ſacerdotium de domo Phinees totaliter, quia non erat Samuel de ſacerdotibus. Ad hoc autem quidam reſpondent, quod non manſit ſacerdotium in domo Samuelis ſemper, quia mortuo ipſo nullus de filiis eius accepit ſacerdotium, declinauerant enim à via patris ſui ad auaritiam, vt patet 1. Reg. c. 8. ideo mortuo Samuele ſacerdotium translatũ eſt ad Sadoch, & domum eius in ſempiternum, fuit autem Sadoch de genere Phinees, vt ſupra declaratum eſt, & ſic ſacerdotium manſit extra domum Phinees ſolũ tempore Samuelis, cum ipſe tenuit illud. Sed obiicietur contra iſtos, quod ſacerdotium manere debebat in æternum, in domo Samuelis, quia dicitur 1. Reg. c. 2. quando prędicebatur Heli, ꝙ transferretur ab eo ſacerdotium, & ſuſcitabo ſacerdotem fidelem, ſecundum cor meũ, & ædificabo eum domum fidelem, & ambulabit corã Chriſto meo cunctis diebus. Ad hoc reſpondent, quod iſta non intelligũtur de Samuele, ſed de Sadoch, qui immediate poſt Samuelẽ tempore Dauid factus eſt ſummus ſacerdos, cuius domus ſemper habuit ſummum ſacerdotiũ. De hoc ſatis patet in proceſſu libri 2. & 3. Reg. & Paralip. cap. 24. Sed adhuc prædicta non ſtant, quia iſta omnia inducta ſunt poſito, quod Samuel fuiſſet ſummus ſacerdos aliquo tempore. Sed falſum eſt, quia nunquam ipſe habuit ſummum ſacerdotium, occaſio autem errandi iſtorum fuit, quia dicitur 1. Reg. cap. 2. & 3. quomodo Samuel miniſtrabat coram Heli ſacerdote magno, & dicitur in prędicta leg. 2. cap. quod mutandum erat ſacerdotium de domo Heli in alterum domum, hanc autem exiſtimant eſſe domum Samuelis. Item inducuntur ad hoc, quia de Samuele patet, quod altaria inſtituĕret, & faceret ſacrificia, vt patet 1. Reg. ca. 7. 8. & 16. Item inducunt hoc, quia Samuel imperabat toti populo Iſrael, & iudicabat illi, vt colligitur 1. Reg. 6. & 7. cap. & per maiorem partem primi regis: nam etiam toto tempore, quo Saul regnabat dominabitur, ſed iſta non inducunt eſſe ſummum ſacerdotem: nam tempore illius erat alius ſummus ſacerdos: ſi autem eſſet Samuel ſummus ſacerdos impoſſibile fuiſſet alium eſſe tunc ſummum ſacerdotem cum iſte ſemper eſſet vnicus, & tamen tempore Samuelis erat alius ſummus ſacerdos, ſcilicet, Achimelech, vt patet 1. Reg. 21. c. non erat autem tunc mortuus Samuel, ſed poſtea aliquot temporibus defunctus eſt: ideo antequã ipſe moreretur occiſus eſt Achimelech ſacerdos, quia Saul occidit eum in ciuitate Nobe, quia cum iuiſſet illuc Dauid non prodidit eum, 1. Reg. cap. 21. poſt hoc autem mortuus eſt Samuel, de quo 1. Reg. capit. 25. ergo viuente Samuele erat ſummus ſacerdos Achimelech, & conſequenter nunquam fuit ſummus ſacerdos Samuel, quia ſi fuiſſet immediate poſt Heli ſummus ſacerdos nunquam caruiſſet ſummo ſacerdotio quouſque moreretur. Ideo dicendum, quod Samuel nunquam fuit ſummus ſacerdos, nec ſacerdos, ſed Leuita. Cum autem arguitur, quod fuerit ſacerdos, quia miniſtrabat coram Heli. Reſpondendum eſt, quod non colligitur ex hoc eum fuiſſe ſummum ſacerdotem, ideo nec ſacerdotem minorem, ſed Leuitam, quia non dicitur, quod miniſtrabat coram Heli ſacrificando, vel faciendo ea, quæ eſſent ſacerdotalia, ſed poterat miniſtrare in Leuiticis miniſteriis. Ad aliud argumentum cum dicebatur, quod mutandum erat ſacerdotium à domo Heli in alam domum fidelem, & iſtam intelligunt eſſe domum Samuelis. Dicendum eſt, non intelligi de domo Samuelis, ſed de domo Sadoch ſacerdotis, vt exponunt omnes doctores tam latini, quam Hebræi. Ad alterum argumentum cum dicebatur, quod Samuel fecit altaria, & ſæpe ſacrificia. Reſpondendum eſt, non colligi ex hoc, quod eſſet Samuel ſummus ſacerdos, ſed inducebatur aliqualiter eum eſſe ſacerdotem, quia ſacrificare ad ſolos ſacerdotes pertinebat, & ſiquis præter eos conaretur facere moriebatur, vt patet ſupra cap. 3. & 18. vbi miniſteria altaris dicuntur ſacerdotalia, & accedentes ad ea moriuntur præter ſacerdotem. Sed tunc ſtat argumentum, quomodo ergo poterat Samuel facere ſacrificia, cum non eſſet ſacerdos? Reſpondendum eſt, quod regulariter non licebat ei facere talia, licebat tamen aliquãdo ex diſpenſatione: ſicut enim aliis viris ſanctis licuit aliquando facere contra legem, ſcilicet, in cæremoniis ſacrificiorum, ita licere poterat in ſacrificando, ſcil. vetitum erat fieri immolationem aliquam, niſi intra ſanctuarium in loco, quem Dominus elegiſſet, & ſuper altare ad oſtium tabernaculi, vt patet Leuit. 17. & Deut. 12. cap. licuit tamen Prophetæ Heliæ facere altaria, & ſacrificium extra locum illum, id eſt, ſuper montem Carmelum, vt patet 3 Reg. 18. c. etiam licuit Dauid facere altare in area Areunan Iebuæi quando vidit angelum percutientem, vt patet 2. Reg. 24. ca. ita ergo liceret facere ſacrificium ei,

An Samuel fuerit de genere ſacerdotũ, vel Leuitarũ, vel popularium.

Samuel de qua ſtirpe fuerit.

B

C

D

Samuel non fuit ſummꝰ ſacerdos, nec minor, ſed iudex Iſraël.

E

F

Samuel licet nõ eſſet ſacerdos tamen ex diſpẽſatione aliquãdo ſacrificauit.

A

cium ei, cui alias non licebat: nam sicut contra vnã legem dispensabatur, ita & contra aliam. Samueli autẽ non licebat prius sacrificare eo, quod Leuita esset: licuit tamen ex diuina dispensatione: & forte hoc dicetur, quia in omnibus eius sacrificiis apparet causa aliqua. Primũ enim fuit, quando totus populus congregatus est in Masphat, & ibi hortatus est illos, vt sequerentur Dominũ, & orabat pro toto Israel, vt liberaret eum de manu Philisthinorum, & ita factum est, 1. Reg. c. 7. Fecit autem aliud sacrificium in Bethlehem, cum iuit illuc ad vngendum Dauid in regem: vt patet 1. Reg. ca. 16. & hoc fuit, ne Saul intelligeret ad quid ibat Samuel in Bethlehem. Quod autem fuerit ex dispensatione licitum Samueli facere sacrificia, patet quia aliquando apparet, quod Deus iusserit illi facere sacrificium, vt patet 1. Reg. 16. c. cum iussit, quod iret in Bethlehem, & tolleret vitulum de armẽto in manu sua ad immolandum, de aliis autem vicibus sic intelligendum est, quod Deus iusserit fieri immolationem, quanquam non pateat: nam cum iste esset vir Propheta credendum est, quod omnia, quæ egerit, quæ contra legem videantur ex diuina dispensatione egerit. Sed obiicietur, quod non solum aliquando specialiter sacrificauerit Domino Samuel, quod videtur pertinere ad aliquam administrationem, sed hoc habeat in consuetudinem, quod autem ex consuetudine est, magis pertinet ad officium quam ad dispensationem, hoc patet 1. Reg. c. 8. cum dicitur, ꝙ habitabat Samuel in Ramatha, & iudicabat ibi Israelem, atq; constituit altare Domino. Ista tamen constitutio altaris ad multotiens sacrificandum videbatur, cum constitueret illud in loco, in quo habitaturus erat. Respondebitur ex hoc efficaciter non colligi, quod altare illud fuerit constitutũ ad semper ibi sacrificandum, vel sæpe, & tamen dato. quod concedatur dicetur, quod licuit hoc ex dispensatione: nam sicut aliquando licuit, & Deus ei iussit, quod immolaret, ita poterat ei semper licere, quia forte Deus iuberet, quod semper hoc faceret. Ad aliud argumentum, cum dicebatur, quod erat summus sacerdos, quia toti populo imperabat, quod videtur pertinere ad summum sacerdotem, qui est iudex totius Israel. Respondendum est, quod non concluditur ex hoc Samuelem fuisse summum sacerdotem, quia non faciebat hoc tanquam sacerdos, sed tanquam iudex, quem Deus suscitauerat in Saluatorem Israel. Alii autem iudices laici erant, nec pertinuit quisquam illorum ad sacerdotes, vt patet ex discursu libri Iudicum. Samuel autem erat iudex in Israel, sicut vnus ex illis, vt patet 1 Reg 12. ca. cum dicitur: Nunc ergo erue nos de manu inimicorum nostrorum, & seruiemus tibi, & misit Dominus Ierobaal, & Bedan, & Barach, & Iephte, & Samuel, & eruit vos de manu inimicorum vestrorum. Ecce, qualiter ponitur Samuel inter alios iudices Israel. Etiam patet, quia ipse iudicabat totum Israel per singulos annos in tribus locis, scilicet, in Bethel, Galgala, & Malphat, vt patet 1. Reg. capit. 8. Apostolus quoque ad Hebr. 11. capit. ponit Samuelem inter iudices Israel, cum ait: Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeone, Barach, Samsone, Iephte, & Samuele. Ergo non erat Samuel sacerdos magnus, sed iudex, quem Deus suscitauerat, sicut vnus de laicis. Item quando arguebatur, quod sacerdotium magnum fuit in domo Samuelis tempore, quo ipse vixit, postea autem declinauerunt filii sui ad auaritiam non sequentes viam patris, ideo non transiuit sacerdotium ad eos, vt patet 1. Reg. capit. 8. Dicendum est, quod ibi non ponitur. quod filii Samuelis recesserunt à via patris, vt ponatur causa, quare non transiuit summum sacerdotium ad eos, sed ponitur, vt occasio ad introducendum regem in Israel: nam Samuel iudicauerat ante hoc Israel, & erat quasi dominus temporalis, volebat etiam filios suos sic dimittere iudices Israel, populus autem magis volebat habere regem, ideo dixerunt ad Samuelem: Ecce tu senuisti, & filii tui non ambulant in vijs tuis, constitue nobis regem, vt iudicet nos. Non erat ergo auaritia filiorum Samuelis causa ad mutandũ ab eis summum sacerdotium, sed solum ad mutandum principatum iudicatiuum, quod pater eorum habuerat, vt patet 1. Reg. ca. 8. Sacerdotium autem magnum nunquam habuit Samuel, nec filii sui hoc priuati sunt, ideo si habuisset sacerdotium magnũ ad petitionem populi, nõ potuissent, nec debuissent filii Samuelis priuari isto summo sacerdotio, quanquam praui essent, quia istud erat ius hæreditarium, & non poterat tolli alicui propter malitiam suam, nisi Deus abstulisset, sicut fuit de filiis

B

C

Heli sacerdotis, de quo 1. Reg. c. 2. patet ergo ex superioribus, quod Samuel non fuerit summus sacerdos, nec aliquo tempore sacerdos saltem minor, sed Leuita, & iudex. Patet etiam, quod sacerdotium nunquam translatum est de domo Phinees, & sic fuit pactum sacerdotii æternum, sicut hic Deus prædixit. Non est tamen hoc simpliciter verum, licet quidam putent, quoniam nõ erat Heli de stirpe Phinees, sed de Ithamar, sed postea rediit sacerdotium ad Phinees, & ad Sadoch, de quo declarabitur 1. Reg. 2. cap.

D

Quia zelo zelatus est pro Deo suo. Ista est causa huius promissionis, & beneficii, scil. quia Phinees habuit magnum zelum pro Deo dolens de offensa illius, & eam vindicare volens, atque pro illa se morti exponens, cum occidisset principem vnius tribus Israel. *Et expiauit scelus filiorum Israel.* Id est, Phinees per istam occisionem Zambri mundauit delictum, quod fecerant Israelitæ. Vel dicitur, expiauit, id est, puniuit malum, quod fecerant, scilicet, fornicationem, & idololatriam, quia si nemo fuisset occisus, omnes declinauisset ad idololatriam. Iste autem cum occideret Zambri expiauit illud scelus, id est, puniuit, & abstulit purgando, quia fecit, quod iam nullus similia committeret. Aliter potest dici, quod expiauit scelus Israel, id est, abstulit iniquitatem, quam incurrebat totus populus, non corrigendo istud vitium. Si enim Israelitæ vidissent publice peccantes, & non punirent incidebant in culpam grauem, & Deus puniret eos pro hoc. Iste autem abstulit illud peccatum, quia puniuit Zambri, & sic iam non poterat dici Israel negligens in puniendo, cum iste faceret: quod totus populus facturus erat. Et iste sensus consonat superiori literæ, scilicet, quod Phinees auertit iram Domini à toto populo, & si ipse non auertisset, Deus zelo suo deleret Israel. Alio modo potest accipi hic expiatio sceleris ad modum sacrificiorum: nam in sacrificiis pro peccato sanguis accipitur, & effunditur ad expiationem ipsius peccati, Leuit. capit. decimoseptimo. ita hic effudit Phinees sanguinem Zambri peccatoris, & iste expiauit pro illo scelere, quod commiserunt Israelitæ. *Erat autem nomen viri Israelitæ qui occisus est cum Madianitide Zambri.* Hic ponitur nomen vtriusque fornicatoris, & hoc quia vterque erat nobilis: nam vir erat princeps vnius tribus in Israel, fœmina autem erat filia nobilissimi regis Madian, & ex dignitate personæ vitia clariora, & manifestiora sunt atque magis horrenda. *Filius Salu dux de cognatione & tribu Simeonis.* Iste Zambri erat dux vnius magna tribus, scilicet, Simeonis, & propter hoc vitium erat valde magnum, quia eius imitatione traherentur cæteri ad similia præcipue illi, qui erant de eadem tribu, cum essent omnes subditi eius. Ponitur etiam nomen istius viri, & dignitas ad signandum maiorem laudem Phinees occidentis eum: nam quanto maior princeps erat tanto Phinees magis timere debebat occidere illum, & tamen occidit intrepide: ideo nimis laudabilis fuit. Dicitur hic, quod erat iste dux de tribu & cognatione Simeonis, quod ad idem pertinet: nam tribus dicit quandam magnam cognationem denominatam ab aliquo, qui immediate descendebat à Iacob, & sic solum erant duodecim tribus, quia filii Iacob soli duodecim fuerunt, habuit autem filiam vnam, scilicet, Dinam, Genesis capitulo trigesimo. sed filia non constituit tribum, quia transit in familiam viri sui, & filii ab ea geniti nominantur à viro, & non ab ipsa. Vnus tamen de filiis Iacob fuit, qui non faciebat tribum, scilicet, Leui, eo quod non accepit sortem hæreditatis inter fratres suos. Ioseph tamen diuisus est in duas tribus, scilicer, in Manasse & Ephraim, Genesis 48. capitulo, & Iosue decimoquarto. & sic semper fuerunt duodecim tribus. Cognatio autem est magis commune, quia signat quamcunque congregationem, vel habitudinem plurium descendentium ab vno capite, licet illud caput sit immediate deriuatum à Iacob, vel non, & sic omnes tribus vocantur cognationes, & omnes familiæ, & domus, hic autem pro eodem penitus assumuntur cognatio & tribus.

Zãbri fornicator occisus à Phinees cuius cõditionis esset

E

F

Sciendum, quod iste Zambri non fuit dux tribus Simeonis, qui fuit in computatione prima facta in monte Sinai, vt patet supra capitulo primo. quia ibi ponitur dux Salamihel. Item quia iam mortui fuerant omnes, qui erant duces illius temporis. Dixerat enim Deus, quod omnes morerentur in deserto, qui computati erant à viginti annis, & supra, vt patet supra cap. decimoquarto. & tamen iam transierat tempus,

A

in quo omnes illi cõputati mortui fuerãt: nam nullus manserat de illis quando Israelitæ transierunt torrentem Zareth, Deuter. capit. 2. & tamen torrens ille multo ante hoc fuerat pertransitus ab Israelitis, quia illum transierunt antequam introirent in terram duorum regum Amorrhæorum, vt patet supra capit. 21. & Deut. capit. 2. iam tamen acquisita fuerat terra duorum regum istorum, cum Israelitæ erant in Settim, in qua nunc erant cum facta est ista occisio Zambri. Quod patet, quia Settim est vltima mansio Israelitarum, vt supra declaratum est. Item dicendũ, quod iste non erat filius principis qui erat in tribu Simeonis, quando fuit facta computatio in deserto Sinai, quia ille vocabatur Salamihel, vt patet Num. c. 1. iste autẽ vocatur Zambri filius Salu. *Porro mulier Madianitis, quæ pariter infecta est.* Hic ponitur nomẽ fœminæ fornicatricis, & hoc, quia erat de magno genere, vt pateret magis vitium illius: erat enim filia nobilissimi regis Madian. Et dicitur pariter interfecta, sc. cum Zambri, quia ambo eodẽ vulnere confossi sunt: percussit enim Phinees vtrunq; in genitalibus locis, ita vt ambo affixi essent in pugione Phinees. *Vocabatur Cozbi filia Sur principis nobilißimi Madianitarum.* Id est, ista mulier erat filia principis maximi in tota terra Madian: erat enim terra Madian diuisa in quinque reges, quorum nomina habentur, infra 31. capit. & isti aliquando vocantur reges, & aliquando principes. Quod vocentur reges, patet prælleg. cap. Quod vocentur principes patet hic, & Iosue cap. 13. Hoc autem erat, quia isti erant parui reges: sic enim erat de regibus Philisthinorum quinque, qui erant parui: ideo aliquando vocantur Satrapæ 5. id est, principes quinque, Iudic. capit. 3. aliquando reguli, Iosue cap. 13. & aliquando vocantur reges. vt apparet 1. Reg. cap. 29. & in multis locis, inter istos reges 5. Madian nobilissimus erat Sur, & huius fuit filia Cozbi, quæ hic occisa est. In quo apparet maximus timor Madianitarum, & Moabitarum cum filiam regis nobilissimi prostituerint ponentes publice in Lupanari ludificandam ad libitum cuiuscunque vilissimi Hebræorum. Fuit tamen iste timor irrationalis: nullius enim rei quantumcunque dura foret, ad tantam indignitatem debuisset humanam deiicere conditionẽ: nam iuxta Aristot. 3. Ethic. ad quædam enim fortassis non est cogi, sed magis mori patientem durissima: nihil tamen videbatur esse indignus quam vt filia nobilissimi regis quibuscunque vilibus Hebræis publice prostitueretur, ideo debuissent potius Madianitæ, & Moabitæ omnia durissima tolerare, quam tali se subiicere turpitudini cuius facti æternam infamiam non exeunt. Sed fortassis populi illi, ita rudes, & ab humana dignitate degenerantes erãt, quod nec infamia digni sunt, sicut nullum de pecoribus infamamus quodcunq; egerit, quia infamia solum in eo esse potest: qui alias gloriosus esse poterat, pecora aũt huiusmodi nihil suscipere possunt. Ideo isti fortassis pro sua indignitate eis similes videbuntur. *Locutus est Dominus ad Moysen.* Hic ponitur quartum, sc. Iudæorũ ad occidendum Madianitas prouocatio. Intulerunt enim grauia damna Moabitæ, & Madianitæ Israelitis, cum fecerint ex eis perire viginti quatuor millia virorum per fornicationem fœminarum suarum doloſe, mittendo eas in castra Iudæorũ, ad quas nunquam iuissent Israelitæ, nec deliquissent, nisi ipsæ venissent ad castra, ideo iustum bellum poterant facere Israelitæ contra Moabitas & Madianitas inuentores huius fraudis ideo dixit Deus, quod pugnarent contra Madianitas.

Cozbi interfecta cum Zabri.

B

Inuectiua contra Madianitas quia prostituerũt filiam regis. Cap 6.

Quare Moabitæ post fornicationem non pugnauerunt contra Israelitas, nec è contra.

QVÆSTIO XI.

QVæret aliquis, quare Moabitæ non pugnauerunt contra Israelitas postquam fornicatio facta est, & Deus iratus fuit Israelitis: nam ad hoc fecerunt Moabitæ fraudem istam, vt Deus irasceretur Iudæis, & traderentur in manum Moabitarum pugnantibus Moabitis contra illos: sic enim intendebat rex Moab à principio, quando vocari fecit Balaam ad maledicendum Israel, scilicet, quod maledicerentur Israelitæ, & sic pugnaret contra eos, vt patet supra 22. capit. scilicet, Veni, & maledic populo huic, quia fortior me est, si quo modo possim percutere, & eiicere eum de terra mea. Respondeti potest dupliciter. Vno modo, quod quando Balaam dedit consilium contra Israelitas, dixit, quod conuerterentur ad idola Israelitæ fornicantes cum alienigenis, Deus per seipsum occideret eos, nec oportebat esse aliquod bellum, ideo Moabitæ expectauerunt, an Deus destrueret totum Israel: cum ergo viderunt, quod solum perierant viginti quatuor millia, non ausi sunt pugnare contra reliquos arbitrantes, quod Deus non irascetur aliis, & quod si pugnarent contra illos inciderent in manus eorum. Aliter potest dici, quod Balaam nõ dixit regi Moab, quod Deus occideret Israelitas, si conuerterentur ad idola, sed quod irasceretur illis, si fornicarentur, & colerent idola, ideo cum cognosceret ista patrata esse, secure poterat pugnare cõtra Israel, & sic forte intendebat rex Moab. Tamẽ Deus incussit timorem cordi eius, ne auderet pugnare contra Israel: ne incideret in manus eorum, & hoc fuit propter bonum Moabitarum, quia Deus nolebat, quod immediate perirent Moabitæ: si autem pugnarent perirent, ideo incussit timorẽ illis, ne pugnarent. Si iam alias Deus timorem immisit hostibus Iudæorum, ne pugnarent contra illos, & hoc quia pauci erant Iudæi, & caderent in manus hostiles, sicut patet de Iacob, & filiis suis, quando destructa ciuitate Sichem recesserunt inde, & nationes, quæ in circuitu erant non ausæ sunt persequi eos, quia Deus immiserat terrorem super ciuitates hostium. Sic patet Genes. 35. cap. Cumque profecti essent, terror Dei inuasit omnes per circuitum ciuitates, & non sunt ausi persequi fugientes. sed ibi propter salutem Israelitarum factum est, hic autem propter salutem hostium Israel.

C

D

E

Quare Israelita non intulerunt immediate bellum contra Moabitas & Madianitas.

QVÆSTIO XII.

QVæret aliquis, cum Israelitę scirent fraudulenter venisse mulieres Moab & Madian, & valde nocuisse illis, quare immediate non intulerunt bellum illis: nam poterant eis indicere bella iustissima, nec ad hoc oportebat expectari auctoritatem superioris, vel mandatum, cum manifeste ista licita essent. Respondeti potest, quod Israelitæ expectabant super hoc responsum Dei, scilicet, an pugnare deberent, vel non: ideo quousque Deus locutus est illis, nihil mouere ausi sunt. Et tamen obiicitur, quod hic non oportebat consuli Dominum, vel expectari eius mandatum, quia istud bellum erat manifeste licitum. Respondetur, quod debebant expectare mandatum Dei, quanquam cognouissent se habere iustam causam. Et hoc propter duo: Primo, quia Deus erat rector specialis illius politiæ, & ita communicans Iudæis familiariter, dicens, omnia, quæ facere deberent, vel quæ cauere, sicut rector alicuius politiæ ciuibus suis. Sic patet Deut. cap. 4. Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Sicut ergo ciues non debent committere bellum, vel facere aliquid arduum, licet illud iustum esse sciant nisi de auctoritate rectoris politiæ, ita Iudæi nihil facere debebant in arduis causis Deo inconsulto, & non iubente, tale autem erat bellum contra Moabitas & Madianitas, ideo debuerunt expectare diuinam iussionem. Alia causa erat ad hoc, quia Israelitæ non solum consulebant Dominũ, & non expectabant iussionem eius, vt scirent quid licitum eis, & quid illicitũ foret, sed magis faciebant, vt scirent an Deus vellet prosperare actus eorum, vel non: nam si nollet prosperare non inchoarent, & tamen licet esset aliquod bellum eis iustũ contra Moab, vel Madian, poterant non prosperari in illo propter peccata sua, sicut alias multoties factum est, ideo debuerunt inquirere, & expectare diuinam iussionem super hoc. Aliter potest responderi, quod Israelitæ immediate pugnassent contra Moabitas, & Madianitas, vel saltem contra Madianitas, etiamsi Deus nõ iussisset, nec ipsi spectauerunt diuinam iussionem, sed Deus præuenit illos iubendo, quod pugnarent. Prima tamen responsio conuenientior est, quod patet, quia etiam postquam iussit Deus nunc Israelitis, vt pugnarent contra Madian, non immediate pugnauerunt, moram facientes quousque Deus iterum iuberet, vt patet infra 31. cap. vbi locutus est Deus ad Moysen, dicens: Vlciscere filios Israel prius de Madianitis, & sic colligeris ad populum tuum, & tunc Israelitæ pugnauerũt

F

contra Ma-

contra Madian, vt patet ibidem, ideo videt, quod si Deus non iussisset ipsi non pugnarent. *Hostes vos sentiant Madianitæ, & percutite eos.* Iubet hic Deus, quod Israelitæ pugnent contra Madian: quod enim Madianitæ sentiant Israelitas esse hostes suos: est quod Israelitæ faciant contra eos, velut contra hostes, & ponitur hic hostes in accusatiuo, & est sensus, Madianitæ sentiant vos esse hostes suos.

Quare non præcepit Deus Iudæis, quod pugnarent contra Moabitas, sed contra Madianitas, cum tamen grauius peccasset Moab contra eos, & iustiorem haberent causam.

QVÆSTIO XIII.

QVæret aliquis, quare iubet Deus Israelitis pugnare cõtra Madianitas, & non contra Moabitas: iustius enim bellum videbatur contra Moab, quam contra Madian, nam de vtroque populo virgines positæ fuerunt ad fallendum Iudæos, Moabitæ tamen posuerunt eas ex causa sua, Madianitæ vero, vt complacerent Moabitis. Et licet forte quantum ad hoc essent æquales, tamen Moabitæ magis deliquerant, quia rex Moab volebat pugnare contra Israelitas, & ipse fecit vocari Balaam ariolum ad maledicendum Israelitis, ipse quoque petiit consilium, & recepit ad faciendum istam fraudem, Madianitæ autem solum erant ministri, vel coadiutores, iustius ergo erat bellum contra Moab. Respondent quidam Iudæi, quod mulieres Moabitides coactæ venerunt ad hoc, nec Moabitæ intendebant facere aliquam fraudem contra Israelitas, sed rex eorum, qui erat de Madianitis secundum originem, & Madianitæ ipsi ex malitia contra Iudæos operati sunt & ex magna auiditate fallendi. Ideo dicitur in textu, quod Madianitæ hostiliter egerunt contra Israel, & deceperunt eum, sed non dicitur hoc de Moabitis, & ob hoc litera non refert venisse aliquas nobiles virgines de Moab, sicut refert venisse de Madian, scilicet, quod venit Cozbi filia nobilissimi principis Madian, quæ occisa fuit cum Zambri. Sed ista responsio non stat: nam magis videtur, quod Moabitæ fecerint ex animo, quam Madianitæ, quia ista causa magis attinebat ad Moabitas, cum essent Iudæi in extremitate regni eorũ, & putarentur deleturi terrã Moab, sicut deleuerunt terram duorũ regum Amorrhæorum, ad Madianitas autem nihil pertinebat, quia Israelitæ non erant in extremitate regni eorum, nec videbantur Iudæi velle pugnare contra Madian, sed solum agebant, vt complacerent Moabitis, magis ergo videtur, quod Moabitæ voluerint, cum propter eorum causam fieret. Item quia Moabitæ timuerunt valde Israelitas non potentes ferre impetum eorũ, ideo verisimile est, quod ipsi omnia mala quæcunque possent contra Iudæos machinarentur: nam iste timor eorum ponitur tanquam causa vocando Balaam ad maledicendum Israelitis, vt patet supra cap. 22. Item non solum fuerunt principes Madian ministri huius mali, quod procurabatur contra Iudæos, sed etiam ipsi principes Moabitarum: nam ipsi iuerunt ad vocandum Balaam, vt malediceret Iudæis, supr. ca. 22. etiam ipsi ibant ad locum, vbi maledicturus erat Balaam Iudæis, stantes iuxta aras, & sacrificia, vt patet supra 23. cap. ergo ipsi etiam hoc volebant, sicut Madianitæ. Item nõ bene dicitur, quod omnes virgines Moabitarum illuc inuoluntarie iuerunt: nam non posset rex Moab inuitis omnibus Moabitis virgines eorum prostituere maxime emittendo extra terram suam, principaliter tamen dicitur de mulieribus Moabitarum, quod fornicatæ fuerunt cum Israelitis, quam de mulieribus Madian, quia supra dicitur in litera. Fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua. Item si mulieres Moabitarum penitus fuissent inuoluntariæ, quando fuerunt in castris Hebræorum, non miscerentur alicui de Hebræis, quia ibi non erat aliquis, qui eas compellert. Hebræi namque nullam violenter cognoscebant, sed magis ipsæ alliciebant eos. Etiam non erat ibi rex Moab, qui posset illas compellere, ideo non fornicarentur, & tamen fornicatæ sunt, vt patet supra, scil. fornicatus est populus, cum filiabus Moab, ergo voluntarie agebant. Sed aliquis semper insistet, quod mulieres Moab inuoluntariæ cognitæ sunt à Iudæis, quia ibi non poterãt resistere, cum essent extra terram suam, & non habentes defensorem. Sed non stat quia si inuoluntariæ cognitæ fuissent, nihil magis cooperarentur ad hanc fraudem, & tamen ipsæ cooperatæ sunt. quia postquam fornicatæ sunt cum Israelitis vocauerunt eos ad sacrificia sua, vt patet supra, ideo non fuerunt inuoluntariæ cognitæ. Item patet fortius, quia Deus ascribit istam fraudem Moabitis, Deuter. cap. 23. vbi iubet, quod Israelitæ nunquam habeant pacem cum Moabitis, nec quærant eis bonum, quia vocauerunt Balaam ex Mesopotamia, vt malediceret Israel, si tamen non fuissent rei, non imponeretur eis ista pœna, ergo non fuit ex hac causa, quod non pugnauerint Iudæi contra Moabitas, sicut contra Madian. Etiam aliud, quod obiiciebatur non stat, scilic. quod non fuerunt virgines nobiles de terra Moab in fornicatione ista, sicut fuerunt de terra Madian. Dicendum enim hoc non patere: nam forte erant virgines multæ nobiliores de Moab, quã de Madian, tamen dicitur de filia principis nobilissimi Madian, & nõ exprimitur de aliqua virgine terræ Moab, non quidẽ, quod non essent ibi virgines nobiles de Moab, sed quia scriptura intendebat enarrare factum indignum Zambri, & istud fuit cum muliere Madianitide, ideo de ea solum expressum est, alia ergo causa erit, quare contra solos Madianitas pugnari iussum est.

An propter Ruth non iusserit Deus pugnari contra Moabitas.

QVÆSTIO XIIII.

QVæret aliquis, an fuerit hoc propter Ruth, quæ fuit de terra Moab. Dicunt enim quidam, quod de Ruth descensurus erat Dauid, sicut patet Ruth cap. 4. & vt non deleretur progenies eius, de qua ipse sumpturus erat originem, non fuerunt deleti Moabitæ. Sed non multum videtur, quod meritum paruulæ mulieris tantum prodesset Moabitis, scilicet, vt omnes saluarentur à morte. Item quia forte hoc staret si Ruth eo tempore esset, & ipsa peritura esset deletis Moabitis, multo tamen post tempore nata est: nam ipsa fuit pauco tempore ante Dauid. Item patet, quia Dauid fuit pronepos Ruth, vt patet Ruth. cap. vlt. ideo non tantum mereretur velut si esset mater illius, quia tunc forte rationabile esset. Item Dauid qui genitus est de progenie istius Ruth, non seruauit consanguinitatem ad Moabitas: ipse enim subiugauit eos tributo, & coæquauit terræ plurimos occidens, vt patet 2. Reg. c. 8. Potest tamen dici, quod quanquam merito Ruth non fuerit terra ista defensa ab Israel, quia descensurus erat Dauid, fuit tamen defensa, quia descensurus erat Messias de stirpe Ruth, ipsa namque ponitur in Genealogia Saluatoris, vt patet Matth. cap. 1. oportuit igitur conseruari Moab: si enim Moabitæ perirent Ruth nata non fuisset, & consequenter, nec Dauid, nec Messias. Sed ad hoc dicet aliquis, quod poterat fieri aliter, scilic. quod omnes Moabitæ occiderent, & omnes mulieres, quæ cognouerunt viros reseruatis virginibus, & tunc ex aliqua earum nasceretur postea Ruth, sicut factum est, infra 31. ca. de mulieribus Madian, cum virgines reseruatæ sunt cæteris occisis. Sed hoc non stat, quia dato, quod omnes mulieres Moabitarum dimitterentur, occisis omnibus masculis, Ruth non potuisset generari, cum ex vtroq; parente Moabita genita sit, vt patet Ruth c. 1. cum esset pure Moabitis, ad identitatem tamen alicuius rei requiritur identitas intrinsecorũ principiorum, scilicet, materia & forma, materia autem geniti est ab vtroq; parente, quia vterque spermatizat in eius generatione, ablato ergo eodem patre, vel eadem matre non potest esse idem filius, quia non potest esse idem corpus, vnde si Noe non habuisset eandem vxorem, quam habuit, impossibile fuisset aliquem nostrum genitum fuisse, & consequenter in descendendo necesse est maiorum genitorum fieri differentiam: qui enim primo à variato principio gignuntur, solum vnum principium variatum habent, qui autẽ postea gignuntur, vtrunque habent variatum, & sic non posset nasci Ruth. Satis ergo dici posset, quod ista fuerit causa motiua, quare Deus iussit solum pugnari contra Madianitas, quam potuisset fieri, quod destructis quibusdam Moabitis nasceretur Ruth de aliis parentibus, & tamen esset eadem numero: ad hoc tamen miraculo magno opus est. Quis autem sit modus huius, declaratur per sanctum Thomam in quodam quolibeto, vbi quæritur, si Adam non peccasset, essent iidem numero electi, qui nũc sunt. Aliter autẽ potest respõderi

Impugnatio.

An si occiderentur nũc oẽs viri Moab relictis mulieribus an possit inde gigni Ruth.

A

quod Deus inſſit pugnari contra Madianitas, & non contra Moab, quia vtriq; peccauerant, & vtrique puniti ſunt, tamen Madianitæ delendi fuerunt, Moabitæ autem nequaquam. Quod autem puniti fuerint Moabitæ, patet Deut. 23. c. vbi iubetur, ꝙ Moabitæ & Ammonitæ nunquã intrent Eccleſiam Dñi, poſt decimam generationem, & ꝙ Hebrei haberent hoſtilitatem æternã cum eis, nec quererent aliquando eis bonũ. Iſtud tamen pertinebat ad magnã pœnalitatem, & ſubditur ibi cauſa, ſc. quia conduxerunt Balaã ad maledicendum Iſraelitas, non tamen fuerunt Moabitæ occiſi, quia Deus dixerat Iſraelitis ne mouerentur contra eos in pugnã, Deut. c. 2. hic autem non reuocauit præceptũ. Cauſa autem non reuocationis fuit duplex. Prima propter merita Loth, erant enim Moabitę & Madianitæ de ſtirpe Loth, vt patet Gen. 19. c. fuit autẽ Loth conſobrinus Abrahæ, & principaliter propter Abraham Deus benefecit poſteritati Loth: nam & ipſi Loth viuenti propter Abraham Deus benedixit, vt patet Gen. 13. c. ita autem, & filiis ſuis. Iſta cauſa videtur expreſſa, Deut. c. 2. cum dixit Deus Iſraelitis, ꝙ non pugnarent contra Moabitas, & ſequitur: Nõ enim dabo tibi quidquã de terra eorum, quia filiis Loth tradidi eam in poſſeſſionẽ, id eſt, quia dedi eam filiis Loth, nõ dabo vobis partem eius, ſed conſeruabo eam propter Loth. Et ſicut Deus nolebat, quod acciperent terram Moabitarum propter Loth, ita & nolebat, ꝙ occiderent ipſos: imo à fortiori quia terra propter hominẽ eſt. Si autem Iſraelitæ occiderent Moabitas nihil referebat, an terrã eorum caperent, vel non, quia nullum maius damnũ alicui inferri poteſt, quam quod occidatur. Secunda cauſa erat propter Ruth, & principaliter propter Meſſiam, ſcil. Ruth ventura erat de Moabitis, & Meſſias de ſtirpe Ruth naſciturus erat, ergo non debuit deleri progenies illa, de quo naſciturus erat Meſſias antequã naſceretur, ſed iſta cauſa non exprimitur. Ob hoc autem antequã naſceretur Ruth de gente Moab, Iſraelitæ non intulerunt bella Moabitis, poſtquã vero ipſa genita eſt, & tranſiuit in terram Iſrael, Iſraelitæ intulerunt magna bella Moabitis: nam Dauid coæquauit terrã Moab ſolo, occidendo quos volebat, & viuificando quos vellet, 2. Reg. c. 8. *Quia & ipſi hoſtiliter egerunt contra vos.* Id eſt, Madianitæ fuerunt tanquã hoſtes veſtri, non dicitur, quod Madianitæ fuerunt hoſtes Iudæorũ, quia nullum bellum eis intulerunt, nec induxerunt. Egerunt autẽ hoſtiliter, quia fecerunt aliquas fraudes ad delendum Iſraelitas, hoc autẽ pertinet ad hoſtes, quia totaliter delere volunt alios hoſtes. *Et decipere inſidiis per idolum Beelphegor.* Id eſt, Madianitę deceperunt Iſraelitas per inſidias, & hoc per idolum Phegor ſc. inducendo eos ad colendum idolum Phegor: fuit enim hoc, quia mulieres Moabitides & Madianitides per blanditias venereas, induxerunt Iſraelitas ad colendũ idolũ, & tunc fuerũt decepti, quia Deus intulit eis pœnã pro hac adoratione. Vocatur iſtud idolum Phegor, quia nomen eius erat Phegor, ſiue Beelphegor. Vel magis dicitur Phegor, id eſt, idolum poſitum in monte Phegor, de quo ſupra dicebatur, ſc. quod duxit Balaam Balac in verticẽ montis Phegor, & ſic dicetur idolum Phegor, id eſt, idolum poſitum in monte Phegor. *Et Cozbi filiam ducis Madian.* Iſta eſt, quæ mortua fuit ſimul cum Zambri, quando perfodit vtrunq; Phinees. Specialiter autẽ nominatur iſta, quia maximum incitamentũ Iudæis prębuit: nam propter eam motus fuit ad fornicandũ Zambri princeps tribus Simeon, & propter iſtũ multi de tribu ſua, & de aliis tribubus, quia peccata dominorũ multos habent imitatores. Iſta Cozbi dicitur filia ducis Madian, non ꝙ eſſet vnicus dux in Madian: nam erant 5. reges, vt patet infra 31. ca. Sed vocatur iſte dux Madian per excellentiã, quia erat nobilior omnibus ducibus Madian, ſic patet ſupra, cum dicitur: Madianitis mulier, quæ pariter interfecta eſt, vocatur Cozbi, filia Sur principis nobiliſſimi Madianitarum. *Sororem ſuam.* Hoc videtur cõtradicere, quia vocatur filia ducis Madian, quomodo ergo poterat eſſe ſoror eius? Dicendũ, quod non refertur ad Madianitarũ principem, ſed ad Madianitas, ſcilic. filiam ducis Madian ſororem ſuam, id eſt, ſororem Madianitarum: nam eo, quod erat de populo Madian dicebatur eſſe ſoror Madianitarum. *Quæ percuſſa eſt in die plagæ* Id eſt, iſta Cozbi percuſſa eſt in die, qua fuit facta plaga magna: miſit enim Deus magnam plagam per angelum ſuum ſuper omnes, qui fornicati fuerant cum mulieribus Moabitarum & Madianitarum, & quando Phinees percuſſit Zambri ceſſauit plaga, vt patet ſupra: ſimul tamen percuſſa eſt Cozbi, cum vtrunq; perfoderit Phinees pugione ſuo pro ſacrilegio Phegor, id eſt, ꝓ ſacrilegio facto idolo nomine Phegor, vel pro ſacrificio facto in deſcenſu montis Phegor. Iudæi autem dicunt, quod eſt nomen idoli & interpretatur apertio, quia coram diſcooperiebantur virilia, ſicut fiebat coram Deo Priapo, de quo ſupra dictum eſt. Rabbi Salomon dicit, quod iſtud idolum perfundebatur ſemine humano. Sed hoc turpiſſimum eſt: nullum enim credo talia facere voluiſſe, cum intenſioris delectionis, & magis licite materia pateat. Quod autem dicebatur de Phegor, quod erat mons, vel erat idolum, vtrunque ſtare poteſt, & ſi dicatur, quod eſt idolum exponetur illud, quod dictum eſt ſupra 23. capit. cumque duxiſſet eum ſuper verticem montis Phegor, id eſt, ſuper verticem montis, in quo erat idolum Phegor, & vocabitur mons Phegor, ſicut vocantur excelſa Baal, id eſt, altitudo montis, in quo erat Baal. Dicitur autem ſacrificium hic ſacrilegium, quia ſacrilegium dicit aliquid illicitum. Sacrificia autem dæmoniorum ſic ſunt: dicitur enim proprie ſacrilegium violatio rei ſacræ. Cum autem aliquid ſacrum contra conditionem ſuam trahitur ad vſus alienos violatur, ideo ſacrilegium eſt. Sic dicitur de ſacrificio facto dęmonibus: nam ſacrificium debet exhiberi ſoli Deo in ſignum deitatis: Cum autem alicui, qui non eſt Deus ſacrificium exhibetur, violatur ſacrificium, & ſic magis vocabitur ſacrilegium, quam ſacrificium.

Quare noluit Deus Moabitas occidi, nec ꝙ fieret eis bellum.

B

C

D

E

CAPVT XXVI.

Poſtquam noxiorum ſanguis effuſus eſt, dixit Dominus ad Moyſen, & Eleazarum filium Aaron, ſacerdotem: Numerate omnem ſummam filiorum Iſrael, à 20. annis, & ſupra, per domos, & cognationes ſuas, cunctos, qui poſſunt ad bella procedere. Locuti ſunt itaq; Moyſes, & Eleazar ſacerdos in cãpeſtribus Moab, ſuper Iordanẽ contra Iericho ad eos, qui erant à 20. annis, & ſupra, ſicut Dominus imperarat, quorũ iſte eſt numerus: Ruben primogenitus Iſrael: huius filius Henoch, à quo familia Henochitarũ: & Phallu, à quo familia Phalluitarũ, & Heſrom, à quo familia Heſromitarũ, & Charmi, à quo familia Charmitarum. Hæ ſunt familiæ de ſtirpe Ruben, quarum numerus inuentus eſt quadraginta tria millia, & ſeptingenti triginta. Filius Phallu Eliab: Huius filii Namuhel, & Dathan, & Abiron. Iſti ſunt Dathan, & Abiron principes populi, qui ſurrexerunt contra Moyſen, & Aaron in ſeditione Chore, quando aduerſus Dominum rebellauerunt, & aperiens terra os ſuum, deuorauit Chore, morientibus plurimis, quando combuſſit ignis ducentos quinquaginta viros. Et factum eſt grande miraculum, vt Chore pereunte filii illius non perirent. Filii Simeon per cognationes ſuas. Namuhel, ab hoc familia Namuhelitarũ. & Iamin, ab hoc familia Iaminitarum. Iachin, ab hoc familia Iachinitarum: Zare, ab hoc familia Zareitarum: Saul, ab hoc familia Saulitarum. Hæ ſunt familiæ de ſtirpe Simeon, quarum omnis numerus fuit viginti duo millia ducenti. Filii Gad per cognationes ſuas: Sephon, ab hoc familia Sephonitarum. Aggi, ab hoc familia Aggitarum. Sumi, ab hoc familia Sumitarum. Ozni, ab hoc familia Oznitarum. Her, ab hoc familia Heritarum: Arod, ab hoc familia Aroditarum: Ariel, ab hoc familia Arielitarum. Iſtæ ſunt familiæ Gad, quarum omnis numerus fuit quadraginta millia quingenti. Filii Iuda, Her, & Onan, qui ambo mortui ſunt in terra Chanaan. Fueruntq; filii Iuda per cognationes ſuas: Sella, à quo familia Sellaitarum. Phares, à quo familia Phareſitarum. Zare, à quo familia Zareitarum. Porro filii Phares: Heſrom, à quo familia Heſromitarũ. Et Hamul, à quo familia Hamulitarum. Iſtæ ſunt familiæ Iuda, quarũ omnis numerus fuit ſeptuaginta ſex millia quingenti. Filii Iſa-

Supr. 1. Exo. 30.

Numeratur populus ſecundo

Gen 46 Exod. 6 1. Par. 5 Ruben numeratur.

Alias Aliran

F

Supr. 1. Simeon numeratur.

Gad numeratur.

Gen. 38 Iudas numeratur.

A *Iſachar numeratur.*

char, per cognationes ſuas. Thola, à quo familia Tholaitarum. Phua, à quo familia Phuaitarum: Iaſub, à quo familia Iaſubitarum. Semran, à quo familia Semranitarum. Hæ ſunt cognationes Iſachar, quarum numerus fuit ſexagintaquatuor millia trecenti. Filii Zabulon, per cognationes ſuas. Sared, à quo familia Sareditarum: Elon, à quo familia Elonitarum: Ialel, à quo familia Ialelitarum. Hæ ſunt cognationes Zabulon, quarum numerus fuit ſexaginta millia quingenti. Filii Ioſeph, per cognationes ſuas Manaſſe & Ephraim. De Manaſſe ortus eſt Machir, à quo familia Machiritarũ. Machir genuit Galaad, à quod familia Galaaditarum. Galaad habuit filios, Iezer, à quo familia Iezeritarum, & Helec, à quo familia Helecitarum: & Aſrihel, à quo familia Aſrihelitarum, & Sechem, à quo familia Sechemitarum, & Semida, à quo familia Semidaitarum, & Epher, à quo familia Epheritarum. Fuit autem Epher pater Salphaad, qui filios non habebat, ſed tantum filias, quarum iſta ſunt nomina, Maala, & Noa, & Egla, & Melcha, & Therſa. Hæ ſunt familiæ Manaſſe, & numerus earum quinquaginta duo millia ſeptingenti. Filii autem Ephraim per cognationes ſuas fuerunt hi, Suthala, à quo familia Suthalaitarum. Becher, à quo familia Becheritarum, Thehen, à quo familia Thehenitarum. Porro filius Suthala fuit Heran, à quo familia Heranitarum. Hæ ſunt cognationes filiorum Ephraim, quarum numerus fuit triginta duo millia quingenti. Iſti ſunt filii Ioſeph per familias ſuas. Filii Beniamin in cognationibus ſuis, Bela, à quo familia Belaitarum, Asbel, à quo familia Asbelitarum, Achiram, à quo familia Achiramitarum, Supham, à quo familia Suphamitarum. Vpham, à quo familia Vphamitarum. Filii Bela, Hered, & Noemam. De Hered familia Hereditarum. De Noemam familia Noemitarum. Hi ſunt filii Beniamin per cognationes ſuas, quorum numerus fuit quadraginta quinque millia ſexcenti. Filii Dan per cognationes ſuas, Suham, à quo familia Suhamitarum. Hæ ſunt cognationes Dan per familias ſuas. Omnes fuere Suhamitæ, quorum numerus erat ſexaginta quatuor millia quadringenti. Filii Aſer per cognationes ſuas. Iemna, à quo familia Iemnaitarum. Ieſui, à quo familia Ieſuitarum. Brie, à quo familia Brieitarum. Filii Brie, Heber, à quo familia Heberitarum. Et Melchiel, à quo familia Melchielitarum. Nomen autem filiæ Aſer fuit Sara. Hæ cognationes filiorum Aſer, & numerus eorum quinquaginta tria millia quadringenti. Filii Nephthali per cognationes ſuas, Ieſſihel, à quo familia Ieſſihelitarum. Guni, à quo familia Gunitarum. Ieſer, à quo familia Ieſeritharum. Sellem, à quo familia Sellemitarum. Hæ ſunt cognationes filiorum Nephthali per familias ſuas, quorum numerus quadraginta quinque millia quadringenti. Iſta eſt ſumma filiorum Iſrael, qui recenſiti ſunt, ſexcenta millia, & mille ſeptingenti triginta. Locutuſq; eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Iſtis diuidetur terra iuxta numerum vocabulorum in poſſeſſiones ſuas. Pluribus maiorem partem dabis, & paucioribus minorem, ſingulis ſicut nunc recenſiti ſunt, tradetur poſſeſſio, ita duntaxat, vt ſors terram tribubus diuidat, & familiis. Quidquid ſorte contigerit, hoc vel plures accipiant, vel pauciores.

Zabulõ numeratur.

Manaſſes numeratur.

Infr. 17

Ephraim numeratur.

B

Beniamin numeratur.

Dannumeratur.

Aſernumeratur.

Nephthãlnumeratur.

C

Sũma omniũ niſi numeratorum ſecunda vice.

Poſtquam. In ſuperioribus dicto de iniquorum per clades varias deſtructione, hic agitur de manentium numeratione, vnde principium capit. huius ſe ad præcedentia continuat, quia vſq; nunc fuerunt enarrata peccata, & mortes malorum, nunc incipit legislator ponere ordinationes manentium bonorum. Et quia potiſſima ratio cõmunicationis humanæ eſt abundantia in neceſſariis ad vitam, cum iſta ponatur tanquam quidam finis politiæ, vt patet tertio, & ſeptimo Politicorum, numerat primo populũ, qualiter poſſeſſiones recipere debebat, & tanguntur duo. Primo, ponitur numeratio Iſraeliticæ multitudinis. Secundo, enarratio Leuiticæ ſtirpis. Secunda, ibi.

D

Hic quoque eſt numerus. Prima in duas, quia primo ponitur de numeratione diuina iuſſio. Secundo eiuſdem executio. ibi. *Locuti ſunt.* Iſta ſecunda in duodecim partes, ſecundum quod ponitur enarratio duodecim tribuum. De qualibet harum, vbi incipiat ſatis patet. Circa primum.

Poſtquam noxiorum ſanguis.

An noxii, quorum ſanguis effuſus eſſe hic dicitur, fuerint Madianitæ, vel Iſraelitæ condemnati in Cades, vel Iſraelitæ idololatrantes in Belſethim.

QVÆSTIO I.

HIc non oportet quærere, an iſtud capit. ponatur in ordine recto ad præcedentia, vel ſecundum aliquam recapitulationem, aut anticipationem: nam ipſam ſe continuat, ſcilicet, quod iſta, quæ habentur fuerunt facta poſtquam noxiorum ſanguis effuſus eſt, hic autem poteſt intelligi ſecundum quoſdam de Madianitis, ſcilicet, poſtquam effuſus eſt ſanguis Madianitarum, facta ſunt, quæ habentur hic. Vocantur autem Madianitæ noxii, id eſt, nocentes, quia nocuerunt Iſraelitis inducendo eos ad idololatriam, & faciendo, vt perirent vigintiquatuor millia ex eis, & ſecundum hoc licet iſtud capitu. reſpectu præcedentium habeat rectum ordinem tamen non habet reſpectu ſubſequentium, quia oportet, quod fieret iſta numeratio poſt mortem omnium Madianitarum. De iſta tamen morte habetur infra trigeſimoprimo capitu. ideo poneretur hic anticipatio, ſed non eſt iſte modus multum conueniens, quia poſtquam periit prauorum multitudo, numerari ſequentes debuerunt, & ratio eſt, quia iſtis diuidi debebant ſorte loca terræ promiſſionis, ſed ante mortem Madianitarum, nullus de Iſraelitis peccatoribus viuens manſit. Quod patet, quia in bello contra Madianitas nullus de Iudæis mortuus eſt, vt patet infra 31. capit. quod fuiſſet ſi nondum deleti eſſent peccatores, ergo iam deleti fuerant, & conſequenter immediate debebant numerari Iſraelitæ, & ſic non referretur ad Madianitas. Aliter poteſt intelligi ſecundum quoſdam, poſtquam ſanguis noxiorum fuſus eſt, id eſt, poſtquã mortui ſunt peccatores Iſraelitæ, qui murmurauerãt in Cades barne numerati fuerunt Iſraelitæ reſidui, & dicebantur illi noxii, id eſt, rei, vel peccatores, quoniam contra Deum nimis peccauerant: & Deus dixerat, quod morerẽtur omnes ante introitum in terram Chanaan: cum autem mortui ſunt numerati ſunt reliqui. Et videtur hoc eſſe conueniens, quia iſta numeratio fuit facta ad diuidendum poſſeſſiones per iſtos Iſraelitas numeratos, vt ſciretur in qua tribu erant plures, vt daretur eis maior poſſeſſio, & paucioribus minor: ſic patet infra in litera, ſcilicet, pluribus maiorem partem dabis, & paucioribus minorem. Quod autem fuerit facta iſta numeratio ad diuidendum poſſeſſionem per iſtos numeratos, patet infra, cum dicitur: Iſtis diuidetur terra iuxta numerum vocabulorum in poſſeſſiones ſuas: ſed non erat danda poſſeſſio eis, qui morituri erant in deſerto: ergo illis viuentibus non debebat numerari populus, quia non proficeret: nam aliqua tribus prius videretur eſſe maior, quæ poſtea eſſet minor morientibus noxiis, qui in ea erant. Sed adhuc non ſtat iſta expoſitio. Primo, quia dicitur hic: Poſtquam ſanguis noxiorum effuſus eſt: ſed effudi ſanguinem pertinet ad mortem violentam, quod non fuit in illis, qui peccauerunt in Cades barne, quia non fuerunt mortui omnes hoſtiliter, vel per plagam à Deo immiſſam, ſed naturali ægritudine defecerunt. Item non ſtat, quia ſi intelligeretur hoc de peccantibus in Cades barne, oportebat quod immediate, vt omnes illi defeciſſent, fieret iſta computatio, ſed non facta eſt, quia quando Iſraelitæ tranſierunt torrentem Zareth iam fuerant mortui omnes peccatores, vt patet Deuter. cap. 2. & tamen multo ante hoc tranſierant Iſraelitæ torrentem Zareth, ſcilicet, primo quam venirent in terram Moab, & introirent in terram duorum regum Amorrhæorum: ſed cum iſta numeratio facta eſt iam introiuerant Iſraelitæ in terram Moab, & acquiſierant terram regum Amorrhæorum, vt patet ex ordine literæ: ergo non fuit facta iſta numeratio immediate, vt mortui ſunt omnes, qui peccauerant in Cades barne.

E

Poſt morte Iſraelitarum fornicatoriſacta eſt numeratio aliorũ remanentiũ propter diuiſionẽ terrarũ

F

A Sed aliquis dicet non tenere argumentum, quia quanquã ponatur hic de ista numeratione, tamen facta fuit immediate post torrentem Zareth, vbi iam nullus de peccatoribus supererat: & sic non intercidit aliquod tempus medium.

Sed non stat, quia ista computatio fuit facta in vltima mansione deserti, scil. apud Iordanem, vt patet infra, cum dicitur, quod Moyses & Eleazarus numerauerunt eos, qui erant à viginti annis, & supra in campestribus Moab super Iordanem: tamen campestria Moab sunt in vltima mansione deserti, vt declaratum fuit supra præced. cap. ergo non fuit facta ista numeratio immediate post torrentem Zareth: & consequenter non fuit post mortem peccatorum, qui peccauerant in Cadesbarne. Item nulla erat vtilitas, quod Israelitæ numerarentur immediate post mortem eorum, qui peccauerant in Cadesbarne, quia ista computatio fiebat, vt sciretur, quæ tribus erat maior vel minor: & quantum vna excedebat aliam, vt sciretur quantum de possessione vnicuique tradi debebat: sic colligitur infra, scilic. istis diuidetur terra iuxta numerum vocabulorum suorum: pluribus maiorem partem dabis, & paucioribus minorem: si tamen consideraretur multitudo, aut paucitas in tribubus, secundum computationem factam immediate post mortem omnium, qui peccauerant in Cadesbarne: non conuenienter diuideretur terra secundum multitudinem & paucitatem illam, quia multi morituri erant post istam computationem cum vigintiquatuor millia mortui fuerint: ergo non proficiebat tunc computatio, sed postea

B quando nulli morituri erant de Israelitis, vsque ad introitum in terram Chanaan. Ideo dicendum, quod intelligitur ista litera de occisione eorum, qui peccauerant fornicando cum filiabus Moab, scilicet, quod immediate, vt omnes illi mortui sunt, iussit Dominus, quod computarentur Israelitæ: & tunc conuenit in litera, scilicet, postquam sanguis noxiorum effusus est: in quo significatur mors violenta, & sic fuit in istis, quia quidã mortui sunt per plagam à Deo immissam, alii autẽ per iudicum sententiam occidendo, vel suspendendo, quod erat effudi sanguinem. Etiam nunc ista computatio erat valde vtilis, nec sequebatur inconueniens, quia post eam nulli de Israelitis mortui sunt, & ideo per istam computationem certificari posset pluralitas, & paucitas eorum, quibus tradenda erat terra Chanaan. Item fuit facta immediate ista computatio post occisionem fornicatorum cum alienigenis. nam ista fornicatio fuit in Settim, quæ est vltima mansio deserti filiorum Israel, vt supra declaratum est. Computatio autem ista facta est super Iordanem, in campestribus Moab, vt patet infra in litera, & in campestribus illis erat mansio vltima Settim, vt declaratum fuit in præced. cap. ergo immediate post illam occisionem fuit facta computatio.

Dixit Dominus ad Moysen, & ad Eleazarum filium Aaron sacerdotem. Istis duobus apparuit Dominus iubens, vt numerarent Israelitas. Ex quo apparet, quod Eleazarus erat propheta. nam illi prophetæ sunt, ad quos Deus locutus est. sic autem

C ad Eleazarum fuit.

Qualis fuit locutio Domini hic, vel quomodo facta est, & an potuerint Moyses & Eleazarus introire in sancta sanctorum.

QVÆSTIO II.

QVæret aliquis, qualis fuit ista locutio, vel quomodo facta. Aliquis respondebit, quod fuit facta in propitiatorio inter Cherubim, quia quando Moyses volebat aliquid inquirere à Deo ingrediebatur ad propitiatorium in sancta sanctorum, & audiebat responsum de medio duorum Cherubim, vt patet supra capit. 7. illuc autem poterat introire Eleazarus, qui erat summus sacerdos. Sed dicendum est, non stare, quia Moyses audiebat vocem Domini in propitiatorio, quando dubitabat de aliquo, & ibat ad quærendum responsum: & tunc Moyses loquebatur ad Deum, priusquam Deus ad Moysen: sic patet supra 7. capit. scilicet, cumque ingrederetur Moyses, vt consuleret oraculum, id est, ad petendum responsum de aliquo dubio: hic autem non inquisiuit Moyses aut Eleazarus quidquam à Deo, sed Deus locutus est: ergo non fuit facta locutio in propitiatorio. Item non stat, quia dato, quod Moyses vellet responsum de aliquo dubio non posset illuc ingredi Eleazarus: quia summus sacerdos non poterat introire in sancta sanctorum, nisi semel in anno faciendo D cæremonias, quæ habentur Leuit. 26. cap. scilicet, in die propitiationis, vt patet ibidem. Et ad Hebræos cap. 9. nunc autem non erat sic: quia in toto deserto non fuit facta solennitas expiationis, vt probatum fuit Leuit. 16. cap. ergo non potuit introire ad hoc. Erat autem alius modus introeundi in sancta sanctorum, scilicet, quando non solum summus sacerdos ingrediebatur, sed etiam minores, vt patet supra capit. 4. & hoc erat cum mouebantur castra ad cooperiendum arcam: sed tunc non erat aliquis in propitiatorio, qui loqueretur: non potuit igitur fieri ista locutio intra sancta sanctorum. Assumptum patet supra 4. capit. de introitu sacerdotum minorum in sancta sanctorum, quod autem non esset, tunc aliquis respondens in propitiatorio, declaratum fuit Leuit. 16. cap.

Ideo dicendum, quod ista locutio potuit conuenientius fieri ad ostium tabernaculi, quia ibi erat nubes, & quando volebat Deus loqui in illa, inclinabatur ad ostium tabernaculi. Sic fuit locutus Mariæ & Aaron supr. 12. c. & ibi poterat loqui ad Eleazarum, & Moysen, & eis nihil quærentibus: sic enim locutus fuit ad Mariam & Aaron vocans eos, vt accederent ad se, vt patet præalleg. capit. Poterat autem fieri aliis modis ista locutio, scilic. quod appareret aliquis angelus in corpore assumpto Eleazaro, & Moysi, & loqueretur: sic factum est ad Iosue: nam apparuit ei angelus Domini, habens gladium euaginatum in agro Iericho, vt patet Iosue ca. 5. sic etiam apparuit angelus Domini Balaam in via impediens, ne transiret asina gladio euaginato, supra 22. cap.

Aliter etiam poterat fieri ista locutio, sc. quod angelus Domini formasset aliquam vocem in aere, non assumpto aliquo corpore visibili: & sic frequenter factum est, sicut fuit in legis datione super montem Sinai, quia ibi non fuit aliqua forma visa, sed solum vox audita, Deut. c. 4. Secundus tamen modus, scilicet, quod fuisset locutus in nube ad ostium tabernaculi est conuenientior, quia est communior.

Sciendum autem, quod ista locutio fuit facta ad Moysen & ad Eleazarum, quia isti duo erant principes populi: nam Moyses erat princeps & iudex populi in temporalibus, & spiritualibus, dum tamen non pertinerent ad ritum sacerdotalem. Eleazarus autem erat princeps omnium sacerdotum: & ex hoc principabatur populo quantũ ad spiritualia. ideo ad istos duos principes debuit fieri locutio, vt ambo exequerentur hanc numerationem: sic enim fuit in alia numeratione in deserto Sinai, quia ibi Moyses & Aaron illam fecerunt, vt patet supra c. 1. Eleazarus autem erat summus sacerdos, sicut fuerat Aaron pater suus, ideo ita pertinebat ad eum ista numeratio, sicut illa, quæ facta est in monte Sinai pertinuit ad Aaron: vocatur autem hic Eleazarus sacerdos, id est, sacerdos magnus per excellentiam: ipse enim fuerat constitutus sacerdos magnus post patrem suum, vt patet supr. 20. capit.

Numerate omnem summam filiorum Israel. Id est, numerate omnem multitudinem Israelitarum. Accipitur hic summa improprie, scilicet, non pro eo, quod colligitur ex numeratione, sed pro ipsa multitudine numerabili: nam si habuissent summam numerandorum Moyses & Eleazarus non numerassent. Dicit hic Rabbi Salomon, quod Deus fecit, vt pastor, qui gregem numerat, quem lupus vastabat, vt ex numero manentium sciat quot perierunt. Sed istud nihil est, quia Deus non faciebat pro se, sed pro Israelitis, scilicet, vt haberent certitudinem de multitudine sua, vt sic scirent diuidere proportionaliter inter se terram Chanaan. Dicunt quidam, quod ista numeratio est quinta & vltima ab exitu de Ægypto, quæ fuit ad diuidendum terram. Et prima fuit in exitu de Ægypto, cum dicitur, quod erant fere sexcenta millia peditum in Israelitis, Exodi cap. 12.

Secunda computatio fuit post immolationem vituli ad offerendum Deo dimidiũ siclum argenti, qui sumebatur à quolibet transeunte ad numerum. De hac Exodi 30. & 38. capit. Tertia computatio fuit ad pugnandum, & ministrandum, & castrametandum: & de ista habetur supra capit. 1. & 2. Quarta computatio fuit ad primogenita redimendum, scilicet, vt sciretur quot erant primogenita Israelitarum, vt commutarentur pro eis Leuitæ supra 3. cap. Quinta fuit ad terram in possessiones diuidendum: & de ista habetur hic. Sciendum est, quod non fuerunt omnes istæ computationes totius Israel.

F

Cõputationes varia Israelitarũ diuersis temporibus facta.

Prima enim

A

Prima enim quæ dicitur fuisse in exitu de Ægypto, non fuit computatio, sed solum posuit ibi Moyses summam Israelitarum non plenam, & quasi sub dubio sicut ille, qui non computabat, cum dixit, quod erant fere sexcenta millia peditum in populo illo: ibi tamen non poterant Israelitæ numerari ad exitum de Ægypto, quia ad hoc non dabatur ei locus: tanta enim exeundi velocitas fuit, vt nec massam fermentare potuerint, Exodi capitul. duodecimo, sed vocant eam quidam computationem, quia ponitur ibi summa sicut in computationibus aliis.

Item quarta numeratio istarum ad primogenita redimendum non fuit numeratio totius Israel: nam ad inueniendum istos non oportebat computari omnes alios, quia satis constabat, quod non erant omnes Israelitæ primogeniti: sed inquirebatur in qualibet domo familia & tribu, qui essent primogeniti non computando alios: & postea omnium istorum inuentorum summa assumpta est. Aliæ autem tres, scil. secunda, tertia, & quinta, fuerunt proprie numerationes: quia ibi omnes Israelitæ numerati sunt.

A 20. annis, & supra. Hoc fiebat, quia ante viginti annos non transit aliquis ad nomen, nec ad bella procedere potest: ideo non computatur tanquam pars Israel. Erat autem hoc ad accipiendam possessionem: omnes enim Israelitæ habituri erant possessionem, & quia solum vocantur Israelitæ illi, qui habent nomen in populo, pro illis solis data est possessio: vnde si aliqua tribus haberet multos excedentes annum vigesimum, etiamsi non haberent adhuc vxores, nec essent emancipati à patria potestate, accipiebantur possessiones pro omnibus illis. Si autem essent in tribubus Israel multi excedentes annum 18. vel 19. nondum completo vigesimo, non computabantur, nec assignabatur pro istis aliqua possessio, sed accipiebant possessiones patrum suorum, ita quod ipsi & patres eorum computabantur tanquam vna persona. Sic enim Aristot. dicit 5. Ethic. quod filius est pars patris, donec sit Pelicon, id est, magnus, vel emancipatus. Et secundum hoc si aliquis de Hebræis, nunc computatis esset quadraginta annorum, vel vlterius, & haberet quatuor, vel quinq; filios proximos anno vigesimo, sed nondum attingentes: & alius in ætate triginta vel quadraginta annorum nullum filium haberet, æqualiter ambo reciperent: si autem aliquis mortuus fuisset, & reliquisset filios infra annum vigesimum, siue vnũ filium, siue multos, omnes partem vnius accipiebant, scil. patris sui: sicut si pater vixisset ipse solus acciperet hæreditatem: filii autem non, ætate prohibente: ita filii paruuli manentes vnam sortem omnes pro solo patre acciperent, ne periret nomen patris in familia sua: sicut filiæ Salphaad hæreditatẽ habuerunt ne nomen patris periret, vt patet capit. seq. Si autem pater superuiueret, & haberet 4. vel 5. filios vltra annum 20. positos pater suscipiebat pro se vnam sortem, & quilibet filiorum aliam pro se.

Quare nõ computabatur aliquis ante annũ 20. & q̃ non susciepiebant isti hæreditatẽ in terra Chanaan. Cap. 6.

B

C

Quare fœminæ non fuerunt computatæ hic: & quomodo non accipiebant sortem in terra Chanaan, ne poterant succedere patribus, nisi in defectum filiorum.

QVÆSTIO III.

QVæret aliquis, quare non fuerunt hic computatæ fœminæ, sicut viri à vigesimo anno. Respondebat aliquis hoc fuisse, quia hic computantur illi, qui possunt procedere ad bellum: ad fœminas autem non pertinet ire ad bellum: ergo non fuerunt computatæ. Sed non stat, quia hic fiebat computatio ad sciendum numerum eorum, qui accepturi erant possessionem in terra Chanaan: fœminæ autem ita accipiebant possessionem, sicut viri, vt patet seq. capit. de filiabus Salphaad: ergo debuerunt computari.

Sed obiicietur, quod ista computatio non fiebat nisi ad habendum summam eorum, qui poterant procedere ad bellum, quia sic dicitur in litera. Respondendum est, quod non sumebatur principaliter summa istorum ad sciendum potentes procedere ad bellum: sed magis ad sciendum, quot erant possessiones recepturi, cum litera dicat infra. Istis diuidetur terra iuxta numerum vocabulorum suorum: pluribus maiorem partem dabis, &c. Cum autem dicitur infra. Cunctosq; qui possunt ad bella procedere. non intelligitur principaliter fieri numerationem propter hoc. & sic litera designat, cum dicit: Numerate omnem summam filiorum Israel à viginti annis. Et postea dicitur: Cunctosque, qui possunt procedere ad bella, id est, & in ista enumeratione scietis, qui sunt, qui possunt procedere ad bella. Et verum est, q̃ etiam intendebat Deus, vt Israelitæ haberent certam summam eorũ, qui ad bella procedere poterant: nam sicut accepturi erãt possessionem, ita & pugnaturi erant ad acquirendum eam, ideo debebat sciri numerus pugnatorum: quia tamen numerus accepturorum possessionem erat maior numero pugnatorum, & omnis pugnator accepturus erat possessionem, licet non è contrario: omnes accepturi possessionem computari debebant: & sic in eis haberetur numerus pugnatorum. Vnde si fœminæ sumpturæ erant possessionem poterant computari, licet non procederent ad bellum, & fieret vna summa omnium, scilicet, tam virorum, quam fœminarum, & intra istam summam esset determinata summa pugnatorum. Respondendum est, quod fœminæ computandæ non erant, quia nulla fœmina accipiebat possessionem, siue esset vltra viginti annos, siue citra: sed viri accipiebant possessiones, quæ erant pro se & pro fœminis quantum ad vsus fructum, & vtilitatem earum, licet quantũ ad proprietatem ad solos viros pertinerent & siquis haberet multas filias omnesque excessissent annum 20. nulla earum accipiebat possessionem, sed eadem erat possessio patris, & illarum tanquam esset eadem persona. Item non solum fœminę non accipiebat possessionem in diuisione terræ Chanaan, sed etiam non succedebant patribus suis in aliqua parte possessionis immobilis, siue pater moueretur ab intestato, siue vellet eas instituere in testamento, sed succedebant solum in defectum liberorum masculorum: siquis enim hæredem masculum non habens filias decedens haberet, illæ sibi succedebant: sed hoc non fiebat tanquam principaliter daretur ius succedendi, sed ad vtilitatem defuncti, scilicet, ne deleretur nomen eius de familia sua: deleretur tamẽ si nullo relicto superstite, possessio eius transiret ad alterum, qui non haberet nomen in familia illa, in qua erat, qui moriens reliquit hæreditatem: ideo dabatur fœminis potestas succedendi in hoc casu, vt patet seq. cap. si tamen existeret vnus hæres masculus etiamsi haberet viginti sorores, nulla succedebat cum eo, sed ipse in solidum erat hæres: quemadmodum fit nunc vbi obseruantur iura primogenituræ, quia ibi primogeniti succedunt vniuersaliter, omnes autem alii liberi nihil habent de immobilibus, sed possunt eis aliqua dona per modum legatorum relinqui: hæredes tamen non instituuntur, nisi forte sint aliqua bona, quæ pater alias acquisierit, & non pertineat ad ius primogenituræ.

D

Cum autẽ arguebatur de filiabus Salphaad, quod acceperunt possessionẽ in terra Chanaan. Respondendum est, quod hoc non fuit tanquam fœminæ haberent ius accipiendi possessionem regulariter sicut viri, sed in defectum liberorũ masculorum, ne nomen patris sui deleretur de cognatione sua, vt patet seq. cap. & Iosue cap. 17.

E

Mulieres non succedere patribus in bonis hæreditariis.

F

Per domos & cognationes suas. Id est, debebant computari omnes isti in domibus suis de cognationibus. Istud fiebat, vt posset summa distinctius haberi nam si computarentur omnes Israelitæ non habito aliquo ordine speciali computandi non possent computari, quin erraretur in eis: cum vero diuisi erant per domos, & familias, & tribus computabãtur omnes, qui erant in eadem domo per se: & sic omnes, qui erant in eadem familia, & tunc non poterat errari: deinde ex summis istis particularibus colligebatur vna summa totalis Israelitarum. Et ponuntur hic duo, scilicet, domus & cognationes: alibi autem ponuntur tria, scilicet, tribus, familiæ, & domus, & ista sunt nomina magis vsitata supra capit. 1. & 2. maxima namque congregatio erat vna tribus, & istę erant duodecim congregationes: deinde tribus diuidebatur per familias, quia quælibet tribus habebat aliquas familias, vt patet infra, & quælibet familia diuidebatur in domos. Iste modus habetur Iosue ca. 7. vbi cum inquireretur veritas de furto Iericho iussit Deus applicari totũ Israel per tribus suas, & postea quamlibet tribum per familias suas: deinde quamlibet familiã per domos, & domum quamlibet per viros siue capita singulorum, & ibi erat vltima resolutio. Sicut ergo iste modus habebatur ad inueniendum sine errore vnum virũ in toto populo,

A *Tribus familia & domus idem.*

ita deberet haberi ad computandum omnes Iſraelitas: peri-
ſta autem duo, quæ hic ponuntur, ſcilicet, cognationes, &
domos intelliguntur tria, quæ dicebantur, ſcilic. tribus, fami-
liæ, & domus: nam cognatio eſt nomen multum generale ſi-
gnans congregationem multorum ſibi attinentium in vni-
tate ſanguinis, vel identitate radicis. Et ſi iſta cognatio erat
maxima in Iſraelitis, vocabatur tribus. Si autem erat minor, &
immediata ſub tribu, vocabatur familia. Si autem adhuc erat
minor, ſcil. ſub familia, vocabatur domus: ſed domus hic ex-
preſſo nomine ſuo ponitur.

Cunctoſque, qui poſſunt ad bella procedere. Id eſt, & in iſta com-
putatione accipietur ſumma omnium, qui poſſunt procedere
ad pugnandum. Non eſt intelligendum, quod in computa-
tione, quæ fiebat à vigeſimo anno, & ſupra omnes computa-
ti poſſent procedere ad bella: nam aliqui ſunt vltra vigeſi-
mum annum ad magnam ſenectutem prouecti, qui ad bella
inutiles ſunt: & tamen iſti accipiebant poſſeſſionem, & com-
putabantur, quia erant vltra annum vigeſimum. Etiam alii e-
rant nondum ſenes, & tamen naturaliter erant carentes ro-
bore, ita vt eſſent ad bellicum opus inepti: ſed etiam iſti com-
putabantur. Dicitur tamen, qui poſſunt ad bella procedere,
id eſt, quod iſta ætas eſt conueniens ad hoc, quod homines
incipiant: iam poſſe procedere ad bella, licet ex aliis acciden-
tibus impediantur: qui autem valde ſenes ſunt, etiam dicun-
tur potentes procedere ad bella, quia non eſt in eis defectus
bellandi ex defectu ætatis, ſed ex ſuperabundantia. Hic au-
tem accipiuntur potentes procedere ad bella, qui ſemel tran-
ſcenderunt ætatem illam, in qua propter paucitatem ætatis
impotentes ſunt.

B

Conſiderandum tamen, quod non fuit hic, ſicut in com-
putatione, quæ fuit facta in monte Sinai, ſupra c. 1. vbi dicitur,
quod computabantur potentes procedere ad bella, ſicut hic:
ſed fuerunt ibi multi, qui non poterant procedere ad bella
propter ętatis magnitudinem, quia erant in extrema ſenectu-
te conſtituti eo tempore: hic tamẽ nullus talis fuit, quia nul-
lus de computatis hic erat annorum 60. vel ſaltem excedens:
niſi duo, ſcilicet, Ioſue & Caleb. Ideo nullus ad iſtam ætatem
peruenerat: ſed in ætatẽ iſta adhuc homines illius temporis
erant potentes ad pugnandum: ergo nemo propter ætatis
multitudinem erat hic impotens: aſſumptum patet, quia in
Cades barne fuit lata ſentẽtia contra omnes, qui erant com-
putati à vigeſimo anno & ſupra, quod nemo eorum introiret
in terram Chanaan: & nullus de illis fuit computatus hic prę-
ter Ioſue & Caleb, vt patet in fine cap. ergo illi, qui computati
fuerunt hic. non erant 20. annorum, quando fuit facta com-
putatio in mõte Sinai, quia ſi eſſent viginti annorum comput-
tati fuiſſent: & fuiſſet contra eos lata ſententia, ſed à tempo-
re illius computationis, vſque nunc, non fluxerunt anni qua-
draginta, ſed ſolum trigintaocto, & dimidius. Quod patet,
quia Iſraelitę fuerunt in deſerto annis quadraginta, & illa nu-
meratio, quæ fuit in monte Sinai incępta eſt in ſecundo anno
ab exitu de Ægypto 1. die menſis ſecundi, vt patet ſupra capit.
1. iſta autem computatio fuit facta anno quadrageſimo ante
finem illius non multum poſt medietatem anni, cum poſt
hoc fuerit facta pugna contra omnes Madianitas, & deletum
fuerit totum regnum Madian, infra. 31. cap. Et deinde Moyſes
paulo ante mortem ſuam incępit proponere Deuteronomi-
um coram toto populo prima die menſis vndecimi anni qua-
draginta, vt patet Deut. capit. 1. ergo auferendus erit, quaſi di-
midius annus ab anno quadrageſimo, qui ſuperat poſt iſtam
numerationem: & vnus annus atque vnus menſis, qui effluxerant de quadraginta annis ante numerationem factam in
monte Sinai, & ſic manebunt anni vigintiocto, & dimidius
inter iſtas duas computationes, ſed nullus eorum, qui com-
putatus eſt hic compleuerat annum vigeſimum, quando fuit
facta computatio in monte Sinai, vt declaratum eſt: ergo
nullus de computatis hic, poſſet ſaltem eſſe annorum quin-
quagintaocto, & dimidii apponendo ſuper vigeſimum annũ
incompletum trigintaocto, & dimidium: omnes autem alii
erant iuniores: ſed in ætate quinquagintaocto annorum e-
rant homines potentes procedere ad bella in tempore illo,
quia nondum iudicabantur ſenes, ideo nemo propter ætatis
magnitudinem in computatione iſta eſſet impotens ad pu-
gnandum. De Ioſue autem & Caleb, quia iſti fuerunt in pri-

Nullus erat hoc tẽpore tanta magna ætatis, quando poſſet ire ad bellandũ, nec qui attingeret 60. annos præter Ioſue & Caleb.

C

ma computatione, & in iſta, vt patet infra. & illi duo ſoli in-
troierunt in terram Chanaan, de primo computatis: & de his
poſſet dicere aliquis, quod forte erant impotentes ad pugnã
propter ſenectutem.

D

De Caleb enim dicendũ, quod quando fuit facta iſta com-
putatio, erat quaſi octuaginta annorũ: nam quadraginta an-
norum erat, quando miſſus eſt de Cades barne ad explorandum terram Chanaan, vt patet Ioſue 14. cap. à tempore autem
illo vſque ad iſtam computationem fluxerunt anni quaſi tri-
gintanouem: nam miſſi ſunt exploratores de Cades barne in
ſecundo anno ab exitu de Ægypto in fine tertii menſis, vel in
principio quarti, vt declaratum eſt ſupra capit. 13. iſta autem
computatio fuit facta ante finem anni quadrageſimi ab exitu
de Ægypto: ergo fuerunt pluſquam trigintaocto anni, & di-
midius, ſcilicet, quaſi trigintanouem, qui apponantur annis
quadraginta, quos egerat Caleb, quando miſſus eſt de Ca-
des barne ad explorandum, & fient anni quaſi octuaginta, ſed
in ætate iſta non erat Caleb impotens ad pugnandum: imo
erat potens ad gradiendum, & ad pugnandum, ſicut quando
erat annorum quadraginta: ſic patet Ioſue 14. capit. cum dixit
Caleb: quadraginta annorum eram, quando me miſit Moy-
ſes de Cades barne, vt conſiderarem terram. Et infra ſequitur:
hodie octogintaquinque annorum ſum ſic valens, vt eo vale-
bam tempore, quãdo ad explorandũ miſſus ſum: illius in me
temporis fortitudo, vſq; hodie perſeuerat tam ad bellandum
quam ad gradiendum: hoc enim erat quaſi miraculum: nam
quod in anno octuageſimo haberet robur ad pugnandum nõ
erat ita difficile, quod autem ita eſſet robuſtus, vt in anno 40.
erat ſpeciale Dei beneficium, & ſic ponitur Eccleſiaſt. 46. cap.
fortitudo Caleb conſeruata, vſque ad ſenectutem tanquam
miraculum.

Caleb cuius ætatis eſſet tempore iſtius computationis.

E

De Ioſue autem non tantum patet, quia non cognoſcitur,
cuius ætatis ipſe eſſet tempore huius numerationis, ſed ſatis
videtur, quod fuerit 80. annorum, vel quaſi: nam in exitu de
Ægypto, in menſe ſecundo exitus pugnauerunt Iſraelitę con-
tra Amalechitas, qui inſurrexerant, quaſi ex inſidiis, vt patet
Exodi 17. capit. & in iſto bello fuit dux Ioſue: ergo erat iam
vir potens in pugna & maturi conſilii: quia in duce belli non
ſolum requiritur robur corporis, imo magis requiritur pru-
dentia magna: iſta autem non prouenit in parua ætate, quia
quanquam in anno vigeſimoquinto, vel trigeſimo, Ioſue eſ-
ſet potens corpore ad pugnandum, tamen prudentia non-
dum eſſet matura quanta requiritur in duce belli: ideo vide-
tur, quod eſſet annorum quadraginta, vel quaſi: ſed illud
bellum fuit, quaſi in principio anni primi exitus de Ægypto,
non per menſem & dimidium poſt exitum de Ægypto: ergo
nunc additis quadraginta annis fere ab exitu de Ægypto erant
octuaginta anni, vel quaſi Ioſue. Aſſumptũ patet, quia exitus
Iſraelitarum de Ægypto fuit quintadecima die menſis primi,
vt patet infra 33. capitu. & ſteterunt Iſraelitæ in monte Sinai
prima die menſis tertii, Exodi capit. 19. Ergo inter exitum de
Ægypto, & aduentum in montem Sinai fuit menſis, & dimi-
dius: ſed antequam venirent Iſraelitæ in montem Sinai pu-
gnauerunt contra eos Amalechitæ, quia iſta pugna fuit in Ra-
phidim, vt patet Exodi. cap. 17. ſed prius ſteterunt Iſraelitæ in
Raphidim, quam in monte Sinai, vt patet infra 33. c. ergo non
fuit menſis dimidius ab exitu de Ægypto, vſque ad bellum A-
malechitarum cum Iſraelitis, in quo fuit Ioſue dux. Erat tamẽ
Ioſue hoc tempore potens ad pugnam, quia poſt hoc miſſus
eſt, vt dux belli in terram Madian, vt patet infra 31. cap. & poſt
hoc fuit dux in introitu in terram Chanaan, & pugnauit lon-
go tempore, quouſque ſubiiceret terram illam Iſraelitis, vt
patet Ioſue ca. 11. ergo non erat impotens ad pugnam, & con-
ſequenter ex ſuperioribus apparet, quod in iſta computatio-
ne non fuit aliquis, qui propter ætatis magnitudinem eſſet
impotens ad pugnandum.

Ioſue quot annos haberet.

F

Locuti ſunt. Hic ponitur ſecundum, ſcilicet, præcepti diui-
ni executio, ſcilicet, quod numerauerunt Moyſes & Eleaza-
rus totum Iſrael.

Moyſes & Eleazar ſacerdos. Dicitur, quod iſti locuti ſunt, non
quod ambo loquerentur, quia non poterant ſimul loqui ad
totam multitudinem, nec etiam vnus repetiit verba alterius,
quia hoc videbatur inutile: dicitur tamen quod ambo locuti
ſunt, quia Deus vtrique locutus fuerat iubens, quod com-
putarent Iſraelitas: & ob hoc vnus eorum loquebatur, &

alius ei auctoritatem præbebat, vel vnus loquebatur nomine amborum, dicens: Deus apparuit nobis iubens, quod numeramus populum: & sic loquebatur vnus, quasi ambo loquerentur.

An Moyses locutus est ad populum, vel Eleazarus.

QVÆSTIO IIII.

QVæret aliquis quis istorum loquebatur, scilic. an Moyses, vel Eleazarus. Respondendum est, quod per certitudinem declarari non potest: tamen potest ex coniecturis eorum, quæ apud nos fiunt istud iudicari, & hoc in moralibus sufficiens argumentum est, vt patet 1. & 2. Ethico. est autem hoc in vsu humano, vt quando multi sunt, ad quos expetit proponere aliquid coram aliqua multitudine, vel persona, excellentior eorum, vel honorabilior proponit: ita de Moyse & Eleazaro, cum essent viri prudentes, & iusti existimandum est, quod dignior eorum proponeret: erat autem dignior Moyses Eleazaro, cum neminem de populo Iudaico tantum Deus laudauerit, sicut Moysen, dicens eum esse fidelissimum in tota domo sua, vt patet supra 12. capit. etiam quia ipse erat princeps totius populi, tam in spiritualibus, quam in temporalibus: Eleazarus autē erat solum princeps, inquantum summus sacerdos. Item Moyses erat antiquior ætate Eleazaro, ideo cæteris paribus, ex hac parte maior sibi honor impendendus erat: sic Deus iusserat, Leuit. cap. 19. coram capite cano consurge, & honora personam senis. Aristot. etiam 9. Ethic. dicit de distributione honoris, quomodo diuersis diuersi honores impendi debeant, & ait: quod senibus in eo, quod senes sunt, debet dari quidam modus honoris. qui differt à cæteris modis: ergo Eleazarus debebat reuereri Moysen in hac parte. Item debebatur honor Moysi, quia erat superior in cognatione: nam Eleazarus erat consobrinus Moysi, cum esset Moyses frater Aaron patris Eleazari. Dicendum ergo, quod Moyses locutus fuit. Sed obiicietur, quia Moyses erat impeditæ linguæ, & propter hoc non locutus fuit coram Pharaone. Dixit enim: Mitte, quem missurus es, non sum enim eloquens, ab heri & nudiustertius, ex quo locutus es ad seruum tuum impeditioris, & tardioris linguæ sum, Exodi. c. 4. & propter hoc Deus prouidit ei dans Aaron fratrem eius, vt loqueretur, dicens: Aaron frater tuus Leuites scio, quod eloquens sit. Et sequitur: Ille loquetur ad populum, & erit os tuum: tu autem eris ei in eis, quæ ad Deum pertinent, vt patet Exodi cap. 4. & iterum Exodi cap. 6. Ecce, constitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus, erit propheta tuus. Sic ergo esset hic, quod Moyses non loqueretur per se, sed Eleazarus loco illius. Respondendum est, quod Moyses fuit hic per se locutus: multotiens enim alibi per se locutus est, vt patet ex processu libri huius, & duorum immediate præcedentium: nec indiguit aliquando interprete coram populo Israel. Quod autem obiicitur, quod Aaron locutus fuerit coram Pharaone pro Moyse. Dicendum est, q̄ hoc erat, quia erat Moyses impeditæ linguæ, & si proponeret corā Pharaone cum ipse non cognosceret dignitatem eius, negligeret eum contemnens verba propositionis suæ: debuit ergo talis mitti, qui esset eloquens: & sic erat Aaron. Coram populo autem Israel, non erat huiusmodi: quia omnes habebant Moysen, tanquam virum excellentissimum, & libentissime audiebant verba eius: tanquam verba Dei, ideo non oportebat, vt alius loqueretur pro eo, propter linguæ impedimentum: locutus fuit ergo ipse.

Numeratio facta est in campestribus Moab.

In campestribus Moab. Ista ergo erat mansio, in qua tunc erāt Israelitæ. Sed obiicietur, quod fuerit in planioribus locis Moabitarum, quæ sunt vltra campestria: & patet, quia fornicatio cum mulieribus Moab & Madian fuit in Settim, vt patet præced. capit. Settim autem est in planioribus locis Moab, vt patet infra 33. ca. ergo non fuit facta ista numeratio in campestribus, sed in planioribus locis Moab.

Respondetur, quod campestria Moab magnam terram tenent, scilic. à descensu montium Abarim vsque ad Iordanem, vt colligitur infra 33. c. & ista terra est aliqualiter montuosa, & vocatur campestris.

Diuiditur autem duas partes: prima est à descensu ipsorum montium versus Iordanem, quæ tamen non pertingit ad Iordanem: & ista est aliqualiter montuosa, & vocatur campestris proprie: alia autem incipit à termino istius, & finitur in Iordane. Est autē ista magis plana, & ibi appellantur planiora loca Moabitarū. Accipiendo tamen large vtraq; pars vocatur campestris, & illa, quæ coniuncta est Iordani, & sic quādo Iudæi erant apud Iordanem in vltima mansione dicebantur esse in campestribus Moab: quanquam essent in planioribus locis Moab, & isto modo accipitur hic, & præced. cap. Alio modo & proprie accipiuntur campestria infra 33. ca. & ibi distinguuntur campestria à planioribus locis.

Super Iordanem. Id est, Moyses & Eleazarus erant super Iordanem, quando ista locuti sunt, scilicet, circa Iordanem: nam non erant super aquas, quia tamen flumina labuntur per loca decliuia, ille, qui stat in aliquo loco prope flumen, dicitur esse super flumen: & isto modo dicit Scriptura orbem terræ esse positum super maria, & flumina, Psalm. 23. scilicet, quia terra eminet super aquas: & aquæ ex conditione sua petunt infima, cum non possit aqua termino proprio terminari: sed adhuc non erant multum coniuncti Israelitæ nūc Iordani, quia post hoc recesserūt Israelitæ mortuo Moyse de mansione ista Belsethim, quæ erat vltima, & venerunt ad Iordanem, vt patet Iosue capit. 3. quia tamen non erat valde magna distantia, sed erant Israelitæ intra illam magnam vallem, per quam labitur Iordanis, dicebantur esse supra Iordanem.

Contra Iericho. Id est, erant Israelitæ ex opposito Iericho: erat enim Iericho vrbs ex alia parte Iordanis, & nō erat aliqua ciuitas ita propinqua Iordani de terra Chanaan sicut Iericho: & ista videbatur ex loco, in quo erant castra Israelitarum sita, ideo dicebantur esse contra Iericho.

Ad eos, qui erant à 20. annis, & supra. Id est, locuti sunt Eleazarus & Moyses ad eos, qui erant à 20. annis, & supra. Id autem, quod locuti fuerunt, erat, scilic. quod Deus iusserat computari omnes illos, & sic factum est, id est, quod se disponerent per turmas suas, sc. per tribus, & familias, & domos, vt posset accipi numerus omnium.

Sicut Deus præceperat. Id est, locuti sunt Moyses & Eleazarus id quod Deus præceperat, sc. quod numerarent Israelitas: ipsi autem dixerunt: Deus iussit, vt numeraremus nos omnem masculū à vigesimo anno, & supra: ideo disponatis vos ad numerationem.

Quarum iste est numerus. Id est, quorum ista est summa, scilicet, quæ sequitur: ponuntur enim primo summæ particulares omnium tribuum, deinde ponitur summa totalis omnium infra.

Ruben primogenitus Israel. Hic incipiuntur summæ particulares, & quia istæ assumptæ sunt per tribus, ponitur de qualibet tribu quanta esset multitudo,

Ordo recipiendi summā Israelitarū nō fuit secundū dignitatem tribuū sed secundum vexillorū ortigiē.

Considerandum autē, quod ordo iste accipiendi summam non est secundum dignitatem tribuum, quia hoc modo deberet præcedere tribus Iudæ: erat enim dignior, & in omnibus, quæ ad honorem pertinebat præponebatur: ipsa enim primo mouebat castra, quam cæteræ tribus: vt patet supra ca. 2. & 10. scilicet, in primo clangore tubarum: etiam quando consecratum fuit Sanctuarium, & obtulerunt omnes principes tribuum Israel per singulos dies, princeps tribus Iudę, prima die obtulit, vt patet supra c. 7. Item non fuit hic obseruatus ordo natiuitatis: nam sic post Ruben, & Simeon non debebat poni tribus Gad, sed tribus Iudæ: quia primo natus est Iudas, quam Gad, vt patet Gen. 29. & 30. ca. Item primo poni debuisset tribus Dan, & tribus Nephthali, quam Gad, Aser, Zabulon, & Isachar, quia primo nati sunt, vt patet Gen. cap. 30. sed è contrario factum est, ideo non fuit iste ordo obseruatus, sed fuit obseruatus ordo castrametationis, & vexillorum, scilicet vt omnes qui pertinebant ad idem vexillum, primo computarentur, quam veniretur ad alios, qui erant sub alio vexillo: erat autem totus Israel diuisus per vexilla quatuor, ita quod sub quolibet vexillo essent tres tribus secundum ordinem, qui habetur supra cap. 2. ideo secundum istum modum computatio fiebat. Erat autem vnum de quatuor vexillis vexillum Ruben positum ad partem meridianam, sub quo erant tres tribus, scilicet, Ruben, Simeon, & Gad, vt patet supra cap. 2. ideo istæ tres tribus computatæ sunt primo per familias suas, vt hic patet. Erat autem alterum vexillum tribus Iudæ, quod erat ad partem orientalem, & sub isto erant tres tribus, scilic. tribus Iudæ, Isachar, & Zabulon, vt patet supra capit. 2. ideo

A

post tribus, quæ erant sub vexillo Ruben computatæ fuerunt istæ tres, vt patet hic. Erat alterum vexillum tertium filiorum Ephraim ad partem septentrionalem, & sub isto erant tres tribus, scilicet, Ephraim, Manasse, & Beniamin? ideo post tribus, quæ erant in vexillo Iudæ computatæ fuerunt istæ tres, vt patet hic. Quartum vexillum erat filiorum Dan ad partem occidentalem, sub quo erant tres tribus, Dan, Aser, & Nephthali: ideo istæ tres computatæ sunt, vnde penitus idem ordo est hic in computatione, qui est supra cap. 2. in castrametando, & in mouendo castra per clangorem tubarum, supra capit. 20.

Quare fuit in numeratione seruatus ordo vexillorum, & non dignitatis, vel natiuitatis.

QVÆSTIO V.

QVæret aliquis, quare magis fuit obseruatus hic in istis tribubus ordo vexillorum, quam ordo dignitatis, vel ordo natiuitatis capitum tribuum.

Respondendum est, quod factum fuit, vt haberetur cõuenientissimus modus in computando: erat enim magnus populus Israelitarum, sc. vltra sexcenta millia peditum: & si diligenter non computaretur, adhibito conuenienti modo erraretur in computatione: nullus autẽ modus fuit ita conueniens in computando, sicut si quælibet tribus computaretur in

B

eo ordine, in quo erat: erant enim omnes Israelitæ in castris ordinati, quando computabantur. Si autẽ debuisset obseruari ordo dignitatis, non fieret computatio continua, quia inciperetur in parte orientali, vbi erat tribus Iudæ, & tunc omissis omnibus mediis transiretur ad tribum Ruben, ad partẽ meridianam: & deinde etiam omittendo reliquas tribus transiretur ad partem septentrionalem, ad tribum Ephraim, Manasse & Beniamin: & iterum fieret regressus ad tribum Simeon, ad partem meridianam, & sic varie discurreretur: si autem obseruaretur ordo natiuitatis eodẽ modo oportebat fieri mutationem per discontinua, quia inciperentur in parte meridiana, vbi erat tribus Ruben, & immediate in tribu Simeon, quæ erat coniuncta illi: deinde transiri debebat ad partem orientalem, in qua erat tribus Iudæ, & immediate ad partem oppositam occidentalem ad duas tribus, scilicet, Dan, & Nephthali: & omissis mediis transeundum erat ad partem aquilonarem, in qua erat tribus Ephraim & Manasse, & post hoc ibatur in partem meridianam, ad tribum Gad: deinde redeundum erat ad partem occidentalem, ad tribum Aser: post hoc transiri debebat ad partem orientalem, ad tribum Isachar, & Zabulon: deinde veniendum erat ad aquilonarem partẽ ad tribum Beniamin, & sic esset finis per magnas circulationes, atque erraretur in computando: ideo debuit dari alius ordo conuenientior, sc. quod fieret computatio per continua, sicut

C

erant locatæ ipsæ tribus: & istud erat si obseruaretur ordo castrametationis: sic factum est, quia incepit computatio ista in vexillo meridiano in tribu Ruben & Iudæ per omnes tribus continue ibatur ad partem orientalem, & inde continue ad aquilonarem descendebatur, veniebaturq; in occidentem, & concludebatur trãsitus in meridie, vbi fuerat computatio inchoata: & isto modo non poterat errari quidquam: ideo debuit teneri iste ordo. Etiam fuit obseruatus ordo iste in prima computatione, cuius modus scriptus est, supra cap. 1. quia incepta est in tribu Ruben, & secundum ordinem vexillorum finita fuit in tribu Nephthali.

Ruben primogenitus Israel. Id est, fuit primus in computatione Ruben, qui erat primogenitus Israel, id est, Iacob. Et ponitur hic, quod erat primogenitus ad significandum rationem ordinis, sc. quod præponi debebat, quia erat primogenitus: & sic ab ipso incœpit computatio ista, & illa quæ habetur supra capit. 1. quanquam tamen Ruben esset primogenitus secundum carnem, tamen non manserunt penes eum iura primogenituræ, quia Iacob abstulit ea ei, vt patet Genes. 49. capit. scilicet, Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei: prior in donis maior in imperio effusus es, sicut aqua: non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius. Transierunt autem ista iura primogenituræ, quantum ad aliquid in tribum Iudæ, & quantum ad aliquid in tribum Ioseph, vt declaratum est Genes. 48.

Ruben perdidit iura primogenituræ.

& Iosue 13. cap. Quæ autem sint iura primogenituræ declaratum fuit, Gen. 25. & 27. cap.

D

Huius filius Henoc. Hic ponuntur quatuor filii Ruben, scilic. Henoc, Phallu, Hesrom, Charmi: & ab istis denominatę sunt familiæ, scilicet, familia Henochitarum, Phalluitarum, Hesromitarum, Charmitarum. De his autem non deficit aliqua familia. Pro quo considerandum est, quod cum aliquis de duodecim filiis Iacob habebat aliquos filios ab illis denominabantur familiæ, sicut à patre denominabatur tribus: vt pote Ruben habuit quatuor filios, qui nominantur hic, & à Ruben nominata est tribus: à quolibet autem filiorum eius nominata est vna familia, & sicut contingebat filios Iacob habere plures, vel pauciores filios immediatos, ita in qualibet tribu erant plures, vel pauciores familiæ: in tribu enim Ruben non deficit aliqua familia, quia filii eius solum fuerunt quatuor, vt patet Gen. 46. & Exod. 6. cap. denominabatur interdum aliqua familia à nepotibus, vel à pronepotibus, sicut factum est in tribu Manasse: nam filius Manasse fuit Machir, à quo nominata est familia Machiritarum: nepos autem Manasse fuit Galaad, à quo familia Galaaditarum: pronepotes autem Manasse fuerunt sex filii Galaad, à quo denominatæ fuerunt sex familiæ, vt patet infra: in tribu autem Ruben non fuit aliqua familia denominata à nepotibus, vel pronepotibus: sed fuerunt quatuor familiæ denominatæ à quatuor filiis eius. Deficiunt autẽ in hac computatione de summa primæ computationis, quæ fuit facta in monte Sinai viri duodecim millia octingenti 70. vt patet supra c. 1. & hic: nam ibi erant 56. millia, & quingenti viri: hic sunt viri 43. millia septingenti. *Hæ sunt familia de stirpe Ruben.* Id est, 4. istæ suprapositæ sunt familiæ Rubenitarum: omnes autẽ cognationes minores vocabantur domus. *Quarum numerus inuentus est 43. millia septingenti 30.* Hic deficiunt multi à priori summa, quæ erat in monte Sinai, vt supra dictum est.

Filii Ruben 4. à quibus sunt familiæ.

Quomodo familia aliquando nominantur à filiis aliquãdo à nepotibus aliquãdo à pronepotibus.

E

Quare tribus Ruben non fuit multiplicata in quadraginta annis ad maiorem numerum.

QVÆSTIO VI.

QVæret aliquis, quomodo tribus Ruben non fuit multiplicata ad maiorem numerũ, nam sicut Israelitæ quando ingressi sunt in Ægyptum erant 70. & tamen quando exierunt erant plures, quam sexcenta millia virorum, ita debuisset tribus Ruben augmentari in annis fere 40. qui fluxerunt à numeratione, quæ facta est in monte Sinai vsque ad istam: sed deficiunt multi.

Respondendum est, quod causa huius potissima fuit sententia lata à Deo in Cadesbarne contra numeratos, scil. quod nullus de illis ingrederetur in terram Chanaan, ideo omnes, qui fuerant computati in prima computatione, scilicet, sexcenta tria millia virorum, & amplius perierunt inter tempus computationis illius & istius, quia nemo de computatis in prima computatione fuit hic computatus, vt patet infra in litera. & sic de multis aliis tribubus deficiunt viri aliqui de summa, quæ erat in prima computatione. Et ista causa exprimitur aliqualiter in fine capit. ideo totalis summa omnium Israelitarum in ista computatione non accessit ad priorem summam, quæ fuit in monte Sinai, vt patet infra. *Filius Phallu Eliab. Huius filii Namuhel, & Dathan, & Abiron.* Iste Phallu fuit filius Ruben, à quo denominata est familia Phalluitarum. Repetitur autem hic de eo, vt ponatur quidam casus, qui fuit in nepotibus eius: erant enim nepotes eius tres Dathan, Namuhel, & Abiron. Duo istorum fuerunt, qui surrexerunt contra Aaron & Moysen, propter summum sacerdotium. Et ex hoc repetitur hic de illis.

Responsio.

F

Isti sunt Dathan & Abiron principes. Hoc ponitur ad notificandum id, quod dicitur de Dathan & Abiron insurgentibus contra Moysen, quia cum legeretur supra 16. capit. de illis nesciretur fortassis determinate eorum progenies, ideo ponitur hic.

Qui surrexerunt contra Moysen & Aaron. Modus insurrectionis, & seditionis habetur supra 16. & dicuntur surrexisse contra Moysen & Aaron, quia ipsi volebant summum sacerdotium, cum essent de tribu primogenitorum: & quia Aaron possidebat summũ sacerdotium, insurgebant cõtra eum dire-

A

cte: contra Moyſen autem inſurgebant, quia ipſe ordinauerat omnia hæc: & videbatur ex affectione conſanguineis ſuis tribuiſſe dignitates, vt præallegato cap. declaratum eſt.

In ſeditione Chore. Seditio eſt bellum ciuile: ſic autem fuit cum Chore & ſocij ſui inſurrexerunt contra Moyſen, & Aaron: omnes enim erant conciues, cum eſſent in eodem populo, fuit autem iſta ſeditio Chore, quia erat Chore de filiis Leui de familia Caath, vt patet Exo. cap. 6. & ſupra cap. 3. Ideo ille prætendebat ſe habere ius ad ſummum ſacerdotium, volens illum ſurripere, vel qualitercunque auferre Aaron: quia non poterat ipſe ſi ſolus eſſet quid facere, conduxit ſecum multos alios de populo ſolicitans corda eorum: & quia maioris auctoritatis ſunt ad mouendum illi, qui erant honoratiſſimi in populo: ideo adduxit ſecum 250. proceres ſynagogæ, vt patet infra, & quia Dathan, & Abiron erant quaſi principes in tribu Ruben, quæ erat tribus primogenitorum, ad quam videbantur de iure pertinere ſummum ſacerdotium, ſolicitauit illos, vt mouerentur contra Moyſen, & Aaron.

Quando aduerſum Dominum rebellauerunt. Iſti dicuntur rebellaſſe contra Dominum, quia repugnabãt ordinationi Dei volentes arripere ſummum ſacerdotium: Deus tamen ſtatuerat ſummum ſacerdotium pertinere ad Aaron. iſti aũt non intelligebant, ideo inſurrexerunt contra Moyſen, & Aaron putantes hoc factum fuiſſe ex affectione cognationis, & ſic dixit Moyſes iſtis viris, quod inſurgebant contra eum, & Aaron, ſed magis contra Deum, vt patet ſupra c. 16.

B

Aperiens terra os ſuum deuorauit Chore. Dicitur terra aperuiſſe os, non quod habeat proprie os, quia non eſt animal, ſed quia diuiſa fuit patente quadam cæca voragine: & illa vorago erat ſicut os in animali. Quid autem Iudæi fabulentur de ore terræ, & ore aſinæ Balaam, & decem rebus creatis in veſpere ſabbathi ad ſolis occaſum, declaratum fuit ſupra cap. 22. Dicitur quod fuit deuoratus Chore, quia Chore non fuit combuſtus cum aliis 250. viris offerentibus thymiama. Sed contra hoc arguetur, quia Moyſes dixit, quod Chore & omnis congregatio ſua ſtarent ſequenti die cum thuribulis ſuis coram Domino ad offerendum thymiama: Aaron autem ſtaret ſeorſum habens thuribulum ſuum: & tamen ſequenti die venerunt viri 250. & obtulerunt, atque combuſti ſunt, vt patet hic, & ſupra c. 16. ergo Chore quoque combuſtus eſt. Aliqui reſponderunt, quod Chore fuit combuſtus, & deuoratus à terra: viri autem 250. fuerunt ſolum combuſti. Sed hoc improbatum fuit ſupra 16. c. Dicendum autem, quod Chore ſolum fuit ſubmerſus à terra ſicut Dathan, & Abiron: & cum obiicitur, quod dixerit Moyſes, vt iret ſequenti die cum ſociis ſuis ad offerendum thymiama. Reſpondetur quod forte Chore timuit ſubire iſtud experimentum ſuſpicans aliquam à Deo eſſe mittendam: & propter hoc, quamquam viri 250. quos ſolicitauerat, iuerint ſequenti die ad thurificandum: Chore tamen non iuit, ſed manſit in tabernaculo ſuo, ideo viri 250. combuſti ſunt ſoli, Chore autem non fuit combuſtus, ſed aperta eſt terra in tabernaculo ſuo, & deuoratus eſt.

Chore an fuerit combuſtus.

C

Morientibus plurimis. Non intelligitur hoc de filiis Chore, qui erant cũ eo in tabernaculo ſuo, qui immediate dicitur, quod magnum miraculum factum eſt in Iſrael, vt Chore pereunte filij eius non morerentur, nec etiam intelligitur de 250. viris, qui combuſti ſunt, quia de iſtis dicitur hic immediate, quando combuſſit ignis 250. viros. Sed intelligendum eſt neceſſario de Dathan, & Abiron, & omnibus familiis ſuis: nam iſti deuorati ſunt à terra, vt patet ſupra cap. 16. & fuerunt hæc in eadem die. *Et factum eſt grande miraculum, vt Chore pereunte filij eius non morerentur.* Fuit autem miraculum in hoc, quod terra aperta eſt, & abſorbuit Chore: filij tamen ſui, qui ſimul erant, non abſorpti ſunt: Chore enim à principio ſolicitauit Dathan, & Abiron contra Moyſen. Etiam ſolicitauit 250. viros. Inchoata autem ſeditione cum Moyſes dixiſſet, quod ſequenti die venirent Chore, & ſocij eius ad thurificandum: Chore timens aliquod malum peruenturum non iuit in ſanctuarium, ſed manſit in tabernaculo ſuo euntibus illuc viris ducentis quinquaginta, qui combuſti ſunt, fecit ergo Deus, quod aperiretur terra, & deglutiret Chore, & cum manerent ſimul filij eius in eodem tabernaculo, non ſubmerſi ſunt, ſed manſerunt pendentes in aere, & hoc vidit totus Iſrael, quouſque deuorato Chore terra iterum concluſa eſt. Iſti autem filij Chore erant viri ſancti, & habiti fuerunt in magna repu-

tatione poſtea inter Leuitas, quia cantores effecti ſunt, & Pſalmos compoſuerunt, vt patet 1. Paralip. c. 25. & 26. nam ex nominibus iſtorum intitulantur quidam Pſalmi, cum dicitur: Pſalmus filiorum Chore. Etiam habuerunt aliud officium in ſanctuario, ſcilicet quod præerant ad faciendum libamenta, quæ erant de panibus frixis: vnde dicitur de eis 1. Paralip. c. 6. quod Corita erat princeps eorum, quæ frigebantur in Sartagine.

D

Quomodo non ſunt abſorpti filij Chore cum patre eius, cum eſſent in eodem tabernaculo.

QVÆSTIO VII.

QVæret aliquis de iſtis filiis Chore, quomodo non ſubmerſi ſunt cum patre ſuo, cum eſſent in eodem tabernaculo, vt hic ſupponitur. Reſpondebit aliquis, quod erant viri ſancti, & propter hoc Deus illos conſeruauit, ne perirẽt. Sed obiicietur, quod licet prius eſſent viri ſancti, tamen in eo quod recedere noluerunt à tentorio patris ſui, qui erat peccator, efficiebantur rei inobedientiæ, & merebantur ſubmergi: ſic patet de Dathan, & Abiron, & familiis ſuis: multi namque erant: qui nihil peccauerãt in ſurgendo contra Moyſen, & Aaron, quia tamen noluerunt recedere à tabernaculis hominum illorum cum eis abſorpti ſunt, vt patet ſup. c. 16. & hoc quia dixerat eis Moyſes. Recedite à tabernaculis iſtorum impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum, & poſt hoc qui noluerunt recedere, abſorpti ſunt, quamquam non peccaſſent: ſic ergo fieri debuiſſet in filiis Chore, cum eſſent in eodem tabernaculo, in quo pater ſuus abſorptus eſt. Reſpondendum eſt, quod non debuerunt abſorberi, quia non fuerant prænoniti, quamquam ergo fortaſſis cognoſcerẽt, quod pater eorum coniurauerat contra Moyſen, & Aaron ſolicitans corda malorum virorum, tamen neſciebant eſſe præceptum à Moyſe, & dictum, vt recederent omnes à tabernaculo eius: nam ipſe & Dathan, & Abiron in eodem tempore abſorpti ſunt, & cum Moyſes iuiſſet ad iubendum, ne quis accederet ad tabernacula hominum impiorum audierunt illi, qui erant cum Dathan, & Abiron: quia primo iuit ad illos: ſed non audiuerunt filij Chore, quia Chore habitabat in alia parte caſtrorum. Dathan namque, & Abiron erant de filiis Ruben, ideo caſtrametabantur in parte meridiana ſub vexillo Ruben: Chore autem & filij eius, quia erant de Leuitis, caſtrametabantur ad partem tabernaculi meridianam in circuitu illius: & non erant in eodem ordine caſtrametandi, in quo populares, quia omnes populares caſtrametabantur procul à ſanctuario, Leuitæ autem apud illud, & tunc cum Moyſes denunciauerit, vt recederent omnes à tabernaculis hominum impiorum, & hoc fuit cognitum apud tabernacula Dathan, & Abiron, & nondum erat cognitum apud tabernaculum Chore: ſed Chore abſorptus eſt dum abſorberentur Dathan, & Abiron, ideo non conſtitit filiis Chore, quod iuſſiſſet Moyſes recedere à tabernaculo patris ſui. Si autem iubente Moyſe, recedere nollent, etiamſi prius viri ſancti fuiſſent, quia tamẽ tunc erant inobedientes, fuiſſent abſorpti cum patre. Aliter autem reſponderi poteſt, quod non ſolum filij Chore neſcierunt poſitum à Moyſe, quod omnes recederent à tabernaculo Chore, ſed etiam non fuerat poſita talis iuſſio, nec intendebat Moyſes ponere hoc edictum contra Chore, ſed ſolum contra Dathan, & Abiron. Cauſa n. eſt, quia Moyſes cognouerat, quod omnes iſti viri, qui inſurrexerant contra eum, & Aaron, perituri erant: & quia ipſe vocauerat Dathan, & Abiron, vt venirent ad ſanctuarium, & ibi videret cauſam eorum, ſc. quare inſurgebant, noluerunt venire: & ob hoc iuit ipſe ad illos iubens, vt omnes recederent à tabernaculis eorum: quia ſciebat illos perituros eſſe, ne alij ſimul cum eis perirent. De Chore autem non exiſtimabat ſic, quia Chore ſteterat in ſanctuario coram Moyſe & Aaron: dixeratque Moyſes, quod Chore & tota congregatio eius ſequenti die venirent ad offerendum coram Domino thymiama, & Aaron per ſe offerret. vt ibi videretur, quem Deus acceptaret: hoc autem experimentum Chore acceptauit, & ſocij ſui ducenti quinquaginta viri: vnde ſequenti die iſti ducenti quinquaginta viri venerunt ad ſanctuarium, vt offerrent thymiama: &

E

F

A

cum assumpsissent in thuribulis thymiama, ignis egressus à Domino combussit illos, vt patet supra 16. cap. Moyses autem putauit, quod iret cú eis Chore, sicut acceptauerat, ideo non intendebat ponere aliquod edictum contra illum, quod recederent omnes à tabernaculo eius, sicut à tabernaculis Dathan, & Abiron, quia putauit eum consumendum cum ducentis quinquaginta viris, sed quia non iuit illuc Chore, ne maneret impunitus cum ipse fecisset omne malum hoc, fecit Deus aperiri terram sub tabernaculo eius, & deuoratus est. Filij autem illius nihil peccabant manentes cum patre, cum non esset posita prohibitio de hoc: ideo quamquam pater suus absorptus fuerit, quia erat vir nequam, tamen filij non debuerunt deuorari: secus autem si ipsi potuissent habere aliquam cognitionem certissimam, quod pater eorum deuorandus esset à terra. Nam tunc si non recederent ab eo, essent in culpa, & deuorarentur. *Filij Simeon.* Hic ponitur computatio secundæ tribus Israel, scil. Simeon, & ponitur immediate post Ruben, quia erat sub vexillo Ruben, vt patet supra cap. 2. erat etiam in ordine natiuitatis sequens post Ruben, vt patet Gen. c. 30. hic tamen non curatur de ordine natiuitatis, sed de ordine castrorum, vt supra declaratum est.

Cognatio quid signet.

B

Per cognationes suas. Id est, per familias: est enim cognatio nomen generale signans congregationem plurium attinentium in identitate sanguinis, & signat omnem modum congregationis, scil. maximam congregationem, quæ vocatur tribus, vel mediocrem, quæ vocatur familia, aut minimam, quæ vocatur domus. De prima patet supra cap. 1. vbi accipiuntur duodecim principes cognationum, id est, duodecim principes tribuum: & iterum dicitur, quod Moyses & Aaron recensuerunt Israelitas per cognationes suas, & domos, atque familias suas, vbi necessario accipitur cognatio pro tribu. Sic etiam præced. cap. dicitur, quod Zambri erat princeps cognationis Simeon, id est, princeps tribus Simeon: quia Simeon non dicit familiam, sed tribum. Aliquando autem cognatio accipitur pro familia, sicut patet hic cum diui latur Simeon per cognationes. Non potest autem intelligi cognatio, id est, tribus, quia vna non diuiditur per alias tribus, cum sint solum duodecim tribus. Item non potest accipi cognatio pro domo, quia cum dicatur hic, quod diuiditur Simeon per cognationes, sequitur immediate quomodo per istam diuisionem sint familiæ quinque in tribu Simeon. aliquando accipitur cognatio pro domo, quæ est minima cognatio, & de hoc magis patet.

Namuhel ab hoc familia Namuhelitarum. Hic ponuntur quinque familiæ tribus Simeonis denominatæ à quinque filiis eius, scilicet à Namuhel familia Namuhelitarum, & à Iachin familia Iachinitarum: & à Iamin familia Iaminitarum: & à Zare familia Zareitarum: & à Saule familia Saulitarum.

C

Namuhel fuit nomen duorũ, & Saul

Familiæ Zareitarũ duæ.

Sciendum autem quod Namuhel, qui ponitur hic primus in filiis Simeon, non est ille Namuhel, de quo dicitur supra. scil. quod filij Eliab erant Namuhel, Dathan, & Abiron, quia Namuhel pertinet ad tribum Ruben, hic autem ad tribum Simeon. Itẽ Saul, de quo hic dicitur, nõ est Saul, qui regnauit primus in Israel, quia ille erat de tribu Beniamin; iste autem de tribu Simeonis. De Saule patet 1. Reg. cap. 9. Item multo tempore fuit iste Saul ante illum, quia iste introiuit in Ægyptum cum patre suo Simeone, Saul autem rex fuit valde magno tempore post exitum de Ægypto, & post ingressum in terram Chanaan. Item familia Zareitarum, de qua hic dicitur, non est familia Zareitarum, de qua habetur infra in tribu Iudæ, quia ista pertinet ad Simeonem, illa ad Iudam, & denominatur familia Zareitarum in tribu Iudæ à Zaram, qui fuit filius Iudæ, vt patet Genes. cap. 28. & Matth. cap. 1. licet aliquando vocetur Zares, vt patet infra: ista autem familia Zare, quæ hic ponitur. nominatur à Zare filio Simeon. *Hæ sunt familiæ de stirpe Simeon.* id est, istæ quinque familię hic nominatæ sunt de stirpe Simeon, scilicet appellatæ à filius eius. Sciendum autem, quod hic deficit vna familia, quia à quolibet filio Simeon deberet appellari vna familia, sed fuerunt sex filij Simeon, vt patet Genes. 46. cap. & Exodi capit. 6. Istæ familiæ non nominantur eo modo, quo appellantur filij Simeon: nam Gen. 46. cap. Iste, qui vocatur hic Namuhel, appellatur ibi Iamuel, & qui appellatur hic Zare, appellatur ibi Saber. Deficit tamen vna familia, scil. Ahoditarum denominata à filio Simeon nomine Ahod. Hoc autem fuit, quia forte Ahod non habuit filios aliquos, per quos deriuaretur progenies sua: ideo non fecit aliquam familiam. Sciendum autem, quod nomina istorum filiorũ Simeon fuerunt multiplicia, nec ponuntur vbique eadem: nam aliter appellantur Gen. 46. cap. & aliter Exo. cap. 6. & aliter hic: nam Gen. 46. cap. ponuntur tria nomina filiorum Simeon, quæ non ponuntur hic, scilicet Iamuel, Ahod, & Saber. Exod, autem cap. 6. etiam variantur ista nomina, quia ponuntur duo, quæ non ponuntur hic, nec Genes. 46. c. scil. Nod, & Soer. Hoc autem accidit, quia aliquando contingit eosdem viros multa habere nomina, sicut nunc apparet. Et etiam hoc accidit in nouo testamẽto: nam Petrus aliquando appellatur Petrus, aliquando Simon Ioannes, & aliquando Cephas, & aliquando Bariona. Adhuc autem filij Simeon habent alia nomina variata, vt patet 1. Paralip. cap. 4. vbi ponitur Iarib filius Simeon: & ibi ponitur Zara, sicut ponitur hic: nec ponuntur ibi filij sex Simeon, sicut Genes. 46. cap. & Exo. cap. 6. sed quinque filij, sicut hic. Cuius causa est, quia liber Paralipom. fuit scriptus multo tempore post librum istum, scilicet tempore captiuitatis Babylonicæ cum ibi agatur, quomodo ducti fuerint Israelitæ in Babylonem, & intendebat ibi scriptor enarrare progeniem Simeonis, sicut enarrat progeniem aliarum tribuum, & quia ab vno de filiis Simeon prouenerunt posteri, scilicet ab illo, qui vocatur Ahod: ideo non dictum est, quod haberet sex filios, sed quinque: quia sextus filius nihil proficiebat ad stirpem Simeon, quia ab eo nõ fuerunt deriuati aliqui posteri, per quos extenderetur familia Simeonis. *Quarum omnis numerus fuit 22. millia ducentorum.* In ista tribu deficiunt valde multi viri, sc. 27. millia & centum secundum primam computationem: nam in computatione facta in monte Sinai fuerunt 59. millia, & 300 viri. hic autem 22. millia. 200. Primum patet sup. c. 1. nec est aliqua tribus Israelitarum, in qua tot viri defecerint, ideo plures defecerunt in hac tribu, quam in duabus quibuscunque aliis tribubus: non enim fuit aliqua tribus tam paruæ multitudinis in ista computatione, sicut tribus Simeon, quamquam in prima computatione multæ fuerunt minores ipsa: immo nulla fuit maior ea, nec æqualis, nisi tribus Iudæ & tribus Dan, vt patet supra cap. 1. & quia ista computatio fiebat ad signandum sortes possessionis omnibus tribubus: cum tribus Simeon reperiretur minor omnibus, data est ei minima possessio. Nam non accepit sortem segregatam, sicut cæteræ tribus, sed quandam partem sortis Iudæ accepit: erat enim sors Iudæ magna, & quædam particula parua decisa de illa suffecit in sortem tribui Simeon, sic patet Iosue cap. 19. scilicet hæc est hæreditas filiorum Simeon iuxta cognationes suas in funiculo, & possessione filiorum Iuda, quia maior erat, & idcirco possederunt filij Simeon in medio hæreditatis eorum.

D

Filij Simeon diuersa nomina habuerũt.

E

Tribus Simeon hic fuit minor inter oẽs: & Iuda maior, & quare.

F

Quare tribus Simeon valde diminuta fuerit.

QVÆSTIO VIII.

QVæret aliquis quare de tribu Simeon defecerint valde plures viri, quam de aliis familiis. Aliquis respondere poterit, quod quædam progenies sunt, quæ quodam tempore multiplicantur, & aliæ sunt, quæ non multiplicantur, & illæ, quæ multiplicantur aliquando, non multiplicantur, quia non omni tempore homines æqualiter vacant generationi, & dato quod æqualiter, aut amplius vacent, non sequitur, quod magis multiplicentur in prole, & sic potuit esse de stirpe Simeon, quod licet à principio excederet fere omnes alias, tamen postea non multiplicata est, sed aliæ excesserunt eam.

Dicendum tamen, quod ista ratio licet aliqualis sit, tamen non penitus satisfacit: nam hoc esset si aliæ tribus, quæ prius excessæ fuerant in multitudine à tribu Simeon: postea excederent eam, & ipsa non diminueretur, vel parum diminueretur: tamen hic vtrumque est: nam omnes aliæ excedunt eam, & ipsa diminuta est à priori summa, quasi in 38. millibus virorum, quod verisimiliter non fuisset factum, nisi aliquid speciale accidisset in tribu ista.

Ideo dicẽdum est, quod ista tribus passa est diminutionem generalem, quam ex alia parte habuerunt aliæ tribus, & propter hoc habuit quandam specialem diminutionis causam:

fuerunt

A

fuerunt enim omnes tribus aliqualiter diminutæ, quia ſententia lata fuit contra illas. ſupra 14. cap. quod omnes numerati de illis perirent: ideo neceſſe eſt, quod de qualibet tribu ad minus tot deficerent, quot numerati erant in ſumma cuiuslibet tribus ſupra cap. 1. Aliquæ tamen tribus in tempore medio harum duarum computationum. ſcil. fere in 39. annis magis multiplicatæ ſunt, quam aliæ. vnde contingit quaſdam earum deficere à priori ſumma, alias autem excedere ſummam priorem, ſicut patebit infra comparãdo ſummas vtriuſque numerationis, quantum ad hoc. Tribus autem Simeon pati potuit quendam defectum, ſcilicet vt deficerent ad primam ſummam aliqui viri. habuit autem præter hoc ſpecialem cauſam diminutionis. Dicunt enim quidam, quod fere omnes viri, ſcil. 24. millia, qui perierunt in adoratione Beelphegor, & fornicatione cum filiabus Moab & Madian, fuerunt de ſtirpe Simeon, & ſatis apparet hoc rationabiliter dictum, quia princeps iſtius tribus fuit, qui occiſus eſt cum Madianitide, principe tamen peccante, plurimi de tribu eum ſequerentur. Quidam enim, quia viderent ſibi eſſe impunitatem in vitio, quod eis erat commune cum principe: alij autem, vt principi complacerent adulantes ei, quod bene ageret. Et ſic non fuerunt omnes pereuntes de tribu Simeon: eſſet tamen maxima ſumma eorum, ideo iſta tribus magis diminueretur quam omnes alij. *Filij Gad.* Hic ponitur numeratio tertiæ tribus, ſcilicet Gad, & fuit iſta poſt Simeonem non in ordine natiuitatis, vel dignitatis, ſed in ordine caſtrorum: nam caſtrametabatur ſub vexillo filiorum Ruben, vt patet ſupra c. 2. *Per cognationes ſuas.* Id eſt, per familias, quoniam non poteſt accipi pro aliquo alio, cum tribus non diuidatur immediate, niſi per familias ſuas. *Sephon, à quo familia Ssphonitarum.* Hic ponuntur familiæ ſeptem in tribu Gad, quæ denominantur à ſeptem filiis eius, ſicut patet in litera. Iſti tamen filij non nominantur hoc modo, ſicut alibi, quia Gen. 46. cap. ponuntur quædam alia nomina, quæ non ponuntur hic. ſcil. Eſebon, & Berib. Pro quibus ponuntur hic alij duo. ſcil. Her, & Ozni. ſic etiam in aliis locis ſcripturæ variãtur nomina eorum, ſicut patet in libro Paralip. & in libris Eſdræ, vbi ponuntur iſtæ tribus & familiæ ſuæ. *Iſtæ ſunt familiæ Gad.* De iſtis familiis nulla deficit, quia omnes filij Gad denominauerunt familias aliquas: fuerunt n. ſolum ſeptem filij Gad, vt patet Geneſ. c. 46. & tot familiæ ponuntur hic. *Quarum omnis numerus fuit 40. millia quingenti.* De filiis Gad deficiũt aliqui ad primam numerationem, quia in prima computatione fuerunt 45650. vt patet ſupra c. 1. Hic autem ſolum 45. millia quingenti deficiunt, ergo quinque millia 150. *Filij Iuda.* Hic ponitur quarta tribus. ſcil. filiorum Iuda: non ſecundum ordinem natiuitatis: nam prior fuit Iudas, quam Gad, de quo ſupra ponebatur, ſed ſecundum caſtrametationem: nam filij Iuda caſtrametabantur ad partem orientalem ſub vexillo ſuo, & quia incœpta fuerat iſta computatio in parte meridiana in tribu Ruben continue computando deuentum eſt vſque ad partem orientalem, in qua caſtrametabantur filij Iudæ. *Her & Onan.* Hic ponuntur iſti duo filij Iudæ, & non dicitur per cognationes ſuas, ſicut dicebatur in aliis tribubus: & cauſa eſt, quia per iſtos non deriuata fuit aliqua progenies Iudæ, ſed mortui ſunt ambo ſine liberis, vt patet hic, & Gen. 18. c.

B *Numeratio tertiæ tribus.*

C *Quarta tribꝰ numeratio.*

Quare nominati ſunt hic duo filij Iudæ, ex quibus non fuit aliqua progenies.

QVÆSTIO IX.

QVæret aliquis, quare nominati ſunt hic iſti duo filij Iudæ, ex quibus non fuit aliqua progenies, cum ſextus filius Simeon non fuerit nominatus ſupra, eo quod ex eo non fuit aliqua poſteritas, vt ibi declaratum eſt.

Reſpondendum eſt, quod iſti duo filij Iudæ nominati ſunt hic ad commemorandum peccatum eorum, licet expreſſe nõ commemoretur, ſed ſubintelligitur per eorum mortem. Erant enim iſti filij Iudæ nequiſſimi, quorum primus à Domino occiſus eſt. Secundus autem etiam fuit nequam, quia cum ſciret non ſibi naſci liberos, ſed fratri ſuo defuncto non cognoſcebat vxorem ſuam, ſed effundebat ſemen in terram, & hunc quoque occidit Dominus eo, quod rem deteſtabilem faceret. De his Gen. 38. cap. Ad commemorandum ergo horum facinus ſaltem implicite nominati ſunt, & dictum eſt, quod mortui fuiſſent. Filius autem ſextus Simeon non fecit aliquid notabile ſiue in bono, ſiue in facinore, ideo non fuit hic repetitus, cum non habuerit progeniem aliquam. *Qui ambo mortui ſunt in terra Chanaan.* Id eſt, iſti introierunt in Ægyptum, cum omnibus aliis, de quibus hic dicitur: omnes enim iſti, & patres eorum, ſcilicet capita tribuum ingreſſi ſunt in Ægyptum, vt patet Geneſ. 46. cap. Iſti autem duo mortui ſunt antequam illuc introirent, ſcilicet in terram Chanaan: fuit autem mors eorum peſſima: Deus enim occidit illos, quia erant nequam, vt dictum eſt, & patet Geneſ. 38. capit. *Fueruntque filij Iuda per cognationes ſuas.* Hic ponuntur alij filij Iudæ, per quos deriuata eſt progenies Iudæ, & dicitur: Per cognationes ſuas, id eſt, per familias, quia iſti, qui nominantur hic, conſtituerunt ſingulas familias, vt patet in litera. *Sela à quo familia Selaitarum.* Hic ponuntur quinque familiæ in tribu Iudæ, & tres ſunt denominatæ à filiis eius. ſcil. familia Selaitarum, Zareitarum, Phareſitarum. Duæ autem à nepotibus illius, ſcil. familia Eſromitarum, & Amulitarum. Fuerunt enim, & Amul filij Phares, & nepotes Iudæ. Ponitur autem hic prima familia Selaitarum, quia iſte fuit primus de filiis Iudæ, per quos familiæ deriuatæ ſunt.

D

Pro quo ſciendũ, quod Iudas habuit duplices filios, quoldam ex vxore ſua nomine Sue: alios ex nuru ſuo nomine Thamar. Ex vxore habuit tres filios, ſcilicet Her, Onan, & Sela. Primi duo mortui ſunt, quia erant nequiſſimi, vt patet hic & Gen. 38. Manſit Sela filius Iudæ minor ex vxore, & ab iſto denominata eſt familia Selaitarum. Habuit autem alios filios Iudas ex nuru ſua Thamar: primus enim filius Iudæ. Her qui accepit Thamar in vxorem, & quia erat nequam, occiſus eſt à Domino ſine liberis. Secundus, ſcil. Onan accepit eandem Thamar in vxorem, & quia etiam erat nequam occiſus eſt ſine liberis. Petiuit autem Thamar tertium filium. ſcil. Selam, Iudas autem timens, quod moreretur, ſicut duo priores, nolebat ei dare, ſed dixit, quod maneret in viduitate ſua, quouſq; creſceret Sela, & daretur ei in virum. Cum autem creuiſſet, & non daretur, Thamar mutato habitu, & accepto ornatu meretricio cognita eſt à Iuda neſciente Iuda, quod eſſet nurus ſua, & ad vnum concubitum concepit gemellos. ſc. Phares, & Zaram. Amplius autem Iudas non cognouit eam. De hoc Geneſ. 38 c. à duobus autem filiis eius, ſcilicet Phares, & Zaram denominatæ ſunt duæ familiæ, ſcilicet Phareſitarum, & Zareitarum. *Phares, à quo familia Phareſitarum.* Iſte Phares, & Zaram ſimul concepti ſunt, ſcilicet ex vnico coitu, & cum eſſet tempus partus, collidebantur infantuli in ventre. ſcilicet quis prior exiret, quorum vnus emiſit manum extra ventrem: & in digito illius obſtetrix ligauit filũ coccineũ dicens, iſte egredietur prior, & ob hoc vocauit eum Zaram, quod interpretatur oriens, vel fulgens. oriens quidem, quit obſtetrix dicit, iſte egredietur prior, fulgens autem, quia in digito illius filum coccineum fulgens ligatum eſt. Alius tamen impediuit exitum illius, & egreſſus eſt prior rumpendo pellem ſecundinam, & tunc dixit obſtetrix, quare diuiſa eſt propter te maceria? Et ob hoc vocatus eſt Phares, quod interpretatur diuidẽs, vel diuiſio. de linea autem iſtius Phares nati ſunt omnes reges Iudæ, & Meſſias, vt patet Matth. cap. 1. *Zare à quo familia Zareitarum.* Iſte vocatur hic Zare, ſed vt cõiter vocatur Zaram, vt patet Gen. 38. c. & Matth. c. 1. ſed in hoc nihil differt, quia etiam alibi vocatur aliquando Zares, vt patet Ioſue c. 7. & 22.

Iudas habuit duplices filios.

E

Porro filij Phares Heſrom. Hic ponuntur duæ familiæ denominatæ à nepotibus Iudæ, ſcil. familia Amulitarum, & Heſromitarum, ſed iſti nepotes fuerunt Iudæ.

Phares & Zaram natiuitas.

F

Quomodo familia duorum fratrum eſſent diuerſa, cum haberent eundem patrem.

QVÆSTIO X.

QVæret aliquis, quomodo familia Phareſitarum poteſt eſſe alia à familia Amulitarum, & Heſromitarum, quia Phares erat pater Amul, & Heſrom, vt patet hic: & familia patris non poteſt extendi, niſi per filios ſuos: ideo eadem erit familia patris & filiorum, vel ſaltem vnius de filiis: alioquin aliqua familia erit, quæ nullos habeat, per quos deriuetur, quod non ſtat.

A

Respondetur, quod quando pater vnum filium generabat, solum familia patris & filij necessario erat eadem: quia diuersæ familiæ exigunt diuersas origines, & diuersa media, per quæ extendantur. Quando autem pater vnicum filium habet, pater est origo, filius autem est id, per quod familia extenditur. Si autem pater plures filios habuit, poterit familia patris per vnum filium decurrere, & ille non habebat nomen familiæ à se, sed à nomine patris sui, quilibet vero aliorum à se familiam denominabit, vt si vnus vir quinque filios habeat, quatuor illorum filiorum familias speciales denominare poterunt. Vnus autem eorum non denominabit aliquam familiam, sed extendetur per eum familia à nomine patris, & postea per omnes eius posteros.

Si autem quilibet filius ex nomine suo familiam denominaret, impossibile esset aliquam familiam harum denominari à patre, vel necesse esset, vt aliqua harum familiarum duraret solum per vitam vnius hominis. Sed hoc falsum est: sic ergo est in Phares, & Hesrom, & Amul, quia Phares habuit alios filios præter Hesrom, & Amul, vel saltem vnum, & per illos familia Pharesitarum deriuata est: Hesrom autem & Amul potuerunt alias familias constituere, & non extendebatur per eos familia Pharesitarum. Intelligendum tamẽ, quod non exprimuntur hic omnes filij Phares, sed subtricentur illi, per quos deriuata fuit familia Pharesitarum computatis istis duobus, per quos non extenditur: sic autem in tribu Manasse, quia ibi nati sunt de Galaad filij multi, qui infra nominantur, & à quolibet eorum vna familia nomen accipit, & cum his computatur ipsa familia patris eorum Galaad, sed hoc est, quia Galaad habuit alios filios præter illos, qui computantur infra. *Istæ sunt familiæ Iudæ.* In istis familiis nulla deficit, nisi dicere velimus, quod Her & Onan filij Iudæ, qui mortui sunt, constituere debuissent duas familias, & non constituerunt.

B

Quarum omnis numerus fuit 70. millia quingenti. Ista est maxima tribus in multitudine: semper enim excessit omnes alias tribus numero: sic patet in prima computatione, de qua supra cap. 1. etiam hic excessit omnes alias, quamquam de ipsa defecissent aliquæ secundum primam computationem: postea autem in terra Chanaan etiam semper fuit maior qualibet alia tribu, & quasi habuit tantam multitudinem, sicut octo vel nouem tribus. Quod patet 1. Regum cap. vltimo, vbi iussit Dauid computari omnes viros bellatores regni sui, & inuenti sunt de tribu Iuda quingenta quinquaginta millia virorum pugnatorum. De omnibus autem reliquis tribubus Israel inuenta sunt nonaginta millia virorum pugnatorum.

Confutatio. Sed contra hoc arguetur, quia tribus Israel dixerunt ad tribum Iuda: decem partibus maior ego sum apud regem, magisque ad me pertinet Dauid quam ad te, vt patet 2. Regum capit. 19.

Solutio C Respondebitur, quod Israel erat maior 10. partibus tribu Iuda: non quantum ad numerum virorum, sed quantum ad numerum cognationum. Tribus namque Iuda erat vna, reliquæ autem tribus, quæ vocantur Israel, erant 11. ideo 10. partibus erant maiores, quam tribus Iuda, id est, erant plures.

Sciendum, quod de ista tribu defecerunt multi viri secundum primam computationem, scilicet quatuor millia, & centum, quia in illa fuerunt 74. millia sexcenti: in hac autem fuerunt 70. millia quingenti. De hoc supra cap. 1. *Filij Issachar.* Ista tribus computatur post tribum Iudæ, quia erat secundum ordinem castrametationis apud illam: nam tres erant tribus sub vexillo Iudæ, scilicet Iudas, Issachar, & Zabulon, vt patet supra cap. 2.

Per cognationes suas. Id est, isti filij Issachar, qui sequuntur fecerunt singuli cognationes singulas, id est, familias. *Thola, à quo familia Tholaitarum.* Hic ponuntur quatuor filij Issachar, à quo denominantur quatuor familiæ, vt patet in litera, sed nomina istorum sunt aliqualiter mutata, quia illi, qui vocatur hic Iasub, vocatur Iob Genes. 46. cap. & qui vocatur hic Semiran, vocatur 1. Paralip. cap. 7. Samaron, sed ista variatio pauca est. *Hæ sunt cognationes Issachar.* Id est, istæ quatuor supradictæ sunt familiæ Issachar. De hac tribu nulla familia deficit, quia solum fuerunt quatuor filij Issachar, vt patet Genes. 46. cap. & totidem familiæ sunt hic.

Quarum numerus fuit 64. millia 300. Ista tribus contra consuetudinem omnium superiorum excrescit in summa ista ad summam primam per 9. millia, & nongentos viros: quia in prima computatione fuerunt quinquaginta quatuor millia quadringenti, & in ista sunt 64. millia 300. aliquæ autem tribus sunt, quibus summa ista secunda supererat ad primam summam.

D

Causa huius est, quia ista tribus habebat multos iuuenes tempore computationis primæ, & paruulos, qui erant infra annum 20. & non computati sunt: ideo non fuit lata contra eos sententia, quæ habetur supra cap. 14. isti autem non mortui sunt, & genuerunt plurimos, qui tempore huius numerationis iam erant annorum 20. & computati sunt. Ratio huius est, quia omnes, qui computati fuerunt à 20. annis, & supra perierunt in deserto, & non peruenerunt vsque ad tempus computationis huius, vt patet infra in litera. *Filij Zabulon.* Ista tribus computatur post tribum Issachar, quia ambæ erant simul sub vexillo tribus Iudæ, & iste erat ordo in eis, qui habetur hic, vt patet supra capit. 2.

Tribus Zabulõ numeratio.

Per cognationes suas. Id est, per familias suas, scil. quod computata est tribus Zabulon per familias suas, sicut omnes aliæ tribus. Nõ enim erat aliqua tribus, quę simul tota numerare tur, quia sic erraretur in numerando, sed diuidebatur tota tribus per familias, & quælibet familia per domos, & sic accipiebatur particulatim summa, vt ex omnibus summis partialibus colligeretur summa totalis tribus. *Sared, à quo familia Sareditarum.* Hic ponuntur tres familiæ Zabulon, quæ nominatæ sunt à tribus filiis eius. Nomina autem istorum non fuerunt mutata, sicut in quibusdam superioribus tribubus, sed sicut appellantur hic, ita & Gen. 46. capit.

E

Hæ sunt cognationes Zabulon. Id est, istæ tres supra positæ sunt cognationes tribus Zabulon, & non sunt plures aliæ in hac tribu, in ista enim non deficit aliqua familia, quia filij Zabulon sunt solum tres, vt patet Gen. 46. cap. & tot familiæ denominatæ sunt.

Quarum numerus fuit 60. millia quingenti. Ista tribus excedit ad priorem computationem in tribus millibus, & centum viris, quia in priori erant quinquaginta septem millia virorum quadringenti: hic autem sunt 60. millia, & quingenti. *Filij Ioseph.* Hic ponuntur duę tribus, scilicet Manasse, & Ephraim, & ponitur quod sunt filij Ioseph, quia omnes tribus acceperunt denominationem à filiis Iacob immediatis: erat autem Ioseph filius Iacob: ideo ab eo aliqua tribus denominari debuit, sed fuit diuisus Ioseph in duas tribus, scilicet in Manasse, & Ephraim, quia Iacob adoptauit in filios istos duos, vt patet Genes. 48. cum dicitur: Duo filij tui Manasses, & Ephraim, sicut Ruben, & Simeon reputabuntur mihi, id est, isti duo, ita volo, quod vocentur filij mei, sicut Ruben, & Simeon: ideo isti duo computantur tanquam duo capita tribuum, sicut Ruben, & Simeon: quia tamen radix eorum erat Ioseph nominatur ipse, & diuiditur Ioseph per Ephraim, & Manasse, sicut diuiditur aliqua tribus per familias suas.

Tribus Manasse & Ephraim

F

Per cognationes suas Manasses, & Ephraim. Id est, filii Ioseph per cognationes sunt duo, scilicet, Ephraim & Manasses, quia faciunt duas cognationes, id est, duas tribus, & accipitur hic specialius cognatio, quam in superioribus: nam supra semper accipiebatur cognatio pro familia, hic autem pro tribu, cum non diuidatur Ioseph immediate in duas familias, sicut in duas tribus, quia Ephraim & Manasses duæ tribus sunt. *De Manasse ortus est Machir.* Hic ponuntur familiæ tribus Manasse: nam diuidebatur Ioseph per duas tribus. Ponitur autẽ hic prima eorum, sc. tribus Manasse, & ponuntur familiæ, quæ erant in ipsa. Est autem aliquid speciale in hac familia, quam in cæteris, quia in cæteris, vt communiter nominantur familię à filiis ipsorum capitum tribuum. Aliquando autẽ nominãtur familię à nepotibus, vt in tribu Iudæ, vbi nominatur duplex familię à nepotibus, sc. Amulitarum, & Hesronitarum, vt patet supra, hic autẽ nominantur familiæ à filiis, nepotibus, & pronepotibus. Nam Manasse genuit Machir, à quo nominata est familia Machiritarum, & ista deriuatur à filio. Machir autem genuit Galaad, à quo dicitur familia Galaaditarũ. Et iste est nepos Manasse. Galaad autem recitatur hic habere filios sex, & ab istis fuerunt denominatæ sex familiæ. Hi autem sunt pronepotes Manasse. Sciendum autem quod Galaad, de quo hic dicitur, fuit vir valde excellens. scil. pugnator, vt patet Iosue 17. & aliqui eum fecisse bella magna in terra Chanaan, sc.

in ter-

A in terra duorum regum Amorrhæorum, ſed falſum eſt, quia non iuit illuc, in Ægypto n. mortuus eſt: ſed fuerunt bella ſua in Ægypto. De hoc declaratum eſt Ioſue 17. c. Sciendũ etiam quod Iezer, à quo nominatur hic familia Iezeritarum, aliqñ appellatur aliter. ſ. Abiezer, vt patet Ioſue 17. c. ponuntur aũt hic familiæ octo tribus Manaſſe, quarũ vna nominatur à filio. ſ. familia Machiritarum, & alia à nepote. ſ. familia Galaaditarũ. ſex vero à pronepotibus, vt patet in lit. *Fuit aũt Hepher pater Salphaad.* familia vltima tribus Manaſſe eſt Hepheritarum denominata ab Hepher, qui fuit pater Salphaad. Fit autẽ hic mẽtio de Salphaad, quia agitur de numeratione Iſraelitarum ad accipiẽdum partes in terra promiſſionis per ſingula capita. Salphaad aũt accepturus erat poſſeſſionẽ, vel filij eius pro eo, & quia nõ habuit filios, filiæ acceperũt hæreditatem, & de ipſis dicitur hic. Sed etiam patet ſeq, c. Iſte Salphaad exiuit de Ægypto veniens in deſerto: tamen ibi mortuus eſt non introiens in terrã Chanaan, & propter hoc fuit contentio ſuper ſucceſſione, quia filiæ eius proclamauerunt, quod daretur eis aliqua hæreditas, ne deleretur nomen patris earum in familia ſua, & dixerunt: pater noſter mortuus eſt in deſerto, nec fuit in ſeditione, quæ concitata eſt contra Dñm ſub Chore, vt patet ſeq. cap. *Qui filios non habebat, ſed tantum filias.* Hoc ponitur ad declarandum, qũo ſucceſſerunt ei filiæ. ſi n. habuiſſet Salphaad filios, illi proculdubio ſuccederent ei, quia de eis non dubitatur, quin haberent ius ad ſuccedendũ, ſed de filiabus erat dubiũ. poſtea tñ ventilata quæſtione diffiniuit Deus, quod ſuccederent filiæ, qñ defunctos non haberet hæredes maſculos, vt patet ſeq. c. & iſtis puellis nõ fuit data hæreditas viuente Moyſe: & poſtea in terra Chanaan in dimidia ſorte Manaſſe petierunt hæreditatem, & ibi data eſt, vt patet Ioſue c. 17.

B *Quarum iſta ſunt nomina.* Iſtæ puellæ frequenter nominantur, ſcil. hic, & ſeq. cap. & infra 36. c. & Ioſue 17. dicunt autem quidam hoc fieri, quia erant puellæ valde prudentes: ideo ſcriptura commemorat eas in laudem. Et hoc ſatis videtur colligi ex earum petitione ſequenti cap. vbi Deus approbauit eam, dicens: Iuſtam rem poſtulant filiæ Salphaad. Idem patet ex petitione, quam fecerunt coram Ioſue, vt daret eis poſſeſſionem: vt patet Ioſue cap. 17.

Hæ ſunt familiæ Manaſſe. Id eſt, iſtæ octo ſuprapoſitæ denominatæ à filiis, nepotibus, & pronepotibus.

Quorum numerus fuit 52. millia ſeptingenti. Iſta tribus excreuit ad priorem ſummam in 20. millibus, & quingentis: nam in priori numeratione fuerant in hac tribu 32. millia virorum, & 200. vt patet ſupra cap. 1. Hic autem fuerunt 52. millia ſeptingenti: vnde nulla tribus tantum excreuit ad prioré ſummam, quam tribus Manaſſe, ſicut nulla tribus tantum defecit à priori, ſicut tribus Simeon. *Filij autem Ephraim.* Hic computatur ſecunda tribus Ioſeph. ſcil. Ephraitarum, & iſti computantur apud Manaſſitas, quia Manaſſes & Ephraim ſimul erãt in caſtrametando cum ſub eodem vexillo eſſent ad partem aquilonarem, vt patet ſupra c. 2. *Per cognationes ſuas.* Id eſt, per familias. erant autem familiæ Ephraitarum denominatæ à filiis eius, vt patet infra. *Suthala, à qua familia Suthalaitarum.* Hic ponuntur quatuor familię Ephraitarum, quarum tres denominatę ſunt à tribus filiis Ephraim, & vna à nepote eius. De hoc autem non poteſt dici, an defecerit aliqua familia, vel nõ: quia neſcitur quot erant filij eius, cum non ſcriptum ſit, ſicut de aliis filiis Iacob: nam non deſcendit Ephraim in Ægyptũ, cum Iacob, ſed in Aegypto natus eſt: pater quoque eius Ioſeph non deſcendit cum Iacob in Aegyptum, ſed ante illum iuit per multos annos. *Quarum numerus fuit 32. millia quingenti.* De iſta tribu deficiunt octo millia virorum, quia in prima computatione fuerunt 40. millia quingenti, vt patet ſupra cap. 1. in hac autem ſolum 32. millia quingenti. *Iſti ſunt filij Ioſeph per familias ſuas.* Hic ponitur recapitulatio duarum tribuum, quæ pertinebant ad Ioſeph. ſc. quia omnes, qui includuntur in familiis ſupra poſitis ſunt filij Ioſeph diſtincti per tribus ſuas, & familias. *Filij Beniamin.* Iſta tribus computatur poſt Manaſſe, & Ephraim, quia caſtrametabatur Beniamin apud Manaſſe & Ephraim. iſtæ n. tres erant ſub eodem vexillo, vt patet ſup. c. 2. & hoc quia pertinebant ad eandem matrem. ſ. ad Rachel: habuit n. duos filios Rachel. ſcil. Ioſeph, & Beniamin, ex quibus fuerunt tres tribus. ſc. Beniamin vna, & à Ioſeph prouenerunt duæ. ſ. Ephraim & Manaſſe, & ob hoc iſtæ tres erant ſub eodẽ vexillo. *In cognationibus ſuis.* Id eſt, filij Beniamin erãt diſtincti per cognationes. i. familias ſuas. Sunt autem cognationes Beniamin quinq; denominatę à quinq; filiis eius, vt patet in litera: nomina tamen iſtorum filiorũ non manent vbiq; eadem: nam ſolum duo iſtorum habẽtur Gen. 46. c. ſ. Bale, & Azbel, Ahiram, ac Supham & Vpham non nominantur ibi, ſed ponuntur alia nomina: eodẽ modo 1. Parali. c. 8. nõ nominantur ſic iſti filij Beniamin. nam duo primi conueniunt cum his. ſcil. Bale, & Asbel, qui ibi vocatur Asbal: alij autem nominantur aliter. ſcil. Ahara, Noaba, & Rapha: ſed in hoc non eſt difficultas: quoniam multoties idem homo habet plura nomina, ſicut idem locus vel eadem regio. *Filij Bale. Hered, & Noeman.* Hic ponuntur familiæ duę denominatæ à duob⁹ nepotibus Beniamin, ſ. Heriditarũ, & Noemitarũ. quinq; autem familiæ ſuprapoſitę nominantur à quinqẽ filiis Beniamin. *Hi ſunt filij Beniamin per cognationes ſuas.* Id eſt, omnes ſuperiores tam qui ſunt capita cognationum, id eſt, familiarum tam qui ſunt in ipſis familiis, ſunt filij Beniamin: vocantur autem filij Beniamin non immediati, ſed deſcendentes ab eo quomodocunque deſcendant, & quantumcunque diſtent. De iſtis familiis Beniamin deficiunt quinque: nec eſt aliqua tribus, cui tot deficiunt. ponũtur enim quinque familæ filiorum Beniamin, & duæ nepotum eius. fuerunt tamen filij 10. Beniamin, vt patet Gen. 46. c. & à quolibet debebat nominari vna familia, ſicut fit in aliis tribubus.

Aliquis autem dicet, quod in tribu Beniamin nulla familia deficiebat, ſed ſcriptura non curauit hic enarrare omnes, ſicut interdum multa ſubticentur.

Reſpondendum eſt non ſtare, quia ſcriptura interdũ ſubticet aliquid, quando illud nõ eſt de intentione principali eius, cum tamen aliquid intendit ſcriptura enarrare principaliter, illud complete narrat: nam aliàs eſſet modus inconueniens, & inordinatus procedendi, indicans magnum defectũ ſcriptoris. Hic tamen intẽdebat principaliter legislator enarrare multitudinem cuiuslibet tribus ad aſſignandum ei poſſeſſionem: ideo non eſt veriſimile quod aliquam familiã ſubticuiſſet. Item patet 1. Parali. c. 8. ponuntur iterum familiæ tribuum, & multitudinis earum, & tamen ſolũ ponuntur quinque familiæ, vel quinque filij Beniamin. Nec valet ſi aliquis dicat, quod ibi omiſſæ ſunt familiæ quinque, ſicut hic. Nam ille liber Parali. ſcriptus eſt ad ſupplẽdum omnes diminutiones aliorum librorum: tamen in eo non fuerunt poſitæ plures familiæ. Quod autem Paralip. ſit ad ſupplendum alios libros patet ex nomine ſuo. Nam Paralipo. in Græco interpretatur relictorũ: eſt n. genitiuus pluralis in Græco Paralip. deſignans ea, quæ relicta, vel omiſſa ſunt. q. d. quod in iſto libro ſupplentur omnia, quæ in aliis libris omiſſa ſunt, quę ad hiſtoriam præcedentium temporum pertinent: non ergo deficeret hic hoc. Ideo dicendum, quod quinque filij Beniamin deficiunt. Quare autem iſti nõ ponantur, dicunt Rab. Sal. & Ra. Moyſe Aderſan eſſe cauſam, quia quando filij Iſrael caſtrametati ſunt in monte Hor, vbi mortuus eſt Aaron, defecit aqua, & murmurauit popul⁹ ex labore itineris, vt patet ſup. 21. c. & tribus Beniamin voluit redire in Aegyptum, & retroceſſit viã octo manſionum vſque ad Moſera. Sunt n. octo manſiones inter Moſera, & montem Hor, vt patet infra 33. c. filij autem Leui perſecuti ſunt eos, vt reducerent ad caſtra, & commiſſum eſt inter eos magnum prælium, atque deletæ ſunt penitus quinque familiæ Beniamin, & multi viri de aliis familiis reſiduis perierunt, & deletæ ſunt tres familiæ Leuitarũ, quod patet, quia infra in computatione familiarum Leuitarum deficiunt tres familiæ comparãdo ad primam computationem, quæ facta eſt ſupra cap. 3. Sed iſtud dictum eſt valde fictitium: non enim poterant filij Beniamin redire per octo manſiones verſus Ægyptum, & poſtea reuerti in caſtra, quia tunc eſſent ad minus 16. manſiones, & in iſto tempore non haberent tam filij Beniamin quam Leuitæ cibos aliquos. Quod patet, quia in deſerto ſolum habebant in cibum ipſum manna: ſi tamen redirent filij Beniamin per aliquam manſionem extra caſtra, iam non haberent manna, quia manna ſolum cadebat in circuitu caſtrorum, vt patet Exo. 16. & ſupra 11. cap. non poſſunt tamen his diebus viuere ſine cibo. Nec obſtat, ſi dicas, quod habebãt cibum ab aliquibus gentibus, quia loca illa ſunt pure deſerta, ſ. ſolitudines Arabicæ, in quibus tũc nemo habitabat. Et propter hoc Deus dabat Iſraelitis manna, quia non poterant aliunde cibos habere, ergo non poterant filij Beniamin

habere

C *Tribus Beniamin.*

D

E *An in tribu Beniamin defecerit aliqua familia.*

Paralipomenõ cur ſic dicatur ſic dicatur

F *De bello filiorũ Beniamin & Leui.*

habere cibos si exirent de castris. Item motiuum istorum est, quod filij Beniamin fugerunt vsque ad Mosera, quia Deuter. cap.10.dicitur,quod mortuus est Aaron in Mosera, & tamen supra 20.capit.dicitur,quod mortuus est in monte Hor: ideo volebant, quod istæ duæ tribus, scil. Leui, & Beniamin post factum bellum mutuum fleuerint nimis in Mosera mortem Aaron tanquam ibi mortuus est & sepultus, sed ista nihil sunt. Hoc enim dicunt, quia non possunt aliter concordare scripturas. Sed aliter declaratum est, quod habetur Deuter. cap. 10. de morte Aaron: vnde istud dictum etiam ab aliis Iudæis non multum recipitur. Ideo dicendum aliter. scil.quod quinque filij de filiis Beniamin sine liberis mortui fuerint,& quod non habuerunt aliquem,qui extenderet eorum progeniem non fuerunt familiæ,quamquam fuerint capita familiarum. Aliter dici potest, quod istæ aliquando incœperint esse familiæ habendo aliquos posteros: tamen postea perierint peste,vel alias, vel ex defectu generationis. s.quia non potuerunt gigni posteri ex eis, sed primum melius est, scil.quod illi filij Beniamin sine liberis mortui fuerint. *Quorum numerus fuit 45.millia sexcenti.* in ista tribu superant 10. millia virorũ & centum. Nam in prima computatione fuerunt 35.millia quadringenti. Hic autem 45.millia quingenti. *Filij Dan.* Hic computatur tribus Dan post Beniamin, & causa est, quia tribus Dan castrametabatur in parte occidentali: erat in ipsa princeps vnius vexilli,& quia Beniamin erat ad partem septentrionalem numerando continuate veniebatur ab illa parte in tribum Dan, quæ erat in parte occidentali. *Per cognationes suas.* Id est, per familias. scil. quod filij Dan distincti per familias suas erant isti, qui comprehenduntur hic in summa. Dicitur autẽ hic per cognationes,vel familias, & tñ erat vnica familia,vt patet in litera. Nisi forte aliquis dicat, q̃ accipitur hic cognatio pro domo, & tunc verum est, quod in tribu Dan fuerunt multæ domus,etiamsi esset vnica familia,quia quælibet familia per domos diuiditur. Sed non stat,quia cognationes nominãtur hic in litera, cũ in qualibet tribu fuerint assignatæ aliquæ cognationes, quæ erãt familiæ, & hic etiã assignatur vna cognatio: ergo de ista intelligeretur,quod vocetur cognationes,& non de domibus,quia tũc nihil deberet hic exprimi de familia ista, quæ exprimitur, sed deberet subticeri, vel deberent exprimi domus, si illæ vocantur cognationes. Dicendum ergo, quod hic accipiuntur cognationes pro vnica cognatione,sicut dicimus de homine habente vnicum filium,quod habet filios. Et etiã istum modum sequitur scriptura: nam Gen.46.c. dicitur filij Dan,& postea ponitur vnicus. sc. Vsin. ita autẽ hic quamquam sit vnica cognatio, nominantur cognationes. *Suham, à quo familia Suhamitarum.* Iste filius Dan vocatur hic Suhan, tñ Gen.46.c.vocatur Vsin: ideo dicunt aliqui, quod Suhan non est nomen filij Dan immediati: sed est nomen nepotis: fuit aũt facta denominatio familiæ ab illo, & non à filio propter aliquã excellentiam illius, sed hoc nõ est multum necessarium: magis n. videtur dicendum, quod iste Suhan sit qui vocatur Vsin Gen.46.c.tamen habet multa nomina, sicut de multis aliis dictum est sup.qui non nominantur hic, sicut nominãtur in Gen.vel in Parali. *Hæ cognationes Dan per familias suas.* Id est, omnes isti, qui numerantur hic in summa, sunt cognationes Dan. i. sunt cognatio ipsius Dan. & hoc per familias suas. i. in familia sua vnica, quod significat litera cũ subdit: Omnes fuerunt Suhanitæ. i. quod quamquã nominentur multæ familię, tamen vnica est. *Quarum numerus erat 64040.* In ista tribu superant mille, & septingẽti viri, quod patet, quia in prima computatione fuerunt 62.millia septingenti. Hic autem 64.millia quadringenti. *Filij Aser.* Ista tribus computatur post tribum Dan, quia castrametabantur simul: nam sub vexillo Dan erãt tres tribus. sc.Dan, Aser,& Nephtali, vt patet sup.c.2. Et post Dan sequebatur Aser. *Per cognationes suas.* Id est, omnes filij Aser fuerunt numerati diuisim secundum cognationes, i. familias suas. In ista tribu ponuntur familiæ quinque denominatę à quinque filiis Aser, vt patet in litera: nomina tamẽ istorum filiorum sunt penitus hic eadem, sicut Gen.46.c. ideo nõ ponuntur ibi filij quinque Aser, sed quatuor. Fuerunt tamẽ denominatæ quinque familiæ, quia quatuor familię harum fuerunt denominatæ à filiis Aser, & vna à nepotibus eius. scil. familiæ Melchielitarum, quia Melchiel non fuit filius Aser, sed nepos eius. scil. filius Brie. *Nomen autem filiæ Aser fuit Sarra.* Hic ponitur aliquid speciale, quod non est in tota computatione familiarum istarum. s. quod nulla fœmina ponitur, hic autem nominatur vnica. Dicunt aũt, quod hoc propter dignitatem Sarræ vxoris Abrahę, quia ista vocatur Sarra, sicut illa, sed magis videtur esse alia causa, s. quod hic computantur familiæ omnium illorum, qui descẽderunt in Ægyptum, & quia Gen. 46. numerantur omnes, qui descenderunt in Ægyptum, & cum eis solum numeratur vnica fœmina, scil. Sarra: ergo fuit etiam hic numerata, vt correspondere tista numeratio illi: tamen non ponitur hic ad hoc, quod per eam deriuetur aliqua cognatio, quoniã per fœminas nõ potest deriuari aliqua progenies, cum transeãt in familiam virorum suorum, & filij geniti ab eis nominantur in stirpe virorum suorum. *Hæ cognationes filiorum Aser.* Id est, supra positæ sunt omnes familiæ, quæ erant in tribu Aser. Hic aũt non deficit aliqua familia, quia tot sunt familiæ quot filij, & insuper vna, quæ denominatur à nepotibus Aser. *Quarum numerus fuit 53.millia quadringenti.* In ista tribu superant ad priorem summam 11. millia virorum, & nongenti, quia in priori computatione fuerunt 40. millia & mille quingenti: in hac autẽ sunt 53. millia quadringenti. De priori computatione patet sup. c.1. *Filij Nephthalim.* Ista est vltima tribus in computatione, quia erat vltima in castrametatione, cum poneretur in extremitate trium tribuum, quæ erant in parte occidentali, & postea transibatur in partem meridianam, à qua incœperat computatio, ita vt fieret computatio per continua. *Per cognationes suas.* Id est, distincti fuerunt per familias quatuor, quæ habentur in litera. Hic enim ponuntur quatuor familiæ denominatæ à quatuor filiis Nephthalim, quorũ nomina non sunt mutata, vt patet hic, & Gen. 46.c. quamquã alibi possunt inueniri mutata, sicut patet 1.Parali. c. 7. sed illa mutatio parua est, quæ magis videtur esse ex errore scriptorum nostrorum, quã ex variatione literæ Hebraicæ, *Hæ sunt cognationes filiorũ Nephthali.* Id est, istæ quatuor supra positæ sunt cognationes, i. familiæ filiorum Nephthali. *Per familias suas.* Non refertur hoc ad cognationes, quia tũc diceretur, quod familiæ erant distinctæ per cognationes, vel è contrario per familias: sed falsum est, quia non potest diuidi aliqua cognatio per familias, nisi illa fit tribus, & tamen in tribu Nephthalim vnica tribus est, sed dicũtur esse multę cognationes, & postea diuidi per familias, ergo non est referendum ad cognationes, sed ad filios. scilicet istæ sunt cognationes filiorum Nepthalim per familias suas. i. distinctorum per familias, & tunc non erit idem cognatio & familia, & sicut filij Nepthalim sunt distincti per familias: ita & per cognationes. Alio modo potest esse sensus, quod referatur ad cognationes ita quod diuidantur cognationes per familias, sed nõ potuerunt tunc accipi proprie familiæ: nam accipientur pro domibus: sic enim accipitur supra cap.3. in familiis Leui: nam diuiditur Leui per tres familias, scil. Caathitarum, Gersonitarum, Meraritarum: & quælibet istarũ dicitur postea habere familias sub se, vt patet sup.c.3. & Iosue 21.c. ibi enim necesse est accipi familiã pro domo: sed præcedens sensus melior est. *Quorum numerus erat 45. millia quadringenti.* In ista tribu deficiunt octo millia virorum ad priorem computationem, quia in illa fuerunt 53. millia virorum, & quadringenti, hic autem solum 45. millia quadringenti. *Ista est summa filiorum Israel.* Hic ponitur summa totalis collecta ex omnibus summis partialibus tribuum, vt videatur quanta est multitudo populi. *Qui recensiti sunt.* Id est, computati. scil. in hac secunda computatione: nã de illis, qui fuerunt in prima computatione, de qua sup. cap. 1. nullus fuit hic, vt patet infra. *Sexcenta millia, & mille septingenti triginta.* Ista est summa totius Israel in secunda computatione, & deficiunt à computatione prima mille octingenti, & viginti viri: nam in priori computatione fuerunt 603. millia virorum, & quingenti quinquaginta. Hic autem erant sexcenta millia, & mille septingenti triginta. *Locutus est Dominus ad Moysen.* Posita Israelitarum computatione hic interponitur regula de terræ diuisione: nam ista computatio facta est ad hoc, quod sciretur multitudo cuiuslibet tribus, & secundum hoc assignaretur ei possessio proportionalis, & ista locutio solum fuit facta ad Moysen: præcedens autem fuit ad Moysen, & Eleazarum, quia ambo computare debebant multitudinem istam. Diuisio autem terræ non erat de propinquo facienda: ideo non iubebatur vtrique, sed solum Moysi, qui prædiceret hoc Israelitis, & hortaretur eos ad faciendum sic, cum diuiderent terram. *Istis diuidetur terra.* Id est, omnibus supra positis

Tribus Dan.

Sarra sola fœmina nominata in computatione familiarũ.

Summa omniũ filiorũ Israel.

A

sitis dabuntur portiones terræ acquirendæ: in hoc enim excluduntur Leuitæ à iure possessionis susciendæ, quia istud pronomen demonstratiuum demonstrat omnes supra numeratos, inter quos non fuerunt Leuitæ, sed infra computantur, ideo ad eos non pertinet possessio.

Item sciendum, quod nondum erat diuisa terra duorum regum Amorrhæorum per duas tribus, & dimidiam, scilicet Ruben, & Gad, & dimidium Manasse, sicut postea fuit diuisa Deuter. c. 3. & Iosue c. 13. alioquin non diceretur, quod omnibus supra numeratis daretur possessio terræ, quia iam data esset duabus tribubus, & dimidiæ: non ergo erat data eis possessio aliqua: quamquam acquisita esset terra duorum regum Amorrhæorum, vt patet ex præcedentibus supra cap. 21. fuit autem postea diuisa cum duæ tribus, & dimidia petierũt possessionem in terra Galaad, quia erat valde pascualis, & assignata fuit eis tota terra duorum regum Amorrhæorum, vt patet infra 32. cap. *Iuxta numerum vocabulorum.* Istud ponitur hic ad determinandum in quot partes deberet diuidi terra tota: nam licet Iudæi scirent eam esse diuidendam, tamen nescirẽt numerum portionum, nisi Deus assignaret, & dicitur iuxta numerum vocabulorum, id est, tot erunt partes possessionis, quot sunt vocabula: supra autem ponebantur 12. vocabula tribuum: ideo terra in 12. partes diuidenda erat, & sic fecit postea Iosue, cuilibet enim tribui dedit vnam possessionem per sortem, vt patet à c. 15. vsque ad 20. Iosue. familiæ tamen,

B

quæ nominatę hic acceperunt possessionem, sed non fuit terra immediate diuisa per illas, quin potius fuit diuisa terra per duodecim partes pro 12. tribubus, & deinde quælibet illarum partium diuidebatur in tot portiones, quot erant familiæ illius tribus, & sic prima diuisio totius terræ per tribus fiebat per sortes, ita possessio cuiuslibet tribus diuidebatur in familias eiusdem tribus per sortes, vt patet infra. *In possessiones suas.* Refertur hoc ad verbum suprapositum. scil. terra diuidetur istis supra numeratis in possessiones suas, id est, vt habeãt eam in possessiones. *Pluribus maiorem partem dabis, & pauciori-*

Regula de modo diuisionis possessionis.

bus minorem. Ista est regula de modo diuisionis. Et quia diuisio pertinet ad iustitiam distributiuam, ponitur regula de distributione, scil, quod pluribus detur maior pars, & paucioribus minor: hoc autem videbatur satis rationabile. Cum enim omnes accepturi essent possessionem, & essent omnes filij Iacob, non videbatur causa, quare quibusdam plus quam aliis de terra daretur manente æqualitate virorum vnius tribus ad viros alterius tribus.

Quare iussit Deus, quod maiori multitudini daretur maior portio, cum filij Iacob æqualiter deberent succedere.

QVÆSTIO XI.

C

SEd arguet aliquis, quod nõ debebat terra diuidi in maiores, vel minores partes propter maiores multitudines & minores tribuum: quia omnes Israelitæ, qui nunc susciebãt terram, habebant eam iure hæreditario à Iacob patre suo, qui eam habuit, ideo non debebant succedere, nisi in eo, in quo successuri erant patres eorum filij Iacob immediati: nam si Iacob mortuo solum mansissent 12. filij eius non existẽtibus aliquibus nepotibus, aut pronepotibus illi æqualiter succederent in terra diuidendo eam in 12. partes æquales, sed nunc succedebant posteri eorum: ergo oportebat, quod succederent secundum iura patruum suorum, sicut cum nepotes, vel pronepotes succedunt auo, solum succedunt in iuribus paternis, ideo si quinque nepotes sint ex vno filio, & vnus nepos ex alio filio, æqualiter succedit vnus cum omnibus quinque: quia non succedit quilibet istorum nepotum in iure suo, sed in iure paterno. Sicaũt erat hic, quia omnes isti succedebant propter patres suos filios Iacob. sc. omnes filij Iuda propter Iudam patrẽ suum, & omnes filij Beniamin propter solũ Beniamin, & sic de cęteris tribubus: si tamẽ superuiuerent 12. filij Iacob, qui erant capita tribuum nõ existentibus aliquibus posteris, succederent patri suo æqualiter diuidentes terram in 12. partes æquales: ergo cum filij Iudæ succedant solum in iure Iudæ, & filij Beniamin in iure Beniamin, debuerunt dari æquales partes filiis Iudę, & Beniamin, & sic de aliis tribubus, quamquam multitudines tribuum non essent æquales.

Respondẽdum est, quod si tota terra Chanaan fuisset possessio Iacob simpliciter, sicut aliquis possidet domum, vel agrum, aut pecuniam, filij sui debebant sibi succedere æqualiter, & postea mortuis filiis immediatis omnes nepotes, & cęteri posteri succederent solum in iure patruum suorum, scil. omnes de tribu Beniamin solum succederent in iure Beniamin, velut si Beniamin immediate succederet cum aliis fratribus suis patri suo Iacob. Et tunc verum est, quod concludebatur. sc. quod non debuissent maiorem partem habere filij Iudæ, quam filij Beniamin, vel filij Zabulon, sed omnes tribus succederent æqualiter, quamquam multitudines earũ essent inæquales, & vna aliam superaret in duplo, vel triplo. Ista terra tamen non erat Iacob, sed promisit ei, quod daret illã filiis suis, quam nondum dederat, ideo cũ dedit, potuit apponere conditiones quascunq; voluit, fuit autem vna limitatio, quod istam terram diuiderent per maiores, & minores partes, secundum maiores, & minores multitudines tribuum, & ad hoc videbatur esse duplex ratio. Prima quæ est ex æquitate, secunda ex iure. Prima n. patet, quia quædam tribus erãt plus quam triplæ in multitudine ad alias, sicut tribus Iudæ ad tribum Simeon. nam tribus Simeon solum habuit 22. millia virorum, & 200. tribus autem Iudæ habuit 70. millia virorũ, & quingentos. Non videbatur ergo rationabile, quod cuilibet viro de tribu Simeon daretur de possessione magis, quam tribus viris de tribu Iuda: nam sic quidam efficerentur multum diuites, & alij multum pauperes: & sine vlla causa, quod non

E

erat æquum. Esset que magna origo discordiæ, quia forte illi, qui essent in maiori multitudine sentientes se grauari nõ permitterent fieri hanc diuisionem. Secunda ratio erat ex iure, sc. quia cum succedunt liberi patri suo iure æquali, succedunt regulariter. Dico autẽ de successione ab intestato, nisi obseruentur ibi iura primogenituræ: nunc autem quamquã fuisset promissa terra ista Iacob, quia tamen non fuit data: omnes alij superiores non successerunt in ea: sed isti sunt, qui censentur primo successisse, cum eis primo tradita fuerit: si tamẽ omnes isti fuissent immediate filij Iacob, succederent æqualiter, & maior multitudo in pluribus succederet: ergo non debuerunt omnes tribus æqualiter succedere: sed illæ, quæ habebant maiorem multitudinem, succedere debebant in pluribus, quia non succedebant in iuribus patrum suorum, sed in iure suo. Et tunc non stat argumentum de nepotibus succedentibus auo mortuis patribus eorum, quia ibi tantum succedit vnus nepos ex vno patre inquantum quinque nepotes ex alio patre, quia isti non succedunt in iuribus suis, sed in iuribus patrum: hic autem non sic, quia isti Israelitæ non succedebant in iure patrum, cum ista terra, quæ diuidẽda erat, non pertinuerit olim ad patres suos tanquam ab illis possessa, sed nunc incœpit nouiter possideri: ergo habuerunt ius nouum in se ex Dei collatione, quasi nullum in patribus ius fuerit. Deus enim, qui istam terram dedit Iudæis, apposuit cõditiones, quas voluit, vel limitationes. Nam non tribuit eis illam

F

simpliciter, sed fecit esse colonos: vnde iussit, ne terram possessionis suæ simpliciter venderent, sed sub conditione redemptionis. Et datur causa, quia non erat terra ipsorum, sed Dei. De hoc Leui. c. 25. scil. terra quoque non vendetur in perpetuum, quia mea est, & vos coloni mei estis: vnde & cuncta regio possessionis sub redemptionis conditione vendetur. Fuit tamen obseruatum id, quod supra arguebatur, quantum ad posteros istorum, quibus diuisa est terra: nam licet postea quædam tribus in terra promissionis multiplicatæ fuerint ad valde magnum numerum, & aliæ fuerint diminutæ: tamen non fuit amplificata, aut diminuta possessio alicuius tribus. Patet hoc de tribu Iuda: ista enim à principio, quando acceptæ sunt possessiones in terra Chanaan, excedebat quamlibet aliam tribum, sed non valde, quia aliquæ tribus erant, quas modicum excessit tribus Iuda, vt patet hic: & secundum istum excessum accepit possessionem excedentem possessiones aliarum tribuum: postea tamen multiplicata est proportionaliter magis, quam quælibet de aliis tribubus, cũ in computatione, quam iussit fieri Dauid, habuit tribus Iudæ quingenta quinquaginta millia pugnatorum, & omnes alię tribus simul habuerunt nongenta millia pugnatorum, vt patet 2. Reg. c. vlt. & sic erat ibi tribus Iudæ in tanta multitudine, sicut octo tribus, vel quasi: tamen propter hoc non fuit ei quidquam additum in possessione.

Considerandum autẽ, quod cum iubetur hic dari pluribus

A *Quãdo dicitur de maiori parte dãda pluribꝰ non eſt intelligẽdum ſecundũ numerum ciuitatũ, ſed ſecundũ latitudinẽ regionis.*

maiorem partem,& paucioribus minorem: non intelligitur ſecundum numerum ciuitatum, quæ tradebãtur cuilibet tribui:ſed ſecundum magnitudinem regionis, quod patet, quia tribus Zabulon erat maioris multitudinis, quam tribus Aſer,quia in Zabulon fuerunt 60. millia virorum, & quingẽti. In tribu autem Aſer fuerunt 53.millia, & quadringenti, vt patet hic:tamen tribus Aſer habuit quaſi in triplo plures ciuitates quam Zabulon, quia Aſer habuit 32. ciuitates in ſorte ſua,Zabulon autem ſolum 12. vt patet Ioſue c.19.

Item valde maior erat tribus Zabulon tribu Beniamin, quia in Zabulon fuerunt 60. millia quingenti. In Beniamin autem 45.millia ſexcenti,vt patet hic: tamen Beniamin accepit ciuitates 26.vt patet Ioſue 18. c. Zabulon autem ſolum 12. vt patet Ioſue c.19.& ſic de omnibus tribubus. Fuit autem æqualitas, vel maioritas, aut minoritas in magnitudine regionis,quæ dabatur cuilibet tribui: nam ſi erant tribus inæquales,dabantur eis regiones inæquales:ſi autem eſſent æquales multitudine,dabantur eis regiones æquales multitudine.De numero autem ciuitatum nihil differebat: accidebat enim in vna terra eſſe plures vrbes, quam in alia, quia erant magis coniunctæ,vel quia erant minores,& indigebant minoribus territoriis.

B Cauſa huius eſt, quia Iſraelitæ curabant principaliter de terra ad colendum: ex hoc enim habebant fructus ad ſuſtentationem vitæ: facere autem vrbes, vel loca quæcunque ad habitandum erat facilius: nam ad habitationem parua loca ſufficiunt, etiam multis hominibus: ad colendum tamen vt habeant ſufficientes fructus pro ſuſtẽtatione non ſufficiunt, niſi magnæ regiones, ideo ad hoc attendendum erat in diuiſione terræ inter tribus.

Quomodo pluribus data fuit maior pars, & minor paucioribus, quia hoc videtur eſſe contra iuſtitiam diſtributiuam. Et de proportione Arithmetica, & geometrica, quomodo accipiantur in iuſtitia, & quomodo iſtæ coincidant.

QVÆSTIO XII.

Diſtributio ſecundũ quam iuſtitiã & proportionẽ fieri debeat.

QVæret aliquis, quomodo pluribus daretur maior pars, & paucioribus minor,quia iſtud videtur eſſe contra iuſtitiam diſtributiuam:eſt enim hic actus iuſtitiæ diſtributiuę. ſcil.diſtribuere aliquam terram inter multos:iſta autem iuſtitia fit ſecundum æqualitatem: iſta tamen æqualitas non eſt ſecundum rem,ſed ſecundum proportionem, & non ſecundum omnem proportionem, ſed ſolum ſecundum Geometriam,vt declarat Ariſt.5.Ethic. Iſtud autẽ eſt,quod ad faciendum diſtributionem æqualem non conſideretur magnitudo exceſſus,quia hoc pertinet ad proportionem Arithmeticam: ſed conſideretur habitudo dignitatis, quod pertinet ad Geometricam:verbi gratia,ſi tribus Iudæ eſſet dupla in exceſſu virorum ad aliam tribum,& daretur duplum de poſſeſſione tribui Iudæ,quã alteri tribui, pertineret hoc ad proportionem Arithmeticam,quæ conſiderat magnitudinem exceſſus.Si tamen tribus quæ alteri eſſet æqualis ſecundũ multitudinem, eſſet tripla ad illam ſecundum magnitudinem iurium, & dignitatis,& ob hoc acciperet triplum de poſſeſſione quam tribus alia, quæ erat ſibi æqualis ſecundum numerum, erit iſta æqualitas ſecundum proportionem Geometricam,& iſta debet ſemper obſeruari in diſtributione, alioquin erit iniuſta diſtributio. Sic declarat Ariſtot.5.Ethic.ſed hic erat diſtributio terræ in poſſeſſiones plurium tribuum, ergo debebat obſeruari dignitas, & non exceſſus ſecundum numerum.

C Reſpondendum eſt verũ eſſe, quod in diſtributione ſemper debet obſeruari dignitas, & ſecundum illam menſurabitur æqualitas: contingit tamen interdum,quod æqualitas Arithmetica ſit æqualitas Geometrica, & exceſſus Arithmeticus ſit exceſſus in proportione Geometrica, vtpote ſi aliquæ res ſint, quæ quantum ſe excedunt ſecundum numerum tantum ſe excedunt ſecundum dignitatem, & tunc quando fuerint æqualia ſecundum numerum erunt æqualia ſecundũ dignitatem, & in talibus non differt proportio Geometrica ab Arithmetica, vel medium ſecũdum proportionem Geometricam à medio ſecundum proportionem Arithmeticam. Si autem æqualitas numeri non ſit æqualitas dignitatis, oportebit differre medium ſecundum proportionem Geometricam à medio ſecundum proportionem Arithmeticam. Exemplum horum patet in diſtributione hæreditatis, cum nepotes ſuccedunt auo defunctis patribus: ſi ſint quatuor nepotes, tres ex vno patre, & vnus ex alio poteſt diſtribui inter eos hæreditas ſecundum proportionem Arithmeticam, vel ſecundum Geometricam:ſi primo modo,quia tres excedunt ad vnum, & ſunt in proportione tripla accipient triplum de hæreditate quam vnus.Sed tunc manifeſtum eſt eſſe iſtam diſtributionem iniuſtam, quia æquale ius habet vnus aliis tribus ſimul.

D Si autem fiat ſecundum proportionem Geometricã conſiderabitur æqualitas ſecundum dignitatem, vel exceſſus, & non ſecundum numerum. Dignitas autem,quę conſideratur in iſtis, prout diuiditur per eos hæreditas, non eſt aliqua excellentia ſecundum virtutem, aut honorem, vel potentiam temporalem,ſed ius quod habent in re illa,quę diuiditur propter quod inter eos diuiditur, & tunc ille, qui habuit magis de iure,vocabitur dignior quantum ad iſtam diſtributionem, ſed exiſtentibus tribus nepotibus ex vno patre, & vno nepote ex altero,iſte vnus æquale ius habet cum aliis tribus nepotibus in hæreditate auita,quia iſti non ſuccedunt iure ſuo,ſed ex iure paterno. Sed patres iſtorum ſi ſuperuiuerent, æqualiter ſuccederent. ergo nepotes iſti æqualiter ſuccedent, ſcil. vnus cum tribus, & hic eſt æqualitas Geometricę proportionis:tamen non eſt æqualitas Arithmeticę proportionis,cum ſit exceſſus ſecundum numerum. Aliud exemplum eſt, in quo eadem eſt æqualitas Arithmetica, & Geometrica, vt ſint octo nepotes ſuccedentes in bonis aui, & iſti ſunt geniti ex quatuor patribus, ita vt quilibet duos genuerit, tunc ſuccedunt ex æquali,quia tantum recipient quatuor nepotes, ſicut alij quatuor. & iſta eſt Arithmetica æqualitas, & ſex nepotes ſuccedent in triplo, quam duo reliqui, & etiam iſte eſt exceſſus Arithmeticus, & iſta diſtributio iuſta eſt, quia coincidit hic æqualitas numeri cum æqualitate dignitatis,ſcil.medium Arithmeticum cum Geometrico: nam tanta eſt dignitas, vel ius quatuor nepotum ad ſucceſſionem in bonis auitis in caſu iſto, ſicut aliorum quatuor nepotum, quia pares nepotes ſunt à paribus patribus,& ſic dignitas, vel ius ſex nepotum in ſuccedendo auo eſt tripla ad dignitatem, vel ius reliquorum duorum nepotum in caſu dato, & ſic quotieſcunque æqualitas numeri eſt æqualitas dignitatis, iuſta diſtributio eſt, ſiue fiat per medium Arithmeticum, ſiue Geometricum. In diuidenda autem terra Iſraelitis ſic erat, quod coincidebat æqualitas numeri cum æqualitate dignitatis, quia Deus qui dabat iſtam terram Iſraelitis, volebat omnium illorum eſſe ius æquale in illa, ideo qui eſſent æquales numero, erant æquales dignitate,id eſt,iure,& qui erant plures numero,erant potiores in iure.Ideo ſicut per Geometricam proportionem diſtribuẽdo æqualibus in iure,darentur æquales partes,& inæqualibus inæquales: eſſet iuſta diſtributio. ita cum pluribus ſecundum numerum daretur maior pars, & paucioribus minor, erat iuſta diſtributio, cum idem eſſet hic æqualitas numeri, & æqualitas dignitatis: ſecus autem ſi Iſraelitę non eſſent æquales in iure ad ſuſcipiendum poſſeſſionem,quia tunc aliter fieret iſta diuiſio.

E *Singulis ſicut nunc recenſiti ſunt tradetur poſſeſſio.* Poteſt hoc referri ad tribus,vel ad viros. Primo modo eſt ſenſus,quod ſingulis tribubus dabitur poſſeſſio eo modo, quo recenſiti ſunt hic,id eſt, ſicut vna eſt maior alia, ita dabitur ei maior poſſeſſio,& minori minor. Vel ſicut hic recenſiti ſunt,id eſt,omnibus tribubus,quæ hic recẽſitæ ſunt, dabitur poſſeſſio, & nulli alteri,niſi his. Alio modo poteſt referri ad viros ſingulos omnium tribuum, ſcilicet quod non ſolum ipſis tribubus darentur poſſeſſiones, ſed etiam cuilibet de hic numeratis aſſignaretur aliqua poſſeſſio: & iſtum ſenſum ſequitur litera noſtra, cum dicat, ſicut nunc recenſiti ſunt: ſi enim de tribubus intelligeretur, diceretur, ſicut nunc recenſitę ſunt, & in hoc innuitur,quod poſſeſſio erat danda omnibus, qui computati erant à 20.annis, & ſup.aliis aũt nequaquam: ideo licet multi de aliis eſſent de qualibet tribu, tamen non aſſignabatur poſſeſſio alicui eorum, ſed iſti habebãt poſſeſſionem, quam habebant patres ſui. *Ita duntaxat, vt ſors terram diuidat.* Id eſt, debetis dare pluribus maiorem partem, & paucioribus minorem. Sed hoc non facietis ad arbitrium veſtrum, quin potius

F

per ſor-

per ſortem: ponebatur autem ſors ad dirimendum lites: nam licet Iudæi acciperent poſſeſſiones à quas accipere oportebat diſtribuentibus iudicibus: ſi tamen ex ſolo arbitrio eorum diuiderentur poſſeſſiones, exiſtimarent per affectionem ſingularem alicui tribui datam eſſe meliorem poſſeſſionem quam alteri, & conquererentur de hoc, vt ergo Deus tolleret occaſionem conqueſtionis Iudæis, fecit poni ſortes. *Tribubus & familiis.* Id eſt, terra diuidetur ſorte omnibus tribubus, & familiis, ita quod nulla tribus, vel familia poterat aliquã portionem ſibi accipere de terra, niſi eam primo ſorte acquireret. Fiebant tamen ſortes inter tribus. ſcil. quod diuideretur tota terra in 12. tribus. deinde portio cuiuslibet tribus diuideretur per familias illius, & ſicut primum non fiebat ſine ſorte, ita nec ſecundum. De ſortibus autem poſitis pro diuiſione inter tribus apparet à 15. cap. Ioſue vſque ad 20. & potiſſimum de ſeptem tribubus, quibus vltimo datæ ſunt poſſeſſiones: ſortes enim pro illis fuerunt poſitæ coram Domino in Silo in atrio tabernaculi, vt patet Ioſue 18. & 19. c. De ſortibus autem aliarum tribuum non apparet ita clare, quantum ad modum earum: conſtat tamen, quod duæ tribus & dimidia. ſcil. Iudas, Ephraim, & medietas Manaſſe habuerunt terram per ſortes. De Iuda apparet Ioſue 15. c. De Ephraim Ioſ. 16. cap. De dimidia Manaſſe Ioſ. 17. c. Quis autem fuerit modus ponendi ſortes in iſtis duabus tribubus, & dimidia, declaratum fuit Ioſue c. 15. & ibi vide.

An duæ tribus cum dimidia acceperint poſſeſſionem per ſortem.

QVÆSTIO XIII.

QVæret aliquis, an duæ tribus & dimidia, quibus dedit poſſeſſionem, acceperint poſſeſſionem per ſortem. Cauſa huius dubitationis eſt, quia non reperitur de iſtis tribubus, quod acceperint poſſeſſionem per ſortem, ſicut reperitur de omnibus aliis. Reſpondendum eſt, quod iſtas duas tribus accipere poſſeſſionem per ſortem poteſt intelligi dupliciter: vno modo comparando eas ad alias nouem tribus, & dimidiam: alio modo comparando eas inter ſeipſas. Quantum ad primum dicendum eſt, quod non acceperunt poſſeſſionem tribus iſtæ per ſortem: tunc oportebat, vt omnes aliæ tribus poſuiſſent ſortem ſuper terra illa duorum regum Amorrhæorum, vt ſcirent cui peruenirent: tamen non fuit ſic: quia per collationẽ, & pactum fuit data iſta terra duabus tribubus, & dimidiæ: petierunt n. eã à Moyſe, quia erat terra paſcualis, & ipſi abundabant in pecoribus. Moyſes autem dedit cum hac conditione, quod tranſirent Iordanem ad pugnandum contra hoſtes fratrum ſuorum, & ſi nollent, quod tolleretur eis terra illa, vt patet inf. c. 32. Quod autem erat per ſortem, non erat per aliquam collationem, vel pactum: ſed ſors ipſa tribuebat, ergo non fuerunt terræ iſtarum duarum tribuum, & dimidiæ datæ eis per ſortem, ita quod aliæ tribus ponerent ſortem, & peruenirent iſtis duabus, & dimidię. Item non ſtat, quia ſi per ſortẽ iſta terra fuiſſet data duabus tribubus, & dimidiæ, habuiſſent tantũ proportionaliter quantum aliæ, ſicut factum eſt in omnibus aliis, quoniam terra tota diuiſa eſt in partes ſecundum proportionẽ ipſarum tribuum in multitudine, & tunc non oportebat, vt iſtæ tribus renunciarent iuri ſuo, ſi quod habebant in terra Chanaan, quæ erat ad occidendum Iordanis, & tamen renunciauerunt, vt patet inf. 32. c. cum dixerunt, nec quidquã quærimus trans Iordanem, quia iã habemus poſſeſſionem noſtrã in Orientali eius plaga: ergo non acceperunt terrã iſtam ponendo ſortem cũ omnib. aliis tribubus, ſed ex cõceſſione Moyſi ipſis petentibus, ſiue plus, ſiue minus acciperent ibi, quam accepturi erant in terra Chanaan, ſi ponerẽt ſortem cũ aliis tribubus. Alio modo põt intelligi, quod iſtæ duę tribus, & dimidia acceperint hæreditatem per ſortem. i. quod poſuiſſent ſortem inter ſeipſas, vt ſcirent, quæ de ipſis acciperet vnã partem, & quæ aliã, & circa hoc eſt dubiũ. Nam non reperitur, quod poſuerint ſortẽ ſicut reperitur de omnibus aliis tribubus. Sed ſatis põt teneri vtrumq; ſ. quod acceperint per ſortem, vel ſine ſorte. Nã ſi dicatur, quod acceperint per ſortem, ſtabitur legi huic, & quãdo arguitur, quod non reperitur, quod acceperint per ſortẽ. Reſpondendum eſt, quod quamquã non inueniatur: tamen ſatis eſt rationabile, quod factum fuerit, quia Scriptura non enarrat omnia, quæ facta ſunt. Si aũt dicatur, quod non poſuerint ſortem, etiã ſatis ſtat, quia Moyſes diuiſit eis primo tertã faciens tres partes proportionales. ſc. vnam, quæ proueniret Ruben, & aliam Gad, & aliam dimidiæ tribui Manaſſe: poſtea autem poni debebant ſortes, quia tamẽ confidebant illæ duæ tribus, & dimidia, quod Moyſes diuideret eis proportionaliter nõ obſeruato aliquo fauore non curauerunt de ſortibus, ſed ſteterunt diuiſioni Moyſi. Primũ tamen rationabilius eſt, ſ. quod ſortes poſitæ fuerunt, quamquã non reperiatur, quia ſemper magis interpretandum eſt, quod lex fuerit obſeruata, quã quod non fuerit: potiſſimum cũ Moyſes fuerit legislator quantum ad hanc legẽ: & non eſt præſumendũ, quod ipſe infringeret eam, ſed etiamſi nõ eſſet neceſſariũ poni ſortes, ipſe faceret poni illas, vt obſeruaretur forma pro poſteris. Nam ſi à principio nõ poſuiſſet ipſe ſortes diuidendo terram, forte Ioſue nollet ponere ſortes, vel non curaret, cum non vidiſſet Moyſen obſeruantem iſtã legem: & ſic iſta lex de ſortibus ponendis nunquã habuiſſet efficaciã: ideo rationabilius eſt dici, quod fuerint poſitæ, quamquã non fuerint. Conſiderandum vlterius, quod nõ ſolum Iſraelitæ, quibus diuidẽda erat terra, poſuerunt ſortes: ſed etiã Leuitæ diuiſerunt per ſortes vrbes, quæ eis datæ fuerunt. Iuſſerat n. Deus dari Leuitis vrbes 48. vt patet inf. 35. cum aũt datæ fuerũt, Leuitæ diuiſi ſunt in quatuor familias. ſc. ſacerdotalem Caathiticam, Meraritică, Gerſoniticam, & pro iſtis factæ ſunt quatuor portiones ciuitatũ, & poſitæ fuerunt ſortes, ceciderunt q; ſacerdotibus ciuitates 13. & Caathitis 10. Gerſonitis autem 13. Meraritis vero 12. quæ ſimul ſunt 48. de quo Ioſue c. 21. Sciendum vlterius, quod nõ ſolũ dabantur poſſeſſiones tribubus, & familiis, ſed ẽt domib⁹, & viris ſingulis: nullus n. manebat in Iſrael, qui eſſet ſupra 20. annos, quin acceperit poſſeſſionẽ: ideo oportebat, vt primo diuideretur tota terra per 12. tribus, deinde poſſeſſio cuiuslibet tribus diuideretur per familias ipſius: poſtea vero poſſeſſio cuiuslibet familiæ diuideretur per domos, quæ erãt in familia: deinde poſſeſſio cuiuslibet domus diuideretur per viros. ſcil. quod non maneret aliquis vir à 20. annis, & ſupra, quin acciperet poſſeſſionem. De tribubus tamen, & familiis dicitur, quod acciperent poſſeſſionem per ſortem. De domibus aũt & ſingulis viris dicitur, quod acciperent poſſeſſionem, ſed nõ dicitur, an per ſortem, vel ſine ſorte: ideo in his vtrumq; teneri poteſt. Nã ſi dicatur, quod acceperunt poſſeſſionẽ per ſortem; dicetur, quod erat eadem ratio, quæ in tribubus, & familiis; ideo quamquã non eſt expreſſum de illis, tamen intelligendũ fuit, quod per ſortẽ acquireretur poſſeſſio cuilibet domui & viro: nam ratio eadẽ eſt in domibus & familiis: ideo extendẽda eſt lex ad caſum illum, quem expreſſe non poſuit, cum de ſimilibus ſit idem ius. Si autem dicere velimus, quod domus, & viri nõ acceperunt poſſeſſionem per ſortem ipſorum ſatis ſtare poterit: nam dicemus, quod lex nõ expreſſit, ideo videtur noluiſſe ſic fieri: potiſſimum quia non erat tanta ratio ponẽdi ſortes in domibus, & viris, ſicut in familiis, & tribubus, quia poſſeſſiones tribuum, & familiarum erant valde magnæ: ideo non debebant ſoli humano arbitrio relinqui, ſed per ſortem diuidi, in qua Deus videbatur iudicare, & diſtinguere poſſeſſiones. In domibus aũt, & viris non erant poſſeſſiones, ita magnæ: ideo etiamſi per ſortem non diuiderentur, ſed iudicio humano, non eſſet ſimilis ratio concluſionis, ſed quodcunque horum poſuerimus, nihil refert. *Quidquid ſorte contigerit, hoc plures, vel pauciores accipiant.* i. debet poni ſors ſuper oẽs poſſeſſiones, ſiue magnas, ſiue paruas, vt per ſortem diſtinguantur, & quæcunq; familia, vel tribus habebit, quod ei ſors dederit, ſiue illud multũ ſit, ſiue paucum, & non habebunt Iſraelitæ rationẽ querelæ contra diuitiores.

Quomodo accidit, quod maior pars daretur pluribus, & minor pauciorib⁹, cum à caſu, & ſorte diuiderentur poſſeſſiones.

QVÆSTIO XIV.

QVæret aliquis circa hoc, quomodo poteſt ſtare, quod diuidentes terram pluribus maiorem partem darent, & paucioribus minorem, vt patet ſup. & tamen ſorte cuncta diuiderentur, quia quæ ſorte veniunt, à caſu veniunt, & contingit

A tingit paucioribus maiorem partem euenire: nec aliqua regula, vel mandatum de hoc dari poteſt: quia in noſtra poteſtate non eſt. Reſpondent quidam, quod tota terra diuidenda erat. primo in tot partes æquales, quot erant tribus: deinde mittebatur ſors inter tribus, quæ pars cui eueniret, & æqualitas iſta diuiſionis intelligenda eſt, ſecundum valorem, non autem ſecundum terræ ſpatiũ, quia alicubi duo iugera præualẽt, quam alibi ſex: poſt hoc autem pars iſta, quæ proueniebat tribui alicui, diuidebatur inter familias illius tribus, ita quod familiæ, quæ plura capita haberet, magis de poſſeſſione daretur, & hoc erat ſine ſorte, & ſic vtrumq; textum dicunt conueniẽter ſtare. Sed non poteſt ſtare iſta reſponſio. Primo, quia dicit, quod tribubus dabantur poſſeſſiones æquales: eſt enim contra literam, quæ dicit, quod pluribus maior pars daretur, & paucioribus minor, & hoc intelligitur de tribubus principalius, quam de aliis familiis, quia dicebatur ſupra, iſtis diuidetur terra iuxta numerum vocabulorũ ſuorum, id eſt, iſtis tribubus 12. ſupra diſtinctis per 12. vocabula ſua diuidetur terra, ſed immediate ſubditur, quod pluribus maior pars daretur, & paucioribus minor: ideo neceſſe eſt, vt in tribubus quoq; fieret inæqualitas poſſeſſionum.

Item ſicut familiæ, quę plura capita habebant, recipiebant maiora loca in poſſeſſione, vt iſti dicunt: ita & tribus inæquales reciperẽt inæqualia loca. Eadem n. ratio eſt, quia ſicut grauarentur familię magnę, ſi non darentur eis maiora loca, quam familiis paruis, ita grauarentur tribus, quę valde excedebant alias in multitudine, ſi æquales poſſeſſiones darentur illis, quinimmo magis grauarentur tribus, ſi fieret diuiſio per æqualia, quam grauarentur familię, quia proportionaliter fortaſſis excedebat magis tribus tribum, quam familia familiam eiuſdem tribus. Item ſi darentur omnibus tribubus poſſeſſiones æquales ſecundum valorẽ, non oportebat poni ſortem, quia ſors eſt, ad tollendum iurgia: eſſet tamen iurgium, ſi vna familia, vel tribus acceptura eſſet aliquid maius, quam alia, & quia contẽderet quælibet habere illud maius, ſorte dirimendum erat, cui proueniret. Cum autem omnia penitus æqualia ſunt ſecũdum valorem nulla cauſa eſt, quare ſors ponatur, quia id, quod ſorte alicui prouenturum eſt, proueniet ſine ſorte: ideo ſuperuacuum eſt ſortes in talibus poni. Item non ſtat, cum dicitur, quod familiæ in eadem tribu acciperẽt loca poſſeſſionum inæqualia ſecundum multitudinẽ, & paucitatem in familiis, & non poneretur ſors, quia in litera dicitur: ita dũtaxat, vt ſors terrã diuidat tribubus, & familiis: ideo nihil magis ponenda erat ſors pro tribubus, quã pro familiis. Item apparet hoc, quia ſors ponitur ad dirimenda dubia: ergo magis eſſe debebat in familiis, quam in tribubus, & ſecũdum poſitionem iſtorum familiæ recipiebant partes inæquales: tribus autem non: ideo maius dubium erat in familiis, quã in tribubus, quia quælibet familia contẽderet habere maiorem poſſeſſionem: ſorte ergo dirimendum erat inter eas, & potius quam inter tribus. Item litera ſignificat hoc cum dicit, quod quidquid ſorte contigerit hoc plures, vel pauciores habebũt: in quo ſignificatur inæqualitas tã in ipſis, quibus aliquid diuiditur, quã in partibus diuiſis, cum dicat quidquid: ergo magis in familiis hoc fieri debebat, quã in tribubus. Et ſic nõ ſtat iſta poſitio. Ideo dicendum, quod ſiue in diſtributione poſſeſſionum pro tribubus, ſiue pro familiis eiuſdem tribus, erant iſta duo. ſcil. quod plus daretur pluribus, & minor pars paucioribus, & quod ſorte iſta proueniret. In quo ſciendum, quod Ioſue, & Eleazarus ſacerdos, & 12. viri dati de omnib⁹ tribubus, qui poſtea diuiſerunt terram promiſſionis, vt patet inf. 34. c. primo conſideraẽrunt quantũ excederet vna tribus aliã, & fecerunt 12. partes in tota terra promiſſionis, q̃ ſe haberent in eadem proportione, in qua ſe habebat tribus ad tribum. ſc. ſi vna tribus eſſet dupla ad aliam, faciebant vnã portionem terræ duplam ad aliã, & ſic ſecundum varietatẽ proportionis 12. tribuum inter ſe fiebat proportio ipſarum partiũ aſſignandarum tribubus, & tunc diuiſores, qñ iſta faciebant intentione ſua: iſta pars ſit pro illa tribu, & iſta pro alia. Et patet hoc, quia niſi ſic aſſignarent, non facerent inter ſe partes proportionales, ſicut faciebant. Deinde ſcribebãt in 12. cedulis partes iſtas. ſc. quamlibet cum terminis ſuis, & locis, & retinuerunt iſtas cedulas pallio obuolutas ipſi diuiſores terræ, & tunc veniebant principes omnium tribuum, & quilibet nomine totius tribus ſuæ extrahebat vnam chartulam de inuolucro chartularum, & pars illa, quæ ibi ſcripta erat, cedebat in poſſeſſionem ſuam, & ſic de omnibus tribubus factum eſt. Et quando aliquis iſtorum principum mittebat in inuolucrum, Deus dirigebat manum illius, vt acciperet iſtam ſortem, quam Eleazarus, & Ioſue, & 12. diuiſores terræ intra cor ſuum pro illa tribu diſtinxerant, ſecundum quod dicitur Prouer. 16. ſortes in ſinum mittuntur, ſed à Domino temperantur, i. ſortes ponuntur in loco abſcondito, ita vt homines neſciant quid per illas iudicandum ſit, ſed ſint iam extra humanum arbitrium: tamen à Domino temperantur. i. Deus mutat illas, ſicut vult faciens, quod iſta ſors proueniat iſti, & illa illi. Iſto modo fiebat in familiis, quod Ioſue, & Eleazarus, & alij diuiſores terræ accipiebant poſſeſſionẽ cuiuslibet tribus diuidentes eam in tot partes, quot erant familiæ illius tribus.

Fiebat autem diuiſio proportionaliter, ſ. quod ſicut ſe habebat familia ad familiã in multitudine virorũ, ita ſe habebat pars poſſeſſionis ad partẽ in magnitudine, & exprimebantur tũc poſſeſſiones iſtæ in tot cedulis, quot erãt familiæ, & principes familiarum venientes educebant ſortes de inuolucro quilibet illam, quæ ſibi primo aſſignata fuerat à diuiſoribus Deo dirigente manum illius, ſicut dictum eſt de principibus tribuum. Deinde autem fiebat diuiſio cuiuslibet poſſeſſionis familiæ per domos, quę ſunt cognationes ſpeciales in familia, & ibi ſimiliter ponebantur ſortes diuiſis primo partibus ſecundum numerum domorum, & proportionem, vt de familiis dictum eſt. Ad vltimum vero diuidebatur poſſeſſio cuiuslibet domus per capita virorum, & ibi fieri debebant æquales partes, quia omnes viri habebant iura æqualia in poſſeſſione: ibi aũt non oportebat poni ſortes ſub illa diligentia, ſub qua in tribub⁹, & familiis, ſed ponebantur ſortes diuiſione vulgares: quidquid n. ibi proueniret, nihil referebat, cum omnia eſſent æqualia: nec oportet, vt dicamus, quod Deus ſpecialiter dirigeret manum cuiuslibet miſſam ad ſortes, vt acciperet eam, quę ſibi conueniebat, cum per omnes æquale proueniret. Iſto modo ſtat litera vtraque. ſc. prima, quæ dicebat, quod diuiſores terrę pluribus maiorem partem darẽt, & paucioribus minorem. nam cum ipſi aſſignarent poſſeſſiones omnibus tribubus proportionales inter ſe, ſicut ſe habebant familiæ, & tribus, dabant pluribus maiorem, & paucioribus minorem partẽ, & quia illud quod ipſi aſſignabant intra ſe alicui tribui, vel familię poſtea euenturum erat, & certiſſime eueniebat, iſti dare dicebantur, inquantum deſignabant tantum cuilibet tribui quantũ eſſet habitura. Erat aũt operatio iſtorum neceſſaria. ſc. vt bene attenderent quantum aſſignabant pro qualibet tribu, & familia. nam ſi iſti non diſtribuerẽt proportionaliter: quamquã ſors à Deo moueretur, non poſſet recte diuidi, quod patet ſi iſti diuiſores feciſſent aliquam partem terræ, quę ſe haberet ad quamlibet aliã in maiori proportione, quã ſe haberet aliqua tribus ad aliam, vtpote ſi facerent aliquã partem maximam, quę eſſet quadrupla ad minimam, quæ aſſignaretur: & tñ non eſſet aliqua tribus, quæ ſe haberet ad aliam, vt quadrupla non poſſet ſors, etiãſi à Deo moueretur, recte diuidere: nam poſita cedula huius partis in inuolucro, aut Deus dirigeret ad illam manum principis maximæ tribus aut alterius. Si primo modo erat error, quia aſſequebatur illa tribus poſſeſſionẽ maiorem in proportione ad alias poſſeſſiones, quã ſe haberet iſta tribus ad alias tribus. Si autem ſecundo modo eſſet maior error, quia quanto minor tribus acciperet maiorẽ poſſeſſionem, tãto recedebatur magis à proportione, & ſic impoſſibile erat iſto dato ſortẽ bene dirigere, quamquam Deus moueret manus miſſas in inuolucrum: ideo iſti principes diuiſores terræ attẽdere debebãt nimis, vt proportionaliter diuiderent. Accidit aũt error iſte in prima ſorte, quã poſuerunt diuiſores poſt tranſitũ Iordanis. ſ. in ſorte Iudæ: nã aſſignauerunt maiorem poſſeſſionẽ illi, quã proportionaliter ei euẽtura eſſet: ideo Deus dirigens manũ principum tribuũ, direxit ad illã ſortem manũ principis trib⁹ Iudæ: tñ non recte ſors illa diuiſit: quia poſſeſſio, q̃ ei per ſortem illã prouenit, erat maior ad alias poſſeſſiones, quã eſſet trib⁹ Iudæ ad alias tribus. Grauius tñ erratũ fuiſſet, ſi Deus direxiſſet manũ alterius principis trib⁹ alicuius ad illã ſortẽ, qa magis recederetur à proportione: fuit tñ poſtea iſte error emẽdatus, quia cũ tũc ſolũ ſuſcepiſſet ſortẽ tribus Iudæ, vt colligitur Ioſ. 14. & 15. c. & ibi declaratũ eſt, fuerũt miſſi poſtea 36. viri. ſ. de qualibet tribu tres, qui totã terrã diuiderẽt in partes

propor-

proportionales, vt patet Ioſue 18.cap. & iſti inuenientes tribum Iudæ accepiſſe aliquid ſupra proportionem abſtulerunt ei tantum quantum ſuperhabebat: & ex illo fuit aſſignata ſors tribui Simeon, vt patet Ioſue c.19. & ſic dicitur, quod accepit Simeon poſſeſſionem in funiculo, & ſorte tribus Iudę, quia maior erat, id eſt, quia poſſeſſio tribus Iudæ maior erat, quam eſſe debebat.

Quare ponebant ſortes ad diuiſionem poſſeſſionum, cum prius diuiſæ eſſent per diuiſores.

QVÆSTIO XV.

QVæret aliquis quare ponebantur ſortes ad diuiſionem poſſeſſionum, quia nihil aliud euenturum erat per ſortes, quam id quod ipſi diuiſores intra ſe aſſignauerant: ſed ſors immutabiliter illud determinabat, quod ipſi determinauerant: ſi n. ſors aliter poſſet euenire quam ipſi aſſignabant poſſeſſiones eſſet magnum inconueniens, quia poſſet maxima portio prouenire minimæ tribui, & tunc fruſtatoria erat diuiſio, quam Deus fieri iuſſerat. ſcil. quod pluribus daretur maior pars, & paucioribus minor, ideo erat nociua: nam melius eſſet, quod diuideretur terra per æqualia, quia tunc licet ſors varie eueniret; tamen non poterant tantum lædi tribus, cum omnes haberent æquale. Si tñ maximæ tribui variata ſorte proueniret minima poſſeſſio: & minimæ tribui maxima portio, læderentur nimis magnæ tribus. Deus tñ iuſſit fieri iſtam diuiſionem proportionalem poſſeſſionum ſecundum multitudinẽ, & paucitatem: ergo neceſſe eſt dici, quod ſors iſta proueniret, ſicut diuiſores apud ſe diſtinxerant, & tũc ſtat ratio quærendi. ſcil. quare ponebatur ſors ad diuidendum poſſeſſiones, cum nihil alterum prouenturum eſſet poſt ſortem, quam ipſi diuiſores aſſignauerant. Reſpondendum eſt, quod ſors ponitur ad dirimenda iurgia, & iſta eſt propter humanam imperfectionem. Erat autem imperfectio maxime in Iudæis pro tempore illo, cum nondum aſſuefacti fuiſſent alicui rationabili legi, aut honeſtæ cõmunicationi: ideo debuit eis permitti ſors ſecundum condecentiam conditionis eorũ. Erat autem imperfectio Iudæorum in duobus, ſc. in fide erga Deum, & in communicatione erga proximum; ideo in vtroque Deus permiſit eis ſortem. Quãtum ad primum ſciendũ, quod Iſraelitæ faciebant feſtum expiationis ſemel in anno, in quo dicebantur expiari peccata totius populi, quia ibi pro tota multitudine orabatur, & fiebat ſacrificium, vt patet Leuit. c.17. in hac autem die accipiebantur duo hirci, quorum vnus pro peccato totius populi immolandus erat, & ſuper alium ſacerdos magnus confitebatur peccata totius populi mittens illum in ſolitudinem, vt portaret ſecũ iniquitates totius populi Iſrael. Et quia iſtud videbatur eſſe magnum negotium, & Iſraelitæ erant paruę fidei, dubitarent quis hircus eorum ſufficeret ad portandũ iniquitates in ſolitudinem; vnde ſi Deus non determinaret, quis eorum portaret iniquitates, & quis immolaretur pro peccato, dubitarent an aliquid proficeret immolatio vnius, & alterius miſſio in ſolitudinem, ideo vt ſatisfactum eſſet Iudæis quantum ad incredulitatem ſuam, iuſſit Deus, vt ſorte dirimeretur quis immolandus eſſet, & quis mittendus in ſolitudinem, vt patet Leui.c.16. & per hoc credebant Iudæi Deum determinaſſe hæc per ſortes illas. Secundum autem, in quo Iudæi erãt defectuoſi, erat humana communicatio. ſc. quod non communicabant rationabiliter, cum quilibet eorum maxime vellet ſibi vtilitatẽ, & ſuper hoc inter eos diſcordiæ naſcebantur. Cum ergo fieri deberet aliqua diuiſio rei magnæ, quamquam cuilibet tantũ daretur, quantum dandum erat, adhuc crederent irrationabiliter fuiſſe diuiſum, & conquererentur, niſi cognoſcerent ſic Deum diuiſiſſe qui ex errore, vel affectione deficere non poteſt. hoc aũt intelligebant per ſortem fieri, quia ſortes à Deo mouentur, ideo poſitis ſortibus tolleretur diſcordia, aliter autem nequaquam, & ob hoc iuſſit Deus poni ſortes, vt ſatisfaceret condonationi Iudæorum: ſi tamen eſſent Iudæi rationabiliter cõmunicantes, non oportuiſſet poni ſortem inter eos, ſed ipſi inter ſe concordarent non curantes de minimo. ſc. an parum plus, vel minus habituri eſſent, & ob hoc inter viros rationabiliter communicantes nunquam ſunt ſortes, nec iudicia. In viris autẽ imperfectis ſortes ſunt, & iurgia atq; iudicia ex pariuis rebus, ſic etiam fiebat inter Iudæos quantum ad miniſtrationem ſacerdotalem: nam erant ſacerdotes in 24. vices, vel partes 1.Paral.c.24. & iſtæ partes habebant tempora miniſtrãdi varia ſecundum ordinem iam poſitum inter illas, & ad hoc non erat aliqua ſors, ſed in qualibet iſtarũ partium erant multi ſacerdotes: & ne iſti contenderẽt, quis miniſtraret, dirimebatur ſorte, quis miniſtraturus eſſet, & hoc, quia iura ſacrificiorum cuiuslibet diei proueniebãt totaliter ei, qui miniſtrabat: aliis aũt nihil, vt declaratum eſt Leuit. c.6. quod au ẽ poneretur ſors qui miniſtraret, patet Luc.c.1. vbi dicitur de Zacharia patre B. Ioan. quod ſecundũ conſuetudinẽ ſacerdotij ſorte exiit, vt poneret incenſum. i. per ſortẽ prouenit ei quod miniſtraret. Si tñ ſacerdotes iſti non eſſent nimis cupidi, non oportebat permitti illis ſortes, ſed ipſi inter ſe conuenirent, quis miniſtraret rationabiliter diuidentes, ne quis læderetur. Sortes ergo introductæ ſunt propter imperfectionẽ Iudæorum, vt ſic tollerentur iurgia, quia aliàs impoſſibile videbatur.

Sors introducta eſt propter imperfectionem Iudæorũ.

Hic quoque eſt numerus filiorum Leui per familias ſuas. Gerſon, à quo familia Gerſonitarum. Caath, à quo familia Caathitarum: Merari, à quo familia Meraritarum. Hæ ſunt familiæ Leui, familia Lobni, familia Hebroni, familia Moholi, familia Muſi, familia Cori. At vero Caath genuit Amram, qui habuit vxorem Iochabed filiam Leui, quæ nata eſt ei in Aegypto: hæc genuit Amram viro ſuo filios Aaron, & Moyſen, & Mariam ſororem eorum. De Aaron orti ſunt Nadab, & Abiu, & Eleazar, & Ithamar: quorum Nadab, & Abiu mortui ſunt, cum obtuliſſent ignem alienum coram Domino. Fuerunt q; omnes, qui numerati ſunt, viginti tria millia generis maſculini ab vno menſe, & ſupra, qui non ſunt recenſiti inter filios Iſrael, nec eis cum cæteris data poſſeſſio eſt. Hic eſt numerus filiorum Iſrael, qui deſcripti ſunt à Moyſe, & Eleazaro Sacerdote in campeſtribus Moab ſupra Iordanem contra Iericho, inter quos nullus fuit eorum, qui ante numerati ſunt à Moyſe, & Aaron in deſerto Sinai. Prædixerat enim Dominus, quod omnes morerentur in ſolitudine: nullusque remanſit ex eis, niſi Caleb filius Iephonne, & Ioſue filius Nun.

Numerantur filij Leui.

Hic quoque eſt numerus. Hic ponitur ſecundum principale ſ. numeratio Leuiticæ ſtirpis, & ponũtur Leuitæ per ſe propter duo. Primũ erat, quia non accipiebãt Leuitæ poſſeſſionẽ cum reliquo Iſrael: omnibus n. ſupra poſitis danda erat poſſeſſio, & tota terra inter eos diuidenda erat, vt patet ſup. 1c. iſtis diuidetur terra iuxta numerũ vocabulorum in poſſeſſiones ſuas. Leuitæ aũt non erant habituri ſortem, quia Deus erat ſors, & hæreditas eorum, vt patet ſup.18.c. & Ioſue 13. ſi tamen ponerentur cum ſuperioribus videretur, quod habituri eſſent ſortem, quia poſt computationem omnium tribuũ ſuperiorum ſubiunctum eſt, quod iſtis diuideretur terra, ideo nõ debuerunt ibi poni. Alia cauſa eſt, quia Leuitæ acceperant officium miniſtrationis diuinæ. Iſraelitæ autem nihil, ideo debuerunt eſſe diuerſæ ſummæ illorũ. Iſta cauſa aſſignatur ſup. c.1. quare non computarentur ſimul, cũ dicitur: Tribum Leui noli numerare, nec ponas ſummam eorũ cum filiis Iſrael, ſed conſtitue eos ſuper tabernaculum teſtimonij. Hic autẽ ſola prima cauſa conſideratur, quia de poſſeſſione accipienda agitur. Fuit tamen conueniẽs computare Leuitas, licet non cũ Iſraelitis, quia erant ſeparandæ 48. vrbes pro illis, & erant diuidendæ in partes ſecundum familias Leuitarum, quibuſdam plures aſſignando, & quibuſdam pauciores, vt patet Ioſue 21. c. & ſupra declaratum eſt. *Hic eſt numerus filiorum Leui per familias ſuas.* i. illa ſumma, quæ inf. ponitur eſt omnium Leuitarũ diſtinctorum per familias ſuas, nõ ponuntur tñ hic numeri familiarum Leuiticarum ſingillatim, ſed totius tribus. *Gerſon à quo familia Gerſonitarum.* Hic ponuntur tres familiæ Leuitarum, ſc. Gerſonitarum, Caathitarum, Meraritarum, quæ denominantur à tribus filiis Leui. ſ. Caath, Gerſon, Merari, vt patet Exo.c.6. & ſup. c.3. Iſtæ propriæ vocantur familiæ, quia deriuantur immediate à capite tribus. *Hæ ſunt familiæ Leui.* Non refertur ad ſuperiores, ſed ad eas, quæ nominantur inferius, & ponuntur hic quinq; familiæ, vt patet in litera. Vnde aliquis arguat iſtã

Numeratio ſtirpis Leuiticæ familiæ.

A

literam sibi repugnare, quia sup. posuit tres, & hic quinque. Respondendum est non repugnare, quia supra ponebantur familiæ, quæ proprie vocantur familiæ, & istæ sunt tres, quæ deriuantur immediate à capite tribus huius. Hic autem ponũtur familiæ quinque, quæ nõ sunt proprie familiæ, sed magis vocantur domus, cum sint sub ipsis familiis, quia istæ sunt denominatæ à filiis illorum, qui sunt capita familiarum: nam Caath habuit 4. filios, à quibus denominantur quatuor familię. s. Hebronitarum, Ozielitarum, Gersonitarum, Amramitarum. Gerson habuit duos filios, à quibus denominatæ sunt duæ familiæ. s. Lebnitica, & Semeitica. Merari autem habuit duos filios, à quibus denominantur aliæ duæ familiæ, s. Moolitarum, & Nusitarum, quæ sunt 8. familiæ, de quibus sup. c. 3.

Leuitarum an sint tres vel quinq.

Quare ponuntur quinque familiæ, & tamen suprapositæ sunt octo.

Qvæstio XVI.

QVæret aliquis, quare positæ sunt hic quinque familiæ, cum sup. c. 3. ponantur octo familię Leuitarũ. Respondebit aliquis, quod hic ponuntur octo familiæ, sicut sup. c. 3. quia ponuntur hic quinque, & sup. ponuntur tres. scil. Meraritarum, Caathitarum, Gersonitarum. Sed non stat, quia istæ tres familiæ non distinguuntur contra quinque, quæ ponuntur hic, sed istæ sunt partes illarum, cum istę tres sint proprie familiæ, quia deriuantur imediate à capite tribus. Quinque autem non sunt familiæ, sed domus constitutæ sub illis tribus familiis. Item quia si istæ tres connumerentur quinq; familiis, non erunt istæ tot, sicut sunt sup. c. 3. quia præter illas tres ponuntur octo familiæ Leuitarum. Item hic ponitur vna familia, quæ non ponitur ibi. scil. Coritarum, ideo necesse est, quod deficiant hic aliquæ familiæ de illis. Aliter respõdet Ra. Sa. quod tres familiæ Leuitarum perierunt pugnando contra tribum Beniamin, vt supra dicebatur. Sed istud non stat, quia non solum oportebat poni periisse familias tres, sed quatuor, quia solum ponuntur hic quatuor familiæ earũ, quæ habentur sup. c. 3. Et deficiunt aliæ quatuor, sc. Semeitarum, Amramitarum, Gessalitarum, Ozielitarum, sed ipse solũ ponit periisse tres. Item non stat, quod aliqua istarum familiarum perierit, quoniam 1. Paral. à c. 23. vsque ad 27. & in c. 6. & 9. vbi agitur de Leuitis, & diuisionibus eorum ponuntur istæ familiæ, quæ hic non habentur. Item non stat, quia de familia Amramitarum erant omnes sacerdotes, cum Amram esset pater Moysi, & Aaron, Exo. c. 6. & ab Aaron venerunt omnes sacerdotes. sup. c. 3 & 18. ideo si periisset familia Amramitarũ, non mansisset aliquis de filiis Moysi, nec de sacerdotibus: tamen filij Moysi manserunt, quia etiam tempore Dauid erant inter Leuitas. 1. Parali. 23. c. & sacerdotes semper fuerunt: ergo non periit familia Amramitarum. Item Iosue c. 21. datæ sunt possessiones omnibus Leuitis per quatuor sortes, quarum vna erat sors sacerdotalis, & alia Caathitarum. ergo non perierant istæ familiæ.

B

C

Item non stat, quia viuente Moyse, & Eleazaro non poterat deficere familia Amramitarum, cum vterque esset Amramita, & tamen ipsi fecerunt istam computationem: ergo non deficit ista familia, & sic de omnibus aliis. Dicendum, quod nulla de Leuiticis familiis defecerit, sed Scriptura non curauit eas ad plenum enarrare.

Aliquis forte dicet, quod sic erat de omnibus aliis familiis, quæ dicebantur in aliis tribubus deficere. In tribu Beniamin dicebantur deficere quinque familiæ. Sed non stat, magis n. dicendum illas vere defecisse, in Leuitis tamen nullam: non enim est simile, nam quamquã non ponantur hic quædam de familiis Leuitarum, quæ ponebantur sup. c. 3. tamen per hoc reperiuntur in aliis libris, ex quo patet eas non defecisse, vt sup. inductum fuit. In tribu aũt Beniamin nunquã postea reperiuntur familiæ, quæ hic deficiunt: ideo 1. Paralip. cap. 8. vbi numerantur familiæ tribus Beniamin, solũ ponuntur quinq; familiæ de quinque filiis Beniamin, sicut hic. Sed tunc obiicietur ex ratione, quã supra posueramus, cum arguebatur de aliis tribubus, s. quod Scriptura intendebat hic enarrare totã multitudinem Israelitarum, & oẽs familias: ideo non omitteret aliquam de illis. Ita ergo de Leuitis videbitur, quod nulla familiarum omissa sit, sed hic deficiunt quatuor familiæ de illis, quę habentur sup. c. 3. ergo non erant illæ familię tempore huius numerationis. Dicendum est, quod nulla deficiebat, vt supra inductum est, sed Scriptura non curauit eas enarrare ad plenum: in omnibus autẽ tribubus plene enarrauit. Causa diuersitatis est, quia familiæ Leuiticę iam fuerant descriptæ sup. c. 3. ideo licet hic non plene scriberentur, nihil referebat. Familiæ autem Israelitarum non fuerãt alicui descriptæ: ideo decuit eas hic ad plenum describi. Considerandum vlterius, quod familia Coritarum, quę hic ponitur, non est aliqua de familiis positis sup. c. 3. nam ibi solum nominantur familiæ à filiis & nepotibus Leui. scil. tres familiæ proprie dictæ à filiis Leui. s. Caathitarum, Meraritarum, Gersonitarum, & octo familiæ non proprie dictę à nepotibus. sc. filiis Caath, Gerson, Merari. Familia tamen Coritarum erat de pronepotibus: nam Chore pronepos erat Leui, vt patet Exo. 6. & sup. 16. sed Scriptura non curauit denominare familiam à nepotibus magis, quam à pronepotibus: est n. familia Coritarum, eadem cum familia Gesaritarum, quia est Chore filius Gesar, siue Isuar: habuit tamen alios filios præter Chore, vt patet Exod. c. 6. *At vero Caath genuit Amram.* Hic numeratur familia Amramitarũ, quam dicebat Rab. Salo. deficere, & ista denominatur ex nepotibus, quia Amram fuit filius Caath, & nepos Leui. *Qui habuit vxorem Iochabed filiam Leui.* Nominatur hic mater Moysi, & Aaron propter dignitatem eorum, & ista fuit filia Leui.

D

E

Iochabed mater Moysi, & Aaron an fuerit filia Leui.

Qvæstio XVII.

ALiqui enim dicunt eam esse filiam Leui, id est, de stirpe eius, quanquam non esset filia eius immediate. Sic dicitur Luc. 1. de Elisabeth vxore Zachariæ, cp erat de filiab⁹ Aarõ, tamen manifestum est, quod illa non erat filia Aaron, sed genita de stirpe illius. Alii autem dicunt, Iochabed esse filiam Leui, id est, quod esset vere filia eius immediata. Ratio enim controuersiæ est in hoc, quia si erat Iochabed filia Leui, videbatur esse inconueniens, quod acciperet eam Amram in vxorẽ, quia erat amita sua, id est, soror patris sui Caath. Iste tamen gradus erat vetitus in lege, vt patet Leuit. 18. c. ideo non posset accipere eam in vxorem.

De hoc auctor latissime disputauit in Exo. c. 1.

Respondendum est, vtrunq; stare posse, sed conuenientius dicitur, & magis cõformiter ad literam, quod fuerat filia Leui immediata. Et patet hoc, quia dicitur hic, quod genita est in Ægypto: si tamẽ non fuisset filia Leui immediata superfluũ erat dici, quod genita est in Ægypto, quia nullus de nepotibus Leui natus est, nisi in Ægypto ante descensum. n. in Ægyptum habebat Leui filios: nepotes autẽ nequaquã, quod patet Gen. 46. c. vbi descripti fuerunt oẽs descendentes cum Iacob in Ægyptum, & ponitur, quod erant animę 70. ibi tamen solũ fuerunt filii Leui, & nullus de nepotibus eius. Sed ista clausula. s. quod genita fuerit in Ægypto, non ponitur hic superflue: ergo erat filia Leui, quã potuisset gignere ante descensum in Ægyptum, vel post, & ponitur, quod genita est post descẽsum in Ægyptũ ad signandũ, quod non erat nimis vetusta, vt contrahere posset cum Amram filio Caath: nam si fuisset genita ante descensum in Ægyptum cum Moyses fuerit filius eius, tamen natus est solum 80. annis ante exitũ de Ægypto, vt patet Exodi c. 7. necesse erit, quod Iochabed mater eius esset ad minus annorum 135. quando genuit Moysen, & tamen in tali ætate non posset concipere. Antecedens patet, quia à descensu in Ægyptum vsque ad exitum de terra ipsa fluxerunt anni 215. vt declaratum est Exod. c. 1. & 12. à quibus subtrahantur anni 80. quibus natus est Moyses ante exitum de Ægypto manebunt alii. 135. à descensu in Ægyptum, vsque ad ipsum tempus. ergo si genita fuit in terra Chanaan Iochabed: necesse erat, vt ad minus esset annorum 135. quando concepit Moysen, quod est falsum & inopinabile. Ideo, vt credi posset, quod Iochabed erat filia Leui dictum est, quod genita fuit in Ægypto, & tunc potest stare conuenienter, quod dictum est, quod Leui, quando descendit in Ægyptum erat 42. annorum, vel 43. vt fuit declaratum Genes. 43. cap. & Exod. ca. 6. sed vixit Leui annis 137. ergo postquam descendit in Ægyptum, vixit annis quasi 95. & sic posset forte 40. vel quinquaginta annis postquam descendit in Ægyptum, gignere Iochabed, & tunc esset ipsa quando gigneret Moysen annorum 85. vel quasi, & hoc non erat inconueniens. Hoc aũt scriptura signauit in ista clausula.

F

Adar-

A

Ad argumentū cum dicebatur, quod non licebat Amram accipere Iochabed in vxorem, quia erat soror fratris sui. Dicendum, q̄ ista lex nondum erat data, ideo licebat illam accipi in vxorem. Si autem aliquis vellet dicere contrarium, poterit aliqualiter saluari. De hoc magis declaratum est Exod. ca. 2. *Hæc genuit viro suo Amram filios.* Id est, Iochabed concepit filios ex viro suo Amram. accipitur gignere large, quia de mulieribus concipere magis quam gignere dicitur.

Aaron, Moysen, & Mariam sororem eorum. Hic ponitur deriuatio familiæ Amramitarum. Habuit autem Amram filios tres, scilicet, Aaron & Mariam, & Moysen. De Maria nullus fuit pertinens ad familiam Amramitarum, quia filii fœminarum non sunt de stirpe earum, sed de stirpe virorum suorum, & quia Maria non accepit aliquem virum de Amramitis, quia nullus erat præter Moysen & Aaron, cum ipsa viuebat: ideo filii ipsius non potuerunt pertinere ad familiam Amramitarum, sed ad aliam familiam Leuiticam, vel ad aliam tribum. Ponitur autem hic Aaron primo, quia erat ætate prior: tribus enim annis natus est ante Moysen, vt patet Exodi ca. 7. vbi dicitur, quod cum ingressi sunt ad Pharaonem Moyses & Aaron, erat Aaron annorum 83. & Moyses annorum 80. vt patet ibidem. Etiam præponitur Aaron propter sacerdotii dignitatem, quia erat sacerdos magnus. Moyses autē solum erat Leuita de Amramitis: non tamen seruatur semper iste ordo, quia aliquando præponitur Moyses, & hoc fit propter dignitatem principatus, quia erat princeps super totum populum,

B

& erat propheta acceptissimus Deo, vt patet supra cap. 12. Maria autem postponitur hic, non quod esset annorum paucorum, quia maior erat, sed quia ipsi erant digniores ipsa. Quod autem esset maior Maria patet, quia quando natus est Moyses, & positus fuit in flumine in vase scirpeo, ipse obseruabat à longe in littore fluminis, & locuta est ad filiā Pharaonis prudenter, inquirens matrem pueri: non tamen potuisset ista facere, nisi iam esset puella adulta perueniens ad annos discretionis, & sic esset maior Moyse & Aaron, cum solum excederet Aaron Moysen annis tribus, vt dictū est. Item Maria vocatur hic soror Moysi & Aaron, quia secundū veritatē erat vtriusq; soror, alicubi tamen vocatur soror Aaron solum, vt patet Exod. c. 15. & hoc quia magis afficiebatur ipsa ad Aaron, quam ad Moysen, quia ambo erāt comparticipes: vnde ambo murmurauerunt contra Moysen, vt patet supr. c. 12. Et quādo Maria percussa est lepra, Aaron orauit pro ipsa, vt sanaretur, eod. cap. *De Aaron orti sunt Nadab & Abiu.* Hic ponuntur 4. filii Aaron: per quos sacerdotalis linea texitur: sed non permanserūt omnes habentes sobolem, quia duo eorum morte præuenti sunt, & istorum maiores erant Nadab, & Abiu. In isto enim ordine nati sunt, in quo ponuntur hic, ideo duo primi, sc. Nadab & Abiu, erāt honoratiores aliis duobus, quamobrē quādo Moyses ascendit in montē pro tabulis legis, & ex mandato Dei associauit eum Aaron, & 70. seniores, qui honorabilissimi in toto populo, iussit quoq; Deus, quod Nadab & Abiu irent cum Moyse, & non iuerunt illuc Eleazar, & Ithamar, vt patet Exod. cap. 34. Item patet hoc in ministratione sacerdotali: nam in prima die, qua inceperūt sacerdotes nouiter consecrati ministrare, Aaron, & isti duo, scilicet, Nadab, & Abiu ministrauerunt, & ob hoc errauerunt in ministratione isti sumentes ignem alienum. & mortui sunt, vt patet Leuit. c. 10. si tamen ministrassent Eleazar & Ithamar, cum oēs ministrarent, simul omnibus idem malum accideret. *Quorum Nadab & Abiu mortui sunt.* Hoc ponitur, quia intendebat Moyses describere hic progeniē sacerdotum, & quia isti duo non habuerūt prolem, cum fuerint morte præoccupati, dicitur, q̄ mortui sunt. *Cum obtulissent ignem alienum coram Domino.* Hoc fuit in prima die ministrationis suæ: nondū enim ante hoc aliquando ministrauerant, & ob hoc erant inexperti, & errauerant. Alii dicunt, quod errauerant ex ebrietate nescientes quem ignem assumerent, & assumpserunt ignem alienum. Sed hoc falsum est, vt declaratum fuit Leuit. c. 10. vbi multa de morte, & statu istorum. Dicitur autem ignis alienus, quem isti assumpserunt, quia ad ministrationem Sanctuarii nullus ignis assumendus erat, nisi ignis altaris holocaustorum. Isti autem oblaturi thymiama, cum assumere deberent de igne, qui erat in altari holocaustorum, assumpserunt de quodam alio igne prophano, qui erat in atrio tabernaculi ad coquendū carnes sacrificiorū: dicuntur obtulisse corā Dño, id est, corā altari

Quatuor filii Aaron.

C

thymiamatis, quia ipsi posuerunt prunas super thuribula ād offerendum thymiama super altare thymiamatū, & illud dicebatur esse coram Domino, quia istud altare erat intra tabernaculum ante velum Sanctuarii, & ibi dicebatur esse Deus. *Fueruntq; omnes, qui enumerati sunt 23. millia.* Hic ponitur summa omnium Leuitarum. Erat enim ista tribus valde minor multitudine omnibus aliis tribubus: nam in aliquibus erant 60. millia, in aliis 70. & plus: in hac autem solum erant 23. millia. Etiam quia in aliis computabantur à 20. annis, & supr. hic autē ab vno mense, & supra. vnde si cōputarentur, Leuitæ à 20. annis, & supr. sicut in aliis tribubus forte non reperirentur octo millia, vel septem millia virorum.

D

Leuitæ erāt 23 millia.

Quare Leuitæ erant tam pauci numero: & cur ista tribus semper fuit parua.

QVÆSTIO XVIII.

QVæret aliquis, quare in tribu ista Leuitica fuerunt tam pauci numero. Respondebit aliquis, quod hoc fuit, quia multi de illa perierunt propter peccata, & redacti sunt ad valde paruum numerum, sicut fuit de tribu Simeon, quæ in prima computatione habuit 59 millia virorum, & trecentos. In secunda autem habuit solum 22. millia, & ducentos. Sed non stat hoc, quia Leuitæ non fuerunt subiecti sententiæ Deidatæ contra alias tribus, quod morerentur omnes numerati in solitudine, vt declaratum est supra capit. 14. ideo non poterant sic diminui: ideo debebant esse plures numero ex hac parte, quam quælibet alia tribus. Item dato, quod diminuerentur Leuitæ propter peccata, tamen non erat verisimile, q̄ tantum diminuerentur: nam filii Simeon fuerunt diminuti ex duplici causa, vt supra declaratum est: tamen non fuerunt tantum diminuti, quia erant 22. millia virorum, & ducenti à 20. annis, & supra. De Leuitis tamen forte non essent septem millia. Sed dicendum est, quod Leuitæ non fuerunt diminuti, sed fuerunt valde parum augmentati. Ipsi enim non erant plures in prima computatione, quæ facta est in monte Sinai, quia solum ponuntur 22. millia ab vno mense, & supra, vt patet supra capitul. tertio. fuit tamen ista tribus semper minor omnibus aliis, quia à principio ista parum multiplicata est, & postea etiam non multiplicati sunt. & hoc non fuit ex aliquo peccato Leuitarum, sed quia sic accidit in quibusdam progeniebus, quod parum multiplicantur. *Generis masculini.* Id est, isti computati solum fuerunt de masculis: nam de fœminis nulla computabatur: non enim erat aliqua causa, quare non computarentur, quia ipsæ non erant ad pugnandum, nec ad ministrandum: solis enim masculis ministratio conueniebat.

E

Respōd. auctor.

Ab vno mense, & supra. Id est, non fuerunt computati Leuitæ à viginti annis, & supra, sicut in aliis tribubus: computabantur enim Leuitæ multis modis, aliquando ab vno mense, & supra, sicut ad redemptionem primogenitorum, vt patet supra capit. 3. aliquando ad ministrandum in officiis suis, & hoc fiebat à triginta annis, & supra, vt patet supra cap. 4. aliquando ad erudiendum eos in officiis ministrationum, & hoc à 25. annis, & supra, vt patet supra c. 8. Alio autem tempore numerati sunt ad officia, sc. tempore Dauid, & tunc numerati sunt à 20. annis, & supra. 1. Paral. c. 23. Causa autem fuit, quia Leuitæ non erant tempore Dauid ministraturi in officiis laboriosis, scilicet, portando Sanctuarium in itinere, sicut portare consueuerant, ideo in ætate minoris roboris, scilicet, à 20. annis, & supra computati sunt.

F

Quare Leuitæ computati sunt ab vno mense, & supra.

QVÆSTIO XIX.

QVæret aliquis, quare Leuitæ fuerunt computati hic ab vno mense, & supra. Forte aliquis respondebit, quod computati sunt sic ad redemptionem primogenitorum. nam supra cap. 3. fecit Deus redimi omnes primogenitos Israelitarum, & pro eis Leuitæ dati sunt: residui autem, qui superexcreuerant de Israelitis, computati sunt in pecunia. Hic autem similiter redimerentur: ideo fuit computatio ab vno mense, & supra, quia ab illo tempore incipiebāt primogenita redimi,

A

vt declaratum fuit supra cap. 3. Sed non stat, quia aut hic redimebantur primogeniti Israelitarũ, qui redempti fuerant prima vice, scilicet, in deserto Sinai, aut alii, qui nunquam fuerãt redempti. Non potest dici primo modo, quia qui semel redemptus est iam abstulit obligationem, quia tenebatur, vt redimeretur. Si autem dicatur, quod alii primogeniti de Israelitis redempti sunt ab illis, qui prima vice redempti fuerant, nõ stat, quia tunc non deberent dari in commutationem omnes Leuitæ, quia primo traditi fuerant in monte Sinai omnes Leuitę in pretium primogenitorũ Israel, ideo qui ibi traditi fuerant, non poterant amplius tradi, quia eadẽ res non potest duplici pretio tradi, vel eadem res data non aufert duas obligationes, sed vnam, pro qua traditur. Ad hoc forte aliquis dicet, quod non fuerunt dati in redemptionem primogenitorũ hic Leuitæ, qui computati fuerant in monte Sinai, sed aliqui alii postea nati. Sed hoc non stat, quia hic ponitur summa omnium Leuitarum, qui tunc erant, siue nati fuissent post transitũ montis Sinai, siue antequam illuc venirent, quod patet, quia computantur hic Moyses & Eleazarus, & tamen isti erant in monte Sinai. Item etiã dato, cp hic solum computarentur Leuitæ, qui non fuerunt cõputati in monte Sinai, sed postea nati adhuc non sufficeret, quia illi non poterant dari in redemptionem pro aliquibus primogenitis Israelitarũ: nam ex die, qua accepti sunt Leuitę pro omnibus primogenitis Israel pertinuerunt omnes Leuitæ ad Deũ, ita quod nullus eorum amplius dari poterat in redemptionem pro aliquo primogenito

B

Israelitarum, quia ipse per se obligatus erat Deo, & propter hoc nunquam, post illud facta est aliqua commutatio Leuitæ alicuius pro aliquo de primogenitis Israel, sed quicunque nasceretur redimebatur quinque siclis, vt patet supra 18. cap. ideo licet hic fieret redemptio primogenitorum, non commutarentur Leuitæ pro primogenitis Israel, sed daretur pecunia pro illis. Item non stat, quia si fuisset facta aliqua redemptio primogenitorum, hic iussisset Deus illam fieri computando Leuitas, & primogenita Israel, sed nihil tale iussum est. Item non stat, quia si commutarentur Leuitæ pro primogenitis poneret summa omnium primogenitorum Israel, & omnium Leuitarum, & videretur, quæ illarum excederet ad alteram, vt si excederet summa primogenitorum Israel darentur pecuniæ pro excedentibus, sicut factum est in computatione, & commutatione primogenitorum, & Leuitarum in monte Sinai, quia ibi excesserunt de primogenitis Israelitarum ad numerum Leuitarum 273. & pro illis iussit Deus dari pecuniam, vt patet supra capit. 3. Sed hic nulla summa ponitur, ergo non fuit facta ista numeratio ad commutandum primogenita Israelitarum pro Leuitis. Sed dicendũ, quod Deus voluit computari Leuitas, vt haberetur determinata summa eorum, sicut habebatur summa Israelitarum, & ne computatio eorum coincideret cum computatione Israelitarum, si fieret à viginti annis, & supra, & viderentur computati ad habendam possessionem, ideo fecit computari ab vno mense, & supra. Sed dicet aliquis ita poterant computari à triginta annis, & supra. vt patet supra capit. 8. & 4. vel à 25. annis, & supra, vt patet supra capit. 8. vel à 20. & supra, vt patet 1. Paralip. capit. 23. Dicendum est, non stare istud vltimum, quia Leuitæ nunquam fuerunt computati à viginti annis, & supra tempore Moysi, nec post eum vsque ad tempora Dauid. Causa autem supra declaratum est, solum computabantur, vel ab vno mense, vel à 25. annis, vel à 30. poterant autem computari hic Leuitæ à 25. vel 30. annis, & supra, sed non conueniebat, quia illa numeratio erat ad applicandum Leuitas ministeris suis. Hic autem computantur solum ad habendum ipsorum summam, ideo debuit alia computatio dari, scilicet, à minori tempore, vt comprehenderentur omnes Leuitæ: & ista fuit ab vno mense, & supra. Cuius causa est, quia ante illud tempus non proprie dicebatur aliquis Leuita pertinere ad Deum, quia ex illo tempore accipiebantur redemptiones primogenitorum, Leuitæ tamen quanquam nũ commutarentur hic pro Israelitis primogenitis ab illo tempore computati sunt. Et hoc patet, quia quando Deus iussit supra c. 3. accipi omnes Leuitas pro omnibus primogenitis Israel, non fuit acceptus quisquã infra mensem, & tamen certũ est, quod multi Leuitarum essent infra mensem: alioquin Deus non iuberet specialiter, quod computarentur omnes ab vno mense, & supra, ergo illi, qui erant infra mensem computabantur tanquam non Leuitæ, quia non proficiebant ad redemptionem: sic autem factum est hic. Deus enim voluit summam Leuitarum, & quia qui infra mensem sunt quasi non Leuitæ habentur, debuit fieri computatio ab vno mense, & supra. *Quia non sunt recensiti inter filios Israel.* Istud reddituum causæ potest ad duo referri. Primo ad computationem, scilicet, computati sunt Leuitæ hic, quia non fuerunt computati inter filios Israel: ideo ne eorum summa maneret ignota, fuerunt hic descripti, Secundo, potest referri ad ætatem, in qua computabantur, scilicet, ab vno mense, & supra, scilicet, Leuitæ fuerũt computati ab vno mense, & supra, quia non fuerunt computati cum filiis Israel, quasi dicat, si cum eis computarentur, non computarentur ab vno mense, & supra, sed ab anno vigesimo, quia omnes Israelitæ sic computabantur. *Nec eis cum cæteris possessio data est.* Id est, non acceperunt Leuitæ possessionem cum aliis filiis Israel: nam duodecim tribubus diuisa est tota terra in partes 12. Leuitis autem nulla pars assignata est, quia dixerat Deus Leuitis: In terra eorum nihil possideatis, nec habebitis partem inter eos, ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Israel, supra cap. 18. & simile Deuter. 18. cap. & Iosue 13. cap. Acceperunt tamen Leuitæ 48. vrbes ad habitandum, & suburbana earum ad alenda pecora, vt patet infra 35. capit. & Iosue capit. 14. & 21. Istæ autem vrbes non fuerunt eis assignatæ in aliqua vna sorte, sicut habebant omnes tribus Israel, sed quælibet tribus dedit eis aliquas vrbes, vt patet Iosue capit. 21. & quia non accipiebant ipsi partem terræ inter Israelitas ex iure suo, sed in eleemosynam, & non recipiebant vrbes cum omnibus territoriis suis, sed sola suburbana non dicebantur habere sortem, vel possessionem. De hoc declaratum est Iosue capit. 14. Ponitur autem hoc ad reddendum causam, quare Leuitæ non fuerunt computati cum cæteris Israelitis. Et dicitur, quod quia non acceperunt possessionem cum illis: nam supra postquam numeratæ sunt omnes tribus subiunctum est: Istis diuidetur terra iuxta numerum vocabulorum. Si autem Leuitæ fuissent computati ibi etiam intelligeretur, quod ipsis dari deberet possessio cum cæteris. *Hic est numerus filiarum Israel.* Hic ponitur epilogus prædictæ numerationis, & refertur hoc ad solos Israelitas, qui non erant Leuitæ. Dicet aliquis, quod melius refertur ad omnes tam non Leuitas, quam Leuitas, quia fuerant supra cõputati omnes siue Leuitæ, siue non Leuitæ, & omnes erant filii Israel. Dicendũ est, non stare, quia immediate dicitur: inter quos nullus fuit eorum, quos numerauerat Moyses in deserto Sinai præter Iosue & Caleb. Et tamen manifestum est hoc non intelligi de Leuitis, quia ipsi mãserunt nunc, quod patet de Moyse, & de Eleazaro, & Ithamar, qui manebant nunc, & fuerunt computati inter Leuitas in monte Sinai. Item patet hoc, quia ista causa, quæ assignatur infra non conuenit, nisi nõ Leuitis, sc. quod prædixerat Deus, quod omnes morerentur in solitudine, sed hoc non intelligitur de Leuitis, quia non fuit data sententia super eos, vt probatum est supra cap. 14. de solis ergo non Leuitis intelligitur.

C

Qui descripti sunt à Moyse, & Eleazaro sacerdote. Scilicet, sacerdote magno. Isti duo computauerunt populum, quia eis iussit Dominus, vt patet supra. Sed an cum eis principes tribuum, & familiarũ fuerint in hac computatione, non patet. In monte enim Sinai principes tribuum, & familiarum adiuuerunt Moysen, & Aaron, vt patet supra ca. 1. hic autem satis rationabile est, quod sic fecerint, sed non exprimitur. *In campestribus Moab.* Id est, computatio ista facta est in campestribus Moab. Vocantur campestria Moab loca planiora Moabitarum, accipiendo large campestria: nam non fuit computatio in prima parte campestrium, quæ vocantur proprie campestria, sed in secunda, quæ est apud Iordanem, & ibi appellantur planiora loca Moab, vt declaratum fuit in principio capituli. *Supra Iordanem.* Id est, apud Iordanem: erant enim Israelitæ proprie Iordanem, — quia labitur Iordanis per quandam vallem per maximam paruitatem illius vallis, & Israelitæ erant in parte superiori, erant altiores alueo Iordanis, & sic dicebantur esse super Iordanem, sicut orbis terræ dicitur super maria, & super flumina, Psalm. 23. quia habet partes eminentes terra super aquam. *Contra Iericho.* Id est, erant ex opposito Iericho, scilicet, quod Israelitæ erant ex parte orientali Iordanis: Iericho autem ex parte occidentali, & tamen videbant Israelitæ Iericho ex loco castrorum suorum. *Inter*

D

Quare Leuitæ nõ fuerint cõputati cum aliis Israelitis.

E

F

quos nullus fuit eorũ, qui ante numerati sunt à Moyse & Aaron in deserto Sinai. Ista fuit prima computatio. S. quæ distincte habetur per summas omniũ tribuũ, & facta est à Moyse & Aaron, quia viuebat Aaron, & erat summus sacerdos, cũ fuerit facta ista cõputatio in principio mensis 2. anni secundi ab exitu de Ægypto, vt patet supr. c. 1. Nunc autẽ Moyses & Eleazarus summus sacerdos computauerunt Israelitas, quia mortuus fuerat Aaron, vt patet supr. 20. ca. fuit autẽ mors sua, anno 40. mense 5. die 1. mensis, vt patet infr. 33. c. Dicitur etiã facta illa computatio in deserto Sinai, quia in mansione montis Sinai erant Israelitæ, quãdo facta est, vt patet supr. ca. 1. ibi etiam sacerdotes consecrati fuerunt, Leuit. c. 8. & 9. & Exod. 29. ca. ibi etiã Sanctuarium consummatũ est, vt patet Exod. c. 40. ibi etiam datæ sunt omnes leges sacerdotales, quæ habentur in Leuitico, vt patet Leuit. c. 1. & 26. & 27. nec fuit aliqua mansio, in qua tantum ordinaretur populus hebraicus, sicut in monte Sinai: ibi enim lex data est, & confirmata est. Exodi cap. 20. & 24. dicitur autem, quod nullus de numeratis in mõte Sinai nunc supererat, quia omnes mortui fuerũt in solitudine ante tempus istud. Deus enim protulerat sententiam contra omnes numeratos, quod morerentur in solitudine, vt patet supra ca. 14. & mortui sunt ante transitum torrentis Zareth, vt patet Deut. cap. 1. iam tamen Israelitæ transierant torrentem illum, scilic. antequam introirent in terram duorum regum Amorrhæorum, vt patet supra 21. capit. ergo nunc cum essent in vltima mansione apud Iordanem nullus supererat de computatis in monte Sinai, & consequenter, nec fuit aliquis eorũ hic computans. *Prædixerat enim Deus, quod omnes morerentur in solitudine.* Declarat quomodo omnes mortui fuerint. Diceret enim aliquis non esse verisimile, quod plura, quam sexcenta millia peditum perierint in deserto, à tempore primæ computationis, vsque ad istam, & quod nec vnus ex eis manserit. Declarat ergo scriptura, quomodo hoc fit verisimile, scilicet, quod Deus prædixerat, quod omnes isti morerentur, ideo mortui sunt, Accipitur hic prædicere non solum, prout importat propheticam prænunciationem, sed magis, vt signat latam sententiam in peccatores, omnes enim numerati à 20. annis, & supra, murmurauerant contra Dominum: ideo protulit contra eos sententiam, quod morerentur in solitudine, vt patet supra 14. cap. Ex quo apparet manifeste, quod sententia ista non fuit lata cõtra Leuitas, quia dicitur, quod nullus de numeratis mansit præter Caleb & Iosue. Manebat tamen Moyses & Eleazarus, & Ithamar, & multi alii de Leuitis, qui non excluduntur ab ista vniuersalitate: ergo Leuitæ non comprehendebantur sub illa sententia, alioquin fuissent excepti isti. Aliæ rationes ad hoc positæ sunt, supra cap. 14. *Nullusque remansit ex eis.* Id est, ex istis Israelitis computatis in monte Sinai à 20. annis, & supra nullus mansit, nisi Caleb & Iosue. De Leuitis autem manserunt valde multi, cum non fuisset contra eos lata sententia. *Nisi Caleb filius Iephonne, & Iosue filius Nun.* Isti duo remanserunt de tanta plebe, quia non murmurauerunt, sed magis murmurantibus restiterunt, ita vt populus vellet eos lapidare, vt patet capit. 14. Vocatur Caleb filius Iephonne, quia Iephonne est nomen patris sui: erat autem iste de tribu Iuda, & fuit vnus de exploratoribus, vt patet supra capit. 13. & vocatur filius Iephonne ad differentiam aliorum, qui vocantur Caleb: sicut dicitur de Caleb filio Hesrom, vt patet 1. Paralip. capit. 2. Iosue fuit alius explorator de tribu Ephraim, vt patet supra cap. 13. & fuit assumptus post Moysen in ducem totius Israel, vt patet cap. seq. Cum autem mortuus est Moyses, Deus sæpe illi locutus est, vt patet Iosue cap. 1. fecit etiam multa mirabilia propter ipsum, vt patet ex processu libri Iosue.

Aaron quo tempore mortuus est.

Quomodo sexcẽta millia peditum perierunt in deserto.

CAPVT XXVII.

Sup. 20. Infr. 36 Iosue 17 Sup. 16 Lex successionis sine filium orientiũ.

Accesserunt autem filiæ Salphaad, filii Hepher, filii Galaad, filii Machir, filii Manasse, qui fuit filius Ioseph, quarum sunt nomina: Maala, & Noa, & Hegla, & Melcha, & Thersa. Steteruntq; coram Moyse, & Eleazaro sacerdote, & cunctis principibus populi ad ostium tabernaculi fœderis, atq; dixerunt: Pater noster mortuus est in deserto, nec fuit in seditione, quæ concitata est contra Dominũ sub Chore, sed in peccato suo mortuus est: hic non habuit mares filios. Cur tollitur nomen illius de familia sua, quia nõ habet filium? Date nobis possessionem inter cognatos patris nostri. Retulit Moyses causam earum ad iudicium Domini. Qui dixit ad eum: Iustam rem postulant filiæ Salphaad: da eis possessionem inter cognatos patris sui, & ei in hæreditatem succedant.

Accesserunt. Supra ponebatur regula de diuisione terræ promissionis, hic ponitur casus specialis circa illud, q̃ sub illa lege comprehendi non videbatur, scil. si licet dari sortem mulieribus in alio casu, sicut viris, & ponuntur tria. Primo tangitur dubium cum responsione. Secundo ratione huius arguitur de quadam legis positione. Tertio subditur de principis futuri constitutione. Secunda ibi. *Ad filios autem Israel.* Tertia ibi. *Dixit quoque Dominus.*

An quæ dicuntur in isto cap. fuerint immediate post præcedentia.

QVÆSTIO I.

CIrca primum est dubium, an quod dicitur hic fuerit immediate post computationem positam præced. capit. Et respondetur satis verisimile esse, quod immediate fuerit. Ratio huius est, quia supra computatus est Israel totus ad hoc, quod diuideretur terra per omnes numeratos, & quia filiæ Salphaad viderunt ibi multitudines distingui ad assignationes possessionum, ipsæ autem ex hoc videbantur carere iure possessionis, quia in supra posita computatione solum fuerint viri positi à 20. annis & supra, & quia pater earum mortuus fuerat, & non habebat aliquẽ successorem masculũ, crediderunt immediate esse conueniens tẽpus ad petendũ possessionem nomine patris sui, ne videretur ex negligentia aliquid iuris perdidisse: ideo rõnabile est dici, q̃ immediate post illam computationẽ ad Moysen accesserunt petentes, q̃ hic habetur, quia ex illa cõputatione videbantur ipsæ lædi, & debebãt immediate reclamare. Lęsio autẽ erat, quia soli viri computabantur ad dandum eis possessiones: pater autẽ earum non habebat aliquẽ filium masculum. *Accesserunt autem filiæ Salphaad.* Scilicet, accesserunt ad Moysen & Eleazarum, vt peterent ea, quæ infra habentur.

Filii Hepher. Ponitur hic tota linea istarũ vsq; ad caput tribꝰ, sc. vsq; ad Manasse, & causa est, quia volebat legislator certificare de qua tribu essent istæ fœminæ, petebant enim hæreditatem inter cognatos suos, vt patet infra, s. datæ nobis possessionem inter cognatos patris nostri, & Deus sic dari adiudicauit, vt patet infra. Ideo scire debebat de qua stirpe erant istæ puellæ, & sic describitur earũ linea, vsque ad Manasse, qui erat caput tribus, & dicitur Salphaad filius. Hepher, id est, de familia illius, & etiam filius illius immediatus. *Filii Galaad.* Iste est pater multarum familiarum. Hepher enim est filius Galaad, & pater familiæ Hepheritarum. Aliæ quoque familiæ quinq; deriuatæ sunt à Galaad, vt patet præc. c. ipse quoq; Galaad fuit caput vnius familiæ, s. Galaaditarum, vt patet præc. ca. Ab isto Galaad dicunt aliqui, nominatum fuisse montem Galaad, qui est in terra duarum tribuum, & dimidiæ, vt patet Deut. cap. 3. & Iosue cap. 13. Sed falsum est, quia Iacob imposuit sibi istud nomen, quando iniuit fœdera in monte isto cum Laban socero suo, Genes. 31. cap. Alii dicunt, quod nominatus iste Galaad à nomine montis illius, quia mons iste primo vocabatur Galaad, scilicet, à tempore Iacob. Iste autem multo genitus est, ideo potuit ab illo monte nominari. Sed non stat, hoc enim esse potuisset, si natus fuisset in terra duarum tribuum, & dimidiæ in qua est mons Galaad, sed in Ægypto natus est, atq; mortuus est, & multo quidem tempore mortuus est, antequam Israelitæ exirent de Ægypto, vt declaratum est Iosue 17. capit. Sed dicendum, quod iste fuit vocatus Galaad à casu non habendo respectum ad illum montem, sed sicut imponuntur alia nomina virorum ex sola voluntate. Iste Galaad fuit vir excellens in armis, vnde in laudem ipsius dicit scriptura, quod fuit vir bellator, Iosue. cap. 17. *Filii Machir.* Iste fuit filius Manasse, & ab eodem denominata est familia Machiritarum, vt patet præced. capit. & fuit illa prima familia inter omnes de tribu Manasse. *Filii Manasse.* Iste fuit vnicus filius

Galaad pater multarum familiarũ. An ab isto Galaad fuerit nominatꝰ mõs Galaad.

Manasse: non

Manasse: non enim legitur habuisse aliũ, vnde cum scriptura declararet, qp Ioseph vidit filios filiorum suorum, vsq; ad tertiam generationem ex filio suo Ephraim dicitur. De filiis ex patre Manasse, sc. filii quoq; Machir, filii Manasse nati sunt in genibus Ioseph. Gen. cap. vlt. si tamen habuisset alium filium Manasses præter Machir, etiam diceretur de eo.

Qui fuit filius Ioseph. Id est, fuit filius suus immediatus habuit enim Ioseph duos filios, scilic. Manasse & Ephraim, qui geniti sunt tempore, quo erat magna abundantia frugũ in Ægypto, scil. in 7. annis vbertatis, Gen. 41. ca. nec legitur alios filios habuisse. per hos autem deriuatæ sunt duæ tribus, quia Iacob adoptauit eos in filios, dans eis ius accipiẽdi singulas sortes in terra Chanaã, sicut Ruben & Simeon, vt patet Gen. 48. fit autem hic reductio lineæ, vsq, ad Ioseph, non qp ipse esset caput tribus, quia non est vnica tribus Ioseph, sed duæ, scil. Manasse & Ephraim, quia ramẽ Ioseph esse debebat caput tribus cum fuerit immediatus filius Iacob, nisi Iacob adoptasset duos filios eius fit computatio, vsque ad ipsum. In hoc tamen est varietas, quia aliquando computatur Ioseph, tanquam vnica tribus, & non nominantur Manasses & Ephraim, sed Ioseph, vt patet Exodi. 28. cap. vbi descripta sunt nomina 12. tribuum, in 12. lapidibus rationalis, & in duob⁹ onychinis superhumeratiis, & ponitur Ioseph, vt vnum nomen tribus, idem Deut. 27. ca. cum ponuntur tribus ad maledicendum, & benedicendum, & computatur Ioseph, vt vna tribus. Idem patet Apoc. cap. 7. vbi computantur signati de singulis tribubus: aliquando autem ponuntur Ephraim & Manasses, tanquam duæ tribus, & non nominatur Ioseph, vt patet sup. c. 1. & præc. c. & vt cõmuniter. Causa diuersitatis est, quia aliquando Leui ponitur, vt tribus & interdum non. Cum vero ponitur non cõputabuntur Manasses & Ephraim tanquã tribus, sed Ioseph nominabitur, vt vnica tribus, cum vero non ponitur Leui erunt Manasses & Ephraim tanquam tribus. Quando autem debeat poni Leui, vt tribus, & quando non declaratum est, Deut. ca. 27. & ibi satis dictum est de habitudine istarum duarum tribuum inuicem, scilicet, Manasse & Ephraim. *Quarum sunt nomina.* Id est, nomina filiarum Salphaad, sunt ista quinque, quę sequuntur. **Hebræi** dicunt, quod nomina istarum puellarum ponuntur hic, **quia fuerunt** valde prudentes & sanctæ fœminæ, sepe autem nominantur in scriptura, scilic. præced. cap. & hic. & infra 36. cap. & Iosue c. 17. *Steterunt q̃, coram Moyse & Eleazaro sacerdote.* Ad hos duos venerunt, quia isti erant principes populi, nam Moyses erat princeps quantum ad omnia temporalia, scilicet, iudicando, & iubendo quicquid fieri debebat etiam quantum ad spiritualia, quia ipse solus præerat populo quantum ad ea quæ ad Deum pertinebant, scil. vt consuleret Deum pro illis, & vt doceret eos, quidquid Deus iuberet, vt patet Exo. c. 18. Eleazarus autem erat summus sacerdos, & hic erat honorabilissimus in populo, vnde ambo sedebãt in causis magnis, sc. Moyses & Eleazarus ad iudicandum, ambo etiã totum populum numerauerunt, vt patet præc. cap. & iste honor competebat omnibus summis sacerdotibus. nam etiam tempore Aaron ipse cum Moyse expediebat magna negotia, ambobus enim commissa fuit computatio prima, quæ facta est in monte Sinai, vt patet supra. cap. 1.

Et cunctis principibus populi. Hoc intelligunt aliqui de principibus constitutis ad diuidendum terram. Constituerat enim Deus Iosue & Eleazarũ, & 12. viros de omnibus tribubus ad diuidendum terram, vt patet infra 34. c. & illi vocabãtur principes, quia principabantur quantum ad hoc, quod erat terrã diuidere. Sed non stat, quia isti principes nondum fuerant instituti, postquam enim Moyses diuisit terram duorum regum Amorrhæorum duabus tribubus, & dimidiæ, & nihil vlterius erat diuisurus, constituit eos diuisores, sc. Iosue & Eleazarũ & 12. viros de duodecim tribubus, vt patet infra. 34. c. si tamen fuissent dati diuisores terræ antequam diuideretur terra duorum regum Amorrhæorum, ipsi diuiderent eam. Sed falsum est, quia Moyses diuisit illam, infra 32. capit. & Deuter. capit. 3. Item non stat, quia dicitur hic coram cunctis principibus populi. ergo non erant principes diuisionis terræ, sed principes Israelitarum. Ideo dicendum, quod isti erant principes omnium tribuum, & familiarum, qui tunc conuenerant ad aliquid expediendum. Filiæ autem Salphaad credentes tunc esse tempus opportunum accesserunt ad principes petitutæ, quod sequitur. *Ad ostium tabernaculi fœderis.* Potest hic accipi tabernaculum dupliciter, scilicet, large pro toto Sanctuario, vel proprie solum pro domo ilia, quæ erat tabulis circundata, & velamentis operta. Primo modo est sensus, quod erant isti principes intra atrium tabernaculi circa ostium illius, & hoc esset, vt secretius agerent, qui nullus illuc introiret, nisi quos Moyses voluisset introire. Etiam fiebat propter sanctitatem loci, vt principes verentes Dei præsentiam, & locorum sacrorum reuerentiam recte in omnibus agerẽt negotia multitudinis. Vel vt aliqui dicunt, quia Deus loquebatur hic Moysi in columna nubis, & hoc verum est, vt patet supra ca. 12. quia ibi locutus est Aaron & Mariæ, tamen non est ista causa conueniens, sed magis ad oppositũ, quia si ibi loqueretur Deus Moysi non essent præsentes alii de populo, ne audirent secreta verba, quæ Deus loquebatur ad Moysen, quanquã raro Moyses audiebat ibi Deum loquentem, sed magis ingrediebatur intra sancta sanctorũ, & ibi audiebat vocem loquentis ad se de medio duorum Cherubim, vt patet supra c. 7. Alio modo accipiendo tabernaculum large dicetur, quod erat Moyses, & principes populi apud ostium tabernaculi, id est, apud ostium atrii tabernaculi. s. extra atriũ, & hoc etiam conueniens est, quia tabernaculũ Moysi erat apud ostiũ atrii, vt patet supr. cap. 3. cum dicitur, quod Moyses & Aaron, & filii ipsorum castrametarentur ad partem orientalem, & ibi erat ostium atrii, ideo cum conuenirent principes ad tentorium Moysi: dicebantur conuenire ad ostium atrii, quod large vocatur tabernaculum, vterque sensus conuenit, sed primus magis.

Sciendum autem, quod quando Moyses conuocaturus erat principes, vel totum populum ad expediẽda aliqua negotia: faciebat eos conuenire ad ostium tabernaculi conuocans illos per clangorem buccinæ, sed alius clangor fiebat ad conuocationem principum, & alius ad conuocationem totius populi. Diuersitas huius patet supra cap. 10. vbi agitur de vtilitate tubarum, & varietate clangoris. *Atque dixerunt, pater noster mortuus est in deserto.* Intentio erat earum petere hæreditatem nomine patris sui, ne deleretur nomen illius de familia sua, sed maneret illa hæreditas alicui, in quo nomen Salphaad permaneret secundum deriuationem familiæ suæ. Et dicunt illum fuisse mortuum, qnia si ille esset viuens reciperet hæreditatem per se, nec oportebat, vt filiæ eius nomine ipsius peterent. Etiam cessaret causa, quam allegabant, sc. quare tollebatur nomen illius de familia sua, ipso enim viuẽte, non tollebatur nomen suum de familia. Item in hoc demonstrant istæ puellæ, quo iure petant terram sibi dari in possessionem inter cognatos patris sui, s. quod non iure suo, sed non alieno, nam non petebant nomine suo, sed patris tanquã succedentes ei, ne nomen illius deleatur in familia sua. Si autẽ essent masculi, non solum petere poterant iure patris, sed etiam iure suo, sc. patre viuente, si essent filii illius maiores anno 20. dato qp non essent emancipati si soli patri assignaretur hæreditas, poterãt ipsi petere, quod etiã assignaretur eis aliqua hæreditas. De fœminis autẽ manifestum est, quod non poterant, quia directe debebatur hæreditas viris computatis ab anno 20. & supra. & filiæ Salphaad, de hoc non dubitabant, sed petebant sibi prouideri, sc. si fieri posset, vt daretur ei hæreditas nomine patris sui, quam ille habiturus erat. Dicitur, quod iste mortuus est in deserto, scil. quia egressus est de Ægypto, & ante annum 40 defunctus est. Ponitur autem ista clausula ad attribuendum ius istis puellis, scilicet, ipsæ petebant hæreditatem nomine patris sui, ideo si patri earum non erat debita, nec eis debebatur. Quod autem deberetur, ipsæ probant, quia mortuus est in deserto, quasi dicat, si fuisset mortuus antequam exiisset de Ægypto non erat illi debita hæreditas, quia isti soli, qui egressi sunt de Ægypto ad mandatum Domini ibant ad possidendũ terram, quam Deus promisit, qui autem mortui sunt in Ægypto à mandato Dei non præuenti sunt, nec moti sunt ad eundum in terrã Chanaan, ideo non acquisierunt aliquod ius sortis in terra illa, Salphaad autem intrauit in desertum, ideo quanquam ibi mortuus fuerit, acquisiuit ex hoc aliquod ius, vt filiæ suæ nomine eius aliquid petere possent.

Nec fuit in seditione, quæ concitata est contra Dominũ sub Core. Id est, nõ fuit pater noster aliquis de viris, qui tempore Core fecerint seditionem contra Dñm. Hoc ponitur etiam ad acquirendum ius, quasi dicat, si fuisset pater noster in seditione contra Dñm caruisset iure hæreditatis, & consequenter nos nomine eius nihil potuissemus vendicare, sicut fit in filiis committentium

Quid sit tabernaculum,

A

mittentium crimen læsæ maiestatis, & in similibus criminibus, quia secundū leges humanas priuantur successione parētum publicatis bonis eorū. Dixerunt autem istæ puellæ. In seditione, quæ concitata est contra Dñm. in quo thetorice se habent ad persuadendū. Nam ista seditio fuit concitata contra Moysen & Aaron propter summum sacerdotium, vt patet supr. 16. cap. cum tamen dixerunt contra Deum esse, q̄ contra Moysen erat magis mouerent animum illius. Vel aliter dixerunt hoc, quia seditio ista quanquā esset directe contra Moysen & Aaron, tamen contra Deum erat, quia Deus ordinauerat summum sacerdotium pertinere ad Aaron, & isti repugnabant huic ordinationi, ideo faciebant seditionem contra Dominum. Sic dixit Moyses præc. cap. sc. quod aduersum Dominum rebellauerunt Dathan, Abiron, & Core. Et dicitur sub Core, id est, in tempore Core, vel sub eo tanquam sub principe, quia ipse solicitauit cæteros ad seditionem, vt patet sup. ca. 16. & ob hoc vocatur seditio Core.

Salphaad quia morte mortuus sit.

Sed in peccato suo mortuus est. Aliqui dicunt ex hoc, q̄ Salphaad fuit vir ille, qui occisus fuerit in deserto colligens ligna in sabbato, & lapidatus est, de quo sup. c. 15. Aliqui volunt, quod fuerit iste aliquis de occisis ab Amalechitis, & Chananæis, sc. quando erant Israelitæ in Cadesbarne, & post murmurationem ascendere voluerunt in terram Chanaan contra Dei præceptum, & mortui sunt plurimi gladio Amalechitarū, & Chananæorum, supra cap. 14. melius tamen est, quod dicatur Salphaad fuisse mortuum in peccato suo, id est, q̄ propter peccatum suū, sicut ceteri Israelitæ mortuus est in deserto, erat autē istud peccatū murmurationis, quia murmurauerant fere oēs Israelitæ in Cadesbarne, & ibi lata est sententia contra omnes qui erant à 20. annis, & supra, vt patet supr. c. 14. Salphaad autē erat de numeratis ab anno 20. ideo mortuus fuerat in solitudine. Hoc enim conuenienter dicitur, quia sic nullam ignominiam inferebant istę puellæ patri suo dicentes eum sic mortuum, quia istud erat peccatum cōmunitatis, & plurima pars populi hoc modo defecerat. De vniuersalibus autem defectibus nemo verecundatur, si tamen Salphaad mortuus fuisset colligens ligna, & lapidatus à populo: erat infamia quædam, ideo filiæ eius erubuissent istud confiteri.

B

Sed dices, q̄ quomodocunq; mortuus fuisset Salphaad necesse erat, vt filiæ suæ hoc confiterentur, quia alias non procedebat earum petitio, nisi exprimerentur se petere ex successione paterna. Respondendum est, quod filiæ Salphaad debebant confiteri patrem suum mortuum, tamen si fuisset mors ignominiosa solum dicerent eum mortuum nihil vltra addentes, sed adiunxerunt, quod in peccato suo mortuus est. ergo istud peccatum non erat aliquid ignominiosum, & ob hoc nō debebat priuari hæreditate. *Hic non habet mares filios.* Hic posuerunt causam huius dubii, scil. q̄ pater earum non habebat masculos successores, si enim habuisset illos, filiæ nō habuissent ius petendi hæreditatē ex successione, quia filii succederent, vnde si Salphaad filios reliquisset, aut illi omnes vel quisquam eorum excederent ad annum 20. vel non. Si enim excederent annum 20. Dicendum, quod siue viueret Salphaad, vel non, oēs habituri erant sortem distinctā à sorte patris sui, & non solum intelligitur hoc de illis, qui erant 20. annorū tunc cum facta est ista numeratio, sed etiā de illis, qui essent annorum 20. tempore quo postea facta est diuisio sortium inter Israelitas. Vnde quanquam solum essent nunc filii Salphaad, si quos habuisset annorum 13. vel 14. habituri essent sortes distinctas, præter sortē patris sui. Quod patet, quia tempore diuisionis terræ essent annorū 20. & amplius, quia à computatione ista, vsq; ad diuisionē sortium factā per Iosue tranſierūt anni 7. vel amplius, vt declaratum fuit Iosue ca. 14. & 23. si autem filii Salphaad essent minores anno 20. tempore diuisionis non haberent distinctas sortes: ita quod quilibet haberet sortem vnam, sed haberent omnes sortem, quam habiturus erat Salphaad ex iure successionis, quia tamen erant filiæ dubium erat, an etiam ex iure successionis habere possent hæreditatem, ideo petierunt, vt prouideretur eis, scilicet, vt daretur hæreditas, in qua conseruaretur nomen patris earū.

C

Si reliquisset Salphaad filios magnos vel paruos quomodo illi succeſſuri erat an proſe vel nomine patris.

Cur tollitur nomen illius de familia sua. Id est, iniustū est, quod per istam numerationem, quam facitis tollatur nomen patris nostri de familia sua. Conquerebātur enim filiæ Salphaad, quod tolleretur nomen patris earum de familia quasi tunc auferretur, vel iam ablatum esset. Et hoc quia ipsę videbant quod per legem supra datam tollebatur. Nam iusserat Deus, q̄ ad habendum possessionem computarētur omnes viri à 20. annis, & supra, & istis diuideretur terra, vt patet præc. cap. ipsi ergo non poterant habere possessionem ex hac parte, & pater earū nullam acceperat, nec reliquerat filios mares, qui eam accipere possent, ergo peribat nomen illius de familia sua, scil. de familia Hepheritarum, vtpote si in aliqua familia sunt decem millia virorum transeuntiū ad nomen, omnes illi habent nomen in familia. Si autem aliquis eorum sit, cui nullus succedat nomen illius perditur in familia, quia cum ipse mortuus fuerit, non manebit aliquis de posteris eius.

D

Quomodo potest tolli nomen Salphaad cum per filias possit conseruari, & an existentibus filiis sine possessione, posset nomen patris manere in familia, & quare magis per possessionem, quam alias cognoscatur progenies.

QVÆSTIO II.

QVæret aliquis circa hoc, quomodo possit tolli nomen Salphaad de familia sua non habeudo filios, nam videtur, quod poterat per filias conseruari nomen eius, quia ex filiabus nascerentur aliqui, qui succederent Salphaad, & sic non periret nomen eius dato, quod non haberent filiæ suæ hæreditatem.

Respondetur, quod si non daretur filiabus portio, periret nomen patris, quia si filiæ non haberent sortē, nuberent aliquibus viris, & etiāsi multi filii inde nascerentur, essent de nomine patris, quia mater nihil haberet de possessione, quod eis daret, ex qua nomen capitis sortirentur. si autē filiæ Salphaad à patre suo hæreditatē suscepissent, vel loco eius successissent, filii geniti ex eis, vel saltem aliqui eorū accipientes illam portionem tenerent nomen Salphaad, scil. quod diceretur illa linea Salphaad, quia ista hæreditas, quam haberēt isti prouenerat à Salphaad, alii autem filii istarum filiarū Salphaad transirent in nomen familię virorum illorū, cum quibus contraxerant, vt si aliqua filia Salphaad contraheret cum aliquo viro, & illa gigneret duos filios, vel tres, saltem vnus eorum erat pertinens ad lineā Salphaad, & succedebat in hęreditate, quę perueniebat ex patre Salphaad. Alii autem duo filii istius filiæ Salphaad transirent in familiam viri sui, scil. quod per illos extenderetur genus viri. Nam non poterant omnes pertinere ad Salphaad, sed aliqui pertinebant ad maritum huius puellæ, alioquin etiam tolleretur nomē viri huius de familia sua cum nullus de posteris suis nominaretur ab eo, sed transiret in aliā lineam, & hoc erat inconueniens. Sciendum autem, quod de istis paruulis sic genitis quidam succedebant Salphaad, qui erat auus maternus, & non succedebant patri suo. Alii autem succedebāt patri, & non auo materno. nam illi filii alicuius filiæ Salphaad, qui denominabātur de stirpe Salphaad, succedebant ei, & non succedebant patri suo, quia nō denominabantur de stirpe eius. Alii autē filii, qui denominabantur de stirpe huius viri succedebant ei, & non succedebant auo materno, s. Salphaad, quia non computabantur per lineam eius. Sciendū autem, quod non erat hoc necesse fieri in qualibet dē filiabus Salphaad, habebat enim 5. filias, vt patet hic, & si vna earum haberet filios, quorum aliquis denominaretur de stirpe Salphaad, vt per illum continuaretur linea eius, non oportebat, quod filii reliquarū denominarentur de stirpe Salphaad, sed denominarentur de stirpe patrum suorū. Hæc autem fieri nō poterant in filiabus Salphaad, si non habuissent aliquam hæreditatem ex successione patris sui, vel postea daretur eis loco patris, ideo periret nomen Salphaad de familia sua, si non haberent filiæ suæ aliquam possessionem, imo etiam si Salphaad multos filios viros habuisset, si tamen non fuisset eis portio assignata inter alios de familia illa, necesse erat nomen Salphaad perire de familia sua.

E

An filiis existentibus, & non data possessione, posset nomen Salphaad conseruari.

QVÆSTIO III.

QVæret aliquis circa hoc, quomodo stet, scilicet, an existentibus filiis, & non data eis possessione posset manere nomen Salphaad.

F

Et respon-

A Et respondebit aliquis, quod sic, quic existentibus solis filiabus non poterat conseruari, eo quod nomen filiorum ipsarum non est de familia earum, sed de familia patrum, quia vxores transeunt in familiam virorum, & filii à fortiori in familiam patrum, & sic non poterant denominare nomen aui materni, si tamen habuissent Salphaad filios etiamsi illi non haberent aliquã possessionem ex parte patris gigneret alios filios, qui nominarentur de familia ipsorum, ipsi autem manebant in familia patris sui, quia non transibant in alteram familiam, sicut fœminæ ex coniunctione ad viros, ergo conseruaretur nomen Salphaad in familia sua, si haberet filios masculos, quanquam illi non haberent possessionem.

Respondendum est, quod non cõseruaretur nomen, si filii non haberent possessionẽ ex Salphaad, quia nomen in familia perditur dupliciter. Vno modo per hoc, ꝙ aliquis de vna familia sequitur necessario aliã familiam. Alio modo quia ille, qui de vnã familia est, non cognoscitur de qua familia sit. Primo modo perderetur nomẽ Salphaad in familia sua, si haberet solum filias, & ex illis semper nascerentur filiæ, quia fœminæ cũ traduntur viris necessario sequuntur familiam virorum, & filii earum de nomine virorum, & non ex nomine ipsarum vocarentur, nisi forte fœmina haberet possessionem, in qua maneret nomen filii ex parte ati materni. Secundo modo poterat perdi nomen, dato ꝙ continuaretur linea alicuius, si non cognosceretur linea illa, & isto modo perderetur nomen Salphaad in familia sua, si haberet filios masculos non habentes

B aliquam possessionem à patre, vel loco patris, nam quãquam continuaretur semper per filios illos linea Salphaad, tamen post aliquantũ tempus nesciretur an esset linea Salphaad, vel alterius viri, si autem esset aliqua possessio certa descendens à Salphaad, in qua succederent illi, qui erãt de linea sua, semper maneret nomen Salphaad, quia cognosceretur linea ipsa pertinere ad illum propter hæreditatem, quæ prouenerat ab eo, filii autem Salphaad, si non haberent aliquam possessionem à patre, non maneret nomen distinctum, quia post modicum putaretur illa pertinere ad alterũ virum, cum non haberet aliquid, per quod non cognosceretur pertinere ad Salphaad. Erat autem sic in istis Iudæis, sic nunc de primogenitis nobiliũ, quia domus patris tota transit in primogenitum quantum ad immobilia, aliis autem filiis dantur munera quædam, & sic cuicunque misceantur isti primogeniti semper manent nomina patrum in eis, quia domos paternas cõsecuti sunt. Si autem domus diuideretur propter cõmixtionem partes hæreditatum deuenirent ad alios de familia, & sic omnes prosapiæ confunderentur, & efficerentur incertæ, sicut est in plebeis, inter quos distinctiones prosapiarum magno tempore durare non possunt: quia non sunt in eis iura primogenituræ, & sic in pauco tempore isti efficiũtur aborigenes, quia nullius eorum prosapia certa cognoscitur. Possessiones autem nomen generis retinent, & non personarum, quia personas miscerineceſſe est secundum leges matrimonii, quas Ecclesia statuit, scil. vt illi, qui sunt de vno genere, non accipiant in vxores eas, quæ sunt de ipso genere, sed de alio, possessiones autem possunt seruari impermixtæ, scilic. vt nunquam transeant de vna domo, vel progenie in alteram per venditionem, donationẽ, aut quamcunque alienationem, aut præscriptionẽ, & ob hoc ea, quæ de iure primogenituræ veniunt secundum iura humana vendi non possunt. & secundum legem Mosaicam possessiones cuiuslibet Hebræi non poterant vendi, nisi vsq; ad Iubilæum, vt patet Leuit. capit. 15. & tunc redibat possessio ad priorem familiam, ita vt distinctio tolli non posset. Erat tamẽ speciale hoc inter Iudæos, quia non solum ibi inter nobiles, sicut nunc obseruabantur iura primogenituræ, sed etiam inter omnes plebeos, vt patet Deuter. 21. capit. amplius autem priuilegium possessionum quantum ad hoc, quod non venderentur in æternum, vt familiæ non miscerentur, erat generale, quia in omnibus, siue primogenitis, siue non primogenitis obseruabatur hoc, vt nullius eorum prosapia incerta esset, quod fieret si possessiones alienari possent. Vnde inter Iudæos, nemo poterat possessionem suam alteri simpliciter vendere, scil. quod ista venditio duraret in æternum, sicut inter nos fit, nec poterat donare, nec perdere per præscriptionẽ aut alias, sicut declaratum est Leut. c. 27. si autem aliquis simpliciter venderet, aut donaret, vel aliter alienaret, quod esset remedium in his declaratum est Leuit. c. 25. Causa autem prędictorum, scil. quare per possessionem conseruatur certitudo familiæ, est quia secundum naturam omne mobile reducitur ad immobile, & hoc tam ad esse, quam ad cognosci, dico autẽ quantum ad esse, quia si aliquid moueatur, necesse est poni aliquid immobile, scilic. quia saltem ipsum spatium, super quo fit motus erit immobile, & hoc in eis, quæ mouentur motu recto. In his vero, quæ mouentur motu circulari reducitur mobile ad immobile, s. ad polos, nec potest certificari motus iste, nisi respectu immobilis, nam nescitur quantũ aliqua res pertranſit nisi consideretur aliquid immobile, respectu cuius mensuretur distantia & velocitas. In rebus etiã, quæ sunt variabiles, non potest fieri cognitio determinata, nisi per reductionẽ ad aliquid inuariabile, & cum fiat reductio ad illud est sufficiens cognitio, si aũt conemur cognoscere aliquid variabile, per alterum variabile, non erit cognitio perfecta, sic autẽ hic intendebamus cognoscere prosapiã, cuiuslibet secundũ certitudinẽ, ipsa autem non est aliquid certum, vt mutetur de persona in personam, ideo debuit dari in cognitionem eius aliquid inuariabile. Si autem cognoscere vellemus ex personis non stabit, quia personæ variantur secundum successionem, scil. quia vna moritur, & alia sibi succedit, ideo secundum illas non est aliqua certitudo, quia continua mobilitas, possessio autẽ est aliquid immobile, quia possessiones, quæ sunt bona immobilia semper sunt eædẽ, ideo per illas possumus cognoscere aliquid ꝙ mobile est, sc. si esset aliqua possessio, quę pertinuisset à principio ad caput vnius prosapiæ, & illa postea pertineret ad filium illius capitis, & sic succedẽdo cognosceretur per illam possessionẽ illa prosapia, quia sciretur, ꝙ apud quẽcunq; reperiretur ista possessio, erat de prosapia illa. Et sic etiamsi in infinitum extenderetur linea alicuius generationis, & sciretur, quæ possessio à principio pertinuerit ad caput illius generis, etiãsi postea omnia media sint incognita cognoscem⁹ quis de illa stirpe sit, hoc autẽ verum est si possessio, quę secundum se est immobilis, non suscipiat aliquã varietatem in hoc, quod per alienationẽ transit de vna domo, vel familia in alteram, quia tunc iudicari non posset certitudo alicuius stirpis, & ob hoc iussum est, ne quis venderet possessionem suã simpliciter, sed illa possessio, quæ à principio fuerat in aliqua tribu, familia, vel domo semper esset in ea. De hoc Leuit. ca 25. & sic per possessionẽ cognoscitur certitudo stirpis, quia immobilis est: ideo ablata possessione non manet certitudo. Ex personis autem, quia mutabiles sunt, hoc cognosci non potest.

De conditione possessionum ad hoc ꝙ per eam cognoscantur familiæ. Possessiones retinent no

C *mengeneris nõ personæ.*

Quare magis per possessiones quã alias cognoscantur progenies.

Quare Deus voluit in Iudæis seruari cum tanta diligentia certitudo stirpis, in nouo testamento vero non.

QVÆSTIO IIII.

QVæret aliquis, quare in Iudæis Deus voluit diligenter obseruari certitudinem cuiuslibet stirpis, nam Leuit. c. 25. iussit non vendi possessiones, & si venderẽtur, quod in Iubilæo redirent ad priores dominos, & pristinas familias, in quo conseruatur certitudo cuiuslibet generationis. Item infra 36. c. Deus iussit, vt omnes viri ducerent vxores de tribu, & cognatione sua, & omnes fœminæ ducerent viros, de cognatione, & subditur causa, scil. vt hæreditas permaneat in familiis, nec sibi misceantur tribus, sed ita maneant, vt à Domino separatæ sunt. Nunc autem Deus nihil tale iussit obseruari in nouo testamento, nec apud aliquam gentẽ est tanta solicitudo obseruandi certitudinem linearum generationis. Respondendum est, quod hoc fuit factũ propter Messiã ad cognitionem veritatis prophetiarum, quia dixerunt prophetæ Messiã futurum de tribu Iuda, & de semine Dauid. Ad conuincendũ ergo Iudæos Christum nostrum esse Messiam, vel si alius debuisset esse Messias debuit poni ista diligentia in obseruando certitudinẽ stirpis cuiuslibet: si enim istud sic clare non pateret, Iudæi potuissent dicere rationabiliter de Christo nostro, quod nõ erat Messias in lege promissus, quia nesciebãt de qua tribu esset, vel familia, nec si descenderet de stirpe Dauid, data tamẽ ista certitudine cuiuslibet prosapiæ dubiũ esse non potuit de Christo, quod esset de stirpe Dauid, nec eo viuente Iudæi negabant illum esse de genere Dauid. Sed obiicietur, quia Pharisæi dubitauerũt de Christo magis asserẽtes, ꝙ prophetæ Messias nõ esset, quia erat à Galilæa, & ibi nõ erat stirps Dauid sic patet Ioa. c. 8. nam cum Nicodemus defenderet aliqualiter

patrem

An Iudæi manifeste cognouerint Christũ esse de stirpe Dauid, & quo modo dubitarunt Pharisæi.

A

parte Christi dixerũt pharisęi scrutare scripturas, q̃a prophta à Galilæa non surgit, sed iste est de Galilæa, ergo non videtur Messias. Idem dixit maior pars turbæ, quæ audiebat eum prędicantem, vt patet Ioan. capit. 7. cum quidam dicerent, quod Christus erat Messias, scilicet nunquid à Galilæa Christus venit? nonne scriptura dicit quod ex semine Dauid, & Bethlehem castello, vbi erat Dauid veniet Christus? & sic sequitur quod propter hoc facta est dissensio, & non solum hoc dicebant turbæ Pharisæi, sed etiam Nathanael, qui erat vir bonus, & secutus est Christum. Dixit enim illi Philippus, quem scripsit Moyses in lege, & prophetæ inuenimus Christum filium Ioseph à Nazareth, & dixit ei Nathanael, à Nazareth potest aliquid boni esse? q. d. dubito an possit, vt patet Ioan. capit. 1. Respondendum est quod manifeste cognoscebatur linea generationis Christi quod esset de Dauid, erat tamen satis rationabilis occasio dubitandi illis, qui non tantum attenderant, nam Christus cum esset de semine Dauid debebat etiam esse de Bethlehem, & hoc propter duo. Primo quia Bethlehẽ erat pertinens ad tribum Iudæ, & familiam Dauid, Nazareth autem erat in sorte tribus Nephthalim, vt declaratum est Iosue. 19. c. Secundo quia scriptura specialiter dixerat quod Messias erat futurus de Bethlehem, vt patet Michææ. cap. 4. & in hoc ipsi de turba dubitauerat allegantes illud dictum, vt patet Ioan. cap. 7. scilicet quod Christus futurus esset de semine Dauid de castello Bethlehem, in quo ipse erat, erat tamen

B

Christus de Nazareth, quia ibi morabantur cognati illius, & ipse ibi conuersatus est ante annum 30. quando prædicare incępit, vnde Galilæus de Nazareth appellatus est, vt patet Mat. 21. c. rationabilem ergo causam habebant dubitandi de Christo illi, qui tantum nõ aduerterant, sed hoc facilitet fiebat manifestum, quia Christus in Bethlehem natus est, vnde magis de Bethlehem, quam de Nazareth erat, quamquam parentes eius tum nutrierint in Nazareth: ipse quoque Ioseph, qui putabatur pater Christi erat de semine Dauid, & oriundus de castello Bethlehem. Et ob hoc eum exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis, & quilibet profiteretur in ciuitate sua, venit Ioseph cum vxore sua Maria in Bethlehem, vt profiteretur, vt patet Luc. cap. 2. & tunc contigit ibi nasci Saluatorem. Hoc etiam manifestum erat Iudæis. nam tres reges, qui nato Saluatore venerunt ad adorandum eum, cum venissent in Ierusalem missi sunt in Bethlehẽ, & cognouit totus populus, quod illuc iuissent, & occisi sunt propter istud omnes paruuli Iudæorum in Bethlehem & finibus suis, vt patet Matt. cap. 2. & sic Iudæi non dubitauerunt multum de Christo, quod esset Messias quantũ ad hoc, quod non cognosceretur linea illius. Nec obstabat eum esse à Nazareth, quia multi de Iudæis, qui erant de vna tribu transibant ad habitandum ad terram aliarum tribuum, quia ibi commodius viuebant, nec solum ad aliam tribum, immo aliquando ad terram gentiliũ, sicut patet de Elimelech, qui erat de Bethlehem & tempore famis iuit, vt habitaret in terram Moab, vt patet Ruth. cap. 1. alia autem erant, propter quæ Iudæi de Christo magis dubitauerunt, de quibus non est præsens, sed patebit efficacius ex processu Euangeliorum. Patet ergo quod necesse fuerit obseruari certitudinẽ cuiuslibet stirpis in Iudæis, vt quando nasceretur Messias sciretur de qua stirpe erat.

An si non diceretur in lege, vel prophetis de qua tribu venturus erat Messias, necesse fuisset propter ipsum poni distinctionem tribuum, & familiarum.

QVÆSTIO V.

QVæret aliquis an fuerit necessarium simpliciter propter Messiam poni certitudinem in qualibet stirpe Iudęorum, vel si erat hoc ex præsuppositione, scilicet quia prophetæ dixerant eum futurum esse de semine Dauid.

Dicet aliquis quod fuit necessitas ex præsuppositione, quia prophetæ dixerunt, quod futurus esset Messias de tribu Iuda, si tamen non fuisset prænunciatum de qua tribu, vel familia venturus esset, non oportuisset obseruari istam certitudinem linearum.

Respondendum est, quod etiamsi non exprimeretur in aliqua prophetia de qua tribu Christus esset futurus necessaria erat ista distinctio familiarum per iura primogenituræ, & cer-

titudines omnium familiarum secundum successiones hæreditatum: quia Iudæi non accepissent Messiam, nisi constitisset eum esse de semine Iacob, etiamsi non constaret eis, de qua familia, vel tribu esset. Sed hoc etiam manifestari nõ poterat, nisi obseruata certitudine omnium stirpium Iudaicarum per deriuationes, & possessionum determinationem, scilic. quod possessio ad aliquam familiam pertinens semper maneret in ea, quia multi de Gentilibus conuerterentur ad Iudaismum, & contraherent cum mulieribus Hebræis sicut nunc faciunt Iudæi cõuersi ad Christum cum mulieribus Christianis, post multum tempus non appareret, an ex Iudæis, vel gentilibus essent, & ita dicerent Christo, Nescimus vtrum sis ex nobis an ex gentilibus. Nunc autem non poterant negare, quia manifeste pertinebat linea generationis eius reducẽdo vsque ad Abraham, sicut reducit beatus Lucas capit. 3. & ista linearum certitudo maxime per possessiones. Cum enim possessio domus Dauid apud aliquem reperiretur, non poterat dubitari, quin esset de stirpe Dauid, quia hæreditas illa ad nullum aliũ poterat peruenire, cum vendi non posset, aut donari, aut aliqualiter alienari, nisi vsque ad iobolæum, & tunc redibat ad pristinam familiam, & dominum priorem, ideo cognoscebãtur familiæ, & tribus essent distinctæ per hoc quod possessiones earum non miscebantur, vt patet infra 36. ca. successio autem possessionis alicuius tribus, vel familiæ erat per masculos, ideó per illos linea stirpis alicuius euidenter cognoscebatur, ob hoc autem per lineam Ioseph, & non virginis Mariæ generatio Christi ab euangelistis descripta est, cum Maria esset verissima mater eius, & Ioseph nullo modo erat pater, nec pertinebat ad Christum, sed quia apud Iudæos non rexebatur linea stirpis per fœminas, cum non succederent ipsæ, nemo euangelistarum deducere posset generationem Christi per lineam virginis, quia nõ cognosceret si eam per fœminas deduceret. Et dato quod reuelaretur, & illam describerent, Iudæi tamen nequaquam cognoscere possent illam deductionem stirpis, quia per fœminas nihil computabant. Ideo quãdo quærunt doctores, quare Domina nostra matrimonium contraxit cum Ioseph, cum non esset eam carnaliter cognituros. Respondetur, quod factum est, vt conceptus diabolo celaretur. Credo quidem quod dicunt, sed rationem nullam video, si enim diabolus sciebat Dominam nostram esse nuptam Ioseph, quod vnico actu fit, quomodo non cognosceret an illam Ioseph carnaliter cognoscebat? quia diabolo ista notasũt, potissimum cum actus ille frequẽtatus esset, si intelligeretur Maria coniux Ioseph eo modo, vt aliæ fœminæ erãt coniuges virorum suorum. Item his non stantibus dæmon cognoscebat an Domina nostra esset virgo cum in ea cerneret claustra virginalia illibata*, quia illa semper manserunt. Nec enim dici potest de diabolo, quod de matronis dicitur, scilicet quod sæpe manus fallitur, & oculus obstetricum, nam diabolo ista per omnem certitudinẽ cognita sunt. Item dato quod diabolus non consideraret claustra virginalia, quia sunt signa fallacia cũ aliqua mulier nullo modo rupt9 virgineis claustris possit semen suscepisse & cõcepisse de viro, posset diabolus aliam certitudinem inquirere, s. considerare an Domina nostra semen susceperet ex viro. nam licet diabolus non cognosceret aliquam fœminam naturaliter corrumpi à viro, quod tamen falsum est, poterat cognoscere an semẽ susceperet postquam susceperet, nam etiam in vtero fœmineo semẽ masculinum cognoscibile est per efficaciam, quam habet super humorem menstrualem mulierum, & hæc quia pure naturalia sunt, nec nimis secreta dæmoni abscondi non poterant, non ergo datus est vir Dominæ nostræ, vt conceptus diabolo celaretur. Aliæ quoque causæ quæ assignantur multum sunt de bene esse, vt magis declarabitur super Matthæum.

Necessaria autem causa videtur, quia aliter Iudæis probari non poterat Christum esse de stirpe Dauid, cum linea generationis per fœminas multum incerta esset, & apud Iudæos non describeretur, quia successio in possessionem non fiebat per fœminas, sed p viros. Vnde aliqua mulier de filiab. Moab poterat copulari alicui Iudæo sicut copulata est Ruth Moabitis Booz, vt patet Ruth. cap. vlt. & Matth. capit. 1. & tunc filius inde genitus non descenderet de semine Iacob, quantum ad matrem, ideo etiamsi ipsa esset in tribu Iuda, quia transit in familiam viri, & filii sui sint in eadem tribu, & tamen filii quan-

D

E

F

An ex eo virgo nupta est Ioseph vt partus eius diabolo celaretur & quod non, & quare ergo.

Vera causa.

A

tum ad matrem non essent de semine Iacob. Item quia mulieres vnius tribus poterant contrahere cum viris alterius trib. & maxime fiebat hoc in tribu Iuda, & Leui quantum ad partē sacerdotalem, ideo licet aliqua mulier descenderet ab eis, qui sunt in tribu Iuda tamen nesciretur, an tritauus suus, vel alius superior, vel etiam mater fuerit de genere sacerdotali. Ratio dubitationis, quia non consequitur fœminam hæreditas distinguens tribum, vel familiam: in masculo autem non potest esse istud dubiū, quia consequitur eum hæreditas patris, quæ denominat, & notificat tribum, & familiam, & particularem domum, ideo concesso, quod quilibet sit filius illius, à quo tenetur pro filio vt est præsumptio iuris, posset alicui Iudæo necessario probari per lineam Ioseph. quod Christus fuit de semine Dauid, sed impossibile est probari per lineam Mariæ, immo impossibile est lineam alicuius fœminæ, vel viri computando per fœminas cognosci, nobis autem certissime creditū est Mariam esse de semine Dauid, sed licet Ioseph fuerit de semine Dauid, non sequitur Christum fuisse de semine Dauid cum Ioseph nihil attineat ad generationem Christi generatio enim Christi ad probandum eum esse verum Messiam de semine patriarcharum, & Dauid in lege promissum scripta est. Nobis autem, qui credimus, non est opus probari aliquo modo, Iudæis autem, inter quos Christus natus est, quia nō credebant, probatio aliqua necessaria erat, vt fidei futuræ aliquod fundamentum poneretur. Et quia in quacunque arte probatio necessaria fit ex his, quæ necessaria simpliciter sunt, vel videntur necessaria respondenti, cum Iudæi dicant Christū natum esse de semine Ioseph: ex hoc potest eis necessario inferri Christum esse de semine Dauid, & concessa ista probatione ex falsissimo principio, quod Iudæi fatentur, ducentur ad veram fidem, vt postea istud falsum principium negent, & isto modo arguit beatus Lucas, quod Christus putabatur esse filius Ioseph: ergo nepos Eli, & consequenter vsque ad Abraham. Ista autem causa necessaria est quare acceperit Domina nostra Ioseph in virum, quia etiam si acceperit ad aliquas necessitates, in quibus viri fœminis sufficiunt, tamen illæ non fuerunt causa tam vrgens quia aliter beatæ Virgini poterat prouideri. Ista autem necessaria fuit, & ista sola est, quare ponatur in genealogia Saluatoris. Positus est ergo in hac linea, vt per eum probari posset descensus Christi de semine Dauid, & quia non poterat poni Ioseph in linea saluatoris, nisi publice acceptus esset in virum à domina nostra, vt sic esset aliqualis color ad probandum, quod ipse erat de semine Ioseph, fuit necessitas contrahendi matrimonium in virgine, & sic patet inductū quod distinctio hæreditatis secundum capita, & conseruatio certitudinis stirpis cuiuslibet in veteri testamento erat necessaria ad fundamentum fidei nostræ. Multa quoque alia in veteri testamento sic scripta sunt, quæ nihil conferre videbantur, sed magna fidei nostræ conferunt adiumenta. De his aliquid dicetur super Matthæum, si Deo dante aliquando illuc exponēdo accesserimus.

B

C

Quid sit nomen alicuius conseruari, vel perdi in familia.

QVÆSTIO VI.

QVæretur amplius, quid sit nomen alicuius conseruari in familia sua, vel perdi.

Respondendum est, quod non est hoc vt nomen alicuius sit tanquam caput familiæ, quia hoc rarissimis conuenit, illis solis, qui descendebant immediate à capitibus tribuum, & aliquando nepotibus ipsorum, rarissime aut pronepotibus, vt patet præc. c. cum positæ sunt diuersæ familiæ, & à quibus denominabantur. Si enim isto modo acciperentur Salphaad nō posset habere nomen in familia, nec perdere, quia ipse nō erat caput alicuius familiæ, sed magis erat de familia Hepheritarū, vt patet hic & præc. c. Sed dicetur conseruari nomen alicuius in familia sua quandocunque descendendo à capite familiæ suæ, ipse computatur tanquam vnus, & post eum sunt alii descendentes, qui cognoscuntur descendere ab ipso, verbi gratia, in tribu Iudæ accipiatur familia Pharesitarum, quæ incipit à Phares in ista Dauid familia est, quia post Phares descēderūt multi, & ex his venit Dauid, post Dauid aūt alii descenderunt de stirpe ipsius, quorum descensio cognita est, ideo nomen Dauid non est ablatum de familia sua, quia cognoscitur, quis ante eum fuerit, & qui ab ipso proueniant.

Perdi autem nomen alicuius in familia sua est, quod cum ipse descendat à capite alicuius familiæ non manet aliquis, secundum quem conseruetur extensio posteritatis huius. Fit autem hoc dupliciter, vno modo si aliquis existens in familia non habebat aliquos sibi succedentes, quia tunc nomen eius perditum est cum non sint aliqui posteri, in quibus nominetur. Secundo modo perditur nomen alicuius, si habeat posteros succedentes sibi, & semper maneat istorum successio, tamen misceantur alteri familiæ, ita vt non cognoscatur origo ipsorum, tunc enim nomen illius, à quo isti descendunt periit in familia sua, quia incognita est familia deriuata per ipsum quantum ad nos, tamen idem est esse, & non apparere. Patet hoc in exemplo dato, sc. Dauid est in familia Pharesitarum, & ad ipsum peruentum est per successiones medias à capite familiæ, sc. à Phares, si tamen Dauid non haberet aliquem filiū, per quem texeretur posteritas sua periret nomen illius in familia sua, quia licet familia Phares non erat in aliis, tamen nomen Dauid iam non maneret, quia non esset aliquis, in quo conseruaretur. Alio modo perire poterat si forte Dauid habuisset posteros, tamen illi non manerent impermixti sicut manserant omnes prædecessores sui à Phares vsque ad ipsum, sed commiscerentur aliis familiis, non cognosceretur posteritas Dauid, & consequenter periret nomen ipsius, quia nesciretur aliquē eē de stirpe Dauid, in quo denominaretur Dauid.

D

E

Quomodo tollebatur nomen Salphaad.

QVÆSTIO VII.

QVæretur amplius quomodo filiæ Salphaad dicebant nomen patris sui tolli de familia sua. Dicendum est, quod nō dicebant hoc quantum ad primum modum, quia ille est, cum non habet quis aliquem sibi succedentem, in quo maneat nomen eius Salphaad autem filias habebat, in quibus posset manere nomen illius, sc. per filios postea genitos ex filiabus: sed dicebant tolli nomen patris sui de familia sua secundo modo, sc. quia quanquam essent aliqui successores Salphaad, tamen in illis non poterat conseruari nomen eius cum miscerentur aliis familiis, & nomina viderentur pertinere ad posteritatem Salphaad. Causa est, quia certitudo alicuius stirpis non habetur ex personis, cum ipsæ mutentur per successionē, sed istud habetur per aliquid immobile, s. per possessionem, vt declaratum est, quia ad quemcunq; peruenerit possessio alicuius familiæ cognoscetur esse de illa familia, non existente autem aliqua possessione distinctiua stirpis faciliter miscebatur vna familia alteri, vel si non misceatur, quia aliæ sunt distinctæ propter possessiones distinctiuas, quas habent, saltem manebunt illi, qui sunt in familia ista tanquam aborigenes, id est, ignoti ad caput stirpis suæ, sc. quod scietur de illis, quod non sunt de ista familia, nec de illa: tamē nescietur affirmatiue de qua sint. Sicut nunc est de plebeis, in quibus nō obseruatur certitudo cognationum per iura primogenituræ, & determinationem possessionum, quia cognoscitur de quolibet eorum, quod nō sit de primogenitis istius stirpis, vel illius, & sic de aliis tamen progenies sua ignota est. Sic enim futurum erat in filiabus Salphaad, nam ipsæ intendebant gignere filios, qui succederent in posteritate Salphaad, & per ipsos continuaretur linea illi9, tamen nomen non maneret, quia cum ipsæ priuarentur possessione, quia erant fœminę non haberent aliquam possessionem distinctiuam stirpis, quam transmitterent ad posteros suos, secundum quam cognosceretur linea Salphaad: ablatum ergo erat nomen Salphaad de familia sua in perpetuum, si nō daretur possessio filiabus eius.

F

Quomodo filiæ Salphaad intendebant conseruare nomen patris sui.

QVÆSTIO VIII.

QVæretur amplius quomodo filiæ Salphaad intendebant reparare istud inconueniens, scilicet vt nomen patris earum maneret in stirpe sua data possessione, vt ipsæ petebant. Respondendum est, quod filiæ Salphaad nubere intendebāt aliquibus viris, & inde se suscepturas prolem estimabant, cum autem nascerentur filii ex eis aliqui denominarentur ex nomine virorum ipsorum, vt per illos extenderetur progenies

ipsorum

A ipſorum virorum, & iſti ſuccedebant patri totaliter in poſſeſſione. Alii autem filii harum denominarentur ex nomine Salphaad, & iſti non ſuccederent patribus ſuis, ne computarentur in ſtirpe patrum, ſed ſuccedebant ſolum in hæreditate materna, vt denominarentur ex familia aui materni, & ſic quamquam eſſent hic multi fratres alicuius filiæ Salphaad ex eodem patre, & matre, tamen non computabantur in eadem familia, nec ſuccedebant eiſdem, ſed vnus ex patre matris, & alius ex parte patris, vel ſi plures eſſent quidam ex parte matris & quidã ex parte patris. & tũc iſte, qui ſuccedebat matri in poſſeſſione Salphaad, qñ cõputaretur in linea proſapiæ ſuę nõ dicebatur filius patris ſui, quia tũc cõtinuaretur linea ſua p ſtirpẽ patris, & Salphaad non haberet aliquem, per quem computaretur ſua poſteritas, nec etiam iſte computaretur filius matris ſuæ ita quod diceretur Salphaad genuit iſtam vel illam filiam, & illa genuit talem vel talem filium, quia in lineis virorum nunquam miſcebantur fœminæ, ſed computabatur iſte tanquam filius Salphaad. Verbi gratia computando ſtirpẽ Salph. ſi incipiamus ab Hepher, qui eſt caput familiæ dicemus Hepher genuit Salph. Salph. aũt genuit iſtũ vel illũ. ſ. qui erat filius filiæ ſuæ, & iſte vocabatur hic filius quã quã eſſet nepos, quia nõ erat aliquis pater medius de ſtirpe Salphaad. Iſte modus erat computando generationem vſque ad vltimum, ita quod filii iſtius nunquam iam computarentur de familia patris ſui, ſed de familia Salphaad. Fiebat autem ſic quando aliB quis ſuſcitabat ſemen alterius, ſcilicet ſi frater maior moreretur ſine liberis, frater ſecundus accipiebat vxorem illius, vt ſuſcitaret ſemen fratri ſuo, vt patet Deut. 25. & Matth. 22. cap. & Geneſ. 38. & tunc filii iſtius denominabantur ex nomine fratris ſui mortui ſaltem aliquis eorum. Et non ſolum erat hoc, vt aliqui putant, ſcilicet quod aliquis de iſtis filiis vocaretur nomine viri mortui, ſed magis quod iſte appellaretur filius illius, & quando computaretur linea viri mortui quamquam ipſe vere non reliquiſſet aliquem ſucceſſorem debebat dici de iſto viro, quod ipſe genuerit talem, vel talem filium, vtpote ſi mortuus vocaretur Ioſeph, & filius fratris ſui ſuſcitantis ſemen vocaretur Dauid, diceretur, Ioſeph genuit Dauid, & tota poſteritas iſtius Dauid computaretur in linea Ioſeph.

Quomodo filiæ Salphaad erant acceptura poſſeſſionem nomine patris.

QVÆSTIO IX.

QVæretur vlterius quomodo filiæ Salphaad accepturæ erãt poſſeſſionem loco patris. Reſpondendum eſt, quod aliter ſuſcepturæ erãt poſſeſſionem filiæ Salphaad, quam ſi ſilios habuiſſet. Nam ſi eſſent filii Salphaad vltra 20. annum ſuſciC perent poſſeſſiones tot quot ipſi eſſent, quia non dabatur eis poſſeſſio ex iure patris, ſed ex iure ſuo, & iſtis non erat danda aliqua poſſeſſio ex nomine patris, vtpote ſi eſſent quatuor filii Salphaad, & omnes vltra annum 20. acciperent poſſeſſiones quatuor diſtinctas tanquam quatuor capita, & non daretur eis aliqua poſſeſſio nomine patris, nec ſuccedebant ei in aliquo iure, quia tamen habebant poſſeſſiones diſtinctas lineæ computaretur Salphaad per illos, & non tolleretur nomen Salphaad de familia ſua, filiæ autem non poterant hoc modo ſuſcipere poſſeſſionem, quia ex iure ſuo nihil habebãt, cum ſolis viris computatis deberetur directe poſſeſſio in terra Chanaan, ſed habebant ius ex ſucceſſione patris, ſcilicet vt id quod habiturus erat pater de poſſeſſione id haberent omnes filiæ, quia patri debebatur vnica ſors ſi ſuperuiueret omnibus quinque filiabus danda erat vnica ſors, quam aliqua de iſtis quinque haberet, in qua ſeruaretur poſteritas Salphaad ſcilicet, per filios natos ex ea, vel omnes quinque illam poſſeſſionem inter ſe diuiderent, & omnes ſuſcitarẽt ſemen patri ſuo, ita quod de qualibet earum eſſent aliqui poſteri, qui denominarentur de ſtirpe Salphaad vt infra declarabitur.

Si Salphaad habuiſſet filios paruulos quid faciendum eſſet.

QVÆSTIO X.

QVæretur amplius quid fieri deberet ſi Salphaad habuiſſet filios paruulos cum mortuus eſt, ſiue qui nũc eſſent paruuli quãdo terra diuidi debuit. Reſpondendum eſt, quod poterat Salphaad ſolos filios paruulos, vel filios, & filias, ſi tamen filios haberet nihil referebat an haberet filias, vel non, & hoc ſiue filii eſſent paruuli, ſiue magni, quia filiæ non ſuccedebant, niſi in defectum filiorum, ſtantibus autem filiis nihil perueniebat ad filias etiamſi filius vnicus eſſet, & filiæ plures, vt patet infra, ſcilicet quod cum mortuus fuerit aliquis ſuccedet ei filius, quod ſi deceſſerit ſine filio ſuccedet ei filia, non ergo curandum eſſet de quinque filiabus Salphaad ſi habuiſſet aliquem filium: & ita ipſæ in petitione ſua expreſſerũt, quia pater earum mortuus erat ſine filiis maſculis. q. d. quod propter hoc petebant poſſeſſionem debitam patri, quia nullus maſculus erat, cui competeret. Exiſtente ergo hoc, vt omnes filii Salphaad erant paruuli, ſc. non excedentes annum. 20. quando fieret diuiſio terræ, aut aliqui erant paruuli, & aliqui magni. Aliud autem membrum, ſc. ſi omnes eſſent magni vltra annum 20. non tangitur hic. quia de illo iam declaratum eſt. Etiam quia quæſtio de paruulis eſt. Si ergo dicatur primo modo, ſcil. quod eſſent omnes paruuli, dicendum quod non habebant ius ex ſeipſis ad habendum poſſeſſionem, quia nondum tranſierant ad nomen, & numerum cum non eſſent 20. annorum, ſed ſolum erat in eis ius alienum, ſ. ex ſucceſſione in iuribus paternis, ſc. quod ſicut pater eorum habebat ius ad habendam poſſeſſionem, ita ipſi ſuccederent in habendo ius ad poſſeſſionem, & quia ius ſucceſſionis non eſt maius iure prædeceſſoris, & Salphaad ſi viueret ſolum habebat ius ad vnam ſortem, filii eius paruuli vnam ſolum ſortem recipient. Si autem quidam filii eſſent paruuli, & alii magni de magnis non erat dubium, quin ſortirentur poſſeſſiones diſtinctas, quia non ſuccedebant ex iure paterno, ſed habebant in ſeipſis creatum ius alterum: ideo quot eſſent iſti maiores, tot eſſent poſſeſſiones.

De paruulis autem eſt dubium, & aliquis forte dicet, quod paruuli non ſuccedebant patri, ſed accipiebant ſortem cum fratribus ſuis maioribus. Sic patet de Ephraim, & Manaſſe, quos adoptauit Iacob dicens. Duo filii tui Ephraim, & Manaſſes, quos genuiſti, antequam venirem huc ad te, ſicut Ruben, & Simeon reputabuntur mihi reliqui autem quos genueris poſt eos tui erunt, & nomine fratrum ſuorum vocabuntur in poſſeſſionibus ſuis, vt patet Geneſ. 48. ita iſti filii paruuli Salphaad non acciperent per ſe poſſeſſiones, ſicut maiores, nec ſuccederent patri, vt haberent aliquam poſſeſſionem loco patris, ſed nominabantur ex nomine fratrum ſuorum in poſſeſſionibus eorum. Hoc tamen ſtare nequit, quia tunc eſſent aliqui viri ingredientes in terram Chanaan, quibus non daretur poſſeſſio præter Leuitas. Sed hoc falſum eſt, quia tunc non haberent illi, vnde viuerent, quia poſſeſſiones præſtabant alimẽta. Item lineæ generationis deriuatæ ab iſtis non poſſent cognoſci, ſed tolleretur nomen eorum de ſtirpe ſua, quod eſt iniuſtum, vt Deus dixit hic, ſc. quod daretur hæreditas filiabus. Salphaad, ne periret nomẽ patris earum de familia ſua. Quod autem periret nomen iſtorum de ſtirpe ſua, paret quia cognoſcebatur ſtirps per poſſeſſionem conſequentem viros ſtirpis, vt ſup. declaratum eſt. ſed iſti non haberent aliquam poſſeſſionem, ergo quamquam deriuaretur ab eis poſteritas non conſeruaretur in illa nomen ipſorum, quia incognitum foret cuius eſſet illa poſteritas, quia non habebant poſſeſſionem diſtinctiuam. ergo debuerunt iſti habere poſſeſſionem. Quod autem ſequeretur eos non habere poſſeſſionem ſi non ſuccederent patri apparet, quia ſi computarentur in poſſeſſionibus fratrum ſuorum, & nominib. familiarum, ipſorum non haberent poſſeſſionem à fratrib. ſuis, quia fratres non ſuccedunt fratrib. ſed filii ſuccedunt eis ideo cum illi fratres maiores accepiſſent hæreditatem, tenerent eam in vita & poſt mortem tranſmitterent ad poſteros, fratres ergo minores nunquam ſuccederent illis in hæreditatem in toto, nec in patre, & ſic nũquam haberent ipſi nec poſteri eorum aliquam poſſeſſionẽ, & ſtarent omnia inconuenientia ſupra aſſignata. Cum autem allegatur de Ephraim, & Manaſſe, quod iſti fuerunt diſtincti in duas tribus, & reliqui fratres eorum debebant nominari in poſſeſſionib. eorum, & cognationib. non eſt ſimile, quia licet Ephraim, & Manaſſes eſſent duæ trib. & omnes alii filii, qui naſcerentur de Ioſeph non facerent ſpirituales tribus, tamen accipiebant partem poſſeſſionum aſſignatarum tribui Manaſſe, vel tribui Ephraim, aut ſaltem accepturi erant, ſi fuiſſent

A nulli tamen fuerunt hoc patet Gen. 48. c. in præallegatis verbis Iacob, ſc. & nomine fratrum ſuorum vocabuntur in poſſeſſionibus ſuis, id eſt, alii qui nati fuerint, nominabuntur nomine fratrum ſuorũ, id eſt, de tribu Ephraim, vel Manaſſe, & hoc in poſſeſſionibus ſuis, id eſt, accipient partem poſſeſſionis aſſignatæ Manaſſe, vel tribui Ephraim. Hic autem non erat ſimile, quia filii paruuli Salphaad non erant accepturi de poſſeſſionibus fratrum ſuorum maiorum, quia quilibet illorum accipiebat ſingillatim poſſeſſionem, tanquam vnum caput, & illam tranſmittebat ad filios, fratres autem minores nihil accepturi erant de poſſeſſionib. fratrum maiorum, niſi forte decederent fratres non habentes filios. Dicendum ergo, quod filii minores anno 20. ſiue eſſet vnus ſiue plures ſuccedebant in iure patris, ſc. quod haberent vnicam ſortem, quã pater habiturus erat, ſi viueret. & illam inter ſe diuiderent fratres autem maiores haberent ſingulas ſortes, & hoc mõ non ſequeretur aliquod inconueniens, quia omnes haberent hæreditatem, & nullius familia fieret incerta, cum eſſet ibi hæreditas diſtinctiua.

Quomodo ſe habere debebant filiæ Salphaad, ne tolleretur nomen patris de familia ſua.

QVÆSTIO XI.

B QVæretur vlterius, quomodo ſe habere debebant filiæ Salphaad ſuſcitando ſemen patris ad hoc quod non tolleretur nomen Salphaad de familia ſua. Ad hoc præſupponẽdum eſt, quod filiæ Salphaad ſiue haberent ſortem ex iure patris, ſiue non procreare poterant liberos, in quibus maneret nomen Salphaad, erat tamen differẽtia, quia ſi non haberent poſſeſſionem ex iure patris liberi nati ex eis miſcerentur alteri familiæ, & non maneret diſtincta progenies Salphaad, quia non erat aliquid diſtinctiuum ad hoc ergo quod in filiis filiarum Salphaad conſeruaretur nomen Salphaad, debebat dari eis hæreditas, vt filii nati ex eis denominarentur ex nomine Salphaad, & per illam hæreditatem, quæ proueniſſet de iure Salphaad, & maneret in nepotib. conſeruaretur in eis diſtincta progenies Salphaad ab omnib. aliis lineis generationum: ſed hoc poterat fieri dupliciter. Vno modo, quod acciperent filiæ Salphaad poſſeſſionem, quæ proueniebat eis nomine patris ſui, & illa daretur alicui ipſarum ſolum, & tunc cum illa genuiſſet liberos viro ſuo aliqui de illis nominarentur de ſtirpe Salphaad, & illi acciperent hæreditatem illam, omnes aũt alii filii eiuſdem computarentur ex nomine, & progenie viri ſui, & iſti non ſuccederent in hæreditate materna, quæ prouenerat ei propter Salphaad. Alio modo fieri poterat, ſcil. quod hæreditas iſta, quæ proueniebat ex ſucceſſione Salphaad diuideretur inter omnes quinque filias æqualiter, & tunc omnes ſuſcitarent ſemen patri ſuo, ſ. quod aliquis filius cuiuslibet earum denominaretur de ſtirpe Salphaad, & illi proueniret pars hæreditatis, quam habuerat mater ſua ex iure Salphaad. Cæteri autem filii eiuſdem denominarentur de ſtirpe viri ſui, & ſuccederent ei in hæreditate, nihil ſuſcipientes de parte, quæ prouenie bat ex ſucceſſione Salphaad, & hoc modo haberet Salphaad quinque lineas per quas deriuaretur nomen ſuum, ſc. per quinque filios quinque filiarum ſuarum, velut ſi illi eſſent filii immediati Salphaad.

C

Qui modus dictorum ſit veriſimilior.

QVÆSTIO XII.

QVæret aliquis vlterius, quis modus iſtorũ ſit veriſimilior. Reſpondendum eſt veriſimilius eſſe, quod omnes iſtæ quinque filiæ acciperent hæreditatem, & diuiderent eam inter ſe atque ex qualibet eſſent aliqui filii, per quos extenderetur linea Salphaad, quam quod traderetur hæreditas vni filiæ ſolum, & in poſteris illius conſeruaretur poſteritas Salphaad. Quod patet ex earum petitione, quia non petierunt poſſeſſionem pro vna earum, ſed pro omnibus dicentes. Date nobis poſſeſſionem inter cognatos patris noſtri, quaſi omnes poſſeſſionem habituræ eſſent. Item hoc p3 magis ex reſponſione Dei, cum dicitur, Da eis poſſeſſionem inter cognatos patris ſui, & ei in hæreditatem ſuccedant, vnde omnib. illis dedit ius ſuccedendi, & habendi poſſeſſionem. Item patet ex conqueſtione filiorum Manaſſe infra 36. c. vbi dixerunt poſſeſſionem traditam eſſe filiab, Salphaad quaſi omnes haberent poſſeſſionem. Etiam iſte modus magis conueniebat ad ſuſcitandum ſemen Salphaad, quia ſi vni filiæ daretur ſolum hæreditas poſſet eſſe, quod illa non haberet liberos, & ſic periret nomẽ Salphaad in familia ſua, cum non eſſet aliquis, per quem extenderetur progenies eius. diſtributa autẽ hæreditate in omnes filias, non poterant omnes, vel ſaltẽ non erat veriſimile, quod carerent prole ſicut vna earum carere poſſet. Cõſiderandum autem circa hoc, quod diſtributa hæreditate Salphaad in filias eius ſi ex illis naſcerentur filii & filiæ hæreditas Salphaad ſolũ prouenire debebat filiis, quia per illos duntaxat continuari debebat linea ſtirpis, & non per fœminas, & hoc per legem communem ſucceſſionis, ſc. quod filiæ nunquam ſuccederẽt non exiſtentibus filiis, vt patet infra.

D

Quid factum eſſet de parte hæreditatis eius, quæ forte non habuiſſet filium.

QVÆSTIO XIII.

QVæretur vlterius quid ſi diſtributa hæreditate Salphaad in omnes quinque filias non haberent omnes filios, ſed aliquæ earum prolem non gignerent, aliæ autem ſolas filias procrearent? Reſpondendum eſt, quod de gignentibus filias, vel de nihil gignentib. non erat hic aliqua differentia, dum tamen aliqua de filiabus gigneret filios ſaltem vnum. Verbi gratia erant quinque filiæ Salphaad, quibus deſtributa erat hæreditas patris, vt ſuſcitarent ſtirpem patris ſui, & quatuor earum gignerent filias, & vna gigneret filios, tunc nihil magis erat: quod illæ quatuor nihil genuiſſent, quam quod gignerẽt filias, quod patet, quia ſi aliquis genuiſſet vnum filium, & multas filias filiæ nihil ſuccedebant, ſed filius erat vniuerſalis hæres. filiæ autem ſuccedebant non ſtantibus filiis, vt patet infr. ſic autem erat in omnibus ſiue filiis, ſiue filiabus natis de filiabus Salphaad, quia erant quaſi filii vnius patris: nam omnes erant ad ſuſcitandum nomen Salphaad, & omnes habebant vnicam hæreditatem Salphaad, in qua ſuccedere debebant. iõ quamquam eſſent multæ filiæ, ſi tamen eſſet aliquis filius ipſe ſolus ſuccedebat, ſic in caſu dato cum quatuor filiæ Salphaad parerent filias, & vna earum pareret filios, illæ quatuor habebantur tanquã nihil peperiſſent, & tunc reſpondetur ad quæſtionem, quod ſi aliqua de filiabus Salphaad, aut multæ de eis parerent filias, vel nihil parerent, hæreditas Salphaad, in qua ſucceſſerant omnes quinque filiæ, æqualiter debebat redire ad illam, vel illas ſolum, quæ parerent filios, quia per illos erat extendenda linea Salphaad, aliæ autem filiæ penitus tranſibãt in familiam virorum ſuorum.

E

Quid actum eſſet ſi omnes parerent fœminas tantum.

QVÆSTIO XIV.

F QVæretur vlterius, quid ſi omnes filiæ Salphaad parerent filias, quia per illas non poterat extendi linea Salphaad cum fœminæ non ponantur in linea virorum. Reſpondendũ eſt, quod fieri debebat de filiabus iſtarum, ſicut fiebat de ipſis reſpectu Salphaad patris ſui, ſcilicet quod filiæ iſtarum filiarũ, quæ eſſent nepotes Salphaad ſuccederent in hæreditate æqualiter, vt ſicut Salphaad non habuit filios, ſed filias, & inter illas diuiſa eſt æqualis hæreditas, ita inter filias iſtarum filiarũ diuideretur æqualiter hæreditas matrum ſuarum, quæ prouenerat ex Salphaad, vt poſtea iſtæ coniunctæ viris gignerent filios, qui eſſent pronepotes Salphaad, & per quos extenderetur progenies illius, & ſi iſtæ neptes Salphaad iuncte viris ſolas filias gignerent, iterum eis debebat diuidi hæreditas æqualiter ſub ſpe, quod aliquando iſtæ filiæ vnitæ viris gignerẽt filios, in quibus maneret nomen Salphaad, & ſi contingeret, quod in omnib. generationib. Salphaad gignerentur ſemper filiæ ex filiabus, & nunquam aliqui filii, etiam ſemper hæreditas ſic diuidenda erat. quia in defectum filiorum ſuccedunt filiæ, vt patet infra, & eadem iudicanda ſunt de filiis, vel filiabus iſtarum neptium Salphaad, quæ iudicabantur de filiis filiarum, vt ſupra declarauimus.

A

Quomodo computanda fuisset linea Salphaad, si filiæ suæ non peperissent filios, nec filiæ filiarum vsque ad multas generationes.

QVÆSTIO XV.

QVæretur qualiter computanda esset linea Salphaad, quando per deriuationem filiarum suarum non descenderent aliqui filii vsque ad multas generationes, sed omnes essent fœminæ, vt pote si filiæ Salphaad gignerent filias solũ, & illæ rursus gignerent alias filias solum vsque ad sex, vel septem generationes aut amplius, & postea in octaua generatione gignerentur filii, & deinde semper filii, quomodo computaretur linea Salphaad. Respondendum est, quod non poterat computari per filias, & neptes, sed solum per posteros, qui essent masculi, ita vt medio omisso Salphaad diceretur genuisse primum de posteris, qui in stirpe eius masculus esset, verbi gratia Salphaad erat in familia Hepheritarum, & transierunt septem generationes post eum, in quibus nullius fuerit masculus: in octaua gigneretur masculus nomine Iacob, & in nona masculus nomine Ioseph, & sic postea descendendo in incipiendo computare familiam Hepheritarum ab Hepher, qui erat pater Salphaad dicere debebamus Hepher
B genuit Salphaad, Salphaad autem genuit Iacob, Iacob vero genuit Ioseph, & sic de aliis, & subticebantur hic septem generationes, in quibus fuerunt solæ fœminæ tanquam nulla generatio fuisset, sed immediate Salphaad genuisset Iacob.

Si vana filia Salphaad genuisset filias, & aliæ nihil ad quem hæreditas transferebatur.

QVÆSTIO XVI.

QVæretur vlterius, quid si aliquæ de filiabus Salphaad genuissent solas filias, aliæ autem nihil genuissent. Respondendum est, quod illæ, quæ nihil gignerent, debebant transmittere hæreditatem ad illas, quæ genuissent aliquas filias. hoc autem propter duo. Primo causa suscitationis seminis Salphaad. Secundo ex lege communi successionis.

Quantum ad primum patet, quia ista possessio non fuit data filiabus Salphaad ex iure suo, sed solum, vt suscitarent nomen patris, ne periret in familia sua, vt patet ex earum petitione, & Dei concessione, sed per illas, quæ nihil genuerant non poterat vllatenus conseruari, vel extendi nomen patris, per illas vero, quæ genuissent saltem filias poterat extendi, quia licet filiæ directæ non proficerent ad nominis conseruationem, tamen quia illę coniunctæ viris poterant filios gignere,
C in quibus conseruaretur nomen Salphaad debebat transire hæreditas ad illas. Secundo patet hoc ex iure communi successionis, quia infra datur regula, quod si moriens non habet filios succedant filiæ, si autem non habet filias succedant patrui, quibus non stantibus succedant propinquiores, sed filiæ Salphaad non habebant alios propinquiores, quam erant ipsæ inter se, ergo si aliqua earum careret liberis succedebat ei alia soror, & filiæ sororum, in quibus conseruaretur nomen Salphaad.

Quo tempore pars hæreditatis sororis debebat transire ad filias alterius sororis.

QVÆSTIO XVII.

QVæretur vlterius in casu prædicto, quando vna de filiabus Salphaad non habebat filios, nec filias, & erat possessio sua transitura ad filios, vel filias aliarum sororum, in quibus conseruaretur nomen Salphaad, quo tempore transire debebat, scilicet, an immediate, vel post mortem non habentes liberos.

Aliquis respondebit, quod transire debebat ista hæreditas ad alias sorores, vel ad filios, aut filias earum, quando certum erat, quod aliqua de sororibus non poterat habere prolem, scilicet, quod aliqua earum à principio cum vniretur viro suo non posset habere prolem, non propter hoc erat ei auferenda hæreditas, quæ prouenerat propter patrem suum Salphaad, sed spectandum erat vsque ad tempus illud, in quo manifeste cognosceretur de ipsa, quod non posset habere liberos, scilicet, quod esset vetustissima, vel defuncto viro, nollet habere alium, & diceret causam esse, quia possessio data est istis puellis propter Salphaad, vt suscitarent semẽ illius in familia sua, quando ergo cessaret causa ista in aliqua, debebat quoque cessare hæreditas manere apud ipsam, sed quod transiret ad alias, in quibus finis iste haberi poterat, scilicet, quia habebant liberos, in quibus maneret nomen Salphaad.

D

Sed dicendum est non stare, quin potius postquam istæ quinque sorores diuisissent inter se hæreditatem, quæ prouenerat ex iure patris, quamquam aliqua earũ non posset habere liberos, núquam debebat ei tolli hæreditas, quia licet possessio fuisset data istis puellis, vt conseruaretur per eas nomen patris in familia sua; tamen postquam diuisa esset hæreditas inter illas, quælibet portio manere debebat apud illam, cui traderetur, quia ius illius portionis pertinebat ad eam, ideo non debebat spoliari iure illo viuens, quanquam non haberet liberos, sed vsque ad mortem manebat ei possessio sua: postea autem transibat ad alias sorores. Hoc tamen differebat, quia ista, quæ non habebat liberos cum moreretur, nõ poterat instituere aliquẽ alium hæredem, in illa portione hæreditatis, quam habuerat rex Salphaad nisi sorores suas, vel filios, aut filias earum. Causa est, quia ista possessio data fuerat filiabus Salphaad, propter patrem suum, vt conseruaretur nomen patris eius in familia sua. Si autem aliqua de filiabus eius
E non habens liberos instituisset aliquem alium hæredem in portione sua, iam transiret hæreditas Salphaad ad alias familias, & isto modo confunderentur possessiones, & miscerentur lineæ cognationum, nec erat hoc speciale in filiabus Salphaad, sed etiam in omnibus descendentibus, nam nemo poterat instituere hæredem, nisi modo, quo infra cauetur. Item sicut non licebat alicui vendere possessionem suam, nisi ad plus vsque ad iobelæum: postea autem redibat ad priorem dominum, & ad familiam pristinam, vt patet Leuit. cap. 25. ita à fortiori nemo posset instituere hæredem aliquem, qui esset extra cognationem suam, vel illum, qui erat minus propinquus omisso alio, qui erat propinquior alicui filiæ Salphaad, quam aliæ sorores eius, vel filii, aut filiæ ipsarum: ergo si aliqua earum decederet sine liberis nullum præter sorores, vel liberos earum poterat hæredem instituere.

Si quælibet filiarum Salphaad habuisset tantum vnum filium, quod nomen debebant suscitare: patrũ an aui.

QVÆSTIO XVIII.

QVæretur amplius, quid si quælibet istarum filiarum Salphaad, solum haberet vnicum filium, an deberet ille suscitare nomen Salphaad, in familia sua, vel non. Dubii ratio
F est, quia sicut nomen Salphaad conseruandum erat in familia sua per filios filiarum suarum, ita & nomen virorum coniunctorum ipsis conseruari debebat in familia sua, scilicet quod quilibet vir accipiens aliquam de filiabus Saalphaad in vxorem erat descendens per lineam alicuius stirpis, & nomen illius conseruandum erat in familia sua, sicut nomen Salphaad in familia sua, cum tamen esset vnicus filius non poterat conseruari vtrumque nomen, quia aut ille denominaretur de linea patris sui computando eo modo, quo supra computabamus in Salphaad, & posteris eius, & tunc conseruaretur nomen patris in familia sua, sed nomen Salphaad periret, quia non erat aliquis, in quo conseruaretur linea eius. Si autem nominaretur de linea Salphaad, qui erat auus maternus, periret nomen patris sui in familia sua, quia non erat aliquis, per quẽ deriuetur sua posteritas.

Respondendum est, quod aut quælibet istarum filiarum Salphaad habebat vnum filium, & multas filias, vel saltem aliquam: aut quælibet habebat vnum filium, & nullam filiam, aut vnica earum habebat vnicam filiam. In primo modo dicendum est, quod filii debebant nominari de linea patrum suorum, & illi succederent eis, scilicet, vnicus filius vni patri, & per illos conseruaretur patris posteritas filiæ autem succedebant Salphaad auo materno, & habituræ erant possessionem matrum, vt conseruaretur in eis nomen Salphaad, sicut factum fuerat in matribus earum, scilicet, quod quamquam

matres istarum puellarum non fuerunt filii masculi, tamen successerunt in hæreditate, quam habiturus erat pater, vt nomen eius suscitarent, scilicet quod in filiis natis ex eis conseruaretur nomen patris, ita & in neptibus Salphaad fieri debebat, quia ipsæ poterant coniungi viris, & inde gignerentur filii, in quibus conseruaretur nomen Salphaad.

In secundo autem casu erat difficilius, quia quælibet habebat vnicum filium, qui nō poterat denominare duas familias, scilic. patris sui, & aui materni: ideo videtur quibusdam, quod iste deberet denominari à Salphaad, & succederet in hæreditate eius. Nomen autem patris huius non conseruabatur in isto, & hoc quia ipse poterat habere aliam vxorem, ex qua gigneret liberos, qui stirpem eius extenderent, filia autem Salphaad non poterat habere alium virum ex quo prolem suscideret, ideo debebat nominari iste de familia Salphaad, & succedere illi, & si pater eius viuente vxore, vel ea mortua acciperet aliam, ex qua gigneret liberos, filius prior nequaquam pertinebat ad familiam patris, nec succedebat ei, sed filii ex secunda vxore. Nec refert, an ex eadem filia Salphaad habuisset multos liberos, vel ex alia vxore alios, quia semper stat ipsum habere multos liberos in quorum quibusdam potest nomen eius conseruari, & in aliis seruabitur linea Salphaad. Sed istud planum est, quia hic fit reductio ad casum, quis simul habet multos liberos, sed posita vnitate filii, siue habuit vnam vxorem multas.

Dicendum erit, quod aut ille filius est ex filia Salphaad, aut ex aliqua alia vxore, si autem ex alia, nihil attinebit ad lineam Salphaad, nec succedet ipsi, aut conseruabitur nomen eius in illo. Si autem iste filius fuerit ex filia Salphaad genitus, & mater nec pater vnquam vllum alium habeant, stat dubium, quod à principio Et tunc dicunt quidam, quod iste vnicus filius succedet in hæreditate patris, & aui materni, sed solum denominabatur de linea patris. Postea vero si multos filios habuit aliqui denominabuntur de linea sua, & alii de linea Salphaad. Isto modo satis prouidebatur vtrique, scilicet, quod nullius nomen periret in familia sua. Tamen præsupponitur aliquid, quod est valde difficile, & satis videtur esse falsum, scilicet, quod illi, qui semel fuerunt in vna familia, pertinere possint postea ad alteram familiam: sic enim esset hic, scilicet iste filius filiæ Salphaad effectus est totaliter de familia patris sui, ideo omnes filii eius pertinebunt ad familiam hanc, & consequenter nullus poterit pertinere ad familiam Salphaad.

Causa huius satis apparet, scilicet, ne familiæ confundantur, quod fieret si ille, qui in vna familia est ad aliā posset pertinere. Necessario ergo dicendum, quod iste filius, aut totaliter pertinet ad familiam Salphaad, & omnes posteri sui cum eo, aut totaliter ad familiam patris sui.

Opinio aliquorū reiicitur.

Dicet autem aliquis, quod pertinebat ad familiam Salphaad, quia mater illius cum haberet possessionem à patre suo Salphaad, vt conseruaret nomen illius, ob hoc nubebat viro, vt proles inde genita pertineret ad lineam Salphaad, iō si vnicus filius nasceretur ad illum pertinebat.

Sed magis stat contrarium, quia filii magis debent nominari à patribus quam à matribus, quia magis assimilantur in naturæ conformitate, sc. in sexu.

Item quia merita patris sunt potiora. Item quia lineæ semper describuntur per patres: per matres autem nunquam, nisi per accidens. Item quia inconueniens est hic æquale vtrique, scilicet quod si iste filius denominaretur de linea Salphaad totaliter peribit cognatio patris, scilicet quod non habebit posteritatem. Si vero denominetur ex patre nullam habebit posteritatem Salphaad. In causa ergo æqualis inconuenientis vtrinque potior est conditio patris quam matris, & sic denominabitur iste de linea patris, & linea Salphaad totaliter peribit. Si tamen diceretur secundum alios, qui volebant istum vnicum filium nominari de stirpe Salphaad, non fieret hoc in filiis omnium filiarum Salphaad, sed in filio vnius filiæ, scilicet quinque filiæ Salphaad genuerunt quinque filios, in vno vero eorum hoc fieret solum, scilicet quod denominaretur de stirpe Salphaad. reliqui autem quatuor filii, quatuor filiatū Salphaad denominabuntur solum à patribus suis, sed tunc hæreditas, quæ erat apud omnes quinque filias Salphaad trāsibit ad illū filium vnius, in quo manet stirps Salphaad, & ipsæ pertinebunt penitus ad familiam virorum suorum. Causa est, quia possessio, quam habuerunt istæ quinque filiæ, erat illa quam solus Salphaad habiturus esset, & illa permansura erat in stirpe Salphaad semper, vt per eam distingueretur ab omnibus stirpibus, filii tamen quatuor filiarum Salphaad, non pertinerent in hoc casu ad stirpem Salphaad. ergo non debebat manere hæreditas Salphaad penes illos, sed transibant tota ad illum, qui denominabat lineam Salphaad. In tertio casu dicendum est, sicut in primo, scilicet quod vnica filia Salphaad habente vnum filium, & multas filias, filius succederet patri, tam in hæreditate, quam in nomine stirpis suæ: filiæ autem succederent Salphaad habentes possessionem, quæ proueneratab ipso, vt ex eis nascerentur liberi. In quarto casu dicendum est, sicut in secundo, scilicet quando vnica filia Salphaad genuit vnicum filium, aliæ autem nec filios, nec filias genuerunt, ille succedet in hæreditate patri; linea autem Salphaad cessabit. Idem autem erit si ponamus filias, scilicet quod quælibet filiarum Salphaad genuit multas filias, & nullum filium, nam tunc aliquæ earum succedent in nomine, & hæreditate Salphaad aui materni: aliæ in linea, & hæreditate patris, vt per eas extendantur istæ duæ lineæ, vt supra dictum est. Si vero quælibet filiarum Salphaad vnicam filiam habuit, & nullum filium, vel omnibus carentibus liberis vnica de filiabus Salphaad: dicendum erit, sicut in præcedentibus, scilic. quod istæ filiæ denominentur de nomine patrum, sicut filii, & per eas extendetur linea patris.

Si filiæ Salphaad haberent vnicum filium tantum denominatum à Salphaad, cuius erit hæreditas.

QVÆSTIO XIX.

QVæretur amplius in casu prædicto, si quælibet filiarum Salphaad habuit vnicum filium, vel vnica earum habuit vnicum filium, & ille non denominetur de stirpe Salphaad, ad quem debet prouenire hæreditas materna, quam habuerat ex Salphaad.

Respondebit aliquis, quod succedat filius quamquam non denominetur de stirpe aui, quia ex lege successionis filii sunt directe hæredes, omnes autem alii propinqui sunt hæredes in defectum filiorum, vt patet infra etiam ex lege humana sic est: ideo cum hic sit filius, debet succedere matri. Sed dicendum est nō esse verum simpliciter, sed distinguendum, quod, aut, moriente ista matre, aliæ sorores manebant, quæ adhuc possent habere liberos, aut non: si manerent, & aliquos genuissent, per quos posset deriuari posteritas Salphaad succedebant sorores consobrini. filii autē non, & iste erat specialis casus, propter hoc, quod hæreditas hæc data erat principaliter ad conseruandum stirpem Salphaad. Cum ergo in isto, qui erat nepos Salphaad ex matre non conseruaretur linea Salphaad propter causam supra dictam transitura erat hæreditas ad alios, in quibus conseruaretur illa linea, scilicet ad sorores, & ad filios earum. Dato etiam, quod sorores non haberent filios, nec habere sperarentur: si tamen esset aliquis alius, per quem secundum legem posset denominari, & deriuari progenies Salphaad ad illum deuolueretur hæreditas, nec erat in ista successione, sicut nunc est vulgariter apud nos, quia rarissime attenditur certitudo progenierum, nec pertinet aliqua possessio specialiter ad denominandum aliquā familiam, nisi in quibusdam, in quibus seruatur ius primogenitureę, ideo vulgarit. filii succedunt, tam patribus quam matribus, siue maneant in eadem progenie, siue non. Cum autem arguebatur, quod filii debebāt succedere directe ante omnes alios, & nullus erat hæres, nisi defectum filiorū. Respondendum est hoc esse apud nos verum vulgarit. tam in matre, quam in patre, nisi cum filii ob aliquam causam priuantur penitus successione paterna, vel materna. Apud Hebræos autem erat hoc vulgarit. in patre, quod filii succederent ei. In matre aūt non erat vulgare. Causa diuersitatis est, quia filii semper denominātur de stirpe patris, siue vnicus sit, siue multi. Quia si vnicus est denominabitur de stirpe patris, & non auorum maternorum, vt supra probatum est: si autem multi sunt omnes poterunt denominari à patre, & semper denominabuntur, nisi in casu dato, scilicet quando auus maternus non habuit aliquem filium masculum, quia tunc denominabuntur ab auo materno, & sic cum aliquis habet filios necesse est, vt omnes, vel aliquis eorum succedat ei. In matre autem non est sic, quia si ipsa habet

possessionem

A possessionem ex patre suo, vt patet in casu dato si vnicus filius est, nominabitur de stirpe patris, & nõ matris, ideo possessio, quæ certificabat lineam aui materni, non trãsibit ad nepotẽ, qui non denominabat progeniem aui materni, ne misceantur possessiones familiarum, sed redibit ad illos, qui denominare possunt progeniem matris.

An si nulla filia haberet filium, vel filiam, periret nomen patris.

QVÆSTIO XX.

QVæretur amplius, quid si nulla de filiabus Salphaad haberet filium, vel filiam, quo suscitaretur nomen patris sui. Respondendũ est, q̃ tunc necesse erat perire, quia progenies continuatur per deriuationem posterorũ: non existentibus autem posteris, necesse est illam deficere, & sic multæ familiæ perierunt: sicut patet de quinq; familiis in tribu Beniamin. c. præced. Habuit namq; Beniamin decẽ filios: Gene. 46. ex quib. debebant nominari decẽ familiæ, sed solum ex quinque eorum familiæ nominatæ sunt, & ex duob. nepotibus, vt patet præced. c. & 1. Paralip. c. 8. & sic fuit de aliis tribubus, in quib. defecerũt quædam familiæ, vt fuit declaratum præced. c. hoc autem fuit, quia defecit posteritas in illis, per quam familiæ extenderentur.

B

Deficiente familia Salphaad, quis fuisset hæres.

QVÆSTIO XXI.

QVæretur amplius in casu prædicto ad quem deuoluere-tur hæreditas Salphaad. Respondendũ est, quod familia Salphaad poterat dupliciter deficere: vno modo, quod filię eius genuissent liberos, s. quælibet earum vnum filium, vel filiam, & illi non nominarentur de stirpe Salphaad, sed de linea patrum suorum: alio modo poterat deficere linea Salphaad, si filiæ eius nunquam genuissent. In primo casu dicendum, q̃ si aliqui alii essent in cognatis Salphaad, qui possent denominare lineam illius debebat prouenire hæreditas in illos, & non in filios harum filiarum Salphaad. Causa huius est, quia ista possessio dabatur, vt non periret nomen Salphaad in familia sua: erat ergo danda illi, qui posset conseruare nomen Salphaad, sed filij filiarum non conseruabant, & alij conseruabãt: ergo ad illos transitura erat hæreditas, & tamen nulli erant cognati, in quibus posset nomen Salphaad conseruari, quia licet multi essent cognati Salphaad quilibet illorum erat in aliqua linea speciali, & non poterat denominari ab alia, quilibet namque vir erat, tanquam vnum caput computatum in deriuationem familiæ suæ. Si autem accipiens nomen Salphaad computaretur de linea illius, iam cessaret nomen familiæ suæ antiquæ, ideo nullus de propinquis Salphaad poterat suscitare nomen illius, ideo in casu dato necesse erat hæreditatem prouenire nepotibus Salphaad, quamquam non conseruaretur in illis linea eius, & tunc transibat possessio de vna familia in aliam, sed non confundebantur, quia vna earum totaliter perierat. fiebat autem ista successio ex lege propinquitatis, & non ex iure conseruandi nominis: nullus enim poterat habere hæreditatem istam ad conseruandum nomen Salphaad, quia nullus talis erat, ideo solum manebat ius cognationis ad succedendum, & quia nullus est propinquior matri, quam filius succedebant filii. Secundus casus, in quo nomen Salphaad peribat in familia sua, erat si filiæ suæ nullum genuissent, & tunc per legem successionis, quæ habetur infra, debebat prouenire hæreditas ad propinquiores, scil. ad cognatos patris earum, & tunc etiam transibat possessio vnius progeniei in alteram, sed non miscebantur, quia vna earum iam perierat. *Quia non habuit filium.* Id est, tollitur nomen patris nostri de familia sua per legem supra positam, quia nõ habet filium masculum, s. quod præcedẽti ca. soli masculi 20. anno computabantur ad habẽdam possessionem, per quod tollebatur ius possessionis Salphaad, quia non habebat filium, & sic periret nomen eius in familia sua propter defectum possessionis, vt supra declaratum est. *Date nobis possessionem.* Ista est conclusio filiarum Salphaad, scil. quod daretur eis possessio, quam habiturus erat pater, & ipsæ suscitarent semen, quia vnirentur viris, & in filiis inde genitis cõseruaretur linea Salphaad, vt patet ex supr. declaratis. Si autem istæ puellæ non possent conseruare nomen patris sui in familia sua, non daretur eis aliqua possessio, quia solum dabatur possessio nomine patris.

C

D

Inter cognatos patris nostri. Id est in tribu, & familia patris nostri. Erat enim Salphaad de tribu Manasse, vt patet hic, & præcedenti cap. ideo filiæ eius non debebant suscipere hæreditatem in aliqua alia tribu, quia possessiones tribuum debebant esse impermixtę, vt sic cognosceretur distinctio tribuum, vnde Deus iussit, ne miscerentur possessiones propter certitudinem familiarum & tribuum, vt patet infra 36. capi. sc. cunctæ fœminæ maritos de eadem tribu accipient, vt hæreditas permaneat in familiis, nec misceantur tribus, sed ita maneant, vt à domino separatæ sunt. Idem autem erat de familia, sc. quod acciperent filiæ Salphaad possessionem in familia patris sui. Erat enim de familia Hepheritarum, & inter Hepheritas accipere debebant portionem. Causa huius est, sicut in tribu, s. quod nullus accipere debebat possessionem in terra alteri⁹ tribus, ita nullus acciperet partem in terra alterius familiæ, quia sicut primum fiebat ne tribus miscerentur propter confusionem possessionum, ita fieret confusio familiarum si aliquis de vna familia haberet possessionem intra sortem alteri⁹ familiæ. Deus autem voluit, quod etiã familiæ essent impermixtæ. Causa enim eadem erat in omnibus, vt supra declaratum fuit, quod autem vellet hęc Deus, patet quia dicitur infra 36. cap. vt hęreditas permaneat in familiis, & ne sibi immisceantur tribus, sed ita maneant, vt à domino separatæ sunt: ita autem factum est, quia in diuisione terræ data est possessio filiabus Salphaad in dimidia sorte tribus Manasse ad occidentalem partem Iordanis, & hoc quia familia Hepheritarum, de qua erat Salphaad accepit possessionem ibi, vt patet Iosue 17. c. sic etiã infr. 36. c. dicitur, & possessio, quæ eis fuerat attributa mansit in tribu, & familia patris earum. nec solum acceperunt possessionẽ in familia patris sui, sed etiã coactæ fuerũt accipe viros de tribu, & familia patris sui, vt patet præallega. cap.

E

Retulitque Moyses causam earum ad iudicium Domini. Id est, nesciuit immediate respondere Moyses quid iustum esset, aut expediens in hac causa, ideo retulit petitionem istam ad iudicium Dei, id est, proposuit illam coram Deo, vt Deus iudicaret in illa.

Quomodo causa filiarum Salphaad fuerit relata ad Deum per Moysen.

QVÆSTIO XXII.

QVæretur quis fuerit modus, quo retulit Moyses istam causam ad iudicium Dei.

Respondendum est, quod multis modis poterat Moyses inquirere ista à Deo, sicut Deus multis modis reuelat se prophetis, scilicet quatuor, vel quinque modis, vt declaratum est supra duodecimo, & vigesimoquarto capitul. plures tamen modi sunt, quibus Deus potest se reuelare Prophetæ alicui, quam modi, quib. propheta potest aliquid inquirere à Deo. Nam vnus modus reuelationis propheticæ erat in somno p immutationem phantasiæ: tunc tamen propheta à Deo nihil inquirere potest, quia non habet aliquem actum humanum sopore depressis omnibus rationalibus. Dicendum autem duos esse modos, quibus Moyses potuisset inquirere à Deo iudicium in ista causa: primus erat introeundo in Sancta sanctorum, quia tunc responderetur ei de propitiatorio, vt patet Exod. cap. 25. erat enim Angelus intra propitiatorium, qui loqueretur inter alas duorum Cherubim. Secundus modus erat, si quęreret Moyses ad ostium tabernaculi: ibi enim respõderetur illi, quia erat ibi Angelus in columna nubis, qui aliquando descendebat cum columna ad ostium tabernaculi, & loquebatur, vt patet supra capit. 12. & Exodi capitul. 19. Primus tamen modus istorum est verisimilior, quia Moyses istũ habebat in consuetudine, vt patet supra cap. septimo, scilicet, cumque ingrederetur Moyses tabernaculum fœderis, vt consuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio. Secundus aũt modus magis erat, quando Deus alicui loquebatur nõ inquisitus ab eo, quia inde vocabat quem voluisset, sicut vocauit Mariam, & Aaron, cum voluit eos increpare supra cap. duodecimo, ideo quando Moyses volebat cõsulere dominum habebat istum modum primum, tanquam

F

A

ſpecialem ſibi, omnes autem alii poſt mortem Moyſi habuerunt alium modum, ſcil. quod ſacerdos apponebat ſibi rationale, & ſuperhumerale, & ibi iudicabatur de quocunque inquiſito. Sic patet de Dauid, quando erat in vrbe Ceilæ, & timuit, quod viri illius ciuitatis traderent eum in manu Saulis dixit Sacerdoti Abiathar: Applica Ephod, & tunc conſuluit dominum, & reſponſum eſt, quod traderent eum viri Ceilæ in manus Saul, vt patet primo Reg. 23. cap. De modo autem, quo fiebat iſta inquiſitio, ſcilicet, an in verbis, vel in fulgore lapidum, aut ſcribendo quæſtionem, & ponendo in plicatura rationalis declaratum eſt Exo. c. 28.

Conſiderandum eſt circa hoc, quod aliqui Iudæi dicunt Moyſen neſciuiſſe reſpondere quæſtioni puellarũ, quia Exo. ca 18. dixerat, quod ſi aliqua quæſtio grauis eſſet, referrent ad eum, & ipſe reſponderet. Sed non ſtat, quia Moyſes non dixit iſtud ad inanem gloriam, ſed obediendo Iethro ſocero ſuo, q̃ ei & toti populo conſuluerat ſtatuere iudices, & quod omnes maiores cauſæ referrentur ad Moyſen. Item quia Moyſes non intẽdebat in magnis cauſis ex ſuo ſenſu iudicare: ſic enim facere ſolitus erat, vt patet Exodi cap. 28. cum dixit, venit ad me populus quærens ſententiã Dei, quaſi dicat, quod ipſe Moyſes illud, quod iudicabat ex ſententia Dei iudicabat. Sed dicẽdum, quod Moyſes ignorauit, quia iſte caſus nondum fuerat expreſſus in lege, nec ante hoc fuerat aliquid tale ventilatum.

B

Et quamquam Moyſes forte intenderet iudicare id, quod Deus poſtea iudicauit, quia ſatis erat illud rationabiliter apparens: tamen non auſus eſt ex ſeipſo iudicare, quia iſta ſententia obtinuiſſet vim legis inter partes, & etiam extenderent eã Iudæi poſtea ad caſus ſimiles, ſicut fit de lege vniuerſaliter data: ideo noluit Moyſes ex ſe legem condere, quamquam cognoſceret quid Deus iudicaturus eſſet. *Qui dixit ad eum, iuſtam rem poſtulant filiæ Salphaad.* Immediate enim cum Moyſes ingreſſus in Sanctuarium loqueretur coram propitiatorio audiebat vocem de medio duorum Cherubim, in qua reſpondebatur ad eum, & reſpondẽs erat Angelus, quamquam ſcriptura dicat Deum reſpondere. Laudauit autem Deus petitionem filiarum Salphaad, quia ipſæ petebant hæreditatem ſolum, vt non periret nomen patris ſui de familia ſua, & hoc Deus volebat, ſ. quod conſeruarentur ſingulæ progenies, & diſtinctę manerent ex cauſis ſupra aſſignatis. *Da eis poſſeſſionem inter cognatos patris ſui.* Id eſt, omnibus iſtis filiabus Salphaad danda erat hæreditas, quæ proueniebat ex iure patris earum. Et in hoc ſoluitur quæſtio, quam ſupra ponebamus, ſ. an filię Salphaad diuiſuræ eſſent inter ſe poſſeſſionem patris, & omnes ei ſuccederent, atque per filios earum extenderetur progenies Salphaad, vel ſi danda erat poſſeſſio tota vni earum, vt ſolum per filios illius extenderetur progenies, & omnes aliæ tranſirẽt in familiam virorum ſuorum, nihil habentes de paterna poſſeſſione, nec filii earum nominarentur de ſtirpe Salphaad, ſed de ſtirpe patrum ſuorum, & reſpondetur, quod omnibus danda erat poſſeſſio.

C

Conſiderandũ autem cum dicitur. *Da eis poſſeſſionem.* Quod non intelligitur de actuali diſtributione poſſeſſionis, & aſſignatione, ſed intelligitur da eis poſſeſſionem, id eſt iudica per ſententiam, quod habeant ius iſtæ puellæ ad accipiendum poſſeſſionem, quando terra fuerit diuiſa: hoc autem dicitur, quia Moyſes non tradidit poſſeſſionem iſtis puellis, ſed poſt mortem eius ſteterunt coram Ioſue petentes poſſeſſionem, vt patet Ioſue 17. c. ſi tamen aſſignata fuiſſet eis poſſeſſio nihil amplius peterent.

Filiabꝰ Salphaad, an fuerit data poſſeſſio per Moyſen, vel p Ioſue.

Sed obiicietur, quia infra 36. c. dicitur, de filiab. Salphaad, ſc. & poſſeſſio, quæ eis fuerat attributa manſit in tribu, & familia patris earum, ſed Moyſes ſcripſit iſtum librum: ergo tẽpore ſuo data erat poſſeſſio filiabus Salphaad.

Reſpondendum eſt, quod illud intelligitur de aſſignatione poſſeſſionis, quantum ad ius, ſed non actualiter, & eſt ſenſus, quod filiabus Salphaad datum eſt ius accipiendi poſſeſſionem, & viuente Moyſe nupſerunt filiis Manaſſe de ſtirpe Hepheritarum, & quia tunc non poterant poſſeſſiones earũ tranſire ad alias familias, ſicut ſi nuberent viris aliarum familiarum, vel tribuum, dicitur quod manſerunt poſſeſſiones eis aſſignatæ in familia, & tribu patris earum, id eſt, non tranſire ab illa per matrimonium contractum cum viris eiuſdem ſtirpis.

Inter cognatos patris ſui. Id eſt inter Hepheritas, qui erant de familia, & tribu Salphaad. Inter hos enim poſtea Ioſue dedit poſſeſſionem his puellis, vt patet Ioſue 17. c. *Et ei in hæreditate ſuccedant.* Id eſt, iſtæ filiæ ſuccedant patri in hæreditate, non quidem in hæreditate, ſed in iure ad hæreditatem, nam Salphaad nondum acceperat aliquam ſortem, quia non erat diuiſa terra: habebat tamen ius ad recipiendum hæreditatem. & in iſto iure ſucceſſerunt filiæ. In hoc etiam innuitur, quod iſtę puellę non acceperunt hęreditatem iure ſuo, ſed iure paterno, quia dicitur ſuccedant. ſucceſſio tamen eſt ad ius alterius: & hoc ſignificatur infra 36. ca. ſ. tibi domino noſtro præcepit Deus, vt terram ſorte diuideres filiis Iſrael, & vt filiabus Salphaad fratris noſtri dares poſſeſſionem debitam patri, id eſt, quæ proueniebat ex iure patris ſui, & ipſe habiturus erat eam, ſi viueret etiamſi nullum filium, aut filiam habuiſſet: propter hoc autem non conſideratum eſt de filiabus Salphaad, an eſſent maiores viginti annis, vel minores ad accipiendum poſſeſſionem, ſicut fiebat de viris, qui computantur à viginti annis, & ſupra, & qui maiores erant annis viginti habebant ius ſortis, qui vero minores non habebant; ſecus autem erat de filiis alicuius defuncti, vt ſi Salphaad reliquiſſet filios, quia tũc conſiderandum erat, an illi eſſent maiores annis viginti, vel minores, ſi autem maiores daretur cuilibet determinata poſſeſſio, quanta patri eorum danda erat, & nullus ipſorum patri ſuccedebat. Si autem omnes eſſent minores, non habebãt ex ſe ius ſortis, ſed ſiue multi, ſiue pauci eſſent ſuccedebãt ſolum in iure paterno, ſcil. vt daretur illis tanta hæreditas, quãta patri danda erat. Si vero quidam eſſent maiores viginti annis, & quidam minores, omnes maiores habebant ſortes diſtinctas, & non ſuccedebant patri. minores autem patri ſuccedebant in vnica ſorte, quam habiturus erat. Probationes autem horum ſupra poſitæ ſunt.

D

E

F

Ad filios autem Iſrael loqueris hæc: Homo cum mortuus fuerit abſque filio, ad filiam eius tranſibit hæreditas. Si filiam non habuerit, habebit ſucceſſores fratres ſuos. Quod ſi & fratres non fuerint, dabitis hæreditatem fratribus patris eius. Sin autẽ nec patruos habuerit, dabitur hæreditas his, qui ei proximi ſunt. Eritque hoc filiis Iſrael ſanctum lege perpetua, ſicut præcepit dominus Moyſi.

Ad filios autem Iſrael. Hic ponitur ſecundum, ſcilicet de quadam legis poſitione, & depẽdet iſtud ex ſuperiori, nam ſupra dabatur lex in particulari in caſu filiarum Salphaad, quæ erat quaſi ſententia, quæ facit ius inter partes: hic ponitur lex in vniuerſali quantum ad omnes filios Iſrael. Non eſt tamen intelligẽdum, quod ideo ponitur hic iſta lex vniuerſalis, tanquã determinatio præcedens, quæ erat quaſi ſententia non faceret ius, niſi inter partes, nam in iuribus humanis hoc obtinet, vt res iudicata habeatur pro lege inter partes, ſed inter alios nullum ius conſtituit, ſententia tamen Dei in vno caſu lata eſt ad omnes ſimiles extendenda, datur tamen hic lex vniuerſalis, quia per illam ſententiam datam inter partes in caſu filiarum Salphaad non comprehenduntur omnia, quę ponuntur in hac lege de ſucceſſionibus.

Ad filios autem Iſrael loqueris hæc. Id eſt illa, quę ſupra diximus pertinebunt ſolum ad caſum filiarum Salphaad: hæc autem, quæ nunc dicentur, pertinebunt ad omnes filios Iſrael.

Homo cum mortuus fuerit abſque filio ad filiam eius tranſibit hæreditas.

De modo, quo ſuccedunt in veteri teſtamẽto filij, & filiæ, & de bonis mobilibus, & immobilib. relictis, vel legatis, & an in aliquo caſu poſſunt vendi immobilia.

QVÆSTIO XXII.

NOn ponitur hic de filio, quia præſupponitur, quod filius ſit hæres regularis, & ipſo exiſtente nullus aliꝰ ſuccedit: dicitur enim, quod cum aliquis moritur ſine filiis hæreditas tranſit ad filias, quaſi dicat, ſi haberet filios nihil ſuccederent filiæ, & hoc erat ſpeciale in veteri teſtamento, quod nunc non eſt: nam nunc filii, & filiæ æqualiter ſuccedunt: tũc autem ſoli filii ſuccedebant: ideo ſi vnicus filius eſſet, etiamſi eſſent decem filiæ, filius ſuccedebat vniuerſaliter. Ante hoc

autem

A autem filiæ, nunquam habuerant ius succedendi, nec indirecte, nec in defectum filiorum, quod patet ex petitione filiarũ Salphaad: nam si in defectum filiorum fuisset ius filiabus succedere, non dicerent, quod nomẽ patris sui tollebatur de familia sua, quia ipsæ successuræ erant, non existentib. filiis masculis, nec petiuissent hoc. Item patet istud ex lege Dei, quę sequitur, scilicet, quod cum fuerit mortuus aliquis sine filiis, transeat hæreditas ad filias, si tamen ante hoc filiæ succederent cum filiis, vel saltem in defectum filiorum nõ fuisset posita ista lex. Erat aũt causa, quare succederent tunc soli filii directe, quia volebat Deus inter Iudæos seruare certitudinem omniũ progenierum, ista autem non potest sine possessione distincta seruari, vt supra declaratũ est: ideo debuit dari possessio illis, in quib. poterat seruari distincta linea alicuius stirpis: hoc autem est in viris, quia vir cum sit caput fœminæ, nũquam transit in alteram familiam, sed filii nati ab ipso nominantur de familia eius, fœmina autem transit in familiam viri, quia filii nati ab ipsa computantur in progenie viri, & non in progenie ipsius: ideo tunc cum daretur hęreditas distincta alicuius progeniei viro, ipse transmitteret eam ad posteros suos viros cum nomine stirpis suæ, s. ꝙ apud quoscunq; esset illa possessio semper esset de stirpe illa, in qua à principio fuit illa possessio. In fœmina aũt non erat sic, quia si hæreditas paterna proueniret fœminæ post eam proueniret filiis eius, qui
B non nominarentur de stirpe matris, sed de stirpe viri, quia denominatio per virum fit, transibit ergo possessio illius stirpis ad alteram lineam, & sic miscebuntur familiæ, nec poterunt iudicari familię distinctę per possessiones, cum possessio, quę in vna familia est transeat ad aliam: vnde non posset hoc modo conseruari certitudo progenierum, sicut Deus volebat, ideo ad conseruandum certitudinem progeniei necesse fuit, vt fœminæ non succederent in hæreditate patri, sed soli filii, nisi in casu filiarum Salphaad, scil. non stantibus filiis. Erat autem hoc sicut nunc fit in illis, apud quos sunt iura primogenitura, quoniam ibi non succedunt fœminæ, sed soli filii primogeniti, & sic manet certitudo progeniei. Si autem succederent fœminæ diuisis bonis, quæ pertinẽt ad iura primogenituræ iam transirent illa bona in alteram familiam, & perderetur nomen progeniei. Considerandum vlterius, quod istud tenet locum, tam in successione, quæ est ab intestato, q̃ in illa, quæ ex testamento. Apud nos enim est differentia secundum communes leges succedere ab intestato, & ex testamento, nam si filii succedant parentib. ab intestato succedunt vniuersaliter, tam in bonis mobilibus quam in immobilibus, si autem succedant ex testamento, poterit disponere pater de bonis suis qualiter voluerit, dum tamen non tollat filiis suis quartam debitam ex iure naturæ, s. semissem, vel triẽtem: cætera autem dabit, cui voluerit. Apud Iudæos autem non erat ista differentia, quia siue aliquis succederet ab intestato, siue
C ex testamento succedebat æqualiter, quãtum ad immobilia, quia pater non poterat quidquam disponere de immobilib. tradendo ea alteri per modum legati, vel hæreditatis, & non solum erat hoc in morte vbi est minor potestas hominis, super bona sua quam in vita, sed etiam dum viueret non poterat bona illa alienare vendendo, aut donando, vel quomodocunque à se abdicando quin redirent ad progeniem suam aliquando: s. in iobelæo. Idem autem modus per omnia est nũc in eis, quæ pertinent ad ius primogenituræ, quia testator non poterit de illis bonis in testamento aliquid disponere tradendo illa alteri, siue instituendo hæredem, siue faciendo aliquod legatum de illis, & si faciat non tenet, sed integra perueniẽt ad primogenitum. Etiam testator, cum viueret, non poterat vendere aliquid de bonis primogenituræ, & si vendat nõ tenet venditio: ideo in his bonis nihil differt succedere ab intestato, vel ex testamento, quia vtroq; mõ est æquale ius. Quod verum erat in Iudæis, quantum ad bona immobilia, quæ cõputantur nomine possessionis, de quibus testator nihil poterat disponere in testamẽto, sed proueniebãt ad hæredes suos. De bonis aũt mobilib poterat facere legata, & quantum ad istud erat minor successio ex testamẽto, quã ab intestato, quia ab intestato non fiebant aliqua legata, sed tam mobilia, quam immobilia perueniebant ad hæredes. In testamento autem possunt legata fieri, ideo poterãt bona mobilia per legata exhauriri, vel diminui, & quantum ad illa non succederet hęres. Idem est nunc de iuribus primogenituræ, quia testator habẽs

De iure hæreditandi.

plures filios, non potest de bonis immobilibus aliquid legare filiis minoribus, vel instituere eos hæredes in illis, potest tamen distribuere illis bona per modum legati, quantum ad aliqua mobilia, quæ sint extra ius primogenituræ. Quantum ad hoc autem omnes Iudæi erant quasi primogeniti. D

Si testator contraxisset aliqua debita, ad quæ non sufficerent bona mobilia, an possent vendi immobilia.

QVÆSTIO XXIV.

QVeret aliquis si testator contraxisset aliqua debita, ad quę non sufficeret bona sua mobilia, an deberent vẽdi aliqua de bonis immobilibus, vt solueretur creditoribus: si autem dicatur, quod debebant aliqua vendi, dabitur quod possessiones diminuantur, & transeant in alias familias per venditionem, & sic non manebunt distinctæ familię per possessiones, quod tamen Deus intendebat, si vero dicatur, quod non erãt vendenda aliqua bona immobilia, manerent debita non soluta, quod erat contra ius naturæ. Respondendum est, quod postquam testator contraxisset ista debita, aut transierat aliqs annus remissionis, aut non: dico enim annum remissionis, q̃ erat de septem in septem annos inter Hebræos, & illi, qui erant in seruitute exibant anno illo à seruitute, vt patet Exod. 21. & Leui. 25. c. vnde si transisset post illa debita contracta aliquis annus remissionis, erant debita simpliciter soluta, ita vt
E debitor non teneretur creditori ad aliquid, & si peteret in iudicio non tenebatur ad hoc respondere, vt patet Deutero. 15. & sic non oportebat vendi aliquam possessionem, quia iam nullum erat debitum. Si autem non transisset aliquis annus remissionis post debita contracta vendendæ erãt aliquæ possessiones pro quantitate valoris huius. Sed quam q̃ essent debita maioris valoris, q̃ tota hæreditas testatoris, non poterãt vendi bona ista, nisi vsq; ad iobelæum, & tunc redibant ad hęredes testatoris, & ad priorem familiam, vt patet Leuit. ca. 25. Hoc modo non stat aliquod inconueniens, nam tunc nõ trãsibunt possessiones de familia in familiam, cum in iobelæo redeant ad familiam priorem, & sic non miscebuntur progenies. Etiam debita soluentur, quia dabitur totus valor, ꝑ quo venditæ sunt possessiones illæ vsquequo satisfaciat creditori. Si autem fuerint debita maiora, ita vt precium possessionum venditarum vsq; ad Iobelæum non sufficiat ad soluendum illa non vendentur iterum possessiones, sed illa pars debita manebit non soluta: hoc. n. voluit Deus inducere in fauorẽ pauperum Iudæorum, sicut multa alia induxit, de quibus patet Exod. 21. c. & Leu. c. 25. & Deut. 15. c.

An hæres testatoris possit vendi propter debita ipsius testatoris, ne venderetur hæreditas.

QVÆSTIO XXV. F

QVæret aliquis, an hæredes testatoris vendi poterant ꝑpter debita testatoris, vt sic postea maneret eis hæreditas integra. Respondebit aliquis, ꝙ non poterat fieri hoc, qa homo liber non poterat vendi pro debito. Resp. est, quod inter Iudęos poterat aliquis vendere seipsum, vt patet Exo. 21. c. & hoc quando erat in paupertate, vel propter debita, & non solum aliquis seipsum vendere poterat, sed interdum iudices vendebant aliquem pro debitis, vt patet Exodi c. 23. s. Si aliqs furaretur, & non haberet vnde restitueret vẽdebatur, & pretium dabatur damnum passo. Respondendũ est hoc non obstante hæredes non posse vendi pro debitis testatoris etiamsi vellent retinere sibi hæreditatem integram, & pro hoc non adimebatur eis quidquam, sed vendebatur hæreditas vsque ad iobelęum, pro residuo autem non dabatur aliqua actio cõtra eos ad vendendum ipsos, vel aliqua bona ipsorum, quæ alias haberent. Cum autem obiicitur, quod aliquis poterat venundari pro debito: responderi potest dupliciter. Primo modo, quod non poterat quisquam pro debito simpliciter vẽdi, sed cũ debitum contractum esset ex crimine, scil. aliquis furatus est, & non habet vnde soluat, iubebatur venundari ad soluendum, & hoc quia crimen erat in furando: si tamen contraxillet debitum per mutuum, vel commodatum, vel aliis modis non poterat venundari, etiãsi soluere esset impotens

A hæredes autem ex nullo crimine contraxerunt debita ista, quia ipsi non contraxerunt illa, sed testator, ideo non poterant venundari. Aliter potest responderi, quod dato, quod ꝓ quocunq; debito posset quis vendi in veteri testamento, hoc tamen esset quantum ad illum, qui debita contraheret, sed nō quantum ad alios, qui postea in debitis succederent. Hęredes autem non contraxerāt debita, sed testator. Dato ergo, quod potuisset testator vendi pro debitis, hæredes tamen non poterant vendi.

An filiabus posset aliquid distribui per modum legati, licet non succederent existentibus filiis.

QVÆSTIO XXVI.

QVæretur etiam circa superiora cum præsupponatur supra, quod existentibus filiis non succedebant filiæ, an posset filiabus aliquid distribui per modum legatorum. Respondendum est, quod si fieret, sicut nunc, etiamsi non succederent possent aliquid habere, vt legatum. Considerandū tamen, quod aut testator volebat facere legata filiabus suis de mobilibus, aut de immobilibus, si faceret de mobilibus non pertinent ad nomen possessionis, vel radicis valebat legatū,
B & poterat isto modo distribuere omnia bona mobilia per legata filiabus etiamsi bona mobilia essent plura immobilibus. Si autem de immobilibus quæratur non poterat facere aliquod legatum, sed simpliciter proueniebant ad filios. Causa diuersitatis est, quia Deus volebat, quod possessio vni⁹ familiæ non transiret in alteram familiam, quod fieret si fœminæ aliquo modo haberent aliquam partem hæreditatis, siue per legata, siue hæreditariam successionem, quia transirent in familiam viri sui, & filii ex eis geniti succederent in hæreditate, qui tamen non essent de eadem familia, de qua mater. Cum autem bona mobilia distribuuntur filiabus per modum legatorum, non sequitur aliquod inconueniens, quia quamq̄ illa transeant ad alteram familiam, nō dicitur possessio vnius familiæ transire ad aliam, quia bona mobilia non pertinent ad possessionem accipiendo eo modo, quo scriptura accipit: sed solum immobilia. Et causa est, quia per bona mobilia non potest certificari aliqua progenies, & hoc propter duo, primo quia bona mobilia non sunt, vt communiter magnę durationis, sicut immobilia, sed pereunt, aut alterantur, vel diminuuntur vsu, aut vitę diuturnitate. Certificatio autem progeniei debet fieri per id, quod semper manet, alioquin non semper erit certificatio, & distinctio progeniei, sed quandiu res illa durauerit. Deus tamen intendebat, quod semper duraret distinctio in tribubus & familiis, vt patet infra 36.c. cum dicitur,
C ꝙ familiæ, & tribus maneant, sicut à domino separatæ sunt: non ergo proficiebant ad hoc bona mobilia. Item dato, quod bona mobilia essent perpetua, sicut bona immobilia quantū ad aliquid sunt perpetua: tamen non notificarent progeniem distinctam, quia illa mouentur de loco in locum: & hoc maxime repugnat certitudini, id namque per quod potissime bona immobilia distinguunt lineas progenierū, est quia immobiliter se habent, s. si hic est aliquis ager domus, vel mons qui pertineat ad aliquam stirpem, si non possit transire à stirpe illa cognoscemus de quocunque homine, qui habeat illam possessionem, quod pertineat ad talem stirpem, & quia illa possessio non mutatur loco, scimus quod homines pertinentes ad talem, vel talem familiam habitant in talibus, vel talib⁹ locis, & non in aliis, in quo certissime est cognitio progeniei. Si autem per bona mobilia deberet dari certitudo cum illa aliquando sint hic, & aliquando alibi, etiamsi non transirent ab vna familia in aliam, non cognoscerentur distinctæ lineæ per illam, sed viderentur confusæ progenies, sicut ipsa bona mixta essent. Tertia ratio potest adiūgi, s. quod per bona mobilia nō possit cognosci certitudo progeniei, quia illud quod debet de alio certificari debet esse certum in seipso, sicut in omnib. scientiis omnis cognitio fit per se ex notis. Si autem id, ꝙ debet certificare de alio non esset in se certum, conaremur cognoscere incertū per aliud incertū, & hoc impossibile est. Bona tamen mobilia sunt huiusmodi, quia in seipsis non habent aliq̄ distinctionem, vt plurimū, per quam videatur vnū differens ab alio, sicut in pecunia & pecunia, quia nō cognoscitur vna distincta ab alia, & sic de plurib. aliis rebus mobilibus, quæ aliis sunt similes per omnia, vel similes esse possunt, & illa similitudo causat confusionem, ideo non possunt ista certificare aliquid alterū, cum ipsa in se incertissima sint. Sed obiiciet aliquis sic esse de bonis immobilibus, quia illa frequēter sunt similia per omnia, vt ager & ager: domus & domus, quæ interdum magnitudine & figura differentiam nullam habent. D

Respondēdum est, quod quamquam bona immobilia interdum non habeant differentiam in colore magnitudine, & figura, & quibusdam aliis accidentibus: habent tamen differentiam certissimam in situ, quia nunquam possunt alternare loca, vel quomodocunq; mutare, & dato quod omnia alia similia sint istud causat sufficientem doctrinam, & notificationem. Apparet igitur ex prædictis, quod ad certificationem, & differentiam seruandam semper in progeniebus nihil bona mobilia conferunt: immobilia autem nimis, ideo de bonis immobilibus, non debuit licere alicui disponere in testamēto transmittendo ad aliam familiam, siue distribuendo per legata filiabus, siue aliis. De mobilibus autem licere debuit, & propter hoc etiam omnia priuilegia, quæ dabantur de venditionibus respectu venditoris, s. quod posset redimere rē quotiens vellet computatis fructibus in sortem, vel quod haberet possessionem suam in iobelæo nullo dato precio solum intelligebatur de bonis immobilibus. Circa mobilia autem idē ius venditionis erat, quod nunc est apud nos. ratio est, quia illa priuilegia dabantur, vt manerēt bona ad faciendum distinctionem, & certitudinem semper de progenie: si ergo cōtingeret, quod aliquis de Iudæis non haberet aliqua bona mobilia, sed sola immobilia, non poterat filiabus suis aliquid relinquere, siue per modum legati, siue hæreditariæ successionis. E

An successio filiorum æqualiter se haberet respectu patris, & matris.

QVÆSTIO XXVII.

QVæretur vlterius, an istud quod dicitur hic de successione filiorū intelligatur æqualiter respectu patris, & matris, i. quod sicut filii directe succedunt patri, filiæ autem succedunt in defectum filiorum, an sic sit respectu matris, quod succedant ei filii, vel filiæ. Respondendum est, quod patri filii absolute succedunt & vniuersaliter, ita quod non erat aliquis casus, in quo filii non succederent patribus in veteri testamēto. Et causa erat, quia semper omnes filii, vel aliqui de eis denominantur de familia paterna, ideo illi succedunt patri, tam ad mobilia, quā ad immobilia, & sic deriuabitur semper possessio per illam familiam cuius est. De filiabus autem idem est in casu, in quo non habet quis filios, quia tunc linea patris deriuabitur per ipsas, non quod per eas computetur, sed quia F
ex eis nascentur aliqui filii, in quibus aui progenies maneat, sicut dictum est de filiabus Salphaad, quæ successerunt patri, vt suscitaretur in eis nomen eius. Et dicendum est, quod in hoc casu vniuersaliter filiæ succedebant patribus, quia per eas deriuanda erat linea ipsius. Circa matrem considerandum est, quod regulariter matres nō habebant aliquid, in quo succederent ei filii, vel filiæ, quia fœminæ non succedunt parentibus existentibus filiis: ideo non habebunt aliquid quod ad filios, vel filias transmittant. Nisi forte dicatur, quod sicut nūc constante matrimonio bona acquisita diuiduntur æqualiter inter virum & vxorem, nisi in quibusdam speciebus acquisitionis, ita quoque esset in Iudæis, quod bona mobilia acquisita durante matrimonio diuiderentur inter virum & vxorē. Et si talis lex inter Iudæos daretur dicendum, ꝙ fœminæ poterant habere aliqua bona, de quibus testatentur, & hoc vniuersaliter, sed ista bona solum erant mobilia: nunc enim constante matrimonio vir & vxor possunt acquirere bona, tā mobilia quam immobilia, qnia licet cuilibet vendere possessionē suam immobilē. Inter Iudæos autem non licebat, & si venderetur, erat illa possessio manens ad tps apud emptorem, ideo nō computatur de bonis ipsius, & si aliquo modo pertinebat ad bona, hoc erat ad mobilia. Quod patet, quia si aliquis emisset possessionem immobilem, aut venditor ante iobelæū volebat eam redimere aut non: si aūt vellet redimere, dabat pretium secundum æstimationem temporis, vt patet Leui. 25. ca.

A

pretium autem de bonis mobilibus est, si autem venditor nō redimeret possessionem ante iobelæum redibat ad eū in iobelæo: & tunc nihil manebat apud emptorem de possessione illa, nisi fructus percepti tempore præterito, precium tamen nullum dabatur: fructus autem de bonis mobilibus sunt. Patet ergo, quod constante matrimonio non poterat vir & vxor acquirere, nisi bona mobilia, & tunc si proueniret vxori medietas illorum, poterat testari de illis. Et dicendum, quod nō solum succederent sibi filii in bonis illis, sed etiam filiæ, quia cum illa non sint bona immobilia, quæ denominant familiā, ad quoscunque transmitti possunt, in aliis autem casibus mater non habet bona, quia non succedit patri, sicut filii, ideo non habebit aliquod bonum immobile, fallit hoc in vno casu, sc. quando pater solum habuit filias, quia tunc illæ sibi succedunt tam in mobilibus, quam in immobilibus per legem successionis, quæ habetur hic: & tunc dicendum est, quod stat quasi cadē lex, quæ de patre, s. quod si fœmina habeat possessionem immobiles filii solum sibi succedant, quia illæ possessiones proueniunt de progenie auorum maternorum. & debet per illas distingui linea illa ab aliis progeniebus, sed filii sunt, per quos progenies quæcunq; texitur: ergo ipsi soli succedent matri. Si aūt non habuit filios succedent filiæ, sicut supra fuit declaratum de filiabus Salphaad. Est tamen quædam differentia inter successionem filiorum, & filiarum respectu

B

matris, quando habet bona immobilia, & in successione respectu patris, quoniā filii semper succedunt patri, vel filiæ nō existentibus filiis, vt declaratum est, aliquando tamen mater haberet filium, vel filiam, & nō succederet ei in bonis immobilibus, sed aliquis alius succederet. Quod patet in filiabus Salphaad in casu supra declarato, s. quando aliqua mulier quæ successit patri adhæsit viro, & inde habuit vnicum filium, vel vnicam filiam, non succedet aliquis horum si habeat alios, qui possint succedere patri. Verbi gratia ista mulier habebat sorores, si vnicum filium habuit, vel vnicam filiam, non transibit hæreditas ad aliquem horum, sed ad sorores, quæ denominare possint stirpem patris. Causa huius est, quia illa possessio in qua fœmina ista successerat, erat ad denominandum, & certificandum stirpem patris, ne periret nomen eius in familia sua. filius tamen huius fœminæ non computabitur in stirpe matris, vel aui materni, quia pater illum solum filiū habet, sed computabitur in stirpe patris, vt supra fuit probatum cū dicebatur de filiabus Salphaad: ergo non succedet in possessione materna, sed transiuit illa ad sorores eius, quia illæ possunt habere filios, in quibus conseruetur progenies aui, & cū eis manebit progenies illa. Si autē arguatur, quod filii debent succedere, & nulli alij, nisi in defectum ipsorum. Respondēdum est, quod est verum, quando sunt in familia illa, ad quam pertinet possessio, secus autem si denominentur ab alia familia, vel etiam succedent, quamquam denominētur ab eadem familia, si tamen nullus alius sit, in quo permaneat nomen illius familiæ: quando tamen alius est non succedent ipsi, vtpote si ista mulier non habebat sorores, & habuit vnicum filiū, ille non potest denominari de progenie aui materni, tamen succedit in hæreditate, quia non est aliquis alius, qui succedere possit, & denominetur de stirpe: omnes enim alii cognati sunt in suis stirpibus, quia computantur per alias lineas, sicut patet in arbore consanguinitatis in collateralibus, qui quamquam descendant ab eodem trunco, tamen varias lineas habent: soli autem sunt in eadem linea, qui vocantur ascendentes & descendentes, si ergo ista mulier non haberet sorores, quæ essent in eadem linea cum illa respectu patris, à quo descēdunt, non esset aliquis alius, qui succederet denominando lineam illam: ergo tunc quamquam filius huius fœminę, non denominaret stirpem aui materni, tamen succedebat in possessione eius. In filia autem idem est, scilicet, si prædicta mulier habuisset vnicam filiam, & vir suus non haberet alios liberos, illa filia non denominaretur de stirpe matris, & aui materni, sed de stirpe patris, ideo soli patri succederet: hęreditas autem materna deuolueretur ad sorores, si quas haberet, vt p illas deriuaretur linea patris, si autem nullam haberet transiret hæreditas ad filiam, quamquam non esset de stirpe aui. Patet igitur, quod quamquam filii, & filiæ succedant matri, quando habet bona, tamen non penitus est, idem, sicut de patre.

C

D

An filius hæres proprii patris, & non possessionis aui materni possit hæreditare bona mobilia matris.

QVÆSTIO XXVIII.

QVæretur vlterius in casu prædicto si mulier ista habeat bona mobilia, & immobilia an sit idem de vtrisque, scilicet habuit mulier ista vnicam filiam, vel filium, & ille non denominatur de stirpe matris, & aui materni, sed de stirpe patris, & ob hoc non succedit in hæreditate materna, sed redit ad sorores, nunquid bona mobilia huius peruenient ad sorores, vel ad filium? Respondendum est, quod quādo filius iste, vel filia denominatur de stirpe materna, & aui stat dupliciter, quia aut ista mulier habebat sorores, aut non, si non habebat hæreditas pertinebat ad filium, vel filiam, quamquam non esset de stirpe aui, & tunc sicut succedit in bonis immobilib. ita in mobilibus succedet, quia minoris difficultatis est succedere in mobilibus quam in immobilibus. Si autem ista mulier habebat sorores, possessio materna, scilicet quam ipsa habuerat à patre pertinebat ad sorores non poterat succedere filius, vel filia, in bonis tamen mobilibus succedere poterat, imo debebat, nec poterat mater instituere alium hæredem in bonis illis. Causa differentiæ est, quia bona immobilia, quæ mater habebat non pertinebant ad ipsam simpliciter, sed erāt annexa progeniei patris sui, ideo si aliquis esset, qui posset denominare stirpem illam, sicut erant sorores huius fœminæ transibat possessio ad illas, bona autem mobilia, quæ habebat ista fœmina, erant simpliciter ipsius, siue acquisiuisset illa cōstante matrimonio, siue habuisset per modum legati. Etiam non erant ad denominandam aliquam stirpem, ideo directe pertinebant ad filium, vel filiam, nec poterat mater priuare illos iure hæreditatis.

E

An filij succederent æqualiter patri, & cum filiæ succedebant in defectum filiorum, an succederent etiam æqualiter, vel obseruabatur aliquod ius primogenituræ.

QVÆSTIO XXIX.

QVæretur amplius cum dicatur, quod filii succedebāt patribus, & in defectum eorum filiæ, an filii succederent æqualiter, vel non stantibus filiis succederent filiæ æqualiter, & hoc, siue ab intestato, siue ex testamento. Respondendum est primo de filiis, quod filii aliquando pertinebant omnes ad familiam patris, & interdum quidam ipsorum solum, qui vero non pertinebant ad familiam eius, nequaquam succedebant ei æqualiter, cum aliis liberis, vel inæqualiter. Quod patet, quia vir, aut contrahebat cum aliqua fœmina, quæ habuisset hæreditatem ex patre, s. quia pater non habuerat aliquos filios, sicut pater filiabus Salphaad, aut contrahebat cum aliqua fœmina, quæ non habuisset hæreditatem ex patre, quia habebat fratres. Si primo modo omnes filii non poterunt pertinere ad patrem, sed aut ille erat vnicus, siue filius, siue filia, aut plures. Si vnicus ad familiam paternam pertinebat, vt supra declaratum fuit, si plures filii, vel filiæ aliqui pertinebant ad stirpem patris, & aliqui ad stirpem matris, vt denominarent lineam aui materni. Si secundo modo omnes filii, vel filiæ pertinebant ad stirpem patris, quia non erat hic opus, vt aliquis de liberis stirpem maternam denominaret, quia auus maternus habuit liberos. Hoc supposito dicendum, quod quando aliqui de filiis non pertinebant ad familiam patris, illi non succedebant cum aliis liberis, siue æqualiter, siue inæqualiter, sed succedebant matri, & auo materno cū possessione sua, quia ad eorum lineam pertinebant. Si autem filii pertinerent ad stirpem patris, dicendum, quod aut manebat ibi aliquis primogenitus aut non. hoc dicitur, quia forte fœmina fuit primogenita, & illa non gaudebat iuribus primogenituræ, vel forte quia ille, qui primogenitus erat, non succedebat patri, sed matri, & auo materno in casu, in quo non pertinebant omnes liberi ad familiam patris, & sic stat distō. Et tunc si in liberis illis succedentibus patri esset aliquis primogenitus, ille habebat omnia duplicia, sc. quod succedebat in tanta parte bonorum, in quanta duo filii de reliquis, vt patet Deuteronom. capitul. 21. s. agnoscet primogenitum, dabit

Iura primogeniti.

F

que

A

que ei de his, quæ habuit cuncta duplicia: iste est enim principium liberorum eius, & huic debentur primogenita. Etiam iste primogenitus præter bona patris, in quib. erat duplus ad alios succedebat in toto honore patris, vt si haberet pater aliquam dignitatẽ solus primogenitus succedebat, vt si esset pater summus sacerdos, vel rex aut aliquid alterum dignitaris, vel honoris primogenitus solus succedebat, ista duo designãtur Genes. 49. capit. cum loquebatur Iacob ad Ruben primogenitum suum, scil. Ruben primogenitus meus tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in donis, maior in imperio: prioritas.n. in donis significat maioritatẽ in successione paterna: maioritas in imperio significat successionem in dignitate, vel honore, aut officio. Ista autem iura primogenituræ non poterant variari ex dispositione paterna, sed ille, qui erat primogenitus succedebat etiam patre inuito, vt patet Deut. c. 21. vbi ponitur de illo qui habuit duas vxores vnã dilectam, & aliam odiosam, & qui vult filio odioso auferre primogenita, non poterit. Reliqui aũt fratres ab intestato succedebant æqualiter etiam ex testamento. Nam pater non poterat aliquem filiũ præferre aliis in possessione, sicut nunc fit quantum ad certam partem possessionis, quod patet quia Deuter. 21. c. dicitur, quod pater dabit primogenito suo cuncta duplicia, s. in duplo, quã dare debebat cuilibet aliorum: ex quo apparet quod omnes filii habebant æqualiter: nam duplum importat certam habitudinem proportionis. Si aũt alij filij p̃ter primogenitum nõ reciperent oẽs æqualiter, posset pater vni dare magis, alteri minus præferendo eos ab inuicẽ, sicut vellet, & tunc non maneret aliqua certa habitudo, secundum q̃ primogenitus diceretur habere cuncta duplicia, quia respectu alicuius haberet triplicia, & ad alterum sexquialtera, vel sexquiquarta, & forte non haberet duplicia respectu alicuius, & tamen necesse est, quod primogenitus haberet cuncta duplicia respectu aliorum Deut. c. 21. ergo oẽs alij liberi æqualiter suscipiebant, nec poterat pater aliquem eorum alteri præferre: & sic nihil differebat an isti succederent ab intestato, vel ex testõ, quia vtroq; modo idem consecuturi erãt. Nec habebat testator aliquam libertatem in bonis immobilibus disponendi, sed solum in mobilib⁹, quia lex disposuerat de immobilibus. Sed obiicietur contra hoc, s. q̃ pater posset præferre vnum filium alteri dando ei maiorem partem bonorum suorũ, sic patet de Iacob, qui q̃ dedit filiis suis terram Chanaan, sicut Deus ei dederat, dedit Ioseph vnam partem hæreditatis super cæteros filios, vt patet Gen. 48. ca. s. Do tibi partem vnã extra fratres tuos, q̃ tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo, & postea ista pars fuit assignata specialiter filiis Ioseph, quando terra diuisa fuit, s. ager quidam apud vrbem Sichem, vel ipsa vrbs Sichem secundum aliquos, vt patet Iosue ca. vlti. Respondendum est, quod Iacob fecit illud ex causa, s. quia Ioseph aluerat eum, & totam familiam suam in Aegypto, & tamen si ista lex tunc fuisset, etiam ex causa vrgentissima non potuisset præficere vnum filium alteri, sed fuit Iacob ante istam legem, ideo non solum illud, sed multa alia sibi licuerũt. Quod etiam patet in adoptione duorum nepotum suorum, scilicet Manasse, & Ephraim. Adoptauit enim eos dans illis æqualem partem in hæreditate sua cum omnibus aliis filiis, vt patet Genes. 48. ca. scilicet duo filii tui Ephraim, & Manasses sicut Ruben, & Simeon reputabuntur mihi. Si tamen fuisset ista lex data, non potuisset in præiudicium filiorum suorum instituere alios hæredes, quia nihil aliud erat posse alios adoptare, quam posse distribuere bona sua immobilia per legata quibus vellet, & hoc non licebat nunc stante ista lege, cũ soli filii succederent, ergo fecit illud Iacob, quia non erat tũc talis lex data. Patet ergo, quod existente primogenito, & aliis filiis, primogenitus habebat duplicem partem in possessione, omnes alij filij erant æquales: si vero in filiis succedentibus patri non sit aliquis primogenitus, omnes succedebant æqualiter, & pater non poterat præferre vnum alteri, vt declaratum est. Si autem quæratur circa filias. dicendum est, quod cum pater haberet solas filias in casu, in quo ipsæ succedere poterant aut omnes pertinebant ad familiam eius, vel quædam solum: est enim in hoc distinguendum, sicut prius, scilicet, aut filia erat vnica, aut plures: si vnica erat de stirpe patris: si plures, aut mater habebat aliquam possessionẽ, in qua successerat patri non habenti filios, & tunc dicendum, quod aliquæ de filiabus, vel saltem aliqua pertinebat ad stirpem matris, & aui materni: si autem mater non haberet aliquam possessionem, in qua successisset patri, omnes filiæ pertinebãt ad stirpem patris, & tunc omnes, quæ pertinebant ad stirpẽ matris succedebant matri solæ, & auo materno, quæ autem pertinebant ad stirpem patris, succedebant soli patri, & quantũ ad hoc idem est de successione filiorum, & filiarum. Sed stat amplius differentia, quia in filiis aspiciebatur quis esset primogenitus, vt dupliciter succederet. In filiabus autem non erant iura primogenituræ, quia omnes leges, quæ de primogenitura loquuntur in veteri testamento exprimunt de masculis, vt patet Deute. c. 21. ideo quotcunq; essent filiæ diuidebatur æqualiter inter eas, sicut dicebatur de filiis, in quib. non erat aliquis primogenitus, quia omnes illi succedebant æqualiter. *Si filiam non habuit habebit successores fratres suos.* Intelligitur de fratribus masculis, si essent: nam sorores non succederent existentibus: sicut filiæ non succedebant existentibus filiis. Si autem non essent fratres, succedebant sorores, ante q̃ perueniret hæreditas ad patruos, de quibus immediate dicitur. Sciendum autem, quod intelligebatur ista successio tam ex testamento, quam ab intestato, quia si aliquis non habens filios, nec filias haberet fratres, non poterat instituere hæredes alios: nam si posset illis omissis alios non ita propinquos instituere, posset quemcunque vellet, cum iam non fieret ibi successio per legem propinquitatis, sed ex voluntate testatoris, & tamen hoc falsum est, quia sic posset testator instituere hominem alterius familiæ, vel alterius tribus, quod non stat, quia Deus iussit, quod possessio maneret in tribubus, & familiis, & non transiret ad alias, vt familiæ, & tribus semper essent distinctæ, sicut Deus eas distinxerat, vt patet infra 36. ca. Nihil ergo referebat an fratres succederent alicui ex testamẽto, vel ab intestato, quia vtroque modo in omnibus bonis immobilibus successuri erant. Idem est de patruis, quãdo non existẽtibus fratrib. succedunt patrui, quia non poterit testator alios instituere hæredes. Cã huius est, quia Deus volebat, vt possessiones semper manerent in eadem familia quantum possibile esset, & in eadem tribu: hoc autem non contingeret, nisi successio fieret semper per propinquiores.

B

C

D

E

F

An in veteri test. possent patres præferre quoad dã filiis aliis, sicut nũc Curlacob dedit Ioseph partem hæreditatis super alios filios.

Filiæ, an succederẽt æqualiter deficientib. filiis.

An moriens sine filiis & filiab. cogeretur relinquere fratres suos hæredes in omnibus mobilibus, & immobilibus. Et an illi possent renunciare in fauorem aliorum.

QVÆSTIO XXIX.

QVæret aliquis, an cum quis nõ habens filios, nec filias, cogebatur relinquere fratres suos hæredes, an intelligeretur hoc de omnibus tam mobilibus, quam immobilibus. Respondendum est, quod in bonis mobilibus licitum erat testatori disponere qualiter vellet, siue distribuendo ea per legata, siue instituendo aliquem alium hæredem in eis, etiamsi esset de alia tribu. Causa diuersitatis est, quia bona immobilia, quæ possessiones appellantur in scriptura, erant assignata certis familiis, & tribubus, vt per illa cognosceretur distinctio hominum vnius familiæ, vel tribus ab hominibus alterius tribus, vel familiæ, si autem liceret alicui ad libitum suum disponere de bonis immobilibus, posset illa mutare ad alteram tribum, vel familiam, & sic confunderetur distributio sortium, ideo non debuit licere in bonis immobilibus alicui disponere ad libitum: bona autem mobilia non sunt assignata ad distinguendum tribus, vel familias, quia ad hoc nequaquã proficiebãt, vt supra declaratum est, ideo quod de illis disponeret testator ad libitum suum, non erat inconueniens. Idem autem intelligendum de omnibus aliis gradib. propinquorum succedentium, quod illi ex necessitate succedebãt in bonis immobilibus, bona tamen mobilia ad voluntatem testatoris disponebantur.

An frater alicuius relicti hæres posset relinquere hæreditatem in fauorem alterius extra tribum.

QVÆSTIO XXX.

QVæret aliquis, cum aliquis non habens filios relinqueret hæreditatem suã frattribus: an illi in fauorem aliorũ

possent

A

possent renunciare hæreditati,sc.vt susciperet eam alius homo,qui esset extra tribum illam, vel extra familiam.Respondendum est,quod non poterat aliquis de propinquis defuncti viuente testatore,vel defuncto eo renunciare iuri suo, ita vt daretur alteri,qui esset extra familiam illam, quia quilibet potest renunciare iuri suo inquantum pro se est, sed non potest renunciare iuri suo,inquantum læditur aliquis alius, vel inquantum ius illud nō est introductum solum pro ipso, sed etiam pro alio,vt patet in clericis, qui non possunt renunciare priuilegio suo, vt percutientes eos non sint excommunicati,& hoc quia non est introductum illud priuilegium in fauorem alicuius personæ clericorum, sed in fauorem ordinis clericalis,& quia dehonestaretur iste ordo si aliquis clericorū se subiiceret legibus secularibus renuncians priuilegio suo, iure cautum est ne renunciare posset.Sic etiam esset hic: nam quod non existentibus filiis alicuius viri succedere debeant fratres eius, & ipse non posset instituere alios hæredes, non introductum est in fauorem fratrum, sed in fauorē totius familiæ, vel tribus, vt semper maneret possessio ista in familia illa,vel tribu ad distinguendum eam à cæteris, ideo non permittitur renunciare,quia sic per renunciationem iuris istius priuaretur tota familia iure suo, sed poterit iste renunciare in præiudicium suū sine præiudicio familiæ,vel tribus non dando hæreditatem alicui,qui sit extra tribum,vel familiam.

B

An frater testatoris posset renunciare hæreditatem alteri de familia, si haberet filios.

Qvæstio XXXII.

QVæretur autem circa hoc,an iste frater testatoris posset renunciare iuri suo cedendo illud alicui de familia: tūc enim non videtur esse ista cessio in præiudicium familiæ,quia semper manet possessio intra familiam. Respondendum est, quod aut iste cedere volens habet liberos, siue mares, siue fœminas,aut non. Si habet dicendum,quod nō potest cedere,quia non potest aliquis renunciare iuri suo in præiudicium alterius. Sicut ergo non poterat iste in præiudicium familiæ cedere ius suum alteri, ita in præiudicium filiorum suorum non poterit renūciare:nam ius quæsitum est isti ad bona fratris sui non habentis liberos, & filii habent ius in bonis patris ideo si cedit alteri ius illud tollit filiis suis id, quod habituri erant post mortem ipsius,& sic præiudicat,ergo non poterit renunciare hæreditati. Sed obiiciet aliquis,quod posset renunciare iuri suo non obstantibus liberis,quia si aliquis instituat nunc alium hæredem, iste qui instituitur potest renūciare hereditati,quamquam filios habeat,nec valet in hoc reclamatio filiorum. Respondendum est,quod factio testamēti,& institutio,atque destitutio hæredum, & acceptatio hæreditatis,vel renunciatio liberiora sunt nūc secundum leges nostras,quā in veteri testamento. Causa est,quia ibi attēdebatur certitudo progenierum, ita quod nunquam miscerentur progenies,& hoc fiebat per hæreditates annexas progenieb. ideo debebāt strictæ esse ad hoc,ꝙ manerent semper in linea illa,in qua à principio fuerant, ꝙ nō staret si testatori daretur libera condendi facultas, ideo quantum ad bona immobilia debuit potestas legatoris esse ligata. Nunc autem non attēditur ad certitudinem alicuius progeniei,ideo testatori licet disponere de bonis suis, tam mobilibus quam immobilibus, dum tamen non grauet filios in quarta eis debita de iure naturæ,& sic non valet argumētum decessione hæreditatis nūc, & in veteri testamento. Itē patet hoc, quia ipse testator antequā testaretur adhuc nō habebat tam liberam potestatem in bonis suis inveteri testamento,sicut nunc,quia licet nunc testatori non licet,quando condit testamentum, priuare filios quarta debita,licebat tamen antequam conderet expendere bona sua,qualiter voluisset,nisi forte essent bona primogenituræ,quæ vendi non poterāt,aut alias alienare, sed cætera dissipare poterat,etiam vt nihil filiis maneret, in veteri autē testamento non licebat alicui bona sua immobilia vendere, vel donare,& si venderet vsque ad certum tempus manebat vēditio,& postea redibant bona ad filios eius, ita vt non possent priuari filii hæreditate patris saltem ad aliquod bonū.De his declaratum est Leuit.ca.25.non licebat igitur huic renunciate hæreditati si filios haberet.

An frater testatoris posset renunciare hæreditatem si non habet filios.

Qvæstio XXXIII.

QVæretur amplius, quid si iste non haberet filios,an liceret eis renunciare hæreditati in fauorem alicuius de familia illa.Respondendum est,quod aut ille in cuius fauorē renunciabat erat immediatus illi in iure successionis, & tunc licebat:si autem non erat immediatus,non licebat renunciare in fauorem illi⁹,verbi gratia.si aliquis reliquit fratres suos hæredes cum non haberes filios nec filias: si illi volunt renūciare,non possunt nisi in immediatum. Est autem immediatus patruus,quia post fratres nemo est, qui succedat, nisi patruus, si igitur in istum renuncient fratres ius suum,dum tamen non habeant liberos valet renunciatio, quia non fuit in præiudicium alicuius,sc.nec familiæ,nec alicuius personæ: si autem isti fratres velint renūciare in aliquem omisso patruo, non renunciant in immediatum, ideo nō tenet renunciatio, quia fit in præiudicium alicuius,s patrui:nam si non succederent fratres,ille successurus erat:& mortuis illis si non haberent liberos patruus successurus erat. Cum autem fuerit tradita hæreditas alicuius minus propinquo non poterit redire vnquam ad istum, ideo præiudicatum fuit illi, sed in præiudicium istius non potest alius renunciare: ergo non valebit renunciatio. Cum autem fratres non habentes liberos renunciant in patruos,qui immediati sunt, tenet renunciatio, quia non fit ibi præiudicium alicui, cum non omittatur aliquis medius, sed solum præiudicatur ipsi renuncianti, potest quilibet tamen, quantum ad ipsum solum est, nulli alteri præiudicando,iuri suo renunciare. Patet ergo, quando teneat,& quando non.

D

E

Quod si fratres non habuit dabitis hæreditatem fratribus patris eius. Iste est gradus immediatus ad successionem,s.quod fratres patris qui vocantur patrui succedant quando fratres nō sunt, & vt quidam volunt intelligendum etiam si non sunt sorores. Nam si aliquis habeat sorores dabitur hæreditas eius illis nō existentib.fratribus,& non peruenier ad patruos,nomine tamen fratrum intelliguntur sorores, & cum dicitur hic de fratrib.patris intelligendum est de omnibus aliis propinquis si sint in eodem gradu. Istud quod dicitur de successione sororum non existentib. fratribus falsum est, licet quidam velint illud,vt infra patebit.

Cum hæreditas peruenit ad fratres patris non existentib.liberis, an possit etiam peruenire ad fratres matris, seu ad sorores.

Qvæstio XXXIV.

QVæret aliquis, an cum peruenit hæreditas ad fratres patris,debeat peruenire ad fratres matris.Respondebit aliquis, quod æqualiter succedent fratres patris, & matris, quia in eodem gradu sunt,sicut pater, & mater sunt in eodem gradu respectu filii. Sed ista ratio non tenet,quia filii,& filiæ sunt in eodem gradu respectu patris, tamen filii succedunt, & eis existentibus non succedunt filiæ, sed solum succedunt in defectu filiorum,ideo non procedit ratio. Sed forte dicetur alio modo,sc.quod non succedant simul fratres matris, & fratres patris,sed fratres patris succedant primo, quibus non existētibus succedant fratres matris. Sed etiam dicendum hoc non obstare: nam fratres matris non succedebant: causa est quia Deus intendebat,quod possessio semper maneret in eadē familia,quantum manere posset, mater tamen erat extra familiam patris saltem extra lineam illius immediatam, ideo non debebat transire hæreditas ad fratres matris, sed ad propinquos patris.Causa est,qa ista hæreditas prouenerat filio ex patre,ideo in eandē radicem redire debebat,& sic nunquā computabantur cognati ex parte matris, tanquam propinqui alicuius in successione,quamquam essent propinquiores in cognatione.Verbi gratia si esset aliquis moriens sine liberis,qui habuerat hæreditatem à patre, & haberet cognatos ex parte matris in secundo gradu,vel in tertio,siue de superioribus,siue de descendentibus,& ex parte patris haberet propinquos

F

Impugna.

Nō est eadem rō testā di nunc et in vet. testamento.

C

A

ſolum in quarto gradu, ſi propter propinquitatem fieret ſucceſſio, cognati ex parte matris ſuccedere debebant, & tamen non ſuccedunt, ſed cognati ex parte patris, etiamſi ſint in ſeptimo vel octauo gradu. Cauſa eſt, quia iſta hęreditas pertinet ad familiam illam, in qua erat pater, cognati autē ex parte matris non pertinent ad hanc familiam, ideo nunquam ſuccedunt. hoc autem verum eſt, niſi illa prouenerit hæreditas ex parte matris, ſ. quod aliquando matres habent hæreditatē, vtpote ſi ſucceſſerūt patribus ſuis, qui non habebant liberos maſculos, tunc quidam filii non ſuccedunt, niſi ſoli matri, & denominantur de ſtirpe aui materni, nec pertinent ad familiam patris, ſed alii ſunt filij, qui ad familiam patris pertinent, & ſuccedunt ei. In hoc caſu ſi iſti filii poſtea moriantur ſine filiis, debent ſibi ſuccedere fratres matris, & non patris, & ſi non habeat mater fratres, debent ſibi ſuccedere patrui, & ſic per omnem cognationem matris. Cognati autem ex parte matris non ſuccedent ex cauſa ſupra aſſignata, ſcil. quia Deus volebat, vt poſſeſſiones manerēt in familia illa, in qua à principio fuerant, ſed iſta poſſeſſio proueniebat ex parte matris, ergo ad cognationem eius reditura erat. Cōtingit autem interdum, quod filius habeat poſſeſſionem ex patre, & matre, ſcil. quando vnicus eſt patri, & matri, & ſuccedit patri, quia eſt de familia eius, matri etiamſi non habeat cognatos, qui

B

denominare poſſint nomen aui materni, & tunc ſi moriatur iſte ſine filii cognati patris ſuccedent ei in poſſeſſione, quæ prouenerat ex parte matris, vt quælibet poſſeſſio maneat in familia ſua.

An ſorores ſuccederent æqualiter cum fratribus.

QVÆSTIO XXXV.

QVæretur vlterius de ſucceſſione fratrum, & ſororum, ſ. quando moriebatur aliquis ſine liberis, & debebāt ſuccedere fratres, an cum eis ſuccederent ſorores, vel ſaltem nō exiſtentibus eis. Si aliquis reſpondeat, quod ſuccedant ſimul, quia ſunt in eodem gradu. Non ſtat, quia eodem modo filiæ, & filii ſunt in eodem gradu, ſed non ſuccedunt filiæ exiſtentibus filiis. Si autem dicatur, quod non ſuccedunt ſimul ſorores, ſed in defectum fratrum. Dicet aliquis, quod etiam nō ſtat, ſicut erat de fratribus patris, & matris, quia non ſuccedunt ſimul fratres patris cum fratrib. matris: nec etiam in defectum eorum, ita nec ſorores patris non ſuccedant cum fratribus, vel non ſtantib. eis. Sed etiam iſta redargutio non ſtat, quia fratres matris nō ſuccedūt cum fratrib. patris, nec in defectū eorum, quia ſucceſſio debet fieri in hæreditate, quæ eſt de familia patris, fratres autem matris non ſunt de hac familia, ideo nequaquam ſuccedent, ſed hic eſt alia ratio quare nō ſuccedant ſorores ſimul cum fratribus, vel in defectum eorū, ſ. quia debebat poſſeſſio ſemper manere in eadem familia, ſi

C

autem ſorores ex parte patris ſuccederent, quamquam illæ eſſent de eadem familia, de qua fratres, tranſirent poſtea in alteram familiam, ſ. cum acciperent viros, & filii ipſarum, qui eſſent de familia virorum acciperent poſſeſſiones ipſarum, & ſic tranſirent illæ poſſeſſiones ad familiam aliam, quod erat contra intentionem Dei, ideo dicendum, ꝙ nunquam ſuccedebant fœminæ in iſtis, niſi eſſent filiæ illius, cuius erat hæreditas, ita vt nomē paternum conſeruaretur in illis, ſicut dicebatur de filiab. Salphaad. Ideo circa hoc cōſiderandæ ſunt duę regulæ. Prima eſt, ꝙ in poſſeſſionib. q̄ veniebant alicui ex parte patris, nunq̄ ſuccedebant cognati ex parte matris, ſiue eſſent viri, ſiue fœminæ, quamquam illi eſſent propinquiores defuncto, quam cognati ex parte patris, & poſſeſſionib. venientib. ex parte matris nunquam ſuccedebant cognati ex parte patris. Secunda regula eſt, quod in poſſeſſionib. quæ proueniebant, ſiue ex parte matris, ſiue ex parte patris, nunquam ſuccedebant fœminæ, ſed ſemper viri, quamquam fœminæ eſſent magis cognatæ, vtpote quod aliquis haberet fœminā aliquam propinquam in tertio gradu, & virum propinquum in quarto, non debebat ſuccedere fœmina, ſed vir. Hoc verū eſt niſi in filiabus, quæ ſuccedebant patri, & matri in defectū filiorum. Cauſæ autem huius ſunt, quæ ſupra habentur, ſcilicet, vt non tranſeant hæreditates de familia in familiam, & ſic patet, quod litera iſta eſt intelligenda, ſicut iacet nihil ſupplendo, ſcilicet, quod per fratres non intelligebantur ſorores, & per patruos non intelligantur fratres matris. *Sin autem, nec patruos habuit, dabitur hæreditas his, qui ei proximi ſunt.* Id eſt, quando defecerint patrui, venietur ad alios propinquos, ſcilicet, qui maſculi ſunt, ſemper per gradum maioris, & minoris propinquitatis, fœmina autem nulla ſuccedet. Etiam ei ſūt iſti propinqui ex parte patris cum lex iſta loquatur de ſucceſſione, quæ fit ex parte patris, ſi tamen aliquis ſucceſſerit matri, & poſtea moriatur ſine liberis, ſucceſſio fiet in cognatis matris, eo modo, quo dicitur de cognatis patris, & nullus de cognatione patris ibi ſuccedet, quia non pertinent ad eandē familiam *Eritq; hoc ſanctum filiis Iſrael lege perpetua.* Id eſt iſtud, quod conſtitutum fuit hic de ſucceſſionibus, manebit firmū inter Iſraelitas tanquam lex perpetua, ſanctum enim dicitur de ſancio, eſt autem ſancire, id eſt affirmare, & propter hoc ad legem maxime pertinet, vt cum dicitur ſancimus tale, vel tale. Vel poſſet hic accipi ſanctum, id eſt conſtitutum, quia ſancire ſignificat conſtituere. Et eſt ſenſus, iſta conſtitutio manebit tanquam lex perpetua. *Sicut præcepit dominus Moyſi.* Iſta verba ſunt Dei quamquam videtur, quod aliquis alius locutus fuerit illa, ſed aliquando fit mutatio perſonæ in ſcriptura, vt aliquis de ſeipſo loquatur, tanquam alius loqueretur, & ſic cū præcepit Moyſi iſta dixit, ſicut præcepit dominꝰ Moyſi, id eſt, ſicut ego præcipio tibi.

D

Sanctū quid ſignificet

E

Dixit quoque Dominus ad Moyſen; Aſcende in montem iſtum Abarim, & contemplare inde terram, quā daturus ſum filiis Iſrael. Cumque videris eam, ibis & tu ad populum tuum, ſicut iuit frater tuus Aaron, quia offendiſtis me in deſerto Sin, in contradictione multitudinis, nec ſanctificare me voluiſtis coram ea ſuper aquas. Hæ ſunt aquæ contradictionis in Cades deſerti Sin. Cui reſpondit Moyſes: Prouideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis, hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc, & poſſit exire, & intrare ante eos, & educere eos, vel introducere, ne ſit populus Domini, ſicut oues abſq; paſtore. Dixitque Dominus ad eum: Tolle Ioſue filium Nun virum in quo eſt ſpiritus, & pone manum tuam ſuper eū. Qui ſtabit coram Eleazaro ſacerdote, & omni multitudine, & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, vt audiat eum omnis Synagoga filiorum Iſrael. Pro hoc, ſi quid agendum erit, Eleazar ſacerdos conſulet Dominum. Ad verbum eius egredietur, & ingredietur ipſe, & omnes filij Iſrael cum eo, & cætera multitudo. Fecit Moyſes, vt præceperat Dominus. Cumq; tuliſſet Ioſue, ſtatuit eum coram Eleazaro ſacerdote, & omni frequentia populi, & impoſitis capiti eius manibus cuncta replicauit, quæ mandauerat Dominus.

Ioſue ꝓficitur populo loco Moyſi.

F

Dixit quoque dominus ad Moyſen. Hic ponitur tertium, ſcilicet principis futuri conſtitutio, & quia illud habuit occaſionem ex præcepto de morte Moyſi, vt patet in litera præponitur, quod Deus iuſſit Moyſi, vt aſcenderet in montem ad moriendum. *Aſcende in montem iſtū Abarim.* Iubebat Deus, quod Moyſes aſcenderet in montem ad moriendum immediate, vt data eſt lex de diuiſionibus terræ, & aſſignatione poſſeſſionis filiarum Salphaad, & de ſucceſſionibus. Continuant enim aliqui iſtam literam dicētes, quod Moyſes audierat à domino, quod daret poſſeſſionē filiabus Salphaad inter cognatos ſuos, ideo putabat, quod tranſiturus eſſet in terram promiſſam ad diuidendum illam, & quod dominus relaxaſſet ſententiam mortis contra eum latam, & quod non ingrederetur in terram ꝓmiſſam, in quo lætabatur nimis, ideo Deus ſubdidit, quod aſcenderet in montem ad moriendum.

Quare Deus iuſſit Moyſi, vt aſcenderet in montem ad moriendum.

QVÆSTIO XXXVI.

QVæret aliquis, quare iuſſit aſcēdere in montē ad moriēdum: nā videtur, ꝙ honorabilius mortuus fuiſſet in caſtris

A

ſtris,& ibi honorarent funera eius omnes Iſraelitæ. Reſpondendum eſt,quod Deus voluit euitare idololatriã: omnes enim Iudæi habebant Moyſen tanquam virum ſanctiſſimum, per quem tanquam mediatorem receperant omnia beneficia à Deo,cum ipſi eſſent valde propinqui ad idololatriam, ſi cognouiſſent ſepulchrum eius adorarent eum tanquã Deũ. fecit ergo Deus ne cognoſcerent Iſraelitæ ſepulchrũ Moyſi, & quia ſi moreretur in caſtris cognoſcerent Iſraelitæ ſepulchrum eius,quia ipſi ſepelirent eum, ideo haberent occaſionẽ idololatrandi,iuſſit ergo Deus, vt aſcenderet in montem ad moriendum,quia ibi nemo videret eum morientem, nec cognoſcerent ſepulchrum eius. Sic dicitur Deut. c.vlti.quod mortuus eſt Moyſes in monte,& ſepeliuit eum Deus in valle terræ Moab,& non cognouit homo ſepulchrum eius vſque in præſentem diem. *In montem iſtum Abarim.* Dicitur in montem iſtum,quia Moyſes erat circa montẽ illum,quando Deus dixit hæc,& demonſtrabatur mons ille ad oculum: erat enim tunc Moyſes cum omnibus Iſraelitis in vltima mãſione quæ vocatur Belſethim. Nam toto tempore ante illam vixit: eſt enim manſio illa apud Iordanem ad radices montis magni,qui dicitur Abarim,& in illum iuſſit Deus Moyſen aſcendere,vt moreretur. Sed arguet aliquis, quod non mortuus eſt Moyſes in monte Abarim, ſed in monte Nebo, quia ſic dicitur Deuteron.c.vlti. Reſpondendum,quod Abarim eſt nomen

B

multorum montium extenſorum,vt patet infra 33. ca. vbi vocantur montes Abarim, Nebo autem eſt quędam pars ſpecialis in monte Abarim,vt colligitur Deut.c.32. vbi vocatur trãſitus Nebo in monte Abarim,id eſt, quædam pars partis vocata Nebo in monte Abarim. Vocatur aũt variis nominib. ſecundum varias partes,& colles: aliquando.n. vocatur Phaſga, vt patet ſupra c.23.& aliquando vertex Phegor,vt patet ibidẽ, & aliquando excelſa Baal,vt patet ſupra c.22. *Et contemplare inde terram,quam daturus ſum filiis Iſrael.* Id eſt, de monte iſto poteris videre terram,quam ego dabo Iſraelitis poſt mortẽ tuã, & tu morieris ibi. Dicet aliqs in hoc eſſe cautam,quare Moyſes aſcenderet in montem, ſ. non ad moriendum, ſed ad videndum terram. Sed non ſtat,quia litera immediate ſubiunxit de morte illius,ſ.cumq; videris,ibis ad populum tuum. Imo licet ex monte illo Moyſes viderit terram, & ibi mortuus fuerit,dicẽdum eſt,qꝫ non aſcendit principaliter vt videret terrã, ſed vt moreretur: nam ſi aſcendiſſet ad videndum terrã principaliter rediiſſet poſtea in caſtra, & ibi moreretur. Sed falsũ eſt,dicitur autem, quod Moyſes contemplaretur terram de monte illo,quam Deus daturus erat, ſ.terram Chanaan nouẽ tribuum,& dimidiæ,q̃ Deus poſtea tradidit. Nam iam tradiderat Iudæis quandam partem terræ promiſſæ, ſ.terram duorum regum Amorrhæorum,& hanc iam viderat Moyſes,qꝫ ipſe fuit dux in acquirendo eam totam.

C

Quare Deus iußit Moyſen contemplare terram in monte.

QVÆSTIO XXXVII.

QVæret aliquis,quare Deus dixit Moyſi, quod aſcẽderet in montem,& contemplaretur terram. Reſpondendũ eſt,quod Deus volebat præbere Moyſi quoddam gaudium: deſiderabat enim introire, & videre terram Chanaan,quia Deus eam nimis laudauerat, vnde vehemẽter deprecatus eſt dominum, vt permitteret eum tranſire Iordanem, & videret terram Chanaan,vt patet Deut.c.3. & ibi reſpondit Deus. ſufficit tibi: nequaquã loquaris vltra ad me de hac re, ſed iuſſit,quod aſcenderet in montem, & indẽ videret terram illam deſideratam, quam ingredi non permittebatur, & cum aſcẽdiſſet,monſtrauit ei Deus omnem terram Chanaan, vt patet Deut.cap.vlti.non quidem, quod poſſet eam totam diſtincte contemplari de monte illo, ſed quia eleuauit Deus ſupernaturaliter potẽtiam eius viſiuam,vt poſſet diſtincte cognoſcere quæ alias cognituras non eſſet,vt declaratum eſt in eodem c. Fuit autem hoc aliquale gaudium quamquã maiori priuatus eſt ipſe Moyſes,cum non fuerit permiſſus intrare. Sed adhuc maiori gaudio priuatus eſt Aaron, quia non vidit terram Chanaan,nec terram duorum regum Amorrhæorum,quam Moyſes bellando cepit, & hoc, quia mortuus eſt in monte Hor multo ante hoc,vt patet ſupra cap.20. *Cumq; videris eam.* Id eſt,poſtquam videris terram nouem tribuum verſus omnem partem,& delectatus fueris in viſione. *Ibi tu ad populum tuum,ſicut iuit frater tuus Aaron.* Id eſt, morieris in monte, ſicut mortuus fuit Aaron. ire enim ad populum ſuum,vel congregari,eſt mori,quia per mortem aſſociatur homo multis, qui iam mortui ſunt,& quaſi faciunt gentem, vel populum, ſicut viuentes. Dicitur tamen hic populus pro congregatione iuſtorum mortuorum exiſtentium in lymbo patrum,qui vocatur ſinus Abrahæ, in quo loco detinebantur omnes animæ ſanctorum vſque ad mortem Chriſti. Et locus iſte eſt apud inferos,vt colligitur Luc.16.c. ex verbis Chriſti,cum dixit,quod dives quidam,qui epulabatur ſplendide ſepultus eſt in infernum, mendicus autem nomine Lazarus ductus eſt in ſinum Abrahę dives vero à longe videns Lazarũ,dixit: pater Abraham mitte Lazarum,vt intingat extremũ digiti ſui in aqua,& refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma,& ibi reſponſum eſt,qꝫ erat magnum Chaos inter eos, qui erant in inferno,& eos,qui erant in ſinu Abrahæ,ita quod non poſſet eſſe tranſitus ex vno ad alterum. Pro quo ſciendũ, quod apud inferos ſunt quatuor ſinus,vel loca, in quibus animæ fuerũt, & nunc ſunt, ſ. ſinus Abrahę, lymbus puerorum, locus purgatorius,& infernus damnatorum. Iſte vltimus locus eſt pro illis,qui in mortali actuali culpa decedũt: in æternum enim ibi manſuri ſunt. Locus purgatorius eſt, in quo detinentur animæ virorum bonorum,qui de inique commiſſis ante mortẽ doluerunt,nec tamen pœnitentiam expleuerunt: ibi enim manent,vſquequo ſecundum Dei arbitrium expleta ſit. Cũ vero expletur tranſitur in vitam æternam. In tempore aũt ante mortem Chriſti,cum explebatur pœna debita,erat trãſitus ad ſinum Abrahę,& ibi manebatur vſq; ad mortem Chriſti. Tertius autem locus eſt lymbus puerorum, & in hoc manent omnes animę paruulorum decedentium in ſola originali culpa,& ibi in æternum manſuri ſunt. Quartus locus eſt ſinus Abrahæ,vbi omnes viri ſancti ſiue de Iudæis,ſiue de gentilibus manebant,vſque ad mortem Saluatoris, ſ. quando moriebãtur ſine aliqua culpa,& ſine obligatione pro aliqua ſatisfactione impleta ad hunc locum deſcendit Moyſes. Et vocatur populus ſanctorum,quia omnes, qui ibi erant,ſancti viri erant. Quare autem iſte locus vocetur ſinus Abrahæ, & an ante ipſum animæ aliorum virorum illuc deſcẽderint, & de diſtinctione iſtorum quatuor locorum,& de pœnis ipſorum,& duratione,& conditione deſcendentium illuc,& liberatione de ipſis locis,multa quoque alia huiuſmodi latiſſime dictum eſt in libro De quinque Metaphoricis Paradoxis. *Sicut iuit Aaron frater tuus.* Hoc poteſt intelligi dupliciter, vno modo, quod dicatur propter ſimilitudinem mortis, alio modo propter ſimilitudinem cauſæ moriendi. Primo modo eſt ſenſus, quod Moyſes viderat mortem Aaron valde tranquillam, & fere ſine dolore,quia ſolum accubans in loco à Deo ſibi parato clauſis oculis eſt mortuus,deſiderauit talem mortem, vt declaratum eſt ſupra c.20. ideo Deus ſatisfaciens intentioni eius dicit: Sicut iuit Aaron frater tuus, id eſt, talem mortem habebis,qualem Aaron, ſ. tranquillam, & quaſi ſine dolore. Alio modo intelligitur de ſimilitudine cauſæ moriendi, ſ. tu,& Aaron offendiſtis me ad aquas contradictionis, ſed Aaron propter iſtam cauſam iam iuit ad populum ſuum,ergo vade tu,ſicut ipſe iuit. Et iſte eſt ſenſus melior,vt patet in litera,quę immediate exprimit cauſam mortis Moyſi,& Aaron. Sciendum autem,quod iſtud,quod hic habetur de aſcenſu Moyſi in mõtem,& de contemplatione terræ, & morte; habetur in quatuor locis, ſ. hic,& Deut.cap.3.& 33.& 34. Vltimus locus iſtorum eſt diſtinctus ab aliis,quia in tribus primis agitur ſolum, quod Deus iuſſerit Moyſi, vt aſcenderet, ſed non dicitur de morte. In quarto autem loco dicitur,qũo mortuꝰ fuerit. Manet igitur ſolum dubium de aliis tribus locis, an ſint idem, vel Deus iſta Moyſi ter dixerit. De quo dictum eſt.ca.3. *Quia offendiſtis me in deſerto Sin.* Offenſio iſta immediate ponitur,& dicitur in deſerto Sin .i. in Cadesbarne, quæ vocatur Cades deſerti Sin, vt patet ſupr.ca.13.& 20. & quando vocatur Cadesbarne,vt patet Deuteron.ca.1.& Ioſue 14.& 15. Sciendum autem,quod vbicunque fit mentio de morte Moyſi,& Aaron in libris iſtis, quaſi ſemper fit mẽtio de iſto peccato deſerti Sin, & hoc ne aliquis forte intelligeret, quod Moyſes, & Aaron non intrauerunt terram Chanaan propter murmurationem factam de Deo,& alia magna peccata Iſraelitarum, de quibus ſupra 14. capitul. Moyſes autem, & Aaron non peccauerunt

D

Quatuor ſinus apud inferos.

E

F

A in his, quin potius repugnabãt omnibus peccatoribus, vt pãtet ex diſcurſu huius libri, ad excuſationem autem eorum recitatur iſtud delictum, quia nullum aliud commiſerunt propter quod mererentur mori extra terram Chanaan, & in hoc demonſtratur magna Dei iuſtitia in puniendo cum Moyſen amicum ſuum vt patet Exod. cap. 33. & fideliſſimum ſibi atq; familiarem in tota domo, vt patet ſupra 12. c. pro tanta patua culpa puniuit. Sciendum tñ, quod quamquam non poneretur iſta excuſatio Moyſi, & Aaron manifeſtum erat, quod ipſi non priuati ſunt ingreſſu terræ Chanaan propter murmurationem quaſi murmurauerint cum aliis Iſraelitis in Cadeſbarne, quia ſententia illa, quæ ibi lata eſt de non introeundo in terram Chanaan ſolum extendebatur ad numeratos, qui erant de duodecim tribubus, Moyſes autem, & Aaron non erant de illis, ſed de Leuitis, ideo non moriebantur ex hac cauſa, de Moyſe adhuc magis patet, quia omnes qui condemnati fuerant propter murmurationẽ mortui ſunt ante tranſitum torrentis Zareth, vt patet Deutero. cap. 2. ſed tunc nondum mortuus erat Moyſes, quia poſt hoc pugnauit contra duos reges Amorrhæorum, & accepit terram eorum atque diuiſit, vt patet eod. ca. & Deute. c. 3. ergo non mortuus eſt ex hac cauſa. Item patet, quia torrens Zareth erat antequam Iudæi venirent in terram Moab, & duorum regum Amorrhæorum, vt habetur ſupr. ca. 21. ſed poſt hoc fecit Moyſes multa alia. Item patet ex c. præceden. vbi Moyſes numerauit totum Iſrael. & dicitur in fine, quod in numeratione illa non fuit aliquis de primo numeratis, quia omnes iam mortui fuerant. Sufficienter ergo patebat Moyſen non fuiſſe mortuum propter murmurationem, Deus tamen fecit hoc ſcribi ad maiorem euidentiam.

B *In contradictione multitudinis.* Id eſt, fuit offenſio tua, & Aaron quando multitudo contradixit, ſ. mihi murmurando cõtra me, quod non haberẽt aquas, & dolendo, quod exiuiſſent de Aegypto. vnde Moyſes, & Aaron increpuerunt multitudinem dicentes, audite rebelles, & increduli nunquid de petra hac poterimus vobis aquas eiicere, vt patet ſupr. c. 20. & propter hoc vocatæ ſunt illæ aquę contradictionis. Vel poteſt dici in cõdictione multitudinis. i. quãdo contradixiſtis multitudini, ſ. quod Moyſes, & Aaron cõtradixerunt multitudini vocantes eos incredulos, & rebelles & iſte etiam eſt ſenſus conueniens. Nam peccatum iſtorum fuit in contradictione multitudinis, ſ. quod Moyſes, & Aaron debebant laudare Deum coram multitudine eiicientes aquam de petra, & prouocare totum populum ad laudem, quia tñ incœperũt increpare populum dicentes eos incredulos, & rebelles, populus contriſtatus eſt, & non laudauit dominum: in quo Moyſes, & Aarõ peccauerunt. *Nec ſanctificare me voluiſtis coram ea ſuper aquas.* Id eſt noluiſtis laudare me, vel exprimere magnitudinem meam coram multitudine ſuper aquas, id eſt in expreſſione aquarũ.

C Non eſt ſenſus, quod Moyſes, & Aaron dicerent ſe nolle ſanctificare Deum, vel directe noluiſſent, quia hoc erat peccatũ graue nimis, nec Deus dediſſet eis tam paruam pœnam, ſed noluerunt ſanctificare, id eſt, non ſanctificauerunt, quia commoti bono zelo increpando populum, quia contra Deum murmurabat, non potuerunt promouere populum ad laudem: debuerant enim prius ſine aliqua increpatione Dei magnitudinem exprimere, ſcilicet, dicendo lapidi ex parte Dei, quod aperiretur, & daret aquas, & admonendo multitudinem, quod ſicut inſenſibilis lapis obediebat Deo, ita magis ipſi rationales exiſtentes obedire debebant, ſed mutauerunt ordinem: nam cum debuiſſent finire in increpatione populi, poſtquam promouiſſent populum ad laudem incœperunt ab increpatione, & hoc quia magnum zelum Dei habebant cõtra rebelles, & incredulos, & poſtea populus increpatus non fuit concitatus ad laudem Dei. *Hæ ſunt aquæ contradictionis.* Id eſt iſtæ aquæ, ſuper quas Moyſes, & Aaron peccauerunt, vocantur aquæ contradictionis, quia propter eas fuit contradictio populi ad Deum, vel Moyſi, & Aaron ad populum, vt ſupra eſt dictum. *In cades deſerti Sin.* Id eſt, iſtæ aquæ ſunt in Cades, quæ eſt in deſerto Sin. Eſt enim Cades in extremitate terræ Edom, vt patet ſupra capi. 20. ſiue dicatur illam eſſe vrbem, ſiue quandam partem deſerti, vt ibi declaratum eſt, & dicitur eſſe in deſerto Sin, quod alias vocatur deſertum Pharam, quod eſt valde magnum tam in longitudine quam in latitudine: nam latitudo ſua eſt poſt montem Synai vſque Cadesbarne in extremitate lateris Meridiani terræ Chanaan, quod patet ſupra capitul. 10. ſcil. ambulauerunt Iſraelitæ poſt montem Synai diebus tribus, & requieuit nubes in deſerto Pharam, etiam durat vſque ad terram Chanaan, quia deſertum Pharam, ſiue deſertum Sin, ponitur tanquam latus Meridianum terræ Chanaan, vt patet infra 34. cap. & Ioſue decimoquinto capit. longitudo autem ſua magna eſt. Nam pars orientalis terræ Chanaan incipit cum ſolitudine Sin, & continuatur per latus Meridianum verſus occidentem, vt patet præalle. capitul. Quod autem deſertum Pharam, & deſertum Sin eadem ſolitudo ſint, apparet, quia hic dicitur Cades deſerti Sin, & ſupra 20. c. tamen 13. ca. dicitur eſſe Cades in deſerto Pharam, ergo neceſſe eſt idem eſſe. *Cui reſpondit Moyſes.* Erat enim Moyſes promptus ad obediendum ſententię Dei, ideo cum ipſe iuſſerit, quod moreretur non refugit mortem, ſed petiuit, vt daretur aliquis rector ſuper totum populum, ſicut ipſe erat. *Prouideat dominus Deus.* Hic petit ſibi ſucceſſorẽ, ne maneat populus, ſine paſtore, verus quippe paſtor iſte erat, qui in limine mortis exiſtens de ouib. memoriam agebat, magis vtilitati populi inſudans quam ſuæ, nec pro ſe aliquid à Deo hic petiit, ſed pro ſubditis.

D

Quomodo ſoluatur contradictio apparens in dictis hic, & Deuteron. capit. 3.

E

QVÆSTIO XXXVIII.

QVæret aliquis, quomodo ſtabit iſta litera cum ea, quæ habetur Deuteron. cap. 3. vbi dicitur, quod Moyſes inſtantiſſime orabat dominum, vt permitteret eum tranſire Iordanem, & videret terram Chanaan, Deus autem dixit, quod non videret, & introiret, ſed quod aſcenderet in montem, & videret ſolum, hic tamen dicitur, quod immediate cum Deus dixit Moyſi, vt aſcenderet in montem, & moreretur conſenſit petens ſolum, quod conſtitueret Deus alium ducem poſt mortem eius. Item videtur eſſe diuerſitas, quia hic dicitur, quod Moyſes precatus eſt, vt Deus daret ſucceſſorem ſibi, & tamen Deuter. cap. 3. dicitur, quod Deus dixit Moyſi, quando precabatur pro tranſitu in terram Chanaan, quod acciperet Ioſue in ducem. Reſpondendum eſt, quod ordo huius rei fuit, ſcilicet, quod poſtquam Moyſes venit ad vltimam manſionem, ſcilicet Belſethim, quę erat apud Iordanem ſciens, quod Deus dixerat de eo, & de Aaron in Cadesbarne, quod non tranſirent in terram Chanaan, iam poſitus in termino illius, cum tempus intrandi in illam eſſet, inſtantiſſime orauit Deũ, vt permitteretur tranſire in eam, & patet hoc Deuteron. cap. 3. cum Moyſes dicit in oratione ſua tranſibo Iordanem iſtum, id eſt rogo te, quod dimittas me tranſire iſtum Iordanem. Ex quo innuitur, quod apud ipſum erat, quia demõſtrabat eum, & ante hoc Deus non dixerat aliquid Moyſi, quod aſcenderet in montem, vel quod moreretur, ſed ſolum dixerat in Cadesbarne, quod non intraret in terram Chanaan, cum autem Moyſes tam affectuoſe precaretur, dixit ei Deus: Sufficit tibi, nequaquam vltra loquaris de hac re ad me. Et ſubiunxit: aſcende cacumen Phaſgæ, & oculum tuum circunfer ad Orientem, & Aquilonem, &c. tunc cum Moyſes videret iam impoſſibile eſſe, quod tranſiret in terram Chanaan, ſed in loco illo moriturus erat, petiit, vt daretur ſibi ſucceſſor ne eſſet populus ſine paſtore, dicens verba, quæ habentur hic, ſcil. Prouideat Deus &c. & tunc iuſſit Deus illi, vt acciperet Ioſue, & coram tota multitudine conſtitueret eum ducem. Iſta colliguntur coniungendo ea, quæ habentur hic, & Deuter. cap. 3. tamen in nullo loco iſtorum complete habẽtur, quia ſcriptura eſt breuiloqua, & ea, quæ poſſunt intelligi ex aliis locis, non exprimit. Conſueuit etiam, vt quando eadem res ſæpe debet narrari, non narretur ſemper perfecte, ne fiat inutilis repetitio, ſed aliquando cum ſemel perfecte narrauerit in aliis locis ſummatim trãſit, interdum vero, cum aliquid recitare debuerit ſæpe, enarrabit illud ſemper imperfecte, ita tamen, ꝙ in qualibet narratione ponatur aliqua particula, quæ in alia non habetur, & deficiat aliqua, q̃ habetur in alia, ita vt ex plurib. imperfectis colligatur vna perfecta narratio, & ita fit hic, & Deut. c. 3. nam in Deuter. 3. exprimitur quid Moyſes dixerit

F

A antequam Deus iusserit ascendere in montem, & subticetur quo Moyses petierit rectorem super populum. Hic autē subticetur quid Moyses orauerit antequam iuberetur ascendere in montem, & exprimitur quo petierit ducem super populū. Causa diuersitatis est, quia hic intendebat scriptura principaliter inducere qualiter Iosue fuerit assumptus in ducem post mortem Moysi, & ad hoc sufficiebat poni, quo Moyses petierit rectorem, sed Deut. c. 3. intendit litera principaliter declarare, quo Moyses non fuerit permissus transire in terrā Chanaan, & ad hoc sufficiebat ponere quomodo sæpe Moyses petierit, vt permitteretur, & non permissus est transire. *Prouideat dominus Deus spirituum omnis carnis.* Id est Deus, qui est dominus spirituum omnium, qui in carne sunt, prouideat homini, id est, prouideat huic populo de aliquo homine, qui possit regere illum. Dicitur Deus spirituum omnis carnis, id est qui cognoscit omnes spiritus, qualiter se habeant. Vocatur Deus spirituum omnis carnis, non quod solum dominetur spiritibus, qui sunt in carne, s. spiritibus humanis: nam pecora non habent spiritum proprie dictū in carne, sed homines, qui etiam dñatur spiritibus non existētibus in carne, s. Angelis, & dæmonibus, qui spiritus sine corpore sunt, sed dicitur de spiritibus in carne, quia Moyses volebat dicere, cum ego tollar à cura huius populi, ponat Deus aliquem alium, & quia non cōueniet ad regimen tanti populi aliquis homo, nisi habeat valde bonum spiritum, ideo Deus qui erat dominus spirituum omnis carnis, id est, qui cognoscit omnem spiritum, qui in carne est, an bonus, vel malus sit, poterat prouidere de homine cōueniente pro tanto regimine, & in hoc tollit Moyses à se curam instituendi principem, & à populo tollit electionem. Nam posset dicere Deus Moysi, ex quo alius princeps est necessarius populo, inquire tu quem cognoueris esse conuenientem, & institue, vel totus populus eligat de seipsis vnum, quem voluerit. Dicit autem Moyses, quod nō debeat hoc fieri, sed Deus, qui cognoscit spiritum omnis carnis poterit melius iudicare, & assumere conueniētem, simile habetur supr. 16. c. cum dixit Moyses. fortissime Deus spirituum vniuersæ carnis vno peccante contra omnes ira tua desæuiet, id est, tu es Deus spirituum vniuersæ carnis, scil. cognoscens bonitatem, vel malitiam spirituum, ideo vno peccante non debes contra omnes desæuire. i tu scis, quis est ille, qui peccauit, ergo sufficit, vt illum punias.

An fuisset conueniens, quod Moyses per seipsum instituerit principem totius populi.

QVÆSTIO XXXIX.

C QVæret aliquis, an conueniens fuerit, quod Moyses per seipsum instituerit principem futurum sine aliqua populi electione, vel Dei determinatione. Respondendū, quod non, quia pro tanta multitudine regenda requirebatur optimus vir, qui esset in populo, Moyses autem non cognosceret hoc, quia istud non appareret sufficienter ex actibus exterioribus: nam licet Christus dixerit Matth. 7. capit. à fructibus eorum cognoscetis eos, quia non colligunt de spinis vuas, nec de tribulis ficus, nec potest arbor mala bonos fructus facere, nec arbor bona facere malos fructus, licet aliqualis cognitio sit, tamen perfecta esse non potest, & hoc quia altum est, & inscrutabile cor hominis, vt ait Ierem. est autem verum istud quantum ad operationem, quæ est ex habitu, secus autem de operatione ex intentione ad aliquem finem, scil. quod si aliquis operetur secundum habitum, quem habet impossibile est, vt malus operetur bonum, vel bonus operetur malū, quia habitus bonus non potest inclinare nisi ad bonum, & malus non potest inclinare, nisi ad malum, & ad hoc applicatur exemplum Christi, scil. non potest mala arbor bonos fructus facere, nec bona arbor facere fructus malos. Alio modo potest aliquis operari ex intentione finis, & non per habitum, & tunc potest malus operari bonum. Vt pote si alicui habenti habitum intemperātiæ quantum ad libidinem dicitur, quod omnia perdet, quæ habet vel occiderur si in tali, vel tali loco exercuerit libidinem, tunc quamq̄ secundum habitū inclinetur ad exercendum ibi libidinem, tñ non exercebit propter finem, quem præsupponit, s. ne moriatur, vel perdat bona: eodem modo est de habēte bonum habitum, qui quamq̄ secundum illum non inclinetur ad malum: tamen ex aliquo fine præsuppositio operabitur illud, vt ex timore, vel amore, & aliis inductiuis. Hoc modo efficiuntur homines hypocritæ, s. vt aliud in habitu signent, & aliud interdum agant quam facere inclinantur, vt acquirant, vel honorētur. Nec est istud contra verbum saluatoris, s. nō potest mala arbor bonos fructus facere, nec bona arbor facere fructus malos, quia isti nō operantur per habitum: homines enim nō sunt boni vel mali, nisi per habitum, & dñr bonæ, vel malæ arbores propter bonum, vel malum habitum, quia sicut quęlibet arbor ex cōditione speciei determinat sibi istum, vel illum fructū, & non potest aliquem alium producere, ita habitus est virtus quædam, siue principium operatiuum determinans sibi naturaliter operationes, ita quod per habitum iustitiæ operamur iusta, vt nō possimus aliud operari, per habitum autem intemperantiæ solum operamur intemperata, & impossibile est aliquid alterum operari, cum tamen aliquis operatur propter finem intentum, non operabitur per habitum bonū, vel malum, ideo quantum ad hoc non dicitur arbor bona, vel mala, & sic quamquam hēat habitum malum aliquis, & operetur bonum ex intentione finis non dicitur mala arbor bonū fructum facere, quia non operatur secundum illud, in quo vocatur arbor: è contrario autem de bono operante malum. Patet ergo, q̄ plena cognitio hominis non est per operationem exteriorem, si se occultare proposuerit. Et sic Moyses non poterat cognoscere plene per cōuersationem bonitatem alicuius: ita vt conuenienter posset eum eligere in ducem totius populi: ergo non debuit ipse per se instituere. Sed obiiciet aliquis, quod Moyses erat Propheta, & Deus poterat ei reuelare quis esset optimus in toto populo, sicut multa alia reuelabat, & illum ipse in ducem instituerent. Respondendum, quod adhuc non stat, quia quamquam ipse elegisset optimū virum si populus non interueniisset ad hoc, nesciretur, an vir ille esset optimus, & populus non assentiret institutioni factæ. Etiam quia dato, quod cognoscerent illum esse optimū, quia Moyses sine auctoritate eorū fecisset in casu, in quo ptinebat ad eos electio, vel accōmodatio consensus, non cōsentirent. Non debuit ergo solus Moyses per se instituere.

Nō pōt bona arbor mala fructus facere, nec è cōtra quo intelligitur.

An conueniens fuit, quod totus populus eligeret sibi ducem. Et an in veteri testam. omnes principatus maximi. sc. sacerdotalis, & regnatiuus fuerint per succeßionem. Et an principatus monarchicus per succeßionem sit magis sine periculo, quam per electionem.

QVÆSTIO XL.

QVæretur amplius, an conueniens fuit, quod totus populus eligeret ducem sibi. Respōdebit aliquis quod sic: nam secundum Aristot. principatus electiuus cōueniens est, qui Aristocraticus est: & secundum virtutem melior q̄ ille, q̄ per succeßionem est, & secundum naturam aduenit, ideo q̄ totus populus eligeret principem conueniens erat, quia non esset hic aliquis dissensus, cum totus populus semel aliquem elegisset, & iste principatus pertinet ad maximam libertatem cum homines præficiunt sibi in dominum, quem volunt. Cum autem proponitur eis ille, quem nolunt non est gratus principatus. Respondendum est, quod nō decuit, vt totus populus eligeret sibi ducem. Primo, quia forte non posset totus populus conuenire ad eligendum vnum, potissimum, quia cum esset magnus valde honor, quod aliquis præponeretur tantæ multitudini, s. plurium quam sexcentorum millium virorum, quilibet vellet pro cognatione sua honorem illum, & fierent dissensiones magnæ in electione, & coniurationes, & factiones, & obseruatio iniusti fauoris, quæ erant ad subuersionem status iudaici. Quod patet per simile, nam non erat tantus honor esse summum sacerdotem, sicut esse principem totius populi, quia summus sacerdos operabatur ad mandatum principis populi, vt patet infra in litera. & tamē pro summo sacerdotio fuerunt factæ coniurationes in populo: nam Core commouit Dathan, & Abyron cum sequacibus suis, & 250. viros de nobilibus totius populi, qui fecerunt seditionem contra Moysen, & Aaron, vt patet supra 16. cap. Quanto magis ergo fieret seditio in electione principis totius populi? ideo non debuit eligere totus populus. Et ista est causa, quare

A quare quamuis principatus regnatiuus, qui est per succession-
Cap. 11. 12. nem, non sit valde conueniens, iuxta Aristo. 3. Politic. omnes gentes acceperunt ipsum, quia est minus periculosus. Nam si esset electiuus, cum tempore electionis nō esset aliquis princeps potens cohibere iurgia populi, & seditiones magnatū: omnes ambirent illum principatum, quia maximus est, & sequerentur bella acerrima, & destructio politiarum: ideo tutiꝰ fuit incumbere principatui monarchico per successionem, vel principatui democratico qui popularis est, & sortialis, vel per vices, iuxta Aristot. 3. Politicorum. Item non fuit conueniens quod Iudæi eligerent sibi ducem, quia quamquam omnes conuenirent in vnam sententiam eligendo, quod difficillimum erat: tamen forte non elegissent eum, qui optimus erat, quia ignorabant, nec poterant cognoscere per exteriora, vt supra declaratum est. Sed obiicietur, quod ita fuerant assumpti iudices, qui principabantur toti populo, scil. decani quinquagenarii centuriones, & tribuni: nam iussit Moyses, quod totus populus eligeret inter se viros probatæ conuersationis, in quibus non esset auaritia, & adduceret ad ipsum, constitueretque eos in iudices, vt patet Exod. c. decimooctauo. & Deuterono. ca. 1. sic ergo poterat fieri hic. Respondendum est non esse aliqualiter simile: primo quia isti non fuerūt electi in dominos, sed in iudices, quod multum differt, quia iudices solum sunt ad diffinitionem causarum, iubere autem nihil debent in aliis negotiis, domini autem, vel principes vniuersalem habent potestatem iubendi. Item quia potestas iudicum est multum limitata, s. quod hoc solum possint, quod lex iubet, vel quod interdum ratio dictauerit non existente lege: domini autem etiamsi iusti sint non solū possunt, quod lex iubet, imo quodcunq; voluerint, dum tamen contra legē, aut rationē non sit, & ista multum differunt. Item dato, quod isti eligerentur in dominos eorum erat valde parua, quod signant nomina eorum, sc. decanus centurio &c. ideo non erat periculum aliquod in eis, sicut in illo, qui præponeretur dñs, vel princeps totius populi. Vnde non debuit esse exactissima diligentia circa institutionem illorum, sicut circa institutionē principis, qui esset vnicus, & dominaretur toti populo. Item patet differentia, quia isti iudices solum diffiniebant in paruis negotiis, omnia autem negotia magna ad Moysen veniebant, nec poterat quisquam alius se intromittere de illis, vt patet Exod. ca. 18. & Deut. ca. 1. iste autem princeps totius populi iudicaret de maximis, & de quibuscunq; vellet, ideo periculosum erat assumi eum per electionem. Sed adhuc obiicietur, quod 70. seniores, qui dati sunt Moysi in coadiutores hēbant simpliciter æqualem potestatem tam in eis, quæ ad Deum pertinebant quam in illis, quæ essent ciuilia, vt declaratum fuit supr. c. 11. illi tamen seniores electi sunt per multitudinem, vt patet eo. ca. Respōderi potest dupliciter: vno mō, q̄ licet quilibet istorum dominaretur toti populo in potestate iudicandi, & disponendi, sicut faciebat Moyses, tamen nō erat valde periculosus, quia erant multi principes, & licet quidam deprauarentur, alii non permitterēt eorum prauitatem. Cum vero esset vnus tantum: si ille esset nequam, nemo posset eum cohibere, sed omnia perderentur: ideo ad sumēdum multos principes non oportet esse exactissimam diligētiam, sicut ad assumendum vnicum. Et quātum ad hoc differt principatus monarchicus ab aristocratico: principatus enim monarchicus est valde periculosus, quia vni omnia traduntur regenda, qui faciliter poterit deprauari: principatus autem aristocraticus non est ita periculosus, quia multi ibi sunt regētes, & quamquam contingat quosdam deprauari, tamen non contingit faciliter hoc de omnibus. Ideo Aristot. 3. Politi. loquens de monarchia dixit, quod difficile est committere omnia vni: maior ergo requirebatur diligentia constituendo vnicum principem populi, q̄ constituēdo 70. Alia ratio diuersitatis est, vel responsio, q̄ illi principes 70. qui assumpti sunt per electionem, non fuerunt penitus per electionē facti principes: nam Deus iussit, quod ducerentur ad ostium tabernaculi, & ibi immisit spiritum propheticum super omnes, qui prophetauerunt, & nunquā cessauerunt, vt patet supra ca. 11. in quo Deus approbauit illos: si tñ misisset spiritum propheticum super quosdam aliis non prophetantibus videbatur quosdam approbare, & alios non: & isti soli fuissent assumpti in iudices, iō non dependebat institutio 70. iudicum ex sola voluntate populi, sed magis ex diuina confirmatione, vel approbatione. Et in hoc fuit differētia inter assumptionem 70. seniorum, & aliorum iudicum. sc. decanorum, quinquagenariorum, centurionum, & tribunorum, qui consilio Iethro fuerunt assumpti: nam illi per solam populi electionem, & pñtationem factam Moysi ipse instituit eos, vt patet Exod. 18. & Deutero. c. 1. & non fuit aliqua Dei approbatio in signo apparenti, sicut in 70. senioribus. Ratio diuersitatis est, quia qui libet de 70. senioribus præponebatur toti populo cum efficeretur æqualis Moysi, vt declaratum fuit supra c. 11. alii autem iudices eligebantur ad minora negotia solum, & non præerant toti populo; ideo non oportuit ibi esse diuinam approbationem in signo apparente. Conformiter ergo de principe vnico populi respectu 70. seniorum est dicendum, quod requireretur in eo assumendo maior diligentia, quam in 70. senioribus, ideo electio facta, sicut in 70. senioribus non suffecisset.

Item non erat conueniens, quia Iudęi erant valde dubii, & increduli circa omnia, & volebant in singulis habere signum à Deo ad probationem. Sic ait Apost. 1. ad Corinth. ca. 1. Iudæi signa quærunt, Græci autem Sapientiam. Et si assumpsissent principem per electionem, quamquam ille esset optimus totius populi, si accideret postea aliquod infortunium, vel tribulatio in ducatu eius, crederent Iudæi, quod hoc fiebat, quia non acceperant illum in dūcem, quem Deus accipi volebat, & sic semper haberent scrupulum de duce suo. Ob hoc ergo fuit conueniens, vt ipsi non eligerent, sed alio modo haberēt principem à Deo datum. Vnde sic fuit toto tempore, quo Iudæi habuernnt principes aliquos, siue in sacerdotibus, siue in regibus: nam nunquam fuit aliquis per electionem. De sacerdotibus patet, quia sacerdotes magni per successionem veniebant, vt patet Exo. 39. & Leui. c. 6. s. quod sacerdos magnus succederet iure patri suo. De regibus apparet, quia primi duo à Deo dati sunt. Nam Saul, qui fuit primus vnctus est in regē per Prophetam Samuelem, vt patet 1. Reg. cap. 11. Dauid etiam in regem vnctus est per eundem prophetam, vt patet 1. Reg. 16. capit. quamquam postea totus Israel in eum sponte consensit, vt patet 2. Regum cap. 5. reges autem posteri facti sunt per successionem, vt patet de filiis Dauid, qui regnauerunt in Iuda. Reges autem Israel habuerunt quendam violētum principatum: vnde quidam alios occidebant, & regnabāt pro eis, vt patet ex processu tertii, & quarti Regum. Non fuit igitur principatus in Iudæis aliquando per electionem nec conueniens erat.

Differē tia dominorū iudicū princi-
pū decanorum, & quinquagenorū à regibus & sacerdotibꝰ.

Cap. 12 De assūptione 70. seniorum in principes p Dei vocationē

An modus prædictus assumendi principes fuit conueniens.

QVÆSTIO XLI.

QVæretur Amplius an iste modus assumptionis principis, qui habetur hic fuerit conueniens, scilicet, quod Deus nominaret illum, & astante toto populo institueretur. Respondendum est, quod nimis conueniens erat: primo q̄a non fieret hic aliqua seditio, nec discordia in assumendo, quia populus non eligebat illum, sed Deus nominabat. Item non poterat errari in assumendo optimum principem, quia Deus cognoscebat corda, & sciebat quis optimus esset, atque ipse elegit eum. Hoc autem Moyses dixerat, scilicet, quod Deus, qui erat Dominus spirituum omnis carnis prouideret de viro rectore populi, scilicet, quod ipse meliꝰ posset facere, quia cognoscebat corda. Item non posset populus discordare renuens illam institutionem; quia totus populus erat præsens, quando instituebatur ex mandato Dei: vt siquis haberet aliquid proponere contra principem illum, qui assumebatur, quod impedire posset promotionem eius, proponeret. Item Iudæi non poterant esse scrupulosi de principe isto assumpto, quamquam tempore ducatus eius aduenirent aliquæ aduersitates, quia sciebant, quod Deus elegisset eum, essent tamen suspecti, si populus per seipsum elegisset illum. Fuit ergo iste modus conuenientissimus, & valde securus.

Qui sit super multitudinem hanc. Scilicet, de ea specialem curam gerendo, & communitatis negotia expediendo. Nam licet essent multi iudices secundum modum, quē instituit Moyses per consilium Iethro, & præter hoc essent 70. seniores, de quibus supr. c. 11. non erat sufficiens modus principatus ad regendum

A

gendum populum, nisi reducerentur omnes isti principes ad vnitatem principis, scilicet, quod essent sibi subordinati. Et erat hoc potissimum pro bellis: nam licet ad regendum populum, quando in ciuitate, conueniens sit principatus aristocraticus, vel democraticus: pro bello tamen nullus conuenit, nisi monarchicus, in quo est princeps vnus. Hoc enim experti sunt in se Romani, qui post reges expulsos de vrbe principatum aristocraticum egerunt, scilicet constituendo quolibet anno duos consules, quibus respublica regenda tradebatur, & conuenienter vniebatur. In bello tamen non conueniebat principatus iste, aliquoties enim Romani in bellis deleti sunt propter discordiam consulum, qui erant duces belli. Sic fuit in bello Canensi, vbi pugnauerunt contra Annibalem Africanum: erantque ibi duo consules Romani, scilicet, Marcus Aemilius, & Terentius Varro, qui discordantes de die belli totum Romanum exercitum in cladem duxerunt. Ob hoc autem quamquam in vrbe esset semper principatus aristocraticus; tamen quando bellum futurum erat creabant dictatorem, qui erat super consules, & sic fiebat principatus monarchicus, sed iste solum durabat tempore Belli. De Iudæis autem sic futurum erat, quia multo tempore erant pugnaturi quousque acciperent terram Chananæorum, ideo conueniebat eis principatus monarchicus, & pro hoc petebat Moyses virum, qui esset super multitudine. *Et possit exire, & intrare ante illos.* Modus loquendi est, scilicet, quod iste dux inter omnes Israelitas sit ad bellandum primus; quia videbat Moyses, quod oportebat Iudæos immediate, vt ingrederentur terram Chanaan continua bella gerere: pro quo oportebat principem bonum haberi qui ante eos iret ad bellum, & ingrederetur vrbes, quemadmodum faciebat Moyses, quando iuit cum eis in bellum contra Og, & Sehon reges Amorrhæorum, vt patet supra capitu. vigesimoprimo, sic faciebat Iosue præcedens Iudæos in omni bello, vt patet ex processu libri Iosue. Et dicitur exire, & intrare, id est, præcedere in eundo, & in redeundo, scilicet, quod siue irent ad bellum, siue venirent, princeps debebat præcedere eos, tanquam dirigens, & iubens. *Educere vel introducere.* Repetitio est eiusdem sententiæ. Vel dicitur: Qui possit eos educere de isto deserto, & introducere in terram Chanaan.

Tempore belli nõ conuenit pluralitas principum. Quo ad bellis semper conuenit principatus monarchicus ꝙñ interdum ad vrbibus cõueniant alij principatus

B

Ne sit populus Domini. Vocantur Iudæi populus Domini: licet omnis terra esset populus Dei; tamen ipsi speciali modo, vt patet Exodi capitu. 19. Scilicet, si audieritis vocem meam eritis mihi in peculium de cunctis populis; mea est enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta. Erat autem ista specialitas in duobus: primo quod Iudæi specialius colerent Deum quam omnes alii populi; immo nullus alius populus colebat Deum, nisi Iudæi, quia gentes non cognoscebant Deum verum. In Iudæis autem honorabatur. Sic patet Psalm. 74. Scilicet notus in Iudæa Deus, & in Israel magnum nomen eius: vnde Israelitæ suscipientes Dei legem habebant speciales cæremonias viuendi datas à Deo, quas nulli alii populi habebant, vt patet Deuteronom. capitulo quarto. Secundo erant Iudæi specialiores quantum ad Deum, eo quod Deus habebat maiorem curam de eis, quã de aliis populis: nam vocabat eos peculium suum, vt patet Exodi decimonono & Deuteronom. capit. septimo vnde cum ipsi vellent sequi viam Domini, omnibus bonis abundabant: nec poterat eos vlla inuenire aduersitas, vt patet Leuitic. vigesimosexto & Deuteronom. 7. vigesimooctauo capit. Sic etiam ipsi Iudæi vocabant seipsos populum Domini, vt patet Iosue vigesimosecundo capit. cum dicitur: Hæc mandat omnis populus Domini. *Sicut oues absque pastore.* Id est, si Deus non prouidet aliquem virum super istam multitudinem erit populus Domini, sicut oues non habentes pastorem, quæ gubernari nequeunt. Est enim impossibile politiam aliquam cuiuscunque generis sine rectore existere; quia vbi non est gubernator populus corruet Prouerb. capitu. 11. & ad constitutionem politiæ magis necessarius est rector siue distributiuum iustitiæ iuxta modum loquendi populi, quam alimenta. Et hoc, quia ius dicens est formale in politia, vt patet 3. Polit. *Dixitque Dominus ad Moysen.* Posuerat enim supra Moyses causam constitutionis principis, scilicet, quod Deus deberet prouidere de aliquo viro regente post mortem eius. hic autem assignatur certa persona, & modus instituendi illã in principem.

Iudæi dicebantur populus Domini specialiter ꝓpter duo

C

Tolle Iosue filium Nun. Iste est enim qui in principem electus fuit. Et dicitur: Tolle Iosue, id est, duc eum coram multitudine, vt ibi omnibus videntibus in principem instituatur.

D

An Moyses voluerit principatum totius populi pro filiis suis, quando moriturus erat, vbi dicunt Iudæi.

QVÆSTIO XLII.

HEbræi dicunt, quod Moyses videns se in breui moriturum putauit esse conueniens tempus ad perendũ principatum suum pro filiis suis sed Deus negauit, dicens: Tolle Iosue. Sed istud dictum repugnat literæ in verbis Moysi: dixerat enim quod Deus prouideret de aliquo homine, qui posset ingredi, & egredi: si autem Moyses petiuisset principatum pro aliquo filio suo non dixisset quod Deus prouideret aliquem hominem; sed petiuisset specialiter pro aliquo filiorum suorum. Item non conuenit, quia Moyses exprimit hic, quod volebat, quod Deus eligeret optimum virum totius populi: cum dixit, quod Deus erat Dominus spirituum vniuersæ carnis, id est, cognoscebat corda omnium hominum, & quales essent singuli spiritus, quasi dicat, quod ob hoc ipse poterat & debebat optimum eligere, si tamen voluisset principatũ specialiter pro aliquo filio non petiuisset, quod Deus eligeret. Item non conuenit hoc, quia Moyses non erat ambitiosus honoris, sed vir valde humilis: vnde sicut pro se non desiderabat principatum populi, sed magis petiuit aliquo modo à se tolli, vt patet supra capitu. vndecimo. ita nec pro filiis suis illum ambiret: & apparet hoc, quia à principio cum aliis Leuitis darentur aliqui principatus filiis Moysi nulli honores dati sunt, vt patet supra capitulo tertio. Sed tunc potest dici, quod factum est, quia filii Moysi erant paruuli, & non poterant recipere principatum, vel honorem, vt declaratum est eodem capitulo & tamen postea cum fuerint magni Moyse viuente nulla præeminentia eis super alios data est; ideo non potest exponi, quod Moyses pro filiis suis petierit principatum istũ, sed dicitur: Iosue tolle, id est, duc eum coram multitudine ad constituendum in principem: Tollere enim significat quandam ductionem non voluntariam: in quo signatur, quod Iosue non petierit istum principatum nec appetebat, sed solum ex mandato Dei assumpsit illum, & hoc, quia vir bonus erat, & huiusmodi viri non sunt ambitiosi, sed in humilitatis statu manere volentes.

Cõfutat. Nota quõ isti imprudentissimiluditata male tractãt principẽ & Legislatorẽ suum

E

Item quia Deus vetuit honorem ambiri, & peti, vt patet ad Hebræos capitulo quinto, scilicet, nemo indifferenter sibi assumat honorem, sed qui vocatus est à Deo, sicut Aaron. Vel dicendum, quod Iosue erat tollendus, id est, ducendus quibusdam suasionibus, quia forte cum Moyses reuelaret ei, quod debebat instituí in principem non consentiret, quia valde laboriosus status erat principis tanti populi: cum ipse Moyses, qui erat vir valde perfectus in regimine huius multitudinis valde afflictus fuerit, ita vt petierit à Deo, quod moreretur, vel auferretur illi iste principatus, vt patet supra capitulo 11.

F

Item timere poterat, quod propter malitiam huius multitudinis ipse per impatientiam, vel alio modo induceretur in aliquod peccatum propter quod nõ introiret in terram promissionis, sicut de Moyse factum est, vt patet supra capitulo vndecimo & Deuteronom. capit. tertio, vel postquam esset in terra promissionis, quod traderet Deus ipsum, & populum suum in manus hostium. Ad tollenda autem hæc debebat Moyses primo vti persuasionibus promittendo, quod non acciderit aliquis error, propter quem careret ingressu terræ promissæ, vel sequeretur aliquod infortunium in eo, & populo suo, sed quod ipse faceret transire populum, & debellatis hostibus diuideret eis terram. Sic patet Deutero. cap. 3. & 31. quamquam subticeatur hic. Item debuit Moyses post hoc persuadere Iosue, quod acciperet principatum proponendo ei magnitudinem meritorum dirigendo tantam multitudinem. Et videbatur hoc necessarium, quia quamquam certificaretur, quod non accideret error: tamen laboriosum erat regere tantum populum, nec aliquis vir non ambitiosus honoris acciperet istum principatum, nisi Deo iubente, vel propter magnitudinem meriti, ad quod conueniebat quædam persuasio. Sic enim persuadet Tullius

A

in lib. de somno Scipionis inducens auum Scipionis loquentem de magnitudine meriti, & honoris in cœlo eis, qui rempublicam auxerunt, vel conseruauerunt. *Virum in quo est spiritus Dei.* Id est, Iosue est vir habens spiritum Dei. In hoc respõdit Deus petitioni Moysi. Dixerat enim Moyses, quod Deus, qui erat Dominus spirituũ vniuersæ carnis, id est, qui cognoscebat quales erant spiritus omnis carnis, eligeret virum conuenientem huic principatui. Dicit autem Deus de Iosue, quod ipse est vir, in quo est spiritus Dei, quod potest intelligi de spiritu prophetico, qui vocatur spiritus Dei, eo quod est lumen quoddam supernaturale concessum à Deo ad tẽpus, per quod intellectus humanus eleuatur ad cognoscendum ea, quæ sunt supra humanam facultatem, & sic dicitur de prophetis, quod factum est, vel irruit super eum spiritus Domini, vt patet supra cap. 24. de Balaam & 4. Regum cap. 3. Eliseo. Iste spiritus nimis erat conueniens principi tanti populi: & potissimum bellaturo contra tantam hostium multitudinem: nam in quibusdam ad prospere agendum nesciret modum, nisi Deus diceret: maxime quia Iudæi erant valde scrupulosi, & dubitauit de singulis nisi cum à Deo certificarentur, sicut ait Apostol. 1. ad Corinth. cap. 1. scilicet Iudæi signa petunt, Græci vero sapientiam. Et verum est, quod Iosue habuit istum spiritum: nam sæpissime Deus locutus est ei post mortem Moysi, vt patet ex processu libri sui. Alio modo potest intelligi, quod erat Iosue habens spiritum Dei, id est, spiritum bonum, scilicet quod animus suus erat valde subditus Deo promptus ad omnia propter Deum, & zelans legem illius, quod conueniebat principi tantæ multitudinis, ne cæteros induceret ad malum, vel dicitur spiritus Dei, id est, fortitudo ad aduersitates, scilicet quod est homo animosus: nullum enim principem decet esse pusillanimem: subiiciet quippe populum suũ seruituti exterorum. Iosue vero acceperat fortitudinem istam à Deo. Vnde in toto populo erat aliquis vir ita strenue agens in bellis, vt ipse. Et sic quando fiebant bella Iudæorum, in quibus non esset Moyses, præficiebatur semper in ducem Iosue, vt patet de primo bello deserti, quod fuit contra Amalechitas Exod. cap. 17. Patet etiam de bello, quod fuit contra Madianitas, vt habetur infra 31. cap. Omnes ist isensus conueniunt, sed forte magis primus: quia spiritus propheticus erat nimis necessarius viro regẽti tantam multitudinem, & hoc apparet in 70. senioribus, qui dati sunt Moysi in coadiutores: nam immediate prophetare incœperunt, & nũquam cessauerunt, vt habetur supra cap. 11. *Et pone manum tuam super eum.* Scilicet, vt legitime instituatur in principem, ne videatur intrusus, vel per ambitionem acquisiuisse. Erat autem ista impositio manus quædam cæremonia collationis principatus, & in ista impositione fuit collata Iosue quædam gratia regiminis populi. Sic patet Deut. cap. vlt. scilicet Iosue vero filius Nun repletus est spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas.

Iosue erat vir habens spiritũ Domini, qũo dupliciter intelligitur.

B

C

Qui stabit coram Eleazaro sacerdote, & omni multitudine. Id est, quando erat instituendus in principem debebat conuocari tota multitudo: & ibi coram omnibus impositurus erat Moyses manum, vt omnis populus videret illum institui in principem, & sic cum nullus dissentiret omnes approbabant. & ista approbatio habebat vim electionis populi. Erat autem hoc conueniens ne populus postea posset repugnare, dicens, quod eo nesciẽte facta fuerat institutio. Item quia dato, quod nullus de populo repugnaret quandam speciem mali haberet, quod nullo præsente Iosue in principem institueretur, quia malum est quod latere vult: bonum autem in publico esse desiderat, quia qui malum agit, odit lucem. Vt ergo iuridice & sine aliqua mali præsumptione fieret, institutio, publice fieri debuit. Sic factum est de Aaron, & filiis eius quando consecrari debuerunt in sacerdotes: nam congregatus est vniuersus Israel ad ostium tabernaculi, & coram eis Moyses lauit Aaron, & filios suos, dicens: Iste est sermo, quem iussit Dominus fieri, vt patet Exodi vigesimo nono c. & Leu. 8. cap. exprimitur autem specialiter hic de Eleazaro sacerdote, id est, summo sacerdote, quia ipse erat honorabilissimus in populo, & non debebat comprehendi nomine aliorum.

Et dabis ei præcepta cunctis videntibus. Scilicet, coram tota multitudine dari debebant aliquæ admonitiones de modo regendi populum ipsi Iosue. Et hæc præcepta dabantur ex parte Dei, scilicet, hæc mandat tibi Deus, vt facias: & cum multitudo audiret sermonem ex parte Dei dirigi ad Iosue, teneret eum in magna reuerentia, sicut Moyses habitus est in magna reputatione, quia populus audiuit Deum loquentem ad ipsum, vt patet Exodi vigesimo nono capitulo, scilicet, iam nunc veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum: hæc autem præcepta, quæ daturus erat Moyses Iosue coram populo erant quædam corroborationes ipsius Iosue, scilicet, vt non timeret hostes, & quod ipse debellaret eos, atque diuideret terram per sortem Israelitis, vt patet Deuteronom. capit. 3. & 31. etiam dabantur præcepta de obseruatione legis, scilicet, quod Iosue diligenter se haberent, ne deuiaret in aliquo à lege Dei, & tunc dirigerentur actus illius. Hanc etiam admonitionem fecit Deus ipsi Iosue post mortem Moysi, vt patet Iosue capitulo primo.

D

Et partem gloriæ tuæ. Id est, dabis ei partem honoris tui, scilicet, Iosue erat futurus princeps post mortem Moysi: eo autem viuente nihil debebat imperare, vt tamen paulisper inciperet habere honorem ad hoc, quod tota multitudo ei subiiceretur debebat Moyses eum honorare viuens, & hoc erat dare partem gloriæ suæ. Erat enim gloria Moysi excellentia, vel potestas eius super totum populum, & quod omnes eum reuererentur, atque vocarent Dominũ, & ad mandatum eius omnia facerent. Huius enim quædam pars data est Iosue, scilicet, quod ipse loqueretur coram multitudine ex magna auctoritate, sicut princeps, vt audaciam sumeret ad imperandum multitudini mortuo Moyse, & multitudo in tali eum honoris gradu reciperet, in quo Moyses relinqueret ipsum.

E

Aliqui volunt intelligi hic partem gloriæ tuæ, id est, partem gratiæ Moysi ad regimen populi, ita quod sicut Moysi magna gratia ad regimen multitudinis collata est, ita huic quædam gratia conferretur, licet non tanta. Sed hoc nõ stat: verum est enim, quod Iosue accepit gratiam regiminis populi, & in abundantia quidem, quia dicitur Deuteronom. 34. ca. Iosue filius Nun repletus est spiritu sapientiæ, quia posuit super eum Moyses manus suas. Item ad regimen populi accepit spiritum propheticum, quem vel nouiter in manuum impositione habuit, vel prius acceperat: tamen pars gloriæ Moysi non potest intelligi de hoc, quia tunc non diceretur dabis ei partem gloriæ tuæ, sed dabo quia in potestate Moysi non erat dare aliquam gratiam regiminis Iosue, quia hoc est operari super intellectum, & voluntatem alicuius, quod ad solum Deum directe pertinet, scilicet, intellectum illustrando, & voluntatem rectificando. Sicut patet de 70. senioribus, quibus dare voluit aliquam gratiam regiminis, sicut Moysi, quia dedit eis spiritum propheticum. Et dicitur: Auferam de spiritu tuo, & dabo eis, vt patet supra 11. cap. non potest ergo intelligi de ista gratia, sed de honore vel principatu super populum, cuius partem quandam poterat Moyses dare Iosue. Alii volunt, quod intelligatur ista gloria de cornutatione, vel radiositate faciei Moysi, ita quod facies Iosue fuerit aliqualiter cornuta, vel radiosa, sicut facies Moysi: erat enim magna gloria Moysi in splendore vultus eius: exibant enim de facie eius radii splendoris magni, ita vt Israelitæ non possent intueri in eum cum loqueretur, nisi poneret velamen coram facie sua: vnde prima vice cum Moyses descendit: de monte ignorans, quod facies sua cornuta esset, sine velamine loqui voluit. principes autem multitudinis nõ ausi sunt accedere ad ipsum propter splendorem, & tunc operuit vultum suum, vt patet Exo. 34. capit. quod autem pars huius gloriæ transferretur ad Iosue præsupponebat, quod erat adhuc iste splendor faciei in Moyse, de quo quidam satis dubitant, & credunt tanto tempore non mansisse. Sed an manserit iste fulgor per totam vitam Moysi declaratum est Exodi 34. & Deuteronom. cap. vlt. Sed adhuc dato quod Moyses haberet istum fulgorem, non potest litera intelligi de ea, quia ponere in facie Iosue aliquem fulgorem non pertinebat ad Moysen, sed ad maiorem virtutem, sicut non poterat ipse illustrare intellectum Iosue, nec rectificare voluntatem illius: ideo non diceretur: Dabis ei partem gloriæ tuæ: sed dabo. Item non conueniebat, quod Iosue daretur aliqua pars huius fulgoris, quia non erat in eo causa propter quam Moysi datus est: fuit enim Moysi datus fulgor ex consortio sermonis Domini, scilicet quia quadraginta diebus stetit in monte cum Domino loquens vt patet Exod. capit. 34. Iosue autem nihil huiusmodi habuerat. Item

Qũo intelligitur q Iosue data est pars gloriæ Moysi.

F

data fuit potiſſime iſta excellentia fulgoris in facie Moyſi propter honorem legis, quam attulit Iudæis, vt innuit Apoſtol. 2 Corinth. cap. 2. ſcilicet, quod ſi miniſtratio mortis literis deformata in lapidibus fuit in gloria, ita vt non poſſent intendere filii Iſrael in faciem Moyſi propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur, quomodo non magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria? Et iſta eſt cauſa potiſſima, quare facies Moyſi non fuit cornuta prima vice, qua ſtetit in monte: nam tunc quadraginta diebus, & noctibus ſtetit cum Domino, vt patet Exodi 24. & Deuteronom. cap. 9. & locutus fuit ei Deus multa, ſcilicet, omnia quæ pertinebant ad fabricationem tabernaculi, & habentur à cap. 25. incluſiue vſque ad 32. Non fuit tamen tunc facies eius cornuta, quia tabulæ legis, quas tulit tunc non māſerunt, ſed fregit eas ad radices montis, vt patet Exodi 32. & Deuteronom. capit. 9. tabulæ autem ſecundæ manſerunt, per quas lex cenſebatur habita, & confirmata: ideo in deportatione ſecundarum apparuit vultus Moyſi cornutus radiis. Ioſue autem non tulit aliquam legem pro Iſraelitis: ideo non videbatur aliqua cauſa quare daretur ei fulgor faciei. Item ſi datus fuiſſet iſte fulgor, Scriptura aliquando eum expreſſiſſet, quia tantum priuilegium ſuſceptum non ſubticeretur: & tamen nihil vnquam expreſſum eſt. Ideo dicendum quod intelligitur de gloria, id eſt, de honore, ſcilicet, quod Moyſes faceret, vt Ioſue loqueretur coram toto populo in magna auctoritate, ſicut princeps. & hoc ſignat litera ſequens, ſcil.

Vt audiat eum Synagoga omnis filiorum Iſrael. Scilicet, vt proponat ipſe coram tota multitudine, te viuente, ſicut tu proponere ſolebas, & iubeat aliquid ſicut tu iubes, & ſic habeatur in reuerentia. De præceptis tamen, quæ daret Ioſue viuente Moyſe dicendum eſt, quod illa non erant tãquam præcepta principis, quia tunc eſſent duo principes totales eiuſdem multitudinis, quod non ſatis conuenit, potiſſimum cum non aſſumeretur Ioſue, vt princeps viuente Moyſe, ſed vt principaretur poſt mortem ipſius: præcipiebat tamen Ioſue ex auctoritate Moyſi, vt inſtrueretur in modo præcipiendi multitudini, & ſumeret audaciam ad præcipiendum poſt mortem Moyſi, & dicitur, vt omnis ſynagoga, id eſt, vt omnis multitudo, vel congregatio audiat, id eſt, eum loquentem aſcultet, & audiat, id eſt, obediat præceptis eius, ſicut præceptis tuis.

Pro hoc ſiquid agendum erit Eleazar ſacerdos conſulet Dominum. Id eſt, ad iſtius petitionem Eleazar ſacerdos inquiret à Domino reſponſionem de his, quæ facere deberet Ioſue. & ſic obligabatur Eleazarus conſulere Dominum quandocunque Ioſue diceret, vt conſuleret. Hoc autem erat neceſſarium ſtatui Iudæorum pro illo tempore, quia ipſi debebant pugnare contra gentes multas, & fortes contra quas neſcirent qualiter agendum eſſet, niſi Deus diceret, & quia erat Ioſue princeps populi, cui incumbebat onus diſponendi de omnibus negociis multitudinis, ſi aliquando per humanam prudentiam neſciret quid agendum eſſet, aut id quod agendum erat, qualiter perduci poſſet ad finem, vel an proſperarentur actus eius, recurrere debebat ad Domini iudicium, & tunc Eleazarus ſacerdos conſulebat Dominum ſuper ſingulis, in quibus dubitaſſet Ioſue.

Qualiter Eleazarus conſulere debebat Dominum pro Ioſue.

QVÆSTIO XLIII.

QVæret Aliquis qualiter Eleazarus conſulere debebat Dominum pro Ioſue.

Reſpondendum eſt, quod poterat dupliciter conſulere: vno modo intra Sancta ſanctorum introeundo, vt reſponderetur ſibi de propitiatorio: ſecundo modo poterat conſulere in veſtibus ſacerdotalibus, ſcilicet, in rationali, & ſuperhumerali. De primo modo dicendum, quod Eleazarus, quia ſummus ſacerdos erat, poterat introire in Sancta ſanctorum, vt patet Leuit. capitu. decimoſexto. & ad Hebræ. capitul. nono. hoc autem erat in die propitiationis, & tunc audiebat vocem ad ſe miſſam de propitiatorio inter alas Cherubim, vt patet Leuit. capitulo decimoſexto. Nam ob hoc iubebatur, vt cum introiret in Sancta ſanctorum ſummus ſacerdos nullus homo eſſet in prima parte Sanctuarii, ſed hoc ad nihil alterum proficiebat, niſi vt non audirentur voces Domini miſſæ ad ſummum ſacerdotem. Sed ſciendum, quod non poterat Eleazarus ſacerdos quotidie conſulere Dominum pro Ioſue hoc modo, vel quandocunque vellet, ſicut faciebat Moyſes: nam licitum erat Moyſi introire in Sancta ſanctorum quandocunque vellet, & conſulere Dominum: nec ad hoc indigebat aliqua diſpoſitione, ſicut ſummus ſacerdos, ſcilicet, quod faceret quædam ſacrificia, & ferre ſecum ſanguinem atque prunas, & thymiama: ſed nullo præmiſſo introibat, vt colligitur ſupra capitulo. ſeptimo & declaratum eſt Leuitic. capitu. decimoſexto. ſummus autem ſacerdos ſolum poterat introire ſemel in anno, ſcilicet, in die expiationis faciens primo cæremonias multas: alioquin moriebatur. De quibus Leuitic. decimoſexto. & ad Hebræos capitulo nono. In illa autem die poterat ſacerdos ſummus conſulere Deum pro Ioſue, vel quacunque alia re, cum loqueretur ibi Deus ad ipſum. Secundus modus quo ſummus ſacerdos Eleazarus poterat cõſulere Dominum pro Ioſue erat in veſtibus ſacerdotalibus, ſcilicet, in rationali, in quo erant duodecim nomina filiorum Iſrael: Exodi capitulo vigeſimo octauo, id eſt, quia per illud poterat iudicari de omnibus, de quibus Iſraelitæ inquirerent. Vel ſecundum Ioſephum cognitio veritatis fiebat per duos onychinos lapides, qui erant in ſuperhumerali habentes duodecim nomina filiorum Iſrael. Ab his enim procedebat quidam fulgor ſecundum quem iudicabatur de ipſis rebus. De quo quando ceſſauerit dictum eſt Exodi capitulo vigeſimo octauo. & ibi declaratum eſt de modo, quo veritas rerum indicabatur per rationale, & ſuperhumerale.

Quo modo magis vtebatur Eleazarus prædictorum pro Ioſue.

QVÆSTIO XLIV.

QVæretur Amplius quem modum iſtorum ad inquirendum pro Ioſue ſententiam Domini habere debebat Eleazarus, vel quo magis vteretur.

Reſpondendum eſt, quod primus modus horum, ſcilicet per introitum in Sancta ſanctorum non erat ſatis conueniẽs: nam non poterat ſummus ſacerdos quandocunque vellet inquirere Dominum hoc modo: ſolum enim licebat ei ingredi ſemel in anno in Sancta ſanctorum, vt patet Leuitic. 16. & ad Hebræo. capit. 9. Ioſue tamen fortaſſis multoties indigeret, quod conſuleretur Deus pro eo, & ſi expectaretur dies propitiationis perderentur negotia: potiſſimum cum Ioſue eſſet implicitus bellis quotidianis poſt introitum in terram Chanaan, in quibus frequenter oportebat conſuli Dominum pro illo. Moyſi autem conueniebat valde iſte modus conſulendi Dominum, quia ipſe nullo præmiſſo, ſed quandocunque vellet, introibat in Sancta ſanctorum, vt colligitur ſupra capitu. 7.

Ideo dicendum, quod licet per primum modum potuiſſet Eleazarus conſulere Dominum tamen nunquam conſuluit per illum, immo nunquam conſulere potuit: quod patet, quia ſolum erat hoc in die propitiationis, Iudæi tamen nunquam celebrauerunt diem iſtum tempore, quo durauerunt bella contra Chananæos, quia non obligabantur ad cæremonialia quouſque haberent pacem ab hoſtibus, vt patet Deuteronomii duodecimo capitulo immo non debebant facere aliqua ſacrificia toto tempore bellorum, quia iſtæ cæremoniæ fieri debebant in Sanctuario quando illud eſſet ſitum in aliqua vrbe filiorum Iſrael, ſed toto tempore bellorum non fuit Sanctuarium in aliqua vrbe, ſed mouebatur per caſtra, ſicut mouebatur populus. finitis autem omnibus bellis tempore Ioſue, congregatus eſt totus Iſrael, & duxerunt Sanctuarium Domini in vrbem Silo, & illic fixerunt, vt patet Ioſue capit. decimooctauo. ergo per tempus iſtud non facta ſunt ſacrificia, ſed poſt ingreſſum in terram Chanaan. dies tamen expiationis requirebat multos ritus ſacrificiorum, vt patet Leuitic. decimoſexto & infra vigeſimonono capit. ergo non fuit ante hoc celebrata feſtiuitas expiationis, ſiue propitiationis: & conſequenter hoc tempore bellorum non potuit Eleazarus conſulere Dominum pro Ioſue introeundo in Sancta ſanctorum. Sed obiicietur, quod poterat conſulere, quia non ſolum ſummus ſacerdos introibat in Sancta ſanctorum in die propitiationis, ſed etiam quando

mouebantur castra. ingrediebatur enim ad operiendum arcam fœderis, & alia vasa sanctæ ministrationis, vt patet supra cap.4.& tunc consulere poterat Dominum pro Iosue.

Solutio. Respondendum, quod responsio, quæ fiebat in propitiatorio per Angelum, qui erat inter alas Cherubim, fiebat; vt declaratum est Exod.25.cap.& tamen quando summus sacerdos introibat ad operiendum arcam, & cætera vasa in motu castrorum, non erat ibi Angelus, quia iam recesserat; ideo nō poterat fieri responsio. Quod patet quia propter hoc cum ingrederetur summus sacerdos ad operiendum arcam in sancta Sanctorum, non iubebatur secum ferre sanguinem, & thymiama, nec facere aliquas alias cæremonias, vt patet supra 4. capitu. & tamen iubebatur facere omnia hæc quando introibat illuc in die propitiationis, vt patet Leuit. 16. capitu. & ad Hebr.9,

Item quod maius est in motu castrorum non solum introibat summus sacerdos in Sancta sanctorum ad operiendum arcam, sed etiam cum eo minores sacerdotes introibant, vt patet supra cap.4. in die autem propitiationis non solum non introibat aliquis sacerdos minor cum sacerdote magno, sed etiam non poterat aliquis eorum manere in parte anteriori tabernaculi, quando summus sacerdos introibat in Sancta sanctorum alioquin moreretur, vt patet Leuitic. decimo sexto. capit. non poterat ergo Eleazarus sacerdos consulere Dominum pro Iosue ingrediens in Sancta sanctorum in motu castrorum.

Aliter responderi potest, quod etiamsi daretur summum sacerdotem posse consulere Dominum introeundo in Sancta sanctorum in motu castrorum: tamen iste modus non erat conueniens Eleazaro ad consulendum pro Iosue, quia solum bis mota fuerunt castra post introitum Iudæorum in terram Chanaan, vsque ad finem bellorum Iosue. Quod patet, quia cum transierunt Israelitæ Iordanem ipsa die fixerunt castra in Galgalis, vt patet Iosue capit. 4.& 5.& tamen in eodem loco erant castra finitis omnibus bellis post septem annos, quando Iosue, diuidebat terram Israelitis, vt patet Iosue 14. vbi dicitur, quod filii Iudæ accesserunt ad Iosue, vt peterent possessionem, & erat ipse tunc cum filiis Israel in Galgalis: & tamen in eodem capitulo dicitur, quod iam cessauerunt bella: de hoc loco fuerunt mota castra in medio tempore bellorum, scilicet, quando iuerunt Israelitæ ad ponendum benedictionem, & maledictionem apud montes Hebal, & Garizim, vt patet Iosue cap.8. fuit autem totus populus, & Sanctuarium Domini, vt patet eodem cap. sed inde ingressi sunt in locum priorem castrorum, id est, in Galgalam, atque manserunt ibi vsque ad finem bellorum, ideo post hoc semper fit mentio, quod castra fuerunt in Galgalis, vt patet Iosue 9.& 10.& 14.ca. fuerunt igitur solæ duæ mutationes castrorum toto tempore bellorum: vnde solum bis posset consulere Dominum Eleazarus pro Iosue: iō iste modus non fuit, sed secundus modus, scilicet, quod inquireret veritatem in rationali, & superhumerali. Iste autem modus erat facillimus & multum conueniens: nam in quocunque tempore, & quocunque loco siue in Sanctuario, siue extra poterat sic consuli Deus. Et ob hoc isto modo consulebat Dauid Dominum tempore bellorum suorum, scil. erat cum eo Abiathar sacerdos habens Ephod, in quo erat superhumerale, & rationale, quo applicato, consulebat Dauid Dominum, vt patet quando erat in vrbe Ceila, & quæsiuit an viri illius vrbis traderent eum in manus Saul, & responsum est quod sic, vt patet 1.Reg.23. cap.

Ad quid oportebat aliquem consulere Dominum pro Iosue, cum ipse propheta esset.

QVÆSTIO XLV.

QVæretur Amplius ad quid necessarium erat Iosue quod aliquis cōsuleret Dominum pro illo. Videtur enim quod non erat necessarium, quia ipse erat propheta, & loquebatur sibi Deus sæpissime, vt patet ex processu libri eius: ideo non erat opus, vt quis Dominum pro eo consuleret. Respondendum est, quod necessarium erat Iosue pro statu illo, quem habebat, quod ipse per se posset consulere Dominum, vel aliquis pro eo, nec sufficiebat, quod esset propheta, quia hoc erat, vt loqueretur Deus illi, sed non sufficiebat: nam licet multoties Deus loqueretur Iosue ipso non inquirente nec curante; tamen aliquando ipse esset in dubio aliquo, & Deus non loqueretur illi; ideo indigebat, vt posset cōsulere Dominum. Sic etiam fuit in Dauid, nam ipse vir propheta erat; tamen quædam inquirebat, quæ sibi Deus prius non reuelauerat, & si non habuisset aliquem modum, per quem inquireret, maneret incertus quantum ad dubitata. Sic etiam fuit in Moyse, quia Deus multoties sibi loquebatur: & tamen præter hoc ipse interdum consulebat Dominū de quibusdam, quæ Deus ante non dixisset, vt patet supra cap.7.& sic quamquam Iosue esset propheta datus est sibi Eleazarus sacerdos, qui consuleret Dominum pro eo.

An sufficiens fuisset, quod Iosue posset consulere absque hoc quod haberet spiritum prophetiæ.

QVÆSTIO XLVI.

QVæret Aliquis an suffecisset dari Iosue quod posset consulere Dominum per Eleazarum, & responderetur sibi de omnibus, & quod non haberet ipse spiritum prophetiæ.

Respondebit aliquis, quod non sufficiebat, quia multa per inquisitionem huiusmodi sciri nō poterant, & hoc quia Deus respondere nolebat. Sic patet de Saule, quando cōsuluit Dominum an persequeretur Philisthæos, & non respondit ei Deus, vt patet 1. Reg. 14.& iterum consuluit quando pugnaturus erat contra Philisthin in montibus Gelboe, vt patet 1. Regum cap. 28. Propter hoc dicet aliquis, quod conueniens erat, vt haberet Iosue propheticum spiritum, vt si quando Deus respondere nollet per inquisitionem reuelaret ei spiritu prophetico, vel loquens ad ipsum. Sed dicendum, quod ista ratio non stat, quia semper Deus respondebat per inquisitionem nisi propter peccata eius, qui inquirebat, subticeret, vel ex aliqua alia causa, & sic stant duo capitula allegata contra hoc, scilicet 1. Reg. 14. cap. nam ibi Deus noluit respondere, quia peccauerat populus contra maledictionem positam, scilicet, quod maledictus esset, qui manducaret panem vsque ad vesperum, & manducauit Ionathas parum de melle. Hæc etiam fuit sententia ipsius Saulis: intellexit enim, quod propter peccatum alicuius de populo Deus respondere nolebat, & ob hoc fecit congregari omnes de populo consulens Dominum propter cuius peccatum hoc accidisset, & deprehensus est Ionathas, vt patet in eodem capitulo. Hoc modo etiam intelligitur aliud quod allegabatur, scilicet, 1. Regum 28.c. ibi enim noluit Deus respondere propter peccata Saulis, qui erat vir iniquus, & volebat eum delere: alias autem semper Deus respondebat. Sed adhuc dato, quod Deus nollet respondere ad inquisitionem propter peccata alicuius: etiam nollet loqui per prophetas, vt patet in casu dato de Saule: tunc enim Deus nullo modo reuelare voluit euentum belli, siue per inquisitionem sacerdotum in rationali, siue quod ipsæ prædiceret hoc alicui prophetæ, vt patet præalleg. cap. cum dicitur: Consuluit Dominum, & non respondit ei: nec per somnia, nec per sacerdotes, nec per prophetas: ideo coactus fuit Saul diuertere ad phytonissam, & ibi responsum habuit, vt patet eodem cap. non ergo posset Iosue plura cognoscere habens spiritum propheticum, & modum inquisitionis, siue consultationis diuinæ: potissimum, quia præsupponitur, quod in omnibus, in quibus Iosue Dominum consuleret responderetur ei, vt patet hic, scilicet pro hoc siquid agendum erit Eleazar sacerdos consulet Dominum, id est, quandocunque agere debuerit, poterit consulere per Eleazarum sacerdotem.

Sed adhuc dicendum, quod quamquam Deus responderet Iosue de omnibus, quæ inquireret non sufficiebat ad regimē huius populi; immo nec ad regēdū prospere paucos viros. Quod patet, quia per inquisitionem respondebat Dominus ad ea, quæ erant dubia Iosue multa tamen erant, quæ illi populo erant necessaria ad bonam habitudinem, & tamen Iosue non imaginabatur illa, nec poterat illa præconcipere, quia extra prudentiam humanam erant, & ob hoc dubitabat de illis, an consuleret Dominum super eis: vnde quantum ad illa deficeret regimen quod haberetur per solam cōsultationem Dei, sicut patet in plurimis, quæ Deus locutus fuit ad Iosue, quæ habentur ex processu libri eius, vt de transitu Iordanis, & statione sacerdotum portantium arcam in medio Iordanis,

& de

& de eductione lapidum 12. de alueo fluminis ad ponendum in Galgalis, & de positione aliorum 12. infra alueum, qui prius erant extra. De quo Iosue capitulo tertio & quarto, idem de lustratione septem dierum vrbis Iericho, & de modo captionis eius, de quo Iosue capitulo sexto, & similiter de multis, quæ patent ex processu libri, fuit ergo vterque modus necessarius Iosue. Primus fuit quantum ad ea, in quibus ipse dubitare poterat, & illa petebat à Domino per sacerdotem Eleazarum. Alius autem fuit quantum ad ea, de quibus dubitare non poterat, scilicet, quia nullo modo poterat ea imaginari, sed Deus loquebatur ad eum: ambo autem modi simul sumpti erant ad perfectum regimen cuiuscunque populi, & propter hoc vterq; datus est Moysi, & Dauid & quibusdam aliis, vt supradictum est.

An Iosue aliquando de dubiis consultus est Dominum.

QVÆSTIO XLVII.

QVæretur Amplius, an Iosue fuerit vsus isto modo inquisitionis aliquando.

Respondebit aliquis, quod nunquam, sed Deus dicebat ei omnia, quæ facere oportebat, & hoc probabit, quia non reperitur in libro Iosue, quod consuleret Dominum. Sed dicendum est hoc non stare, quia Deus dixit hic. siquid agendum erit Eleazar sacerdos consulet Dominum pro hoc: si tamen nunquam Iosue consulturus esset Dominum, quia non esset ei necessarium, quod consuleret, Deus non daret ei istum modum inquisitionis, tanquam in adiutorium, quia superfluus esset. Aliquis forte ad hoc respondebit, quod non sequitur ex hoc fuisse datum istum modum superuacue, quia quando Deus dedit eum Iosue, satis erat verisimile, quod postea ei conueniret, accidit tamen posterius, quod non esset necessarius, quia Deus loquebatur ei, quæcunque agere oporteret. Dicendum est, quod non stat ista responsio, quia istud conuenienter dicitur pro illis. Quæ solum fiunt per humanam prudentiam, quæ non potest iudicare semper de veris, sed sufficit, quod iudicet de verisimilibus, quia futura sibi incognita sunt: ideo secundum hanc non est inconueniens, quod aliquando ante tempus occurrimus ponendo aliqua remedia, quæ postea nullo modo necessaria sunt: non tamen conuenit hoc secundum diuinam dispositionem, quæ omnia, quæ accidere possunt, & debent cognosci: ideo sicut secundum humanam prudentiam esset superfluum, si aliquis adhiberet remedia, & cautelas ante tempus, de quibus sciret, quod postea nullo modo erant necessaria, nec opportuna talis dispositio esset superuacua, ita si Deus aliqua remedia daret ante tẽpus, quæ tunc verisimilia essent, & tamen postea nullo modo proficerent, illa prouisio esset superuacua. Non est ergo dicendũ, quod Deus dedisset Iosue istum modum tanquam in adiutorium eorum, quæ facturus erat, si postea nullo modo Iosue eo vteretur.

Dicendum ergo, quod Iosue vsus fuit isto modo consultationis aliquando, quod patet Iosue capit. 17. quando Israelitæ pugnauerunt contra viros Hai, & fugientes occisi sunt triginta sex. ex illis: nam Deus non manifestauit hoc Iosue, sed ipse coram arca iacuit prostratus, & deinde Deus respondit. Quæ responsio poterat esse per Eleazarum sacerdotem, vel immediate facta à Iosue, & dato quod dicamus factam esse à Iosue, tamen sequenti die, quando Deus manifestauit peccatum populi, nihil loquendo ad Iosue, oportet, vt fieret per consultationem datis sortibus, sicut innuitur Iosue capitulo septimo multis quoque aliis vicibus Iosue consuleret Dominum, quamquam Scriptura de illis non faciat mentionem, quia forte non erant tanti ponderis, vel non erant ad eruditionem posterorum, sicut ea, quæ scripta sunt: sic patet de Moyse, de quo dicitur supra capitul. 7. quod quando volebat inquirere oraculum, introibat in Sancta sanctorum, in quo significatur consuetudo, vel frequentia introeundi, & tamen raro reperitur, quod Moyses consuleret Dominum: solum enim reperitur hoc quinquies, scilicet de viro blasphemo Leuitic. capit. 24. & de colligente ligna in sabbaro supra decimo quinto & ad quæstionem filiarum Salphaad, vt patet hic, & ad quæstionem filiorum Beniamin infra trigesimo sexto cap. ad quæstionem virorum immundorum volentium celebrare phase supra ca. 9. quamquam in solis tribus vicibus harum manifeste apparuit, quod Moyses consuluerit Dominum, sc. in filiabus Salphaad, & in viris immundis, & in blalphemo: de aliis duabus indifferens est.

Quinquies Moysen consuluisse Dominum reperitur.

Cur Iosue inquirebat à Domino quid agendum, & non ipse.

QVÆSTIO XLVIII.

QVæretur vlterius, quare dixit hic Deus siquid agendum esset Eleazar consuleret Dominum pro Iosue: cur enim non inquirebat per seipsum?

Respondendum est, quod non licebat Iosue in aliquo duorum, scilicet, positorum modorum consulere Dominum. Nã non licebat ei introire in Sancta sanctorum, quia soli sacerdoti magno cõueniebat, minoribus autem sacerdotibus, aut Leuitis non licebat. Iosue autem non erat sacerdos magnus, nec de stirpe sacerdotis, aut Leuitarum, sed de tribu Ephraim, vt patet supra capitul. decimo tertio, ideo illicitum erat introire in Sancta sanctorum, nec solum illuc, sed etiam in primam partem tabernaculi, in qua soli sacerdotes introibant, vt innuitur ad Hebræ. capit. 9. & declaratum est supra decimo octauo capit. Etiam non licebat Iosue secundus modus inquirendi responsum à Deo, scilicet in rationali & superhumerali; quia istæ erant vestes sacerdotis magni, & ipse solus vtebatur eis, vt patet Exod. 28. & 29. capitu. Ob hoc autem Dauid quamquam esset prophera Domini, quando consulebat eum per rationale, & Ephod, non applicabat ipse sibi istas vestes, sed Abiathar sacerdos, qui erat filius sacerdotis magni Achimelech, vt patet 1. Regum 23. & 30. capit. ad hoc ergo, quod Iosue inquireret Dominum per aliquem istorum modorum, oportebat, vt sacerdos magnus inquireret pro eo. Sed obiicietur de Moyse, qui non erat summus sacerdos: & tamen introibat in Sancta sanctorum quoties volebat, vt patet supra capitu. 7. quod autem non esset sacerdos patet quia summus sacerdos erat Aaron tempore Moysi, & filii eius erant minores sacerdotes, vt patet supra capitul. 3. & decimo octauo.

Moyses ex speciali prẽuilegio ingrediebatur in Sancta sanctorum.

Respondendum est quod in Moyse fuit aliquid speciale, quia ei non solum datum est priuilegium summi sacerdotis, sed etiam plusquam sacerdotis summi, quia summo sacerdoti solum semel in anno licebat introire in Sancta sanctorũ, vt patet Leu. cap. 14. & ad Hebræ. cap. 9. Moysi autem licebat quotiescunque vellet, vt patet supra cap. 7. Item summus sacerdos non poterat introire in Sancta sanctorum sine quibusdam præuiis dispositionibus, scilicet cum thymiamate, & prunis, & sanguine Leu. 16. & ad Hebræos nono Moyses autem non faciebat aliquam cæremoniam, vt patet supra capit. 7. Causæ autem omnium horum declaratæ sunt capit. decimo sexto in hoc autem excedebat Moyses valde ipsum Iosue, quia licet esset Iosue Propheta, cui Deus sæpe loquebatur, & tempore eius Deus multa miracula fecit maiora fortassis, quam in tempore Moysi: tamen Moyses non indiguit aliquo, qui consuleret Dominum pro eo, sed ipse quandocunque volebat habebat ab illo responsum: Iosue autem datus est aliquis, qui consuleret Dominum pro illo, quia per se consulere non poterat. Item excessit Moyses Iosue in gradu prophetiæ, quia Deus reuelabat se Moysi modo excellentiori, quam omnib. aliis, sc. non per ænigmata, & figuras non patet supra 12. c. aliis autem in visione, vel in somnio se manifestabat.

Ad verbum eius egredietur, & ingredietur ipse. Id est, Eleazarus sacerdos seruiet ad præceptum Iosue, scilicet, faciendo quidquid ipse iusserit. Accipitur autem egredi, & ingredi ex modo loquendi pro omni operatione. Sic accipiebatur supra, quod deberet Deus præficere hominem Israelitis, qui posset exire, & intrare ante illos, id est, posset facere quæcunque fieri deberent coram populo suo, & in omnibus esse coram eis iubens, & erudiens. Posset autem aliquis accipere ingredi, & egredi pro ingredi in Sanctuario ad consulendum Dominum pro Iosue, quia dicebatur supra, quod quidquid agendum esset Eleazarus consuleret Dominum pro Iosue. Hic autem subditur, quod ad mandatum eius facere debebat hoc, s. quod quandocunq; Eleazarus iuberetur consulere Dominum pro Iosue, deãte esse subditus ad faciẽdũ. Sed nõ stat iste sensus, quia nõ ingrediebatur Eleazar. in Sanctu. ad consulendũ Dominũ

A

intra Sancta sanctorum appositis vestibus sacerdotalibus, sed rationali,& Ephod consulebat Dominum,vt declaratum est.

Item non stat, quia non dicitur de Eleazaro, quod ingredietur,& egredietur ad præceptum Moysi, sed etiam de omnibus filiis Israel:illi tamen non ingrediebantur ad consulendum Dominum pro Iosue,ideo stat primus sensus.

In veteri testamẽto summo sacerdos obediebat prĩcipi seculari.

Considerandum autem, quod hic præponitur Iosue, quia erat princeps secularis summo sacerdoti directe, ita vt teneneretur Eleazarus obedire Iosue in omnibus, quæ iuberet, sicut cæteri de populo:& sic fuit tempore Moysi,quia ipse nõ erat sacerdos: Aaron tamen qui erat summus sacerdos obediebat illi, qui erat princeps populi. Et sic fuit in toto veteri testamento, quod sacerdos summi essent sub regibus: nunc autem è contrario,quia omnis secularis potestas obedit summo pontifici, qui est inter omnes viros ecclesiasticos, sicut summus sacerdos inter omnes sacerdotes,&Leuitas Hebræorum.Nunc autem sunt duæ iurisditiones totaliter distinctæ, scilicet secularis,& ecclesiastica,& illi, qui sunt de ecclesiastica iurisditione non iudicantur per secularem potestatem. In veteri autem testamento erat vnica iurisditio omnium,&tam sacerdotes, quam seculares eisdem legibus iudicabantur,& vtrisque in criminalibus poterat infligi pœna sanguinis. De modo autem subordinationis iudicum, & vnitate iurisditionis veteris testamenti declaratum est supra c.11.De modo autem regum & sacerdotum in eodem testamento qualiter se haberent adinuicem,dicetur magis 1.Reg.cap.8.

B

Sciendum tamen,quod licet esset distincta iurisditio sacerdotalis,& sæcularis in veteri testamento: tamen conueniens erat,quod tempore Iosue esset vnica iurisditio, vel saltem aliquo modo rediret principatus totalis ad vnum , quia maior principatus Iosue fuit tempore bellorum:in bellis autem nullus principatus conuenit,nisi monarchicus propter periculũ discordiæ,sicut fuit supra declaratum exemploRomanorum. sed Iosue erat hic princeps populi.ergo Eleazarus,& quicunque alii debebant sibi esse subiecti in populo Iudaico, ita vt esset principatus monarchicus. *Et omnes filij Israel cum eo.* Id est, cæteri Israelitæ etiam debebant esse subiecti Iosue. Dicitur hoc,quia erant in populo multi principes, scilicet in qualibet tribu vnus princeps,& in qualibet familia. Etiam erant positi multi iudices,sc.decani,centuriones,& tribuni, & quinquagenarii:omnes autem hi subditi esse debebant Iosue, sicut omnes erant subditi Moysi:tamen non tollebatur,quin isti postea haberent principatus speciales, sicut principatus regalis monarchicus est,& tamen sub eo sunt multi principatus alii maiores. *Et cætera multitudo.* Id est,omnes conuersi ad Iudaismum.per filios Israel significantur omnes Hebræi ex genere præter ipsos: tamen erant in populo multi de conuersis. Et isti etiam erant subiecti Iosue. *Fecit Moyses,sicut præceperat Dominus.* Scilicet, persuadendo Iosue,vt acciperet principatum,& instituendo eum coram tota multitudine, & istud nihil aliud est, quam id, quod infra subditur, sed ponitur hic ingenerali ista sententia:deinde in speciali declaratur. *Cumque tulisset Iosue.* Id est, Moyses locutus fuit Iosue de institutione principatus,& tulit eum ad multitudinem,vt ibi fierẽt quæ dicta sunt. *Statuit eum coram Eleazaro.* Id est,posuit Iosue in medio populi coram Eleazaro,& tota multitudine: fit autem mentio de Eleazaro specialiter, quia erat excellentissimus in toto populo post Moysen. *Et omni frequentia populi.* Id est,coram tota multitudine populi: frequentia enim & multitudo idem sunt, sed frequentia magis signat iterationem actuum.multitudo autẽ est generale nomen ad omnem pluralitatem. *Et impositis capiti eius manibus.* Id est,posuit Moyses manus super caput Iosue ad instituendum eum principem,& faciendum, quæ dicta sunt: Deus tamen iussit quod poneret manum,vt patet supra,intelligitur tamen de vtraque manu,sic enim dicitur Deut.cap.vlt. quod Moyses posuit manus suas super Iosue. *Cuncta replicauit, quæ mandauerat Dominus.* Id est,fecit omnia,quæ præcepta sunt sc.instituit eum in principem populi per manuum impositionem, & dedit ei præcepta de modo regendi:deditque patrem gloriæ suæ faciens,vt coram tota multitudine loqueretur tanquam princeps populi.

C

D

CAPVT XXVIII.

Sacrificium quotidianũ. De conse.dist 2 cap.non oportet.

Dixit quoque Dominus ad Moysen: Præcipe filiis Israal,& dices ad eos: Oblationem meã, & panes,& incensum odoris suauissimi offerte per tempora sua. Hæc sunt sacrificia,quæ offerre debetis: agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum: vnum offeretis mane,& alterum ad vesperum: decimam partem ephi similæ,quæ conspersa sit oleo purissimo,& habeat quartam partem hin. Holocaustum iuge est,quod obtulistis in monte Sinai in odorem suauissimum incensi Domini. Et libabitis vini quartam partem hin per agnos singulos in Sanctuario Domini. Alterumque agnum similiter offeretis ad vesperam iuxta omnem ritum sacrificij matutini,& libamentorum eius: oblationem suauissimi odoris Domino. Die autem sabbathi offeretis duos agnos anniculos immaculatos,& duas decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio, & liba, quæ rite funduntur per singula sabbatha in holocaustum sempiternum.

E

Dixit quoque. Posita ordinatione multitudinis ad principem temporalem suum,communiter ponitur ordinatio ad Deum:ordinatur autem homo adDeum colendo ipsũ, cuius cultus principaliter in anima consistit, quia fide, spe,& charitate colitur Deus iuxta August.in Enchiridion:manifestatur autem in quibusdam operibus exterioribus, quæ sunt pure cæremonialia, scilicet adoratione,& oblatione. Continuantur autem hoc ad præcedentia, quia populus intraturus in terram promissam forte existimaret, se non obligari ad ritus sacrificiorum in terra ipsa, quia in deserto nõ obseruauerat illos:ideo subditur hic,quod deberent Iudæi in terra promissionis offerre Domino oblationem,& panes,&incensum tempore suo, sicut fecerant in monte Sinai: & diuiditur in quinque secundum quod tanguntur hic oblationes quatuor festiuitatum cum diebus profestis. Primo de oblatione omnium dierum:secundo de oblatione sabbathorum: tertio de festiuitate calendarum:quarto de festiuitate Azymorũ:quinto de solennitate Pentecostes,siue panum primo oblatorum. Secunda ibi. *Duo autem sabbatha.* Tertia ibi. *In calendis autem.* Quarta ibi.*Mense primo.*Quinta ibi.*Dies etiam primitiuorum.*

An ista præcepta data fuerint immediate post prædicta.

QVÆSTIO I.

F

CIrca primum considerandum de istis præceptis, quæ dantur hic an fuerint immediate post ea, quæ supra habentur. Respondetur quod non potest esse proprie cõtinuatio inter ea: quæ historica sunt, & inter præcepta: ea autem, quæ supra ponebantur historica erant: ideo ista non possunt continuari illis,nisi quantum ad hoc,quod dicamus ista fuisse data postquam illa superiora facta sunt, vel quod ista primo fuerunt data.Sed adhuc de hoc constare non potest, quia ista sunt pure præceptiua,&non est in eis aliquid per quod cognoscatur,quo tempore data fuerint. Vnde posset aliquis dicere, quod fuerunt data in secundo, vel tertio, vel quarto anno ab exitu de Aegypto,aut quocunque alio tempore. Dicendum tamen,quod non potest asseri ista fuisse data in primo anno ab exitu de Aegypto; quia Israelitæ iam transierant montem Sinai,quando data sunt,vt patet infra,scilicet holocaustum iuge est,quod obtulistis in monte Sinai:Israelitæ tamen non recesserunt de monte Sinai vsq; ad diem 20. mensis secundi anni secundi ab exitu de Aegypto,vt patet supra c.10. ergo post principium anni secũdi ad minus data sunt præcepta. De aliis temporibus residuis vsque ad mortem Moysi non patet, in quo eorum data sunt. Dicendum tamen satis rationabiliter, quod data sunt anno quadragesimo ab exitu de Aegypto parũ ante mortem Moysi. Pro quo præsupponendum,quod non habetur aliqua locutio Dei ad Moysen, vel aliquod istorum scriptum de gestis Iudæorum in deserto nisi de primo anno ab exitu de Aegypto,& de secundo,& de quadragesimo.Dicta autem

Quãdo data fuerũt præcepta sequentia.

autem & facta in primo, & secundo anno habentur in Exod. & in Leuit. & in lib. isto vsque ad cap. 14. vel vsque 19. inclusiue. Gesta autem & dicta in anno 40. habentur hic à capit. 20. vsque ad finem: sic declaratum est supra cap. 14. & 20. Ideo satis apparet, quod ista præcepta data fuerint in anno quadragesimo. nam si fuissent data prius ponerentur ante cap. 20. in quo incipiunt gesta, & dicta anni 40. Item si fuissent data ante annum quadragesimum fuisset hoc in secundo anno, quia media tempora nullam habent historiam, vt declaratum est supra cap. 20. & tunc data fuissent in monte Sinai, quia post illū non leguntur data aliqua præcepta in aliquo secundo, sed nō fuerunt in monte Sinai data, quia infra fit mentio de oblationibus factis in monte Sinai tanquam de aliquo longe præterito, ergo fuerunt data in anno 40. Item dicendum, quod fuerunt dara paulo ante mortem Moysi, scilicet in vltima mānsione deserti, quod patet, quia nunquam recedendū est ab ordine literæ per anticipationem, & recapitulationem, nisi cōstet alium esse ordinem quam litera ponat, sed hic ponuntur ista præcepta post numerationem factam Israelitarum in cāpestribus Iordanis, scilicet in Belsathim, quæ est vltima mansio Israelitarum, vt declaratum est supra 26. cap. ergo in mansione illa data sunt ista præcepta, sed postquam facta fuit numeratio Israelitarum in mansione vltima pauco tempore vixit Moyses, quia illa computatio non potuit fieri ante mensem septimum, vel octauum anni 40. ab exitu de Aegypto, & Moyses mortuus est in principio mensis 11. anni eiusdem, vt colligitur Deuteronom. cap. 1. ergo modicum tempus intercidit. Antecedens patet, quia Aaron mortuus est mense quinto anni huius 40. vt patet infra 33. capit. & ipse mortuus est in monte Hor post hoc autem Israelitæ perambulauerunt longa spatia terrarum in circuitu montis Seir, vt patet supra cap. 21. deinde etiam venerunt in terram duorum regum Amorrhæorum, & pugnauerunt contra vtrumque accipientes regna amborum, vt patet supra 21. ca. postea vero vocatus est Balaam ad maledicendum Israelitas, & facta sunt omnia, quæ habentur supra à principio 22. capit. vsque ad 25. deinde Balaam vadens in terram suam dedit consilium de committenda fraude contra Itraelitas, & factum est. De quo supra ca. 25. Ad vltimum autem facta est computatio Israelitarum postquam data sunt præcepta, quæ habentur hic. Sed pro omnibus istis recitatis oportebit poni tempus plusquam duorum, vel trium mensium: ergo ista præcepta darentur ad plus mense octauo, vel nono anni 18. sed Moyses mortuus est mense 11. anni eiusdem, ergo paucum tempus fuit inter mortem Moysi, & dationem istorum præceptorum.

Vbi data fuerunt.

Item, quod fuerint data ista præcepta in vltima mansione patet, quia dicitur infra 36. capitu. Hæc sunt præcepta, atque iudicia, quæ præcepit Dominus per manum Moysi ad filios Israel in campestribus Moab, sed illud continuatur cum omnibus istis præcedentibus, ergo ista præcepta fuerunt data in campestribus Moab, quæ est vltima mansio, quia accipiuntur campestria Moab pro planioribus locis terræ Moabitarum, vbi est mansio Belsathim, vt declaratum est supra 26. ca.

Dixit quoque Dominus ad Moysen. Id est, postquam dedit præcepta superiora de successionibus, & institutus est Iosue in principem, fuit Deus locutus iterum ad Moysen dans præcepta ista, quæ habentur hic. *Præcipe filiis Israel, & dices ad eos.* Id est, dicas ista, quæ sequuntur illis per modum præcepti, scilicet, quod essent obligati ad faciendum illa in terra Chanaan.

Oblationem meam. Hic ponitur catalogus omnium sacrificiorum, scilicet, in capit. isto, & in seq. tradiderat enim Deus regulam de sacrificiis in Leui. qualiter singula fieri deberent, scilicet quæ partes prouenirent Deo, & quæ sacerdotibus, & quæ offerentibus tam de holocausto, quam de hostiis pacificis, & victima pro peccato: posuitque regulam cæremoniarum quantum ad modum offerendi, & cremandi istas carnes, & expiandi in sanguine, non tamen tradidit regulam quando fieri deberent sacrificia ista, scilicet, quæ sacrificia conuenirēt cuilibet tempori: ideo determinantur sacrificia totius anni hic, & in isto ca. ponuntur sacrificia pro tribus festiuitatibus, non erant autem plures inter Hebræos. Et sic in istis duobus capitulis ponuntur omnia sacrificia, quæ obligabantur Iudæi facere per totum annum, nec erant aliqua alia, quorum tempora non exprimantur hic. Considerandum vlterius, quod sacrificia ista distinguuntur hic per solennitates festiuitatum, & per dies profestos, in diebus enim profestis, id est, in quibus non erat aliquod festum, ponuntur sacrificia vniformia per totum annum, scilicet, matutinum, & vespertinum solum, sacrificia autem festiuitatum distinguuntur quia in eis dabusdam multa offerebantur, in aliis vero pauciora, vt patet hic, & sequenti ca. Sunt autem festiuitates, in quibus ista sacrificia fiebant septem, scilicet, duo, quæ iterantur multoties quolibet anno, & quinque, quæ sunt semel in anno, primæ duæ sunt festiuitas sabbathorum, & calendarum. nam in sabbathis fiebant plura sacrificia, quam in diebus profestis. Sabbatha autem multoties sunt. Secunda festiuitas erat calendarum, & in ista fiebant solennia sacrificia, iteraturque ista festiuitas, quia calendæ vocantur omnia principia omnium mensium. Sunt autem quinque aliæ festiuitates, quæ accidunt semel in anno, scilicet, festum azymorum, & Pentecostes, clangoris, expiationis, & tabernaculorum. In istis enim varia sacrificia offeruntur. De duobus primis patet hic. de secundis tribus patet seq. ca.

Tria attendebātur in festiuitatibus

Considerandum etiam circa istas festiuitates, quod in omnibus eis, aut saltem in quibusdam eorum attendebātur tria, scilicet, vacatio à laboribus, & oblatio sacrificiorum, & quædam specialis cæremoniæ aliarum oblationum, quæ nō sunt sacrificia, vel quædam exultationes. De primo, & tertio habetur Leuit. 23. capitul. vbi ponitur in qualibet festiuitate harum quot diebus durare debebat, & quibus diebus vacandum erat ab opere, & quibus non ponitur etiam tertium, scilicet, quædam cæremoniæ oblationum, quæ non sunt sacrificia; vt quod in festo azymorum offerrentur manipuli spicarum, & in festo Pentecostes offerrentur noui panes. Ponuntur etiam cæremoniæ aliarum festiuitatum, quæ non sunt oblationes, vt de sonitu tubarum in die clangoris, & de afflictione diei propitiationis, & de exultatione, & rāmis festi tabernaculorum. Secundum autem erat obligatio sacrificiorum, & de ista solum agitur hic, scilicet, quod animalia offerri debebant in sacrificium, in qualibet festiuitāte, & quæ pertinerent ad holocaustum, & quæ ad victimas pacificas, & quæ ad hostias pro peccato, & sic ista duo capitula vocantur catalogus sacrificiorum, sicut infra trigesimotertio capit. vocatur catalogus mansionum, & cap. 23. Leuit. vocatur catalogus festiuitatum, & ca. 18. eiusdem dicitur catalogus consanguinitatum, & matrimoniorum non contrahendorum.

Quatuor ministeria sacerdotalia intra Sanctuarium.

Oblationem meam & panes incensum. Hic intendebat Deus dare regulam completam de omnibus sacrificiis. Tetigit tamen de omnibus ministeriis sacerdotalibus: erant enim quatuor ministeria sacerdotalia, quæ intra Sanctuarium fiebant, scilicet, oblatio sacrificiorum, & propositio panum, incensio lucernarum, & oblatio thymiamatis, vt declaratum est supra 18. capitulo, & de his tetigit hic dans regulam generalem, scilicet, quod ista obseruarentur in temporibus suis, solum tamen prosequitur hic legislator de vno eorum, scilicet, de sacrificiis, quæ vocantur hic oblatio. de propositione autem panum, & incensione candelarum, & thymiamatis oblatione nihil hic dicitur, quia ista non habent aliquam difficultatem aut varietatem, cum semper eodem modo fiant, sacrificia autem habent magnam varietatem, quia non fiunt eadem in omnibus temporibus, nec secundum speciem sacrificii, nec secundum numerum eorum, vt patet hic, ideo de his necesse fuit dici: ponitur autem primum hic oblatio, per quam solum intelliguntur sacrificia. Aliqui autem volunt dicere oblationem illam, quæ fiebat de pane, & oleo, & vino, nam communiter distinguitur oblatio, & sacrificium. Oblatio enim ad res aridas, & liquidas pertinet non viuentes, vt farinam oleum, vinum sacrificium vero pertinet ad animalia quæ immolantur, hic tamen non potest sic accipi, quia de nulla oblatione specialiter agitur, sed solum de sacrificiis, vt patet in litera hic, & sequenti capi. ideo necesse est accipi oblationem pro sacrificio solum, panes autem vocantur hic panes propositionis. Erant enim duodecim panes continentes singuli duas decimas farinæ, & isti ponebantur in quolibet sabbatho coram Domino, & auferebantur in alio sabbatho, vt ponerentur alii duodecim recentes. De hoc patet Leu. capit. vigesimoquarto erant autem isti in mēsa aurea, quæ erat intra tabernaculum, in qua etiam vasa aurea ad liba fundenda. de quo patet Exodi vigesimoquinto capitu. Vocatur hic in censum suauissimi odoris thymiama, quod offerebatur Domino quotidie, nam cremabatur in

Sacrificia distincta per solēnitates festiuitatū, & erāt cæremoniæ solēnitatū.

A mane,& in veſpere thymiama ſuper altare,vt patet Exo. c. 30. Quarta autem miniſtratio ſubticetur hic,ſcilicet,de incenſione lucernarum, diſponebantur enim bis quotidie lucernæ in candelabro intra tabernaculum,vt patet Exo.27.&30.cap.de hac non fuit expreſſum,quia intelligebatur nomine oblationis thymiamatis, non quidem, quod ipſa eſſet oblatio, ſed quia ſimul fiebat cum thymiamatis oblatione, ſic patet Exo. c.30.vbi dicitur,quod bis in die,ſcilicet,in mane, & in veſpere quando incenduntur lucernæ, vretur thymiama corã Domino. Alia ratio eſt quare non exprimatur,quia hic ſolum dicitur de oblationibus, vt patet in litera, ſcilicet, oblationem meam,& panes,& incenſum offertur per tempora ſua, in lucernarum tamen incenſione non erat aliqua oblatio,quia nihil apponebatur,ſicut in cæteris tribus, ſed ſolum miniſtrabatur diſponendo lucernas, ideo nõ potuit poni cum his tribus,vt referretur ad illum verbum offerre. *Odoris ſuauiſſimi.* Vocatur incẽſum odotis ſuauiſſimi,id eſt, quia erat valde ſuauis odor eius Deo,non quidem, quod ipſe ſentiret odorem thymiamatis,quia in Deo non eſt potentia odoratiua,nec organum odorandi,vt iſta poſſit percipere,quia hoc ſolum conuenit animalibus,dicitur tamen per metaphoram, quia ſicut nos acceptamus,& cupimus res odoris gratiſſimi,ita cũ Deus acceptet oblationem thymiamatis ex deuotione,& obedientia offerentium,dicebatur eſſe ſibi gratum,vel odoris ſuauiſſimi.*Offert per tempora ſua.* Iſta litera poteſt dupliciter intelligi.

B Vno modo, quod Deus admoneat Iſraelitas ad faciendum iſtas miniſtrationes, in deſerto enim non fecerant eas, niſi in monte Sinai pauco tempore. Fluxerant autem poſtea anni trigeſimi noni fere , in quibus nihil huiuſmodi fecerant, ideo poterant exiſtimare ſe in futurum ab omnibus his abſolutos,quamquam manerent in terra promiſſionis, ideo dicitur. Offerte per tempora ſua, id eſt, offerte in tempore debito,ſcilicet,toto tempore iſto, quo fuiſtis in deſerto non obligabamini facere hæc,nec etiã obligaba imini immediate,vt introieritis in terram Chanaan,ſed poſtquam habueritis pacem de hoſtib. veſtris, ſcilicet, ſubiecta vobis terra, & cum fuerit Sanctuarium Domini locatum in aliqua vrbe terræ veſtræ,vt patet Deu.c.12.cum tamen iſta aduenerint offerte panes,& oblationem,& incenſum,quia iam tempus ſuum eſt.Alio modo poteſt intelligi.offerte per tempora ſua,id eſt, in temporibus determinatis à lege: erant enim pro ſacrificiis determinata tempora, ſcil. quædam in feſtiuitatibus, & quædam in diebus profeſtis, illa autem,quæ erant pro feſtiuitatibus non debebant offerri in diebus profeſtis nec è contrario. Etiam ſacrificia calendarum non debebant offerri in ſabbathis nec è contrario , & ſic de aliis. Identidem ſacrificium quotidianum , quod vocatur matutinum non debebat offerri in meridie, & ſic de veſpertino, ſed in ſingulis ſeruanda erant ſua tempora : ſic etiam panes erant offerendi in tempore ſuo, id eſt, panes propoſitionis , ad hoc enim erat conſtitutum tempus , ſcilicet , vt in quolibet ſabbatho ponerentur duodecim panes ſuper menſam auream , qui manebant ibi ſeptem diebus , ſcilicet, vſque ad alterum ſabbathum, vt ponerentur tunc alii recentes , & tollerentur priores , vt patet Leuit.ca.24.pertinebant autem iſti panes ſolum ad cibum ſacerdotum, vt patet 1.Reg.21.& Matth.12. ca. in tempore tamen neceſſitatis dedit ſacerdos Achimelech illos Dauid, & pueris ſuis,vt patet eiſdem c.& iſte ſenſus eſt, quem facit litera.Conuenit enim quia immediate agitur de ſacrificiis, & ponuntur tempora determinata illorum. *Hæc ſunt ſacrificia, quæ offerre debetis.* Poſita ſupra regula in generali,quod ſacrificia,& omnia alia miniſteria eſſent obſeruanda in temporibus ſuis, ſubditur hic in ſpeciali , quæ ſunt tempora iſtorum ſacrificiorum,& diſtinguuntur feſtiuitates,& dies profeſti aſſignando cuilibet ſua ſacrificia,& dicitur,hæc ſunt ſacrificia, quæ offerre debetis , id eſt , ſolum obligamini facere ſacrificia, quæ habentur hic. Alia aũt ſactificia fiebant,ſed illa erant ſpontanea, iõ nõ datur regula de illis,quia qui volebat,offerebat,&qñ volebat,ſed ſolũ de illis,quæ ſunt ſub obligatione, iſta aũt ſacrificia fiebãt de ſumptib. Sanctuarii, ſ.q̃ erant aliqui redditus Sanctuarii,de quibus emebantur animalia ad immolationem,farina,vinum,& oleum,& thus,& ſal ad libamenta. Iſti autem reditus erant partim ex eleemoſynis populi,ſcilicet,quia erãt gazophylacia in Sanctuario , in quibus populares pecuniam mittebant,vt patet Leuit.cap.21.Cum autem eſſet opus ſumptuum aperiebantur gazophylacia illa,&ſumebatur pecunia ſub numero à ſacerdotibus adhibitis tabellionibus,ne aliqua fraus fieri poſſet,vt patet 4.Re.12.cap. colligebatur etiam pecunia à populo quando veniebat ad feſtiuitates,erat namque vna dies determina, ſcilicet,dies octaua in feſto tabernaculorum,quæ vocatur dies cætus atque collectæ,id eſt,quod congregabatur cætus populi in die illa ad faciendum collectam pecuniarum pro ſumptibus ſacrificiorum,vt patet Leuit.c.23 & Deutero.16. Aliquando tamen aliqui reges etiam de Gentilibus , qui erant viri deuoti in cultu Hebræorum tribuebãt omnes ſumptus pro ſacrificiis,ſicut patet de Seleuco rege Aſiæ , qui præſtabat pecuniam pro omnibus ſumptibus ſacrificiorum,vt patet 2.Mach.cap.4.de redditibus autem Sanctuarii,qui eſſent tam ad ſacrificia , quam ad reſtaurationem rerũ ipſius Sanctuarii declaratum eſt ſupra ca.5. *Agnos anniculos.* Hic ponitur ſacrificium quotidianum,quod erat commune ad omnes dies tam feſtos quam profeſtos, & vocatur iuge ſacrificium, poteſt etiam vocari ſacrificium. dierum profeſtorum, quia licet offerretur tam in diebus profeſtis quam feſtiuis , tñ in profeſtis ſolũ offerebatur iſtud,infeſtiuis vero offerebatur iſtud.& alia, quæ determinantur infra in his duobus capit. & iubetur,quod offerantur duo agni , quia vnus pertinebat ad ſacrificium matutinum , & alius ad veſpertinum , vt patet infra,& dicitur,quod eſſent agni,quia non poterat offerri ouis fœmella, ſed debebat eſſe maſculus. Cauſa huius eſt,quia ſacrificium veſpertinum , & matutinum erant holocauſta, vt patet hic,in holocauſto autem nunquam offertur fœmella,vt patet Leu.cap.1.vbi ponitur regula de his. Quod intelligendum eſt de quadrupedibus,nam de auibus poterat offerri fœmella.ſcilicet, columbæ aut turtures fœmellæ , vt patet eodẽ cap.& hoc eſt,quia in auibus non apparet ita manifeſte diſtinctio ſexus , ſicut in quadrupedibus etiam nomina eorum ſic ſe habent,quod in vulgari non diſtinguimus nomina pro maſculo, & fœmella,ſicut in quadupredibus , & in hominibus. In Latino quoque idem genus comprehendit maſculum , & fœmellam , & ob hoc nomina auium epicæna dicta ſunt , id eſt,communia.Cauſa autem quare in holocauſtis ſoli maſculi offerantur,cum in hoſtiis pro peccato,& victimis pacificis offerantur indifferenter fœmellæ,& maſculi poſita fuit Leu.c.1 Item non licebat offerri in ſacrificio quotidiano capras , aut boues,ſed agnos ſolum.

An hædulus poſſet accipi pro agno.

Qvæstio II.

QVæret aliquis ſi poſſet accipi hædulus loco agni, vt ſi interdum non occurreret ira leuiter haberi agnum , quod aſſumeretur hædulus. Videtur autem,quod ſic,quia ſic fiebat de celebratione phaſe. Iuſſerat, enim Deus,quod acciperetur agnus anniculus immaculatus, vt patet Exod. cap. 12. poterat tamen interdum accipi hædulus,vtpote ſi non occurreret ita leuiter haberi agnum,vt patet ibidem.

Reſpondendum eſt , quod non poterat in ſacrificio quotidiano offerri aliquid , niſi agnus , nec erat hic locus commutationis in hædulum , vel in alterum animal , ſicut in celebratione phaſe. Cauſa huius eſt, quia commutatio ſacrificiorum,ſcilicet,quod offerretur iſtud animal, cum deberet offerri alterum fiebat propter duo. Primo propter pauperatem offerrentium,ſecundo propter difficultatem inueniendi animal,quod iubebatur offerri. Cauſa enim primi erat, quia Deus volebat,vt oẽs Iudæi exercerent ſe in cultu Dei offerendo ei quidquam,& quia illi, qui erant pauperes non poterant offerre animalia magna dabatur , quod offerrent parua, & quia illa etiam interdum offerre non poterant , concedebatur,quod offerrent auiculas,ſcilicet,columbas , vel turtures , quæ erant minoris precii , & ſi interdum iſta non poſſent,dabatur alius modus offerendi , ſcilicet, quod offerrent modicum de farina,& ſic non erat aliquis etiam ſi pauper, qui non poſſet aliquid offerre. De iſta mutatione patet Leuit.ca 5 de illo,qui peccauit iurando, quod debet agere pœnitentiam de delicto ſuo,& pro peccato offerat capram,vel agnam, & ſi non potuerit , offerre pecus , offerat duos turtures , aut duos pullos columbarũ. Si aũt,& hoc non potuerit;offerat modicũ de fari-

D

Sacrificiũ quotidianũ

E

Quare in ſacrificio matutino & veſpertino ſolum maſculi offerebantur & etiã in cibum holocauſtis, in pacificis vero & propeccato aliquando fœmella.

F

Quare commutabantur animalia in ſacrificiis.

de farina, siue oleo, sic quoque fit mutatio de sacrificio, quod fiebat in purificatione mulieris parientis. Debebat enim offerre agnum anniculum, & vnum pullum columbæ, vel turturem pro peccato, si tamen non posset offerre agnum anniculum offerebat loco illius vnum turturem, vt patet Leuitic. capit. 12. sic quoque in purgatione leprosi fiebat mutatio propter paupertatem Leuit. cap. 14. Alia causa mutationis sacrificii erat quando aliquis non poterat faciliter inuenire illud animal, quod iubebatur offerre, tunc enim dabatur, quod offerretur alterum. Istæ duæ causæ possunt applicari ad mutationem, quæ fiebat in celebratione phase, scilicet, quod offerretur hædulus loco agni. Prima enim patet, quia forte agni essent maioris valoris quam hæduli, ideo aliqui non possent emere agnos, & possent hædulos. Debuit ergo concedi hædulus, quia ista lex dabatur pro omnibus de populo, & ibi erant multi pauperes, lex ergo imponere debuit id, quod erat minus. Ista causa non applicatur obligationi iugis sacrificii, quia offerebatur istud sacrificium de expensis Sanctuarii, in quo non erat paupertas timenda, sicut in popularibus, ideo non debuit concedi aliqua mutatio ex causa paupertatis. Secunda causa non applicatur, scilicet, propter difficultatem inueniendi, quæ maxime conuenit celebrationi phase, debebat enim phase celebrari in omnibus domibus Israelitarum, & quilibet sumere debebat vnum agnum, si domus eius sufficiebat ad comedendum illum, vt patet Exod. cap. 12. difficillimum ergo erat, quod omnes viri de Israel possent inuenire agnos pro die illa, ideo debuit dari, quod qui non posset inuenire agnum acciperet hædulum, & ista fuit potior causa, quare concessum est, vt acciperetur hædulus, vel agnus, quam paupertas accipientium, hoc autem non applicatur immolationi iugis sacrificii; quoniam solum immolabantur duo agni quotidie pro sacrificio iugi, non erat autem aliqua difficultas inueniri quotidie duos agnos ad immolandum, ideo non permittebatur immutatio hic agno in hædulum.

An posset vitulus offerri pro sacrificio iugi.

QVÆSTIO III.

QVæretur amplius an posset pro iugi sacrificio offerri vitulus. Aliquis forte dicet, quod non, sicut non poterat offerri hædulus loco agni, sed aliqua ratio diuersitatis appareret, quia quando commutabatur hædulus pro agno dabatur æquale pro æquali, vel minus pro maiori, & ista mutatio non recipitur, quia semper debet per motum fieri melioratio. Cũ autem offerretur vitulus pro agno fiebat melioratio, quia erat maxima victima vitulus. In obligationibus, autẽ sic, quod quicunque soluit maius tollitur ab obligatione minori, ergo offerendo vitulum pro agno satisfiebat, & adhuc aliquid gratis conferebatur.

Respondendum est, quod cum aliquis vellet offerre in diebus profestis vitulum, cum offertur iuge sacrificium, aut volebat illud offerre, ita quod non offerretur agnus, vel offerre vitulum cum agno. Si autem offerret vtrumque manifestum est, quod licebat, quia tunc non fiebat aliqua commutatio, sed vitulus offerebatur gratis, & agnus ex necessitate pro iugi sacrificio, si autem vellet offerre solum vitulum, non offerendo agnum fieret commutatio, esset que vitulus iuge sacrificium, hoc tamen non recipitur, quia in his erat seruanda forma mandati. Si ergo Deus iubebat agnum offerri non debebat offerri vitulus, quia Iudæi non debebant declinare, ad dextram, nec ad sinistram eorum, quæ scripta erant in lege, vt patet Deuteronom. capitu. 4. Nec valet si dicatur, quod non declinabant ad dextram nec ad sinistram, quia faciebant id quod Deus iusserat, & aliquid amplius. Respondendum est, quod non debebant etiam aliquid addere ad ea, quæ Deus iubebat, vt pote si Deus iuberet offerri duos hircos in die propitiationis non debebant offerri tres, & si iusserat mitti vnum in solitudinem, vt tolleret peccata multitudinis non debebant mitti duo. Causa est, quia ista sacrificia, & cæremoniæ non placebant secundum seipsa, sed ex deuotione, & obedientia facientium, & quia obedientia maxima erat in obseruando penitus formam mandati debebant eam obseruare. Alia causa huius est, quia Deus instituerat ista sacrificia, & cæremonias tanquam signatiua aliquorum, quæ futura erant innouo testamento, vt patet primo ad Corinth. capitu. decimo, scilicet, omnia in figura contingebant illis, si tamen adderetur aliquid ad id, quod Deus iubebat, mutaretur ratio significationis, vtpote Deus iubebat, quod offerretur vnus agnus pro immolatione phase, & ille offerebatur ad significationem Christi passuri, vt patet Ioann. decimonono, vbi quædam cæremoniæ agni paschalis de Christo exponuntur ad literam, scilicet, os non comminuetis ex eo. Si tamen aliquis immolaret duos, vel tres agnos pro celebratione phase iam non maneret eadem ratio significationis, quia non videretur ad quid referrentur isti agni: non poterant ergo Iudæi aliquid mutare diminuendo, vel addendo, sic iussum est Deuteronomii capitulo duodecimo, scilicet, quod tibi præcipio hoc tantum facito Deo, nec addas quidquam nec minuas, non licebat igitur offerri pro iugi sacrificio vitulos loco agnorum.

Anniculos. Id est, isti agni debent esse vnius anni, in quo certificatur tempus agnorum immolandorum. Non ergo licebat offerri animal cuiuscunque temporis, vtpote duorum, vel trium annorum, quia iam non vocaretur agnus, sed aries.

Quomodo poterant Iudæi certificari, quod agnus esset vnius anni præcise.

QVÆSTIO IV.

QVæret aliquis quomodo poterat esse certitudo de agno, quod esset vnius anni præcise, & videtur, quod erat difficultas offerendi quotidie agnos, qui essent præcise vnius anni. Si autem aliquis dicat, quod vocantur agni anniculi illi, qui vnum annum compleuerant etiamsi maioris temporis essent, quia quantocunque erant maioris temporis, semper erant vnius anni.

Respondendum est hoc esse ridiculum, nam tunc arietem annorum trium, vel quatuor vocaremus anniculum. Item arietes postquam compleuerunt annum non vocantur agni, sed arietes. litera tamen dicit agnos. Ideo dicendum est, quod vocantur hic agni anniculi, qui nondum compleuerant annum, vel saltem non habebant aliquid super annum, & tunc non erat difficile offerri quotidie agnos anniculos, quia siue essent duorum mensium, siue trium, siue quatuor, & sic ad vnum completum vocabantur agni anniculi, non poterant tamen in qualibet parte huius anni offerri, nam ante diem octauum non offerebantur aliqua animalia, vt patet, Leu. ca. vigesimosecundo, scilicet, bos, ouis, & capra septem diebus erunt sub vbere matris suæ, die autem octauo, & deinceps poterunt offerri Domino, & sic in die octauo incipiebat agnus vocari anniculus, & postea vsque ad completionem anni semper vocabatur anniculus. Istud quoque tempus erat determinatum ad offerendum Domino primogenita pecorum, scilicet, post diem septimum, vt patet Exodi capitulo vigesimosecundo, scilicet, primogenitum filiorum tuorum dabis mihi, de bobus quoque, & ouibus similiter facies, septem diebus sit cum matre sua, die octauo reddes illum mihi. Si autem aliquis quæreret an posset aries plusquam vnius anni offerri pro iugi sacrificio. Respondendum est, sicut supra dicebatur de vitulo commutando pro agno, scilicet, quod quamquam sit maior victima, si offeratur aries duorum annorum, quam si offeratur agnus vnius mensis, vel duorum, tamen non licebat fieri commutatio, sed obseruanda erat forma mandati.

Immaculatos. Id est, isti agni anniculi debebant esse sine macula. Sciendum, quod duo signat macula dicit enim varietatem coloris, vt si esset animal duorum, vel trium colorum, sic accipitur Genes. cap. trigesimoprimo, vbi dicitur, quod vidit Iacob arietes varios, & maculosos, idem dicitur Genes. 30. capit. scilicet, quod cum oues in coitu intuerentur virgas decorticatas in canalibus, pariebant maculosa, & vario, & diuerso colore respersa. Alio modo accipitur macula pro defectu, vel super abundantia alicuius mẽbri; vel immoderata magnitudine alicuius partis corporis, quod ad monstruositatem pertinet, vel pro abscisione, aut fractione aliquarum partium, sic patet Leuitic. capit. vigesimosecundo. Primo modo macula non accipitur hic, quia non impedit immolationem, *Macula duo signat.*

quod patet, quia Leuiti. vigesimo secundo vbi ponuntur maculæ prohibentes nihil agitur de colore. Secundo modo macula accepta impedit à sacrificio, vt patet prælleg. capit. cum dicitur: Omnis macula non erit in eo, si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, scabiem, vel impetiginem non offeretis ea Domino, & postea dicitur: Omne animal quod, vel contritis, vel tonsis, vel sectis ablatisque testiculis est non offeretis Domino. Etiam ponitur ibi de animalibus habentibus abscissam caudam, vel aures. Similiter est intelligendum de omnibus aliis amputationibus membrorum, vel si animal esset morbidum, non licebat offerri illud: tamen magis pertinet ad immunditiam, quam ad maculam. debebant ergo isti agni anniculi totaliter esse immaculati alioquin non offerrentur, erant tamen ad esum liciti licet non immolabantur, vt patet Deuteronom. capitu. 12. scilicet, quod siue debile, & maculatum, siue integrum, & immaculatum comedi poterat, dum tamen effunderetur sanguis super terram.

An agnus anniculus posset offerri in iuge sacrificium amputata cauda eius.

QVÆSTIO V.

QVæret aliquis an liceret offerri istos agnos anniculos in iuge sacrificium si haberent amputatas caudas, vel aures. In quo præsupponendum, quod esse caudam amputatam, vel aures, erat macula, quædam tamen macularum erant totaliter prohibentes ab immolatione, aliæ autem secundū quid, omnes enim maculæ, quæ habentur Leuitic. capit. 22. impediebant simpliciter offerri animalia, siue in holocaustum, siue hostias pacificas, vel pro peccato, etiam siue sponte, siue ex voto, siue ex necessitate legis offerrentur, duæ autem erant maculæ, quæ non impediebant simpliciter caudam esse amputatam, vel aures, sed licebat offerri talia animalia sponte in quodcunque genus sacrificii. votum tamen ex his solui non poterat, vt patet prælle. ca. Hoc dato stat quæstio, scilicet, an liceret offerri in sacrificium iuge agnos habentes caudam, vel aures amputatas.

Dicet aliquis, quod licet, quia illa animalia poterant offerri, dum tamen non solueretur votum ex his, sacrificium autem iuge non offerebatur ex voto, ideo poterat fieri de huiusmodi animalibus. Respondendum, quod non poterant offerri, si haberent aliquam harum duarum macularum, quia dicitur Leuitic. vigesimo secundo capitulo, quod talia animalia poterant offerri sponte, in quo innuitur, quod solum illo modo licebat offerri, sacrificium tamen iuge non fiebat spontanee, sed ex necessitate legis: sicut ergo non licebat solui votum ex illis animalibus, & licebat offerri spontanee, quia est maior astrictio cæremoniarum in necessariis, quam in voluntariis, ita non licebat offerri in sacrificio iugi, quia sub maiori necessitate est istud sacrificium, quam illud quod ex voto fit, quia licet post votum emissum fit solutio sub necessitate, ante emissionem tamen erat pura libertas. In eis vero, quæ sunt ex necessitate legis nulla vnquam est libertas, sed semper obligatio, ideo adhuc maior strictio erit in cæremoniis sacrificiorum, quæ fiunt lege iubente, quam in cæremoniis sacrificiorum votiuorum sed non licet solui votum de huiusmodi animalibus, ergo non licebit immolari ad iuge sacrificium. Idem autem dicendum est de omnibus animalibus, quæ infra iubentur immolari hic, & sequenti capitulo, quod nullum licebat offerri aure, vel cauda amputata. *Duos quotidie.* Id est, quotidie offerrentur duo agni anniculi in sacrificium iuge, quia vnus offerebatur in mane, & alius in vespere, dicitur autem quotidie, quia siue in diebus festis, siue profestis offerri debebant isti duo agni. erat tamen diuersitas, quia in profestis solum offerebantur isti duo agni anniculi, in festiuitatibus autem offerebantur isti, & insuper sacrificia pertinentia specialiter ad illum diem, vt patet infra. *In holocaustum sempiternum.* Hic determinatur genus sacrificii. erant enim tria sacrificia proprie dicta, & duo sacrificia large dicta, prima tria erant holocaustum, hostia pacifica, & victima pro peccato, duo secunda erant vitula rufa, & agnus paschalis. De tribus primis patet in Leuit. à cap. 1. vsque ad 8. de agno paschali, quod sit sacrificium patet supra cap. 9. de ritu eius patet Exod. cap. 12. de sacrificio vitulæ rufæ patet cap. 19. cum tamen Scriptura loquitur de sacrificio absolute semper intelligit de aliquo trium primorum, quia sunt proprie sacrificia, & quia esset dubium de genere sacrificii iugis responsum est, quod erat holocaustum. De ritu autem holocausti patet Leuit. capit. 1. & ibi declaratum est. In hoc enim omnes carnes cum ossibus, & pinguedine, capite, & intestinis, atque pedibus solis cornibus, & corio demptis prius tamē lotis intestinis animalium cremabantur. Et de hoc sacrificio nulla ira proueniebant sacerdotibus, nisi pellis, quæ proueniebat in partem sacerdotis facientis holocaustum, vt patet Leu. cap. 6. dicitur, quod istud erit sempiternum, ideſt, quod nulla die omitti debebat ex causa quantumcunque vrgenti, nisi forte Iudæi nequaquam possent habere animalia ad immolandum, quod nunquam accideret. Si tamen contigisset interdum, quod omissum fuisset sacrificium iuge, non debebat repeti ita, quod in alia die duplaretur, sed tenenda erat regula cuiuslibet diei, scilicet, quod solum suū sacrificium offerretur. Ista aūt sacrificia debuerunt esse sempiterna, id est, tandiu durare, quandiu durabat status Iudæorum, & quandiu essent in terra Chanaan. Nam quando portabantur captiui in alias gentes non poterant ibi facere sacrificia, sicut nunc nullum faciunt, quia iusserat Deus, quod nō offerrent sacrificia, nisi in vna de vrbibus terræ suæ, in qua est Sanctuarium. In captiuitate tamen nihil habebant horum, ideo solum obseruabant illas, quæ non determinabant locū, sicut circuncidi, obseruare sabbathum, & alias solennitates, si autem duraret status Iudæorum in æternum, istud sacrificiū debebat in æternum manere, sed statu Iudæorum, & tota lege cadente, istud quoque sacrificium periit.

Vnum offeretis mane, & alterum ad vesperam. Dixerat enim, quod offerrentur duo agni quotidie, hic autem determinatur tempus, scilicet, vnum in aurora, & alterum ad solis occasum.

De ritu sacrificiorum iugium & spontaneorum.

Circa ritum horum duorum sacrificiorum considerandū est, quod quolibet die fiebant sacrificia, quæ vocantur iugia, & poterant fieri sacrificia spontanea, erat tamen ordo, quod iuge sacrificium matutinum esset ante omne sacrificium spōtaneum, sacrificium autem vespertinum erat post omne sacrificium spontaneum, scilicet, ad solis occasum. fiebat autem sic, vt sacerdos, qui debebat facere sacrificium alicuius diei surgeret in aurora ante solis ortum, & indutus vestibus sacris pertinentibus ad ministerium suum assumebat cineres de altari: erat enim ignis perpetuus, in altari, quem nutriebant sacerdotes apponentes ligna quotidie, vnde fiebat cinis multus. Sacerdos autem debebat illum tollere ad hoc, quod imponeret carnes holocausti, ne inquinarentur cinere, & deponebat cineres illos de altari, in quibusdam vasis æneis, quæ vocabantur lebetes, erantque assignata solum ferendum cineres extra castra, vt patet Exod. 27. cap. & eum debuisset auferre cineres de altari exuebat se vestibus sacerdotalibus, & ferebat cineres extra castra, quia non licebat ire extra Sanctuarium in vestibus sacerdotalibus, comburebatque extra castra cineres vsque ad fauillam. Deinde rediens in Sanctuarium ponebat ligna super altare, & immolato agno anniculo ponebat carnes eius, & adipes super ligna, post istud autem sacrificium fiebant omnia alia spontanea, siqua essent, & hoc vsque ad meridiem, nam postea non erat consuetum fieri sacrificia, post hæc autem in vespere ad solis occasum incipiebatur sacrificium vespertinum, immolabaturque alius agnus, qui nocte tota cremabatur, scilicet, quod diuideretur in frusta, & ponerentur particulatim, & succesſiue super altare, ita vt duraret tota nocte crematio illius agni. In aurora autem cū finiretur sacrificium vespertinum, incipiebat matutinum, & hoc modo succedebant sibi sacrificia. Hæc omnia patent Leu. cap. 6. & ibi declaratum est.

Decimam partem eph. similæ. Supra ponebantur sacrificia iugia, hic ponuntur eorum libamenta. ipsa enim animalia immolata vocantur sacrificia, & quædam, quæ cum eis ponuntur, scilicet, farina, vinum, & oleum vocantur libamenta: semper autem erant offerenda libamenta cum sacrificiis præterquam in sacrificio pro peccato, vt patet supra capitulo decimoquinto vbi ponuntur omnia libamenta sacrificiorum, & in sacrificio pro peccato non ponitur aliquod, & quia sacrificium iuge erat holocaustum, vt patet hic necesse erat poni cū illo libamenta, & ista determinantur hic.

Sciendum

A

Sciendum autem, quod libamenta erant quinque, ſcilicet, farina vinum, oleum, ſal, & thus, vt patet Leuitic. capit. ſecundo ibi ex declaratis: duo tamen iſtorum non ponebantur in menſura, ſcilicet, ſal, & thus, alia autem tria ponebantur in certa quantitate, vt patet ſupra capitulo decimoquinto, ideo determinatur hic quantitas cuiuslibet, & dicitur, quod erit de ſimila decima pars ephi, id eſt, ephi erat vna menſura magna, quæ diuidebatur in decem partes, & quælibet illarum vocabatur decima ephi: quælibet autem iſtarum decimarum vocabatur gomor, vt patet Exod. capitu. decimoſexto. De iſtis menſuris habetur Ezechiel. quadrageſimoquinto capitulo, & de aliis maioribus. Et quia ephi erat menſura magis cognita, & vulgaris nominatur ephi, & non gomor, quod eſt decima pars ephi. Dabatur autem iſta ſimila non cocta, ſed ſolum cõ ſperſa ab eo ſicut farina conſpergitur aqua antequam formetur in paſtam: erat autem iſta farina, & omnia alia libamenta de ſumptibus Sanctuarii, ſicut animalia, quæ immolabantur. Erat autem modus offerendi iſtam ſimilam, ſcilicet, quod acciperetur decima pars ephi, & ſuper illam fundebatur quarta pars hin ſuper eam ad conſpergendum ipſam, deinde fundebatur quarta pars hin de vino ſuper ſimilam, vt quidam volunt. Sed falſum eſt, quia fundebatur ſuper carnes animalis, quando cremari debebant, vt declaratum eſt ſupra capitulo decimoquinto, & tunc non cremabatur tota ſimila ſuper altare, ſed pars illius, & reliquum proueniebat ſacerdotibus. Erat autem modus huius ſacrificii, & libamentorum ſuorum, ſcilicet, quod ablata pelle animalis, & cornibus, & lotis inteſtinis ponebantur partes eius ſuper altare ad cremandum ſucceſſiue, & iſtæ partes perfundebantur vino antequam ponerentur ſuper altare, quod habebat quartam partem hin. & cũ cremarentur carnes animalis ſuper altare, aſſumebat ſacerdos, qui faciebat ſacrificium vnum de vaſis aureis, quæ erant ſuper menſam propoſitionis intra tabernaculum; & in illo ponebat decimam partem ephi de farina, quam perfundebat oleo commiſcens ei quartam partem menſuræ hin, & portabat ad altare, tunc autem ponebat ibi de illa farina, quantum poterat capere pugillus eius ad cremandum, reliquam autem accipiebat pro ſe, & faciebat ex ea panes ad cibum ſuum, vt patet Leuitic. capit. 2. erat autem iſta farina non fermentata, quia non poterat offerri aliquid fermentatum ſuper altare, vt patet eodem capitulo, & ob hoc ſacerdos, quando faciebat panes ex reſidua ſimila, non fermentabat eos, vt patet Leuitic. capit. 6. & ſic, quamquam ſacerdos nihil haberet de carnibus animalis immolati in holocauſtum, habebat tamen partem libamentorum eius.

Modus offerendi ſimilam.

Quæ conſperſa ſit oleo puriſſimo. Id eſt, iſta ſimila ſit conſperſa oleo, vocatur ſimila farina delicata, ſcilicet, farina alba, quando eſt diſtincta à furfure tota autem farina ſimul non vocatur ſimila, & iſta vocatur aliquando adeps frumenti, vt patet Pſal. 147. ſcilicet, qui ponit fines tuos pacem, & adipe frumenti ſatiat te. Iſta autem eſt conſperſa oleo, id eſt, ſuper eam funditur oleum, ſicut funditur ſuper farinam aqua ad redigendum eam in paſtam. Dicitur autem oleo puriſſimo, quia non debebat eſſe habens amurcam. Eſt enim amurca fœx olei, & iſta eſt cum oleo, quod vltimate exprimitur de bacca, lapide premente. Hoc autem non debebat poni cum ſimila illa.

C

Et habeat quartam partem hin. Hin eſt quædam menſura rerum liquidarum, ſicut ephi eſt menſura rerum aridarum, & ſicut diuidebatur ephi per decem partes, quarum quælibet vocabatur decima ephi, ita diuidebatur hin per quatuor partes quarum quælibet vocabatur quarta pars hin. Sed iſtud falſum eſt, quia quarta pars hin non erat menſura ſub hin, ſed erat ſextarius, & dimidius, diuidebatur autẽ hin in ſex partes quarum quælibet vocatur ſextarius, aliqui tamen errauerunt putantes ſic diuidi per quartas: ideo ſtat alius modus, quo diuiditur hin per ſextarios, de quo dictum eſt Leuitic. capitulo decimonono & decimoquarto, fundebatur autem tota iſta menſura olei ſuper farinam, & non debebat ex deuotione plus aut minus imponi, quia forma mandati in his obſeruanda erat.

B

Holocauſtum iuge eſt. Id eſt, oblatio iſtorum agnorum, cum libamentis ſuis eſt iuge holocauſtum, id eſt, quod quotidie offertur, alia autem holocauſta interdum fiebant ex deuotione popularium, ſiue per votum, ſiue alias ſponte. Sed iſta non erant iugia, quia non offerebantur quotidie ſed quando vellent offerre, & dato, quod quotidie offerrentur, tamen quia non obligabantur quotidie offerre, non vocantur iugia, ſimiliter quædam erant holocauſta ex neceſſitate in feſtiuitatibus: ſed iſta iugia non ſunt, ſed ſolum in feſtiuitatibus: ideo oblatio duorum agnorum, quæ fiebat in mane, & veſpere vocatur iugis.

D

Quod obtuliſtis in monte Sinai. Hic excuſat ſe Deus deponendo regulam iſtius ſacrificii, ſcilicet, qualiter celebrari deberet in mane, & in veſpere. Et dicitur, quod iſtud eſt ſacrificium, quod obtulerunt in monte Sinai, ergo ſicut ibi celebrauerũt ita celebrare debebant amplius. de holocauſto iugi celebrato in monte Sinai habetur Leuitic. 6. cap. Quod autem obtulerint in monte Sinai holocauſtum iſtud patet, quia in conſecratione ſacerdotum dabat Deus certa ſacrificia, quæ offerre deberent pro conſecratione, deinde dicebatur, quod iſta eſſent præter ritum ſacrificii matutini, & veſpertini, vt patet Exodi decimonono & Leuitic. 8. dicitur autem: Quod obtuliſtis in monte Sinai, in quo ſignificatur, quod poſt montem Sinai nunquam immolauerunt aliqua animalia facientes ſacrificium, & ſacrificium iuge interpolatum fuit, ſcilicet, quod nunquam in toto deſerto factum eſt, niſi in monte Sinai. Et hoc erat quia in deſerto non habebant Iſraelitæ ea, quæ neceſſaria erant ad ſacrificium, ſcilicet, farinam, oleum, & vinum, habuerunt autem in terra promiſſionis.

E

Item non fecerunt, quia Deus noluit obligare eos ad faciendum hoc in deſerto, ſed ſolum in terra promiſſionis, vt patet Deuteronom. capit. 12. ſi autem in deſerto feciſſent ſacrificium iſtud Iſraelitæ continuantes per totum deſertum non diceret: Hoc eſt holocauſtum, quod obtuliſtis mihi in monte Sinai, ſed diceret, hoc eſt holocauſtum, quod conſueuiſtis mihi offerre, fecit tamen mentionem ſpecialem de monte Sinai, ergo videtur, quod in ipſo loco ſolum obtulerunt. Nec obtulerunt ibi tanquam Deus vellet eos obligare ad ibi offerendum, ſed quia voluit eis tradere regulam per quam offerrent, & quia iſta, quæ conſiſtunt in exercitatione non poſſunt cognoſci per ſolam doctrinam, niſi aliquando homo in eis ſe exerceat. Fecit ergo Deus, quod Iſraelitæ exercitarentur in monte Sinai in omnibus generib. ſacrificiorum, quando conſecrati ſunt ſacerdotes, quia ibi erat conueniens locus ad faciendum hæc, filii autem Aaron ibi exercitati in his non indiguerunt, vt poſtea exercitarentur in toto deſerto, ideo non facta ſunt aliqua ſacrificia poſt montem Sinai. Nam, & in conſecratione Eleazari ſacerdotis, quæ fuit in monte Hor quando mortuus fuit Aaron, non fuit aliquod ſacrificium, vt declaratum eſt ſupra c. 20.

In odorem ſuauiſſimum incenſi Domino. Id eſt, iſta ſacrificia iugia facta ſunt in monte Sinai in odorem incenſi, id eſt, in odorem, qui emittitur de re incenſa. Odor iſte vocatur ſuauiſſimus, vt ſupra declaratum eſt, & dicitur odor incenſi, id eſt, rei incenſæ, quia non ponitur incenſum pro thure, ſed pro ipſo ſacrificio, quod incenditur, & maxime competit hoc holocauſto, quia totum incendebatur. *Et libabitis vini quartam partem hin per agnos ſingulos.* Id eſt, cum quolibet iſtorum duorum agnorum ſacrificii iugis ponetur quarta pars hin de vino. Erat autem modus, quod acciperetur quarta pars menſuræ hin de vino quando aliquis agnus cremandus erat, & ſuper carnes illius fundebatur iſtud vinum, ſcilicet, quod carnes diuidebantur in fruſta, vt patet Leuitic. capit. 1. & antequam ponerentur ſuper ignem in altari fundebatur ignis ſuper illas. & dicitur libabitis, id eſt, offeretis, vel ponetis, ſignat autem libare offerre libamenta, ſunt autem libamenta ipſa, quæ cum ſacrificiis offeruntur, id eſt, vinum, panis, & oleum, quæ ſunt acceſſoria, & quia vinum eſt vnum de iſtis, oblatio eius dicitur libatio, vel libare. Dicitur autem per agnos ſingulos, id eſt, quotidie erat offerendus vnus agnus in ſacrificio matutino, & in quolibet horum libabatur quarta pars hin.

F

In Sanctuario Domini. Iſtud eſt determinatio omnium ſuperiorum, ſcilicet, quod holocauſtum iſtud veſpertinum, & libamenta eius tam in vino, quam in ſimila, & oleo fiebant in Sanctuario Domini, ſcilicet, intra atrium tabernaculi in altari holocauſtorum quod erat ad oſtium tabernaculi, vnicum enim altare erat in tota terra Iudæorum, & iſtud erat in Sanctuario, quod vocatur altare holocauſtorum. Siquis autem aliquod alterum altare fabricaret ad immolandum ibi reus

A erat mortis. Et propter hoc quando duæ tribus, & dimidia fabricauerunt altare, nouem tribus, & dimidia existimantes, quod fecissent ad immolandum, conuenerunt ad pugnandũ contra eas, vt delerent illas; donec constitit, quod non fecissent ad immolandum, vt patet Iosue cap. 22. siquis autem extra illud altare immolasset, siue super aliud altare, siue sine altari, reus erat sanguinis, vt patet Leuitic. 17. capit. & ita puniebatur ac si hominem occidisset. Cum autem dicitur: In Sanctuario, non est intelligendum de tabernaculo, sed de atrio, quia intra tabernaculum non poterat stare altare illud, cremaret enim tabernaculum, & inficeret illud fumo, & igne magno. Rationes autem huius positæ sunt Exod. cap. 27. sed erat istud altare in atrio tabernaculi apud ostium, illud autem atrium non erat opertum desuper sed in circuitu, ideo venti, & imbres super altare veniebant, nec tamen extinguebatur ignis ille, etiamsi laberentur flumina super ipsum. de hoc declaratum est Leuit. cap. 6. *Alterumque agnum similiter offeretis ad vesperam.* Id est, etiam offeretis alterum agnum ad solis occasum. Istud vocatur holocaustum vespertinum, incipiebat enim in solis occasu, & durabat vsque ad auroram, quando inchoandum erat sacrificium matutinum, vt patet Leuit. cap. 6. & hoc erat, quia sacerdos, qui faciebat istud holocaustum, diuidebat carnes illius agni in partes paruas iuxta morem omnium holocaustorum, vt patet Leuit. ca. 1. & tota nocte vigilabat apud altare ponẽs succes-|sfrusta carnium, vt tota nocte duraret crematio. In sacrificio autem matutino non fieret sic, sed ponebantur simul omnes carnes, vt cito cremarentur, quia non debebat per totum diem durare sacrificium illud, sed alia sacrificia præter istud fiebant, ideo Leui. cap. 1. vbi ponitur regula generalis de holocaustis dicitur, quod omnia membra animalis diuisa in partes poni debebant super altare simul ad cremandum, & hoc, quia obseruabatur iste modus in omnibus holocaustis præterquam in holocausto vespertino, de quo specialiter dicitur Leui. cap. 6. quod duraret per totam noctem. Sciendum, quod hic cum dicitur: Similiter offeretis, non ponitur, similiter, ad signandum qualitatem, siue similitudinem, sed signatur adiunctio, & ponitur pro etiã. Si enim primo modo acciperetur, esset sensus, quod in vespere immolaretur vnus agnus similiter, vt in mane, id est, sub eisdem ritibus. Sed tunc superfluum esset, quia ponitur immediate iuxta omnem ritum sacrificii matutini. Ideo, similiter, ponitur pro etiam.

Iuxta omnem ritum sacrificii matutini. Id est, tales cæremoniæ seruabuntur in sacrificio vespertino, sicut in matutino, & hoc tam quantum ad conditionem agni immolabilis, quam quãtum ad ritum immolationis. De primo patet, scilicet, quod sicut agnus matutinus erat anniculus, & immaculatus, ita vespertinus. De secundo patet, id est, quod sicut diuidebatur matutinus agnus in frusta, & ponebatur super altare, nec comedebatur quidquam de illo, & offerebantur cum eo libamenta sua, ita & vespertinum. *Et libamenta eius.* Id est, iuxta ritum libamentorum agni matutini, scilicet, quod sicut in agno matutino ponebatur decima pars similæ consperſa oleo habente quartam partem hin, & tantundem de vino habebat, ita in sacrificio vespertino ponebantur eadem libamenta, & æqualis ponderis, & mensuræ. *Oblationem suauissimi odoris.* Id est, iste agnus vespertinus offerebatur in odorem suauissimũ. Hoc autem ad omnia sacrificia pertinet, quia cum offerrentur de nocte ad mandatum Dei, Deus acceptabat illa, & dicebantur esse odoris suauissimi. *Die autem sabbathi.* Hic ponitur secundum, sc. de oblationibus dierum sabbathorum, quę erãt maiores oblationibus quotidianis.

De oblationibus diei sabbathi.

Qvæstio VI.

Considerandũ autem, quod ad sabbathum pertinebant duo, scilicet, oblatio sacrificiorum, & cessatio laborum, quia in die ista vacabant ab omni opere, de ista vacatione qualiter se haberet ad vacationes aliarum festiuitatum habetur Leuitic. vigesimo secundo capitulo. De primo ponitur hic, scilicet, de ritu sacrificiorum, ista duo non poterant Iudæi obseruare in sabbatho nisi quando erant in terra Chanaan, quia ibi erat locus Sanctuarii, in quo poterant sacrificare, cum autem ducebantur captiui in alias regiones, obseruabant sabbathum quantum ad secundum, scilicet, ad vacationem à laboribus, & sic obseruant nunc: sacrificia autem facere nequeunt. D

Offeretis duos agnos. Ista est oblatio sabbathi super oblationem aliorum dierum, scilicet, quod offerrentur duo agni, si autem intelligeretur, quod ponebatur hic totalis oblatio sabbathi nihil differret oblatio sabbathorum à quotidiana oblatione, in qua duo agni erant immolandi, sed ponuntur isti duo agni insuper pertinentes ad oblationem sabbathi specialiter. Erat autem modus, quod in die sabbathi in aurora offerretur agnus anniculus pertinens ad quotidianum sacrificium, & immediate offerrentur duo agni pertinentes ad oblationem sabbathi. Et sic erant in quolibet sabbatho tres agni immolandi in aurora, in vespere autem solum immolabatur vnus agnus in holocaustum vespertinum iuge, & sic erant quatuor agni in sabbatho, & duo solum in diebus profestis. *Anniculos immaculatos.* Id est, isti duo agni, qui specialiter pertinent ad sabbathum erant anniculi, & immaculati. de agnis namque pertinentibus ad iuge sacrificium diei illius non erat dubium, quia iam dictum fuerat, & accipiuntur hic anniculi, & immaculati, vt supra accipiebatur. *Et duas decimas simile.* Id est, duo gomor de farina: habebat enim ephi decem gomor, quæ vocantur decem decimæ, & duæ de his offerebantur, quia cum quolibet agno istorum offerebatur vna decima, & intelligitur hoc de agnis, qui pertinebant specialiter ad sabbathum, nam de libamentis aliorum duorum agnorum, qui offerebantur in sabbatho pro iugi sacrificio supra dictum est. E

Consperſæ oleo. Id est, debet esse ista similia oleo consperſa, id est, commixta, sicut commiscetur farina aqua ad faciendum massam. *In sacrificio.* Id est, debet poni ista similia cum oleo in sacrificio, scilicet cum carnibus animalis. Et erit sensus, quod carnes agnorum sint sacrificium, similia vero oleum, & vinum sint libamenta, & ista offeruntur in sacrificio, id est, cum illo, scilicet, tanquam quædam accessoria, & non dicitur hic de omnibus libamentis, quia non ponitur vinum, erat tamen necessarium in omni holocausto. Etiam quamquam ponatur oleum non ponitur mensura eius: hoc autem, quia debent referri ista ad superiora de sacrificio iugi, scilicet, quod sicut ibi ponuntur determinata libamenta ita, & hic: immo si noluisset Legislator ista scribere sufficisset, quod diceret cum libamentis suis, & non poneretur hic nec sequenti capitulo, aliqua mensura libamentorum, quia iam fuerat tradita mensura ista supra decimoquinto capit. erat enim generale, quod quandocunque offerretur agnus cum eo offerretur decima pars ephi de similа, siue offerretur in hostiam pacificam, siue in holocaustum, & siue pro sacrificio iugi, siue pro sacrificio festorum quandocunque autem offerretur aries debebant offerri duæ decimæ de similа, cum vero offerretur vitulus offerebantur semper tres decimæ. De oleo autem cum agno offerebatur quarta pars hin, & tantundem de oleo, cum ariete autem de oleo tertia pars hin, & tantundem de vino, cum vitulo autem medium mensuræ hin de vino & oleo, vt patet supra capitulo, decimoquinto & istud nunquam debebat variari quomodocunque offerrentur sacrificia, nisi esset sacrificium pro peccato, in quo non recipiebantur libamenta, vt patet prælleg. capitu. ideo non erat hic necesse exprimi quantitatem libamentorum, quia satis constabat ex illo loco: fuit tamen hic expressum de omnibus ad maiorem certitudinem. Alio modo accipitur sacrificium pro libamento, & maxime pro similа, & sic dicitur, quod similа consperſa erit in sacrificio, id est, erit sacrificium, vel libamentum istorum agnorum immolatorum. & iste est sensus verus literæ, & sic accipitur sacrificium semper hic, & sequen. cap. *Et liba, quæ rite funduntur per singula sabbatha.* Hoc potest dupliciter intelligi. Vno modo, quod accipiatur de libamentis, quæ fiebant in duobus agnis pertinentibus specialiter ad sabbathum, & quia fuerat expressum sacrificium, scilicet, ipsi agni, & non exprimebatur quantitas libamentorum, quia non ponebatur ibi vinum, nec exprimebatur quantitas olei, subiũgitur ibi de istis, scil. quod cum illis agnis offerrentur liba, quæ rite funduntur per singula sabbatha, i. ponentur libamenta, quæ solent poni in sacrificio quotidiano, de quib. supra. Alio modo est sensus, quod intelligantur superiora de sacrificio speciali sabbathi, F

scilicet,

A

scilicet, de duobus agnis. Et quia aliquis putaret nihil amplius offerri debere in die sabbathi, dicitur quod etiam offerrentur liba, quæ funduntur per singula sabbatha, id est, quæ offeruntur per singulos dies, scilicet, iuge sacrificium duorum agnorum, quod in nulla die cessare debebat propter oblationes speciales aliorum dierum. Et iste est sensus literæ, vocantur hic liba large, proprie enim libum idem est quod libamentum, vel libamen aut libatio, & non pertinet ad carnes animalium, sed ad farinam, vinum, oleum, thus, & sal. Hic tamē accipitur large pro toto, quod offertur in sacrificio quotidiano. i. pro carnibus cum libamētis. Quod patet, quia intelligitur de sacrificio quotidiano, in quo non solum libamēta, sed etiam carnes. Et dicitur: Quæ rite funduntur, id est ordinarie. Et in hoc significatur sacrificium iuge: sacrificia enim festorū non dicebantur rite fieri, quia non erant quotidiana, illud autem, quod erat quotidianum vocabatur ordinarium, id est, nunquam deficiens. Et dicitur, quæ rite funduntur, id est, ponuntur. fundi enim pertinet proprie ad liquida, sic sunt duo libamenta, scilicet, vinum, & oleum. Hic tamen accipitur large fundi, id est poni, quia siue accipiantur liba pro solis libamentis, siue pro libamentis cum sacrificio non erant omnia liquida, quia simila, quæ erat vnum de libamentis non est liquida. Dicitur etiam per singula sabbatha. i. quotidie, quia sabbathum non accipitur hic pro die sabbathi, sicut accipiebatur supra sed pro omnibus diebus. Accipitur enim sabbathum multipliciter. Vno modo pro die septima, in qua finita est creatio, & quam Deus iussit apud Iudæos obseruari, & isto modo accipitur in principio, cum dicitur de oblatione sabbathi. Alio modo accipitur sabbathum pro quolibet die, & sic computant Iudæi prima sabbathi vsque ad sextam sabbathi, q̄ est dies veneris. Et deinde dicunt sabbathum sine aliqua adiectione. Isto modo computant Euangelistæ, vt patet Mat. 28. c. s. vespere autē sabbathi, quæ successit in prima sabbathi, & Mar. 16. c. dicitur: Vna sabbathorum, & Prima sabbathi, quod idem est. Et isto modo accipitur hic, s. per singula sabbatha, id est per singulos dies. Alio modo accipitur sabbathum p̄ hebdomada, sic habetur Luc. 18. cap. de Pharisęo, qui dixit, ieiuno bis in sabbatho, & decimas do: non poterat autem bis ieiunare in sabbatho si sabbathum esset vna dies. Iste modus vlteri⁹ raro reperitur. *In holocaustum sempiternum.* Id est liba, quæ offeruntur per singula sabbatha in holocaustum sc. quod in quolibet die fiebat sacrificium holocausti mane, & vespere, & istud erat perpetuum.

B *Sabbathū accipitur multipliciter*

Sacrificiū ordinarium.

C

In calendis autem: offeretis holocaustum Domino, & vitulos de armento duos, arietem vnum, agnos anniculos septem immaculatos, & tres decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio per singulos vitulos, & duas decimas similæ oleo cōspersæ per singulos arietes, & decimam decimæ similæ ex oleo in sacrificio per agnos singulos. Holocaustum suauissimi odoris atque incensi est Domino. Libamēta autem vini, quæ per singulas fundenda sunt victimas, ista erunt: media pars hin per singulos vitulos, tertia per arietem, quarta per agnum. Hoc erit holocaustum per omnes menses, qui sibi anno vertente succedunt. Hircus quoque offertur Domino pro peccatis in holocaustum sempiternum cum libamentis suis. Mense autem primo quarta decima die mensis phase Domini erit, & quintadecima die solennitas: septem diebus vescentur azymis: quarum dies prima venerabilis, & sancta: Omne opus seruile non facietis in ea. Offeretis q̄ incensum holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos septem, & sacrificia singulorum ex simila, quæ conspersa sit oleo, tres decimas per singulos vitulos, & duas decimas per arietem, & decimam decimæ per agnos singulos, id est, per septem agnos. Et hircum pro peccato vnum, vt expietur pro vobis, præter holocaustum matutinum, quod semper offeretis. Ita facietis per singulos dies septem dierum in fomitem ignis, & in odorem suauissimum Domino, quia surget de holocausto, & de libationibus singulorum. Dies quoque septimus celeberrimus, & sanctus erit vobis: omne opus seruile non facietis in eo. Dies etiam primitiuorum, quando offeretis nouas fruges Domino expletis hebdomadibus, venerabilis, & sancta erit: omne opus seruile non facietis in ea. Offeretisque holocaustum in odorem suauissimum Domino vitulos de armento duos, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos septem: atque in sacrificiis eorum similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, per arietes duos, per agnos decimam decimæ, qui simul sunt agni septem: Hircum quoque, qui mactatur pro expiatione, præter holocaustum sempiternum, & liba eius. immaculata offeretis omnia cum libationibus suis.

Sacrificium phase.

Exo. 12. Luc. 23

D

Sacrificium primitiuorum.

De sacrificio Calendarum.

Qvæstio VII.

E

IN *Calendis autem.* Hic ponitur tertium. s. de sacrificio calendarum: erat enim dies calendarum magna festiuitas apud Iudæos, & in illa offerebantur sacrificia, quæ habentur hic. *Id est, in mensium exordiis.* Est expositio præcedentis dicti, quia ibi fuerat dictum in calendis: sunt autem calendæ exordia mensium apud Latinos, quando ponuntur simpliciter: fuit tamen hic facta expositio, quia istud nomen non est apud Iudæos, nec aliquid sibi æqualens: sed dicitur hic in nouilunio. Sciēdum autem, quod apud Hebræos, idem est nouilunium, quod apud nos calendæ: non quod sit idem dies, sed quod sicut apud nos incipiunt menses in calendis, ita apud Hebræos incipiunt in nouilunio. sic enim apud antiquos computabatur annus per menses lunares, sed mutatus fuit iste modus, quia ipsi volebant reducere computationem illam ad reuolutionem solis, scilicet, quod per menses lunares computarent totum annum, & acciperent tot lunationes, quot complerent vnam reuolutionem solis. Hoc autem faciebant, quia sol magis certificat per motum suum, & distinguit temporum partes, atque qualitates varias efficit: sed isti, qui computabant per menses lunares cogebantur dare vnum de duobus inconuenientibus, scilicet, vel quod non facerent menses tot in vno anno, sicut in alio, vel quod non facerent eos æquales: nam lunationes duodecim non faciunt annum integrum: si autem darent tot menses in vno anno, sicut in alio esset inconueniens: quia aut darent duodecimo, aut 13. si darent 12. non complebatur circulus solaris, quia deficiebant dies 11. & sic non inciperent anni semper in eodem tempore, vtpote si secundum istam computationem inciperet annus prima die Ianuarij sumptis 12. lunationibus non peruenireturiterum ad primam diem Ianuarii, vt esset circulus solis completus, sed deficerent dies 11. & finiretur annus in 20. die mensis Decembris, & iterum inciperetur ibi annus, & cōputatis 12. lunationibus finiretur annus in nona die mensis Decembris semper subtrahendo dies 11. & hoc modo mutarentur initia annorum. scil. quod nunquam posset incipere vnus annus, vbi alius incœperat. Ex quo magnum inconueniens sequebatur. sc. quod aliquando inciperet annus in medio æstatis, & aliquādo in medio hyemis, vel principio autumni, & sic variaretur per omnia tempora, ita vt nihil certum relinqueretur. Si autem ponerent 13. lunationes in quolibet anno, sequeretur idem inconueniens per additionem, quod fiebat prius per subtractionem. s. annus solaris continet dies 366. in quibus perficitur transitus circuli solis: lunationes autem 13. continent dies 384. & sic superant ad priorem numerum 18. accipiebatur ergo, quod inciperet hoc modo ann⁹ prima die Ianuarii non finiretur in vltima die Decembris, quia solum sunt dies 366. cum die bissextili: sed finiretur annus die 18. Ianuarii, & sequens annus ibi incipiens finiretur die 5. mensis Februarii. sc. addendo 18. dies ad vnum solarem, & isto modo sequitur inconueniens quod prius. scil. quod non sint eadem principia annorum, sed aliquando in hyeme, & aliquando in vere ęstate vel autūno, & sic nesciretur, q. erant menses ptinētes ad hyemē, & qui ad ęstatem: non erat ergo aliquis istorum modorum conueniens. Si autem vellent æquare menses lunares cum circulo solari cogebantur dare lunationes imper-

Quo à principio fere oēs gentes vtebantur annis lunaribus, quæ inconuenientia indesequebātur.

F

A

fectas,vel in quolibet anno. sc. ponendo.13. lunationes & 11. dies tredecimæ lunationis,'& istud erat magnũ inconueniẽs, quia annus non inciperetur cum nouilunio, nec finiretur cũ illo,vel si aliquando inciperetur in nouilunio, tamen non finiretur in eo,& sic nesciretur quota die lunationis annus debebat incipere,vel finire,nisi apud eos,qui diligenter hoc inuestigarent:non fuit ergo iste modus conueniens, ideo quãquam à principio sęculi incœperit ista computatio apud multas gentes, tamen postea per varias emendationes vsque ad tempora Octauiani Imperatoris paulo ante natiuitatẽ Christi peruentum est ad hanc computationem modernam. sc. vt sint menses.12.complentes circulum solarem, & semper incipiat annus in eadem die,nec varietur qualitas temporum in mensibus, sed cognoscatur qui sunt menses pertinentes ad vnum tempus,scilicet ad hyemem, & qui ad æstatem, & qui ad autumnum,& iste est modus conuenientissimus, de quo magis dictum est Exod.capit.duodecimo. Iudæi tamen, sicut à domino instituti sunt ita semper computauerunt annos per menses lunares,& non dant aliquem de modis supra positis, sed faciunt annos inæquales, & incidunt in duo inconuenięntia,quoniam aliquando faciunt annum 12.lunationum,& aliquando 13.

Item est alterum inconueniens,scilicet quod non habent eadem principia annorum. Nam aliquando incipiũt annum ante æquinoctium vernale, & aliquando post illud.s.aliquando circa principium Martii nostri, & aliquando in fine illius. Faciunt tamen istam varietatem inæqualium aũorum, ne cogantur discedere multum à principio anni solaris, & mutẽtur qualitates temporum secundũ menses suos, & hoc semp fuit apud eos. Quod patet,quia Deus iussit,vt in primo mense die 15.celebraretur festum azymorum,vt patet hic, & Leui.c. 23. & tamen tunc erat principium frugum nouarum , vt patet Deuter.ca.16. nam iubebat Deus vt in festiuitate azymorum offerrentur manipuli spicarum, & ante hoc non licebat comedere quidquam de segete.s. nec panes,nec pultes, nec polentam:si tamen computarent annum per lunationes 12. vel 13.vt prius dicebatur: aliquando inciperent aũum in autumno,& aliquando in hyeme, & aliquando in æstate, & sic non essent semper fruges nouæ in primo mense anni. Faciendo autem annos inæquales. s.aliquando per 12. & aliquando per 13.lunationes,erat semper mensis primus eorum in Martio nostro frugesque esse poterant. Sed dicet aliquis, quod poterat seruari iste status temporum alio modo. sc.quod in quolibet anno facerent Iudæi 12. lunationes, & apponerent dies 11. ad complendum circulum solarem.& sic essent anni æquales semper,& inciperent in eadem die, sicut nos semper incipimus.Esset autem secundum computationem eorum dies prima anni semper in æquinoctio vernali, quod est quasi in medio Martij.Respondendum non stare, quia hoc repugnabat legi Iudæorum:diuidebant enim ipsi annum per menses, & in principio cuiuslibet mensis faciebant festiuitatem, sed iubetur,quod ista festiuitas sit in nouilunio,vt patet hic. & Ps. 80.ergo necesse est,vt Iudæi incipiant menses in nouiluniis: si tamen facerent 12. lunationes in quolibet anno apponentes dies 11. non inciperent menses in nouilunio, sed in aliis partibus lunationis:ideo necesse fuit, quod solum haberent Iudæi istum modum,quem habent.sc. quod facerent aliquãdo lunationes 12.& aliquando 13. facientes annos inæquales. Sunt mensium exordia apud Iudæos nouilunia,& non calendæ,quia calendę,quę sunt principia apud nos aliquando sunt cum nouilunio,& aliquando sine illo,ideo cum potuisset litera nostra calendas pro principiis mensium secũdum morem Latinum subdidit.s.in mensiũ exordiis, vt significaretur modus incipiendi Iudæorum in mensibus suis,& cum dicitur in calendis: non est intelligendum de quibuscunque calendis, quia in quolibet mense sunt multæ calendæ,quamquam non sint semper æquales numero,sed intelligitur de illis calendis, quæ vocantur simpliciter calendæ , & istæ sunt in prima die mensis,vbi scriptum est calendas. In aliis autem diebus non scribitur calendas absolute , sed secundo,aut tertio,aut quarto calendas,& sic de cæteris.

Considerandum autem circa originem calendarum apud Latinos,quod calendæ à calendando dicuntur, quod est cõputare,vel vocare. Erat enim mos apud Romanos quod in principiis mensium fierent nundinæ,& vt sciretur apud omnes quot diebus duraturæ essent, ascendebat aliquis turrim, & dicebat calo calo:& quoties istam vocẽ replicabat, tot diebus durabant nundinæ. Postea autem in libris mensium calẽdæ iste descriptæ sunt,& libri illi vocantur calendarii à calendis,quia menses in calendis incipiunt.

B

C

D

An Iudæi potuissent statum temporũ suorum aliter obseruare faciendo.12 lunationes Solutio

Calendarum ordinatio

An fuerit licitum instituí, quod fierent sacrificia noua in exordiis mensium. Et an hoc inducebat Iudæos ad idololatriam.

QVÆSTIO VIII.

QVæret aliquis an liceret in calẽdis, vel in principiis mẽsium sacrificia specialia.i.an cõueniens fuerit, quod institueretur, quod Iudæi facerent festiuitatem, & specialia sacrificia in principiis mensium. Dicet aliquis quod non cõueniebat , quia per hoc inducerentur Iudæi ad idololatriã.s.vt colerent astra cœli. incipiebant namque mẽses in nouilunio, & cum Iudæi tunc facere deberẽt sacrificia specialia, & festiuitatem,viderentur facere propter lunam , quæ tunc nouiter incipiebat lumen recipere à sole in corniculatione sua. Deus tñ nimis cauebat, ne Iudæi inclinarentur ad colendum astra cœli volens eis tollere omnem occasionem ad hoc: vnde iussit,qp multum diligenter attenderent ad pulchritudinem astrorum ne decepti colerent illa,vt patet Deuter.c.4.Caue ne eleuatis oculis in cœlum videas solem, & lunam, & omnia astra cœli,& errore deceptus adores ea,& colas.

E

Item iussit ne timerent Iudæi astra cœli putantes, quod aliquod malum eis inferre possent,vt patet Ierem. c.10.s.iuxta vias gentium nolite discere,& à signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes,quia leges populorum vanæ sunt. Sed iubendo,quod in nouilunio fierent aliqua sacrificia, inclinabãtur Iudæi ad lunam,quia videretur alicui, quod propter lunã fiebant,ideo videtur quod non fuerit conueniens in nouilunio fieri festiuitatem.

Respondendum est,quod non erat aliquod inconueniens nec Iudæi inclinabantur ad colendum lunam per hoc, quia quando iubebatur,quod fierent ista sacrificia non dicebatur de luna,sed de principiis mensium:vnde non intelligebãt Iudæi,quod in respectu ad lunam aliquid fieret, sed in respectu ad initium mensis.s.quod Deus volebat,vt in principio cuiuslibet mensis fieret aliqua soleñitas sibi. Item dato quod dicatur,quod habebatur hic aliquis respect9 ad lunam.s. quod offerebatur sacrificium, quia tunc luna inchoans erat, non sequebatur aliquod inconueniens:quia Iudæi,qui decipi poterant per astra,vt colerent ea,decipiebantur quantum ad hoc, quod erant plura in figura,& lumine suo,& motu,& propter hoc autem dicebat Deus,ne Iudæi eleuarẽt oculos ad cœlos, & videntes solem,& lunam deciperentur, & colerent. In nouilunio tamen ablata erat ista causa,quia in die,quo fiebat ista festiuitas,erat luna in coniunctione, & tunc non apparebat aliquod lumen eius,nec figura,nec motus, sed omnia defecerant,ideo non mouerentur ad colendum eam, quia sola excellentia est,quæ possit hominem decipere in aliquib.reb.faciendo existimare,quod sint dii.Defectus autem nequaquam mouet.Si autem fieret ista festiuitas in plenilunio , quãdo luna est in oppositione,& est tota plena, esset aliqualis occasio: quia cum tunc esset luna maxime fulgida, & secundum suam totam magnitudinem illuminataversus nos posset quisquam errare.De plenilunio tamen nihil dictum est. Sed hoc nõ obstante Iudæi decepti fuerunt circa lunam colẽtes eam vt Deũ, atq; vocantes reginam cœli: offerebantq; placentas mulieres hebreorum,vt patet Iere.44.c.vnde cum essẽt quidã de Iudæis profugi in Aegypto tempore Babylonicæ captiuitatis, esletq; Ierem.cum eis ,'admonuit ne colerent reginam cœli, cui respondẽrũt publice omnes mulieres hebræorum, quod licet Deus iuberet non facerent,sed potius colerent reginam cœli,quia dum eam coluerunt saturabantur panibus, & mala non viderunt,cum autem colere omiserunt, fames & omnia mala inuenerunt illos. Istud tamen non prouenit eis,quia faciebant festiuitatem in principio lunæ nouę,sed quia inclinati erant ad colendum idola,ita etiam coluerunt solem.& 12.signa cœli. & omnia astra,vt patet 4.Reg.23.cap.sed de his nihil iusserat Deus fieri,nec habebant aliquam occasionem ex ritu legis.

F

Iudæi adorauerunt lunam.

Quare

A

Quare voluit Deus in principio mensis magis fieri sacrificia, quam alio tempore.

QVÆSTIO IX.

QVæret aliquis quare Deus iussit magis in nouilunio fieri sibi solennitatem, & sacrificia, quam in aliis temporibus. Respondendum est, quod Deus volebat coli ab Hebræis in ritu sacrificiorum, & ad hoc assignauit eis certa tempora: poterat autem assignare quæcunque voluisset, quia in istis nō multum refert. s. vtrum Deus colatur in isto die, vel in illo: dū tamen sit aliquis dies determinatus ad cultum Dei. Et sicut Deus determinauit fieri sibi cultum in quibusdam aliis diebus specialiter. scil. in omni sabbatho, & in festo azymorum, pentecostes, clangoris, expiationis, & tabernaculorum: ita iussit quod fieret in nouilunio, nec referebat magis tunc fieri, quam in alio tempore. Alio modo responderi potest, quod Deus iussit specialiter fieri sibi sacrificia in nouilunio, & hoc siue propter lunam, siue propter principia mensium. Primo modo dicetur, quod Deus infundit nobis omne bonum tam naturale, quam supernaturale. Bona autem naturalia influit per motum corporum cœlestium. sc. faciendo, vt illa moueantur, & per illorum motum deriuetur in nos aliqua virtus

B

ad conseruationem, & vegetationem naturalem, & quia maxima mutatio in istis naturalib. apparet per cursum lunæ potissimum quantum ad ea, quæ sunt humida, & frigida, & luna renouat cursus suos in nouilunio, voluit, quod ibi fierent sibi sacrificia specialia ad signandum, quod gratias referebāt Deo pro beneficiis susceptis per motum corporum cœlestium. Ista namque licet naturaliter moueantur, tamen sine Dei iussu, & ordinatione non mouerentur, & quantum ad Deum motus eorum non est naturalis, sed pure liber, quia quando ipse vult mouentur, & quando non vult, stant, vt patet de statione solis tempore Iosue quādo pugnauit contra quinq; reges, vt patet Iosue. c. 10. & sic Christus posuit ista tanq̄ beneficia Dei nobis collata ex Dei misericordia, vt patet Mat. c. 5. sc. Estote misericordes, sicut & pater vester cœlestis misericors est. Et postea subditur: Qui facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & peccatores. Vegetatio ergo quæ nobis naturaliter ex motu lunæ confertur, ad Dei beneficium pertinet, & propter illam Deo gratiæ referendæ sunt. Voluit ergo quod in nouilunio, vbi magis istud apparet fieret sibi sacrificium & specialis festiuitas. Aliter potest dici referendo hoc ad principia mensium, scilicet, Deus est dominus temporum, & concedit vobis singula tempora, in quibus viuimus, & ideo in omni tempore eum colere debemus, quia quod non possumus facere specialiter ex aliis humanis occupationibus iussit, vt fieret saltem in principiis ipsorum temporum, & quia quilibet mensis est per se vnum tempus speciale iussit, vt in principio cuiusl-bet mēsis, fieret sibi sacrificium. Considerandum autem, quod quamquam vocetur hic ista solennitas calendarum more Latino: tamen proprie vocatur Neomenia, id est, noua luna, vel defectus lunæ nouiter: à Neos quod est nouum, & mene, quod est defectus, quasi nouus defectus: quia tunc luna deficit, quia cadit sub radiis solis, & est noua. Sic aliquando vocatur in scriptura, vt patet Psalm. 80. s. buccinate in Neomenia. i. die nouę lunæ. Pluries tamen vocantur calendæ, vt patet supra capitu. 10. & 4. Reg. cap. 4. & Isa. ca. 1. Erat autem dies istæ magnæ solennitatis: vnde comparatur aliqualiter sabbatho, vt patet Isa. cap. 1. sc. Neomeniam & sabbathum, & festiuitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri, calendas vestras, & solennitates odiuit anima mea. Et 4. Regum c. 4. dicitur: Quam ob causam vadis ad eum, hodie non sunt calendæ, nec sabbathum: quasi sabbathum, & calendæ essent æqualis solennitatis. Sciendum autem, quod in festiuitate calendarum fiebant sacrificia, vt patet hic, & ad honorem illorum, & ad gaudium solennitatis clangebatur tunc in buccinis argenteis in sanctuario, vt patet supra cap. 10. sc. Si quando habueritis epulum, & dies festos, & calendas, Canetis super holocaustis, & pacificis vestris, vt sint in recordatione Dei vestri. De hoc Psalm. 80. scilic. Buccinate in Neomenia tuba, id est, in die calendarum canetis tubis argenteis. Et sequitur ibidem: Insigni die solennitatis vestræ. i. iste dies est magnæ solennitatis apud vos. *Offeretis holocaustum domino.* Id est, in die ista offeretis speciale holocaustū. s. omnia animalia, quæ infra habentur. *Vitulos de armento duos.* Hic iubetur fieri de omnibus specieb. animalium immolaticorum. s. quadrupedum, præter quam de hircis, & ponuntur tria genera. s. agni, arietes, & boues. De bobus ponebantur duo, vt patet infra. Si autem aliquis dicat quare ponebantur tot non potest reddi causa de numero, sed sola voluntas legislatoris est causa. Sciēdum autem, quod isti boues, de quib. hic dicitur non erant boues castrati, quales nos boues appellamus, sed tauri, vel vituli non castrati: nam Iudæis non licebat castrare aliqua animalia, ideo nec boues ad arandum castrabant, sed per assuetudinem fiebāt domiti: sic patet Leui. c. 22. s. omne animal quod vel contritis, vel tonsis, vel sectis, ablatisque testiculis est non offeretis domino, & in terra vestra hæc omnino non facietis. Sciendum autem, quod cum iubentur offerri omnia ista animalia, quamquam non exprimatur de quolibet, quod esset mundum, & immaculatum: tamen intelligendum est. *Arietem vnum.* Id est offeretis vnum arietem in holocaustum. Ritus autem offerendi omnia ista animalia, quantum ad immolationem, & crematione idem erat cum omnia essent holocausta. De quo Leui. cap. 1. solum autem differebant libamenta eorum, vt patet infra. Sciēdum quod de bobus, & arietibus non dicitur quantæ ætatis essent, sicut dicitur de agnis, quod essent anniculi. Causa est, quia de ariete determinatum erat. Non enim vocabatur aries, nisi excederet annum, & vsque ad illud tempus vocabatur agnus anniculus. Cum vero excessisset annum non referebat quot annorum esset, sed cuiuscunque ętatis offerri poterat. De bobus autem non ponitur certa ætas, quia siue essent infra annum, siue supra, poterant offerri, dum tamen essent ad minus octo dierum, quia ante illum diem nullum animal offerri poterat, vt patet Leui. 22. Bos, ouis, & capra cum genita fuerint. 7. diebus erunt sub vbere matris suæ: die autem octauo, & deinceps offerri poterunt domino. *Agnos anniculos septem.* Hic ponitur ætas, quia agni, & arietes non differunt, nisi per ætatem, ideo cum agitur de agnis, oportet assignari ætatem. *Immaculatos.* Non solum refertur ad agnos, sed etiam ad boues, & arietem, quæ autē sint maculæ quæ impediebant supra declaratum est. *Et tres decimas similæ.* Hic ponuntur libamenta istorum sacrificiorum, quia vt patet supra ca. 15. nunquam poterat offerri aliqua hostia pacifica, vel holocaustum sine libamento. Et ponuntur primo libamenta bouis. Erāt autem inæqualia ista libamenta, sicut animalia inæqualia sunt. Nam pro vitulo tres decimæ offerebantur de simila: pro ariete duæ, & pro agno vna. Dicunt autem aliqui, quod ideo erat distinctio numeri decimarum farinæ, quia erat distinctio ętatis. scil. quod vitulus erat trium annorum, & aries duorum, & agnus vnius. Sed non stat, quia nullus vitulus est trium annorum: tunc enim bos vel taurus appellatur, & tamen semper iubetur, quod offerantur tres decimæ cum vitulo. Item quia tunc si aliquando aries offerretur quatuor annorum, deberent dari cum eo quatuor decimæ similæ, sed falsum est, quia solum iubebantur dari duæ decimæ, vt patet hic, & sequent. cap. & supra cap. 15. Item non stat, quia aries & vitulus non offerebantur semper eiusdem ætatis, sed aliquando maioris ætatis, & aliquando minoris: semper tamen lex iubebat offerri duas decimas, cum ariete, & tres cum vitulo, ergo non fiebat hoc propter ætatem. Sed dicendum. quod fiebat propter maioritatem victimæ, & quia vitulus semper est maior ariete etiamsi sit minoris ætatis, & aries maior est agno, iussum est, vt offerrentur omnia libamēta maiora cum vitulo, quam cum ariete, & maiora cum ariete, quam cum agno. *Similæ oleo conspersæ.* Id est, istæ tres decimæ debent esse conspersæ oleo. Quantitas autem olei ad conspergendum habetur infra, scilicet, medietas hin. Conspersio autem ista erat, quia totum istud oleum funderetur super similam, & commiscereturquasi redacta in pastam, sicut farina commiscetur aqua ad faciendum massam.

D

Sacrificia offerēda in die calē darum.

Libamēta sacrificiorū prædictorū

E

F

An tres decimæ miscerentur simul vel non.

QVÆSTIO X.

QVæret aliquis de istis tribus decimis, an simul cōmiscerētur, vel q̄libet decima p̄ se. Respondēdū est, q̄ cuilibet

C

anima-

animali correſpondebat vnitas libamentorum. Si autem iſtæ tres decimæ conſpergerentur per ſe. ſ. quod quælibet decima conſpergeretur, quarta hin de oleo erant tria libamenta, & de quolibet eorum aſſumeretur vnus pugillus ad cremādum in altari. Nam Leuit. c. 2. dicitur, quod qñ offerretur ſimila conſperſa, tolleretur vnus pugillus de ea, & cremaretur ſuper altare, reliquum vero cederet ſacerdotibus. Si autem quælibet iſtarum trium decimarum per ſe commiſceretur, oportebat de qualibet earum aſſumi vnum pugillum ad cremādum ſuper altare: alioquin aliqua ſimila eſſet, de qua nihil cremaretur, & illa non pertineret ad ſacrificium; poſſent quoq; ſacerdotes illam comedere fermentatam, quia non erat pars ſimilę totius oblatę, de qua aliquid fuiſſet crematum. Sed hoc falſum eſt, vt patet Leui. c. 6. oportebat ergo, vt de qualibet illarum decimarum ſumeretur vnus pugillus ad cremandum ſuper altare, & ſic eiuſdem ſacrificii eſſet triplicia libamenta, ꝙ falſum eſt. Dicendum igitur, quod illæ tres decimæ, quæ erāt pro quolibet vitulo commiſcebantur, per ſe, ita quod ſup eas ſimul funderetur de oleo medietas hin, & portaretur ad altare, atq; inde ſolum acciperetur vnus pugillus ad cremandum. Reliquum autem cederet ſacerdotibus: nam in ſimila lex iſta erat, quod ſiue multa, ſiue modica eſſet, ſolum acciperetur de ea pugillus vnus.

An omnia libamenta trium animalium deberent ſimul miſceri, vel non.

Qvæstio XI.

Qværetur amplius cum omnia iſta animalia, quæ hic offerri iubentur pertineant ad diem eundem, an libamenta ipſorum omnium deberent miſceri & perfundi oleo toto, ꝙ debebatur omnibus ſimul: verbi gratia erant duo vituli vnus aries & ſeptem agni, vt hic patet, & cuilibet reſpondebat determinata pars de ſimila, oleo, & vino: an ſimila debita omnibus coniungeretur, & oleum debitum pro omnibus ſimul funderetur ſuper illam, ita vt fieret vna paſta magna.

Reſpondendum eſt, quod non poterat talis fieri commixtio, quia cuilibet ſacrificio debebat correſpondere ſuum libamentum, ſed ſacrificia erāt hic diſtincta, cum eſſent diuerſorum animalium, & diuerſarum ſpecierum, ergo non poterant eſſe libamenta eadem. Item patet, quia hic erant ſacrificia diuerſorum generum. ſ. holocauſta, & hoſtiæ pacificæ, & etiam pro peccato: ſed vltimis non debebatur libamentum. De primis autem manifeſtum eſt, quod non offerebantur ſimul, quia holocauſta pertinebant ad vnum genus, & pacificæ hoſtiæ ad alterum: ſed in pacificis non eſt idem ritus, ideo primo fiebant omnia holocauſta, deinde omnes hoſtiæ pacificę. Dico autem hoc de aliis feſtiuitatibus, quæ infra habentur generaliter: nam in feſto calendarum non offerebantur hoſtiæ pacificæ, ſed ſolum holocauſtum, & pro peccato: ſi tamen fieret commixtio omnium partium farinæ, & totum oleum ſimul funderetur ſuper farina, non eſſet libamentum, niſi ꝙ vno genere ſacrificiorum, quia de vnica commixtione ſolum accipiebatur vnus pugillus, ſiue ergo pro pacificis, ſiue pro holocauſtis acciperetur, neceſſe erat, vt vnum genus ſacrificiorum maneret, ſine libamentis, quod falſum eſt: quia nunquam iſta ſine libamentis offerebantur, vt patet ſupra c. 15. Itē patet hoc in animalibus pertinentibus ad holocauſtum ſolū, erant enim multa, & diuerſarum ſpecierum, atque indigebāt ſingula eorum libamentis, ſed non offerebantur iſta ſimul, quia non ponebantur carnes omnium iſtorum animalium ſimul ſuper altare, ſed prius cremabātur carnes vnius animalis, deinde alterius. Ergo cum quolibet ſuus pugillus libamētorum fundendus erat. Sed non poteſt hoc ſtare, niſi fieret diuerſa mixtio, ergo neceſſe erat diuerſas partes ſimilæ per ſe commiſceri, & illis diſtincte oleum fundi, & de qualibet vnū pugillum accipi.

Dicendum igitur generaliter pro iſtis ſacrificiis, & omniū aliarum feſtiuitatum, quod cum erant diuerſa animalia immolanda, ſiue pertinerent ad diuerſa genera ſacrificiorum, vt ad holocauſtum, & hoſtiam pacificam, ſicut in aliis feſtiuitatibus quæ infra habentur, ſi eſſet vnicum genus. ſ. holocauſtorum fiebat in calendis, & ſabbathis pro quolibet animali debebat fieri ſua conſperſio ſimilæ cum aliis libamentis, vt cum hic eſſent duo vituli, ſeptem agni, & vnus aries, fierēt nouem conſperſiones iuxta nouem animalia, & tunc cremabātur iſta animalia diuiſim, & cum quolibet ponebatur vnus pugillus de libamento ſuo. Reliquum autem ſacerdotibus cedebat. Differt tamen, quia non erat facienda diuiſio in libamētis ad æqualitatem, ſed cuidam animali correſpondebant tres decimæ. ſ. vitulo, & alteri correſpondebat vna. ſ. agno, & tamen ꝙ agno erat vna conſperſio, & pro vitulo erat etiam vnica, quāquam poſſet diuidi libamentum illius in tria libaměta æqualia libamento agni, quia tamen ſacrificium erat vnicum competebat ei vnicum libamentum, & ſic fiebat de ſingulis ſiue magna, ſiue parua haberent libamenta. Reliquę autem partes libamentorum ſacerdotibus cedebant, vt patet Leuit. cap. 2. & 6. *In ſacrificio per ſingulos vitulos.* Id eſt, cum quolibet vitulo offerrentur tres decimæ de ſimila conſperſa oleo. Et dicitur in ſacrificio, quod poteſt accipi dupliciter: vno modo pro carnibus animalis. ſ. quod cum illis offerrentur tres decimæ ſimilæ, & hoc erat in ſacrificio offerri, id eſt, cum ſacrificio. Alio modo accipi poteſt ſacrificium pro oblatione, quæ erat de aridis, ſcil. pro ſimila: nam ſacrificium de carnibus proprie vocatur victima, vel hoſtia: & iſtud nomen nulli alteri competit: ſacrificium autem eſt generale, & etiam accipitur pro oblatione panis, ſic patet ſupra cap. decimoquinto. vbi ſimila vocatur ſacrificium. Sic etiam Leuit. ca. 2. & ſic accipitur hic, & ſeq. ca. ideo idem eſt dici, quod erunt tres decimæ per ſingulos vitulos in ſacrificio, id eſt, pro libamētis ipſorum. *Et duas decimas ſimilæ.* Iſta eſt menſura libaměti pro ariete, & quia erat minus animal offerebantur duæ decimæ, cum pro quolibet vitulo offerrentur tres. *Conſperſæ oleo.* Id eſt, duæ decimæ debebant perfundi oleo. De quantitate autem huius infra habetur. *Per ſingulos arietes.* Solum erat hic vnus aries, & tamen dicitur per ſingulos arietes, vt ponatur regula generalis, quia non ſolum in iſto ariete, ſed etiam in omnibus aliis, qui offerrentur, debebat hoc obſeruari ſiue in holocauſto, ſiue in victima pacifica, nec variabantur vnquam libamēta: ita vt magis offerri liceret. *Et decimam partem decimæ.* Hic ponitur libamentum pro agnis, & dicitur quod decima decimæ offerretur in agno. Eſt autem decima decimæ pars centeſima: ideo ſi accipiatur decima iſta reſpectu ephi dicetur decima decimæ, id eſt, centeſima pars ephi, & tunc erit valde paruum libamentum agnorum, ideo non eſt accipienda iſta decima decimæ in eodem genere menſuræ, in quo accipiuntur aliæ decimæ. Si enim in vitulo tres decimæ ponuntur in agno autem decima decimæ: ergo trigeſies tantum ponitur in vitulo, vt in agno, & ſi in ariete duæ decimæ ponuntur, & in agno decimæ vigecuplum libamentum erit arietis ad libamentum agni, ſed in vitulo ſolum eſt libamentum triplum ad libamentum agni, & in ariete eſt libamentum duplum, ergo non accipietur decima in eodem genere, ſcilicet pro decima ephi. Antecedens patet, quia ſupra dicitur in agnis anniculis iugis ſacrificii, quod offerretur cum quolibet vna decima ephi conſperſa oleo de ſimila. idem patet ſupra capitul. 15. vbi in agno iubetur poni vna decima, & in ariete duæ, & in boue tres. Item ſi tantum differrent libamenta boum, arietum, & agnorum in ſimila, proportionaliter differrent in oleo, & vino. Quod patet, quia oleum erat ad conſpergendum ſimilam, ergo ſicut ſimila eſſet maioris, vel minoris quantitatis ita deberet oleum proportionaliter menſurari, alioquin in aliquo ſacrificio eſſet parum de oleo ad conſpergendum: in alio autem eſſet ſuperfluum, quod non ſtat, & tamen libamenta iſtorum in oleo, & vino ponuntur in hac habitudine quaſi vnum, duo, tria, ſcilic. quarta pars, tertia pars, & medietas. Ergo ſimila, quæ offerebatur cum agno, non erat decima decimæ reſpectu ephi.

Sed dicendum, quod accipitur decima dupliciter, ſcilicet pro decima cori, vel pro decima ephi. Eſt autem ephi decima pars cori: ideo quando accipitur decima pars in coro, accipitur vnum ephi, & quando accipitur decima pars ephi eſt centeſima pars cori, & vocatur decima decimæ. Sic etiam accipitur hic, quod in agno ponatur decima decimæ, ſcilicet centeſima pars cori, & illa eſt decima ephi: ſi enim decimæ, quę ponuntur in vitulo, & ariete, & decima decimæ, quæ ponitur in agno eſſent reſpectu ephi: tūc trigeſies tantum in vitulo, quā in agno poneretur, ſed decimæ tres in vitulo, & duæ in ariete ſunt decimæ reſpectu ephi. Decima decimæ agni eſt reſpectu co-

Sacrificia duo pōt notare.

Libamēta pro agnis.

A

ctu cori, ideo tantum valet vna decima, quantum decima decimæ, & sic solum triplum de simila ponitur in vitulo, quam in agno, & solum duplum in ariete, quam in agno.

Consperſa ex oleo. Id est, ista decima ephi pro quolibet agno conspergetur oleo, sicut conspergebantur decimæ in aliis sacrificiis. Mensura autem sua infra habetur. *In sacrificio per singulos agnos.* Id est, cum quolibet agno debet poni vna decima similæ cum oleo, & ista est sacrificium, id est libamentum suũ. Dicitur autem per singulos agnos, quia septem sunt.

Holocauſtum ſuauiſſimi odoris, atque incenſi eſt domino. Id est, ista animalia oblata, cum suis libamentis sunt holocaustum domino, id est, Deus acceptat illa tanquam holocaustum suauissimum, & incensum. Quomodo autem sit odor suauissimus iste domino supra declaratum est: dicitur etiam holocaustum incensi, id est holocaustum, quod incenditur, quia non potest accipi hic pro thure. *Libamenta autem vini.* Hic determinatur quantitas duorum libamentorum, scilicet vini, & olei: supra enim non facta fuit mentio aliqua de vino. De oleo autem fuit aliqua, sed non determinata fuit mensura. Hic autem ponitur mensura vini, & per illam intelligitur mẽsura olei, quia semper ista sunt æqualia, vt patet supra in litera. & supra 15. capit. Fuit tamen supra mentio facta de oleo, & non de vino, quia oleum fundebatur super similam ad conspergendum ipsam. De vino autẽ nihil fundebatur ibi, sed super carnes cremandas. *Quæ per ſingulas fundenda ſunt victimas.* Id est, quælibet victima debet habere suum libamentum vini, quod super illam funditur.

B

An vinum pertinebat ad libamẽta eſſet aqua mixtũ vel purum.

Animalia cremanda perfundebantur vino puro & non limphato.

Ex quo patet, quod quando cadauera istorum animalium diuidebantur in frusta ad cremandum super altare, perfundebantur vino, & hoc est fundi per singulas victimas, & sicut oleum habet se ad similam, ita vinum ad carnes. Iudæi volunt, quod istud vinum esset mixtum aqua, sed non videtur ex textu: imo magis contrarium: nam si posset aqua permisceri, & tamen esset in illa mensura, non diceretur quod haberetur tantum vel tãtum de vino, quia pars illius quædam aqua erat: potissimum, quia vinum temperatur aqua, quando in potum assumitur. Hic autem solum erat ad perfundendum carnes. Item non est verisimile poni ibi aquam, quia tunc aqua esset libamentum. Deus autem tradens hic regulam completam de libamentis expressisset de aqua: nihil tamen expressit, nec vellet. Si dicas, quod intelligebatur, quia Iudæi non poterant aliquo modo declinare à tenore legis, siue excedendo, siue deficiendo: nam addere etiam in rebus bonis non permittebatur eis, vt patet Deuteron. capit. 12. scilicet quod præcipio tibi hoc tantum facito domino, nec addas quidquam, nec minuas. *Media pars hin per ſingulos vitulos.* Id est in quolibet vitulo fundetur medietas hin de vino. Est enim hin mensura liquidorum, quæ in sex partes diuiditur, quarum quælibet sextarius dicitur, & cum iubetur poni medietatem hin in vitulo ponuntur tres sextarii. In ariete autem duo sextarii, quia isti sunt tertia pars hin, in agno autem ponitur sextarius, & dimidius, quia tanta est quarta pars hin. Aliqui autem errãt circa assignationem huius mensuræ existimantes diuidi hin in quatuor mensuras, quarum quælibet vocetur quarta illius, & hoc quia supra dicebatur per singulos agnos debere fundi quartam partem hin volentes in hoc dicere, sicut de ephi, quod per decem mensuras diuiditur, & quælibet illarum vocatur decima ephi, sed falsum est, quia etiam hoc modo dicent hin diuidi in tres mensuras æquales quarum quælibet vocetur tertia hin, quia iubetur, quod in quolibet ariete ponatur de vino, & de oleo tertia pars hin: non ergo stat. Sed dicendum est, vt primo fuit dictum diuidi hin per sextarios. *Tertia per arietem, quarta per agnum.* Id est tertia pars hin de vino, & de oleo ponetur pro quolibet ariete, scilicet duo sextarii, quia duo sextarii sunt tertia pars sex sextariorum. In quolibet autem agnorum ponitur quarta pars hin, id est sextarius, & dimidius, qui facit quartam sex sextariorum. *Hoc erit holocauſtum per omnes menſes.* Id est, ista animalia supra posita cum libamentis suis offerentur in holocaustum per omnes menses, id est, per principia omnium mẽsium. Nam solum in prima die mensis istud fiebat, vt supra dictum est.

Hin mẽſura q̃dam.

C

Qui ſibi anno vertente ſuccedunt. Id est, menses succedunt sibiipsis, quia vno finito incipit alius, & hoc anno vertente, id est circulariter moto. Annus enim vbi incipit, ibi desinit, q̃ ad circulum pertinet, & quia nos per anni magnitudinẽ mouemur, annus verti dicitur, non tamen vertitur, quia tempus est, quod non est motus, nec in motu. Sed quia tempus fit per motum circulorum cœlestiũ, scilicet annus fit per hoc, quia sol decurrit suũ circulum perfecte redeundo à puncto in pũctum, annus moueri videtur. Sic enim Philosophus dicit 4. Phy. omnia in circulo esse, id est, tempus esse per circulum, & in circulo.

D

An illa holocauſta debebant fieri etiam in menſe 13. quando accidebat.

QVÆSTIO XII.

QVæret aliquis, quia dicitur hic, quod in omnibus mensibus deberent fieri ista holocausta, an quãdo esset mẽsis 13. fierent sicut in anno mensium 12. In quo præsupponẽdum est, quod supra declarabatur de anno lunari, quem Iudei sequuntur, scil. quod aliquando faciunt menses 12. & aliquando. 13. quod autem fiant. 12. est regulare: ideo de quolibet istorum non dubitabatur, quod in principio eius offerrẽtur holocausta calendarum, quæ habentur hic: cum tamen essent. 13. menses, quia vltimus videbatur irregularis, ibi apparebat dubium.

Respondendum est, quod siue annus apud Iudæos esset. 12 siue. 13. mẽsium in quolibet eorum debebat offerri holocaustum, quod hic iubetur: alioquin transiret aliqua lunatio sine sacrificio, quod falsum est, quia Iudæi omnes Neomenias celebrabant, cum essent magnæ festiuitates apud eos, vt patet Psal. 80. & supr. declaratum est. Potissimum quia supra ca. 10. dicitur, quod si quando Iudæi haberent calendas, clangerent buccinis super sacrificia, ergo in omnib. calendis festiuitas erat: alioquin transirent calendæ aliquæ sine sacrificiis. Itẽ non stat ratio dubitandi de mense magis quam de aliis, quia non est magis irregularis: nobis enim qui sequimur annum solarem per 12. menses semper diuisum irregulare videretur si interdum esset mensium. 13. sequentibus tamen annum lunarẽ non est magis irregulare esse annum mensium. 13. quam. 12. cũ necesse sit aliquando sic, & aliquando aliter fieri, vt annus solaris non multum elongetur à lunari quantum ad principia sua, & fines, ideo in isto mense sicut in cæteris debebat fieri. Aben Ezra autem tenet contrarium. s. quod solum in primo mense anni fieret, qui vocatur apud eos Nisan. Sed falsum est cum litera dicat per omnes menses, sed forte aliquis respondebit, quod dicebatur fieri per omnes menses, quia in mense primo fiebat pro se & pro omnibus aliis mensibus, sed ista responsio multum est distorta, & tamen adhuc nequaquam stat, quia necesse est saltẽ in mense. 7. nam sequenti c. dicitur, quod in prima die mensis. 7. fierent holocausta pro festiuitate clangoris, & pręter hoc adhuc fieret sacrificium calendarũ: ergo necesse erat ibi celebrari calendas, & sicut ibi fiebat, ita in omnib. aliis mensib. fieri debebat, cum iubeatur de omnibus, & non sit maior ratio de vno quam de alio. *Hircus quoque offeretur domino pro peccatis.* Hic ponitur alterum sacrificium. s. pro peccato, quod fiebat ad expiationem, & offerebatur hircus: nam quamquam hircus conueniret holocaustis, vt patet Leuit. c. 1. & hostiis pacificis, vt patet Leuit. c. 3. & supra c. 7. tamen rarissime ponebatur, nisi in hostiis pro peccato. His autem maxime conueniebat. Causa huius declarata est Leui. c. 4. ideo raro in pacificis ponitur: rarius tamen & quasi nunquã ponitur in holocaustis.

E

F

O. Abẽ Ezra.

An ſacrificium pro peccato, quod fit in Neomeniis, fieret ſecundum Iudæos pro peccato Dei, quia diminuit lumen lunæ à luce ſolis.

QVÆSTIO XIII.

QVæret aliquis ad quid fiebat istud sacrificium pro peccato. Iudęi respondent quod Deus peccauit, & pro peccato suo offertur sacrificium. Magna enim cæcitate isti insipientissimi caligant, ita vt Deum peccasse dicere non erubescant. Vnde in quadam distinctione Talmud Iudæorum dicitur, quod Deus mandauit offerri hircum calẽdarum pro peccato quod ipse egit. Dicunt autem, q̃ conditerat Deus solem, & lunam inęquali splendore, & luna dixit Deo: nunquid vnus

A rex debet habere duas coronas æquales? quasi volens, quod sol minueretur,& ipsa esset maior, ideo Deus minuit eam ab æqualitate solis,& fecit quod sol eam minueret per singulos menses eam obscurans in cõiunctione, postea vero pœnituit eum,quod fecisset huiuscemodi:ideo iussit, quod ad emẽdationem huius mali in die quo luna nobis totaliter deficiebat, continue fieret ista expiatio. Ista enim ita sunt absurda,vt nequaq̃ ad illa quid quam argui liceat: nam nec nomine fabularum digna sunt Poeticæ enim fabulæ magis compactæ sunt: nam quamquam non sint de rebus veris,nec verisimilibus,vt ait Tullius in primo Rhetoricæ nouæ:tamen si fuissent,illum ordinem haberent:istud autem nequaquam sic est.Postremo autem turpissimi,& bestialissimi Iudęi.& ipsa ruditate rudiores sunt putantes se quolibet adhuc mense Dei peccatum expiare. Si enim semel expiatum esset non oporteret quolibet mense expiari. Rabbi Abraham Francus giossat istam fabulã, dicens,quod æqualitas lunæ & solis in lumine est æqualitas influentiæ,ita quod luna humectat, & res humidas crescere facit:sol autem calefacit,& desiccat,& factum est à Deo,quod sol prævaleret. Sed ista nihil ad propositum fabulæ de locutione lunæ,& de peccato Dei,&expiatione illius in principio cuiuslibet mensis. Tanta enim absurditate ista plena sunt,vt nequaquam ad aliquem sensum conuenientem trahi possint.

B Respõdendum igitur, quod istud sacrificium fiebat pro peccato ad expiandum,semper enim erãt aliqua peccata, quæ expiari possent in Israel,siue in personis priuatis, siue in toto populo:ideo conueniens erat in illis accipi sacrificium expiatiuum.Sic quoq; fiebat in omnib.aliis festiuitatibus magnis,vt patet infra in litera,& sequenti cap.

Pro cuius peccato fiebat sacrificium Calendarum.

Qvæstio XIV.

Qværet aliquis pro cui⁹ peccato fiebat istud sacrificium. An pro peccato totius populi,vel alicuius de populo, vel sacerdotum. Ista enim omnia ad sacrificium pro peccato pertinebant.Respõdendum est, quod fiebat pro peccato totius populi:nam qñcunque pro aliqua persona fiebat sacrificium pro peccato eius, oportebat quod peccatum illud esset determinatum,vt patet Leui.ca.4.& 5. Hic autẽ non erat aliquid determinatum. Item ille pro cuius peccato offerebatur sacrificium,dabat ipsum animal, quod immolabatur, sed hic dabatur animal de sumptib. sanctuarii, cum omnia ista essent sacrificia necessitatis instituta à lege, ergo non pertinebat ad aliquam personam priuatam. Item si pro aliquo priuato fieret,non contingeret esse necessarium quolibet mense offerri,sed aliquando conueniret, & aliquando nequaquam. Sed necesse est dici, quod offerretur istud sacrificium pro aliquo

C genere personarum,quæ semper manerent, cum istud sacrificium calendarum perpetuum esse debebat.Non tamen potest dici,quod offerebatur pro omnibus sacerdotibus,vel Leuitis,quia tunc stat eadem ratio,quæ de aliis.s.quia de expensis eorum hoc fieret,sed fiebat de expensis sanctuarii, ergo non erat pro eis specialiter. Dicendum est autem quod istud sacrificium fiebat pro peccato totius populi,quia semper populus habebat aliqua peccata,quæ expiari possent. & conueniebat hoc,quia sacrificia ista fiebant de expensis publicis.sc. de expensis sanctuarii, quæ dabantur à tota cõitate, vt supra declaratum est:ideo toti communitati prodesse debebant. Item communitas Iudæorum durabat semper, sicut sacrificiũ istud fiebat per omnes generationes. Sic autem de omnibus aliis sacrificiis,quæ fiebant in cæteris festiuitatibus. Dicendũ est.quod non solum de his,sed etiam de sacrificiis pacificis & holocaustis,quamquam enim ista non offerantur ad expiationem,tamen fiebant nomine cõitatis, & Deus acceptabat ea pro tota cõitate. De sacrificiis autem istis pro peccato qualiter proficerent ad expiationem peccati, an quantum ad culpam,vel quantum ad pœnam,& si quantum ad pœnam, quid de pœna tollerent declaratum fuit Leu.c.1.& 4.

D

Pro quo peccato populi offerebatur sacrificium Neomeniæ.

Qvæstio XV.

Qværetur amplius pro quo peccato populi offerebatur istud sacrificium,quod dicitur pro peccato.Respondẽdum est,quod quidam voluerunt offerri ad expiationem sceleris,q̃ cõmiserunt fratres Ioseph vendendo ipsũ.Alii autem voluerunt,quod offerretur pro peccato adorationis vituli in deserto.Primum satis est friuolum:nam frustra videbatur expiari peccatum,quia iam à multis temporib.deletum esset. Secundum etiam non multum agit,quia peccatum illud nõ fuit remissum per sacrificia, sed per occisionem noxiorum: nam 23.millia virorum gladio perierunt.s.quotquot Moyses reperit noxios in scelere,vt patet Exo.c.32.etiam Deus postea puniuit istud delictum immittendo pestem, vel aliam plagam super populum,vt patet prælle.c.s.ego autem in die vltionis visitabo,& hoc peccatum eorum. Et sequitur:percussit ergo dñs populum pro reatu vituli,quem fecit Aaron. Non igitur expiabatur nunc per sacrificia.

Item & fortius nunquam poterat aliquod peccatum expiari per sacrificia,si esset contra aliquod de præceptis decalogi,vel contra aliquod iudiciale mandatum,sed solum quãdo erat contra præcepta cæremonialia in omissione alicuius cæremoniæ,vel in transgressione illius.Pro aliis autem dabãtur aliæ pœnæ,vt probatum est supra 15.&Leu.c.5.erant tamẽ ista duo peccata.s.in vitulo,&in venditione Ioseph cõtra duas tabulas decalogi,ergo non erant expianda per sacrificia. Dicendum igitur,quod istud erat populi peccatum, & non erat aliquod peccatum speciale,sed peccatũ indeterminate.Quod patet,quia istud sacrificium fieri debebat quolibet mense,tamen non contingeret,quod quolibet mẽse esset aliquod peccatum speciale populi,pro quo offerri deberet. Itẽ si aliquod peccatum esset speciale non debebat offerri hircus, sed vitulus,vt patet Leuit.c.4. vel saltem non offerretur solus hircus, sed vitulus cum hirco,in quo fierent cæremoniæ, quæ habẽtur Leui.c.4.ideo non erat pro aliquo peccato determinato, sed pro peccatis indistincte , & illa semper erant in populo, quia homo dum viuit nunquam plene mundus est, quia etiam ipsi, qui mundi vocantur, non sunt totaliter mundi, sed indigent,vt pedes lauent:sic dixit Christus Ioan.13.capitu.scilicet.Vos autem mundi estis,qui vero mundus est, non indiget,nisi vt pedes lauet,& est mundus totus, ideo semper indiget homo expiatione aliqua,& cum hoc sit in quolibet homine,maxime est in communitate in qua multi sunt, & necesse est aliquos esse imperfectos. Arguet aliquis quod fieri potest istud sacrificium pro aliquibus peccatis determinatis, sicut fiebat sacrificium in die expiationis,quando summus sacerdos confitebatur omnia peccata populi super caput hirci Leui.c.16. Respondendum est illud esse speciale in sacrificio diei expiationis,in quo iubebat Deus,quod sacerdos confiteretur omnia peccata populi.In nullo autem tempore hoc fiebat,ideo poterat ibi fieri sacrificium pro omnibus peccatis illis,& pro cæteris,quæ sacerdos non confitebatur. Hic autem non fiebat confessio alicuius peccati,ideo non poterat, vel saltem non contingeret in quolibet mense fieri sacrificium pro aliquibus determinatis peccatis populi, sed fiebat in generali.Idem mod⁹ erat circa omnia alia sacrificia pro peccato,quæ fiebant in aliis festiuitatibus,de quibus infra.

E

Ref. Authorũ.

F

Iura sacrificiorum Calendarum cui proueniebant.

Qvæstio XVI.

Qværetur amplius de iuribus istorum sacrificiorum, cui prouenirent:nam ista animalia non penitus cremabãtur,quia saltem pellis non cremabatur in sacrificiis , quæ habentur hic.

Respondendum est, quod hic erant duplicia sacrificia, scilicet holocausta, & hostia pro peccato. De primis nullum ius erat cuiquam,nisi pellis, quia omnes carnes cum capite pedibus,& intestinis cremabantur,vt patet Leui.c.1.pellis autem sacerdotib.proueniebat nõ omnib.sed illi solum qui faciebat

holocau-

holocaustum, vt patet Leuit.c.6. In hostia autem pro peccato, quæ hic offerebatur, secus erat. Duplex autem erat hostia pro peccato, quia aliquando de sanguine illius offerebatur intra sanctuariũ, & aliquando non. Primo modo cremabatur totũ animal cum pelle & fimo, & cornibus, vt patet Leuit.ca. 6. & de isto non poterant habere sacerdotes aliqua iura. Alio modo cum non inferretur sanguis intra sanctuarium proueniebant sacerdotibus iura, scil. pellis, & omnes carnes solis adipibus crematis super altare effuso sanguine ad expiandum, vt patet Leuit. cap. 6. hic autem non fiebat primo modo sacrificium pro peccato, quia nunquã inferebatur de sanguine intra sanctuarium, nisi in die expiationis, Leuit.cap. 16. vel quando offerebatur vitulus pro peccato summi sacerdotis, aut totius populi, vt patet Leuit.c.4. hic autem offerebatur hircus: ergo non debebat inferri sanguis intra tabernaculum, & consequenter non erant cremandæ carnes cum pelle, sed proueniebant sacerdoti facienti istud sacrificium. *In holocaustum sempiternum.* Id est, cremabitur iste hircus in holocaustum sempiternum, scilicet, quod per omnes menses vsque in æternum debebant fieri sacrificia ista, Sed dicetur, quod hic implicatur contradictio, quia dicitur primo, quod offeretur hircus pro peccato: deinde dicitur, quod in holocaustum: sed impossibile erat, idem animal offerri in holocaustũ, & pro peccato cum ista sacrificia habeant ritus contrarios.

Respondendum est, quod non accipitur hic holocaustum proprie, scil. quod totum animal cremaretur iuxta ritum holocaustorum, Leuit.ca.1. sed vocatur holocaustum per quandam similitudinem, quia sicut in holocausto omnia cremantur: ita adeps totius hostiæ pro peccato cremabatur, & generaliter quæcunque pars animalis tota cremaretur, vocabatur holocaustum. Iste modus habetur, Leuit. ca. 3. vbi dicitur de adipe hostiæ pacificæ, quod cremabatur in holocaustũ, & tamen manifestum est, quod hostia pacifica & holocaustũ differunt, quia tamen totus adeps cremabatur holocaustum vocatur. *Cum libamentis suis.* Id est, etiam libamenta offeruntur, & cremabuntur cum istis supra positis animalibus offerendis, sed hoc videtur solũ quantum ad illã partem, quã sacerdos accipiebat in pugillo, quando immolabat sacrificium: libamenta enim quantacunq; forent nunquã totaliter cremabantur, sed vnus pugillus accipiebatur de illis ad cremandum, & reliquum proueniebat sacerdotibus, & pro ista parte intelligebatur, q̃ cremarentur cum sacrificiis suis in æternum. De hoc Leuit.ca.2. Vel potest intelligi quantũ ad libamenta totaliter, non quidẽ cremando, sed offerendo, sc. quod ipsa totaliter offerentur corã altari, cum carnibus sacrificiorum: ibi tamẽ sacerdos accipiebat vnum pugillum ad ponendum super altare reliqua sibi reseruans, sed hoc est contra ea, quæ diximus, scil. quod in sacrificio pro peccato non offerebantur libamenta. Hic tamen ponitur hircus pro peccato cum libamentis suis. Dicendum est, quod non offerebantur libamenta cum hirco pro peccato, & generaliter, nec in aliis sacrificiis pro peccato, quia regula libamentorum tradita est supra 15. capit. tamen ibi non fuerunt posita aliqua libamenta cum sacrificio pro peccato. Item non potest stare, quia si aliqua libamenta essent, saltem denominarentur hic cum in omnibus aliis animalibus pertinentibus ad holocaustũ fuerit posita hic certa mensura libamentorum, sed de hirco isto nihil dicitur. Cum autẽ dicit litera, cum libamentis suis, non est referendum ad hircũ, qui ponitur immediate, sed ad omnia supra posita, sc. ad sacrificia holocaustorũ, quod omnia illa offerrentur, & sacrificium pro peccato in æternum cum libamentis suis, id est, holocaustorũ supra positorum. Aliter responderi potest, quod in Hebræo non habetur, sicut hic, sed dicitur: Præter holocaustum sempiternum cum libamentis suis, & tunc est alius sensus valde diuersus, scilicet, quod omnia sacrificia supra posita tam holocausta, quam pro peccato fieri debebant in die Calendarum, & hoc præter holocaustum sempiternum, id est, præter iuge sacrificium, quasi dicat, licet offerantur omnia ista, quæ supra posita sunt, non tolletur per ea sacrificium iuge, quod vocatur sempiternum, quia semper fiebat, id est, quotidie etiam, quia in æternum fieri debebat, & ista est proprie litera. De litera autem nostra dicendum est, quod hic sit vitiata errore librariorum. Quod autem debeat sic stare, patet, quia in omnibus aliis festiuitatibus tam in hoc capitulo quam in sequenti: postquam fuerint posita sacrificia specialia ipsius diei subditur præter holocaustum sempiternũ & liba eius, vel præter holocaustum matutinũ, quod semper offeretis, vel aliud æqualens, & secundum hoc non oportet, quod dicamus, scilicet, de holocausto, quod accipiatur large, quia non refertur ad hircum pro peccato, sed ad iuge sacrificium.

Si calendæ essent in die sabbathi, quomodo fierent obseruationes.

QVÆSTIO XVII.

QVæret aliquis, quid si dies calendarum accideret in die sabbathi, cum sabbathum habeat specialia sacrificia, quomodo fierent obseruationes? Respondendum est, quod offerri debebant omnia sacrificia tam iugia, quam Sabbathi & Calendarum: vnde in casu dato essent animalia 15. immolanda, scilicet, vituli duo, & aries vnus, & hircus vnus, & 11. agni: nam pro iugi sacrificio offerebantur duo agni, vt patet supra, & illud propter nullam festiuitatem erat omittendum, vt patet supra, & hic propter sabbathum offerri debebant duo agni, vt patet supra, pro Calendis offerebantur 7. agni qui simul erant 11. offerebantur etiam duo vituli pro calendis, & vnus aries, & vnus hircus, qui simul erant 15. Si autem accidererent calendæ extra sabbathum erant animalia 13. immolanda, quia duo agni qui pertinebant ad sabbathũ non immolabantur. Quod autem non omitteretur celebratio sabbathi propter festum calendarum, quantum ad sacrificia, patet, quia sicut sacrificium iuge non omittebatur propter aliquam festiuitatem, vt patet hic, & sequenti capit. ita nec festum sabbathi. Item festum calendarum non omittebatur, propter alias festiuitates in sacrificiis: quod patet, quia semper erat festum clangoris in die calendarum, cum esset in prima die Septembris, vt patet sequenti capitulo, tamen ibi iubetur, quod offerantur omnia sacrificia, quæ pertinent ad diem clangoris, & præter hæc offerantur sacrificia calendarum, ergo de sabbatho sic fieri debebat, quod non omitteretur propter alias festiuitates.

An in die calendarum vacare deberent à laboribus.

QVÆSTIO XVIII.

QVæretur amplius an dies calendarum esset dies vacationis à laboribus. Et respondebit aliquis, quod sic, quia erat festiuitas magna, in qua iubebantur offerri plura sacrificia quam in sabbatho. Respondendum, quod tenet ista ratio: nam seq. capit. in festiuitate tabernaculorum ponuntur per dies octo sacrificia specialia maiora, quam ponantur hic, & quotidie augebantur sacrificia: tamen duo dies solum obseruari debebant vacando à laboribus, vt patet ibidem. Etiam nihil agunt sacrificia ad vacationem à laboribus, quia in festiuitate prædicta tabernaculorum dies primus, & vltimus erant sub vacatione à laboribus, & tamen maiora sacrificia fiebant in die secundo, quam in primo, vt patet eodem capit. Dicendum ergo, quod non erat dies calendarum festiuitas quantum ad vacationem à laboribus, sed solum quantum ad sacrificia. Quod patet, quia Leuit.capit.23. ponitur catalogus omnium festorum. Cum dicitur: Hę sunt ferię Domini, quas vocabitis sanctas, & ponuntur ibi omnes festiuitates, quæ habentur hic, & sequ. capit. tamen non sunt ibi calendæ. Non est autem dicendum, quod ibi omissæ fuerint, sicut interdum scriptura multa subticet, quæ facta audita sunt, quia licet hoc in aliis locis concedamus, tamen vbi fit catalogus, nunquam est concedendum, sicut vbi ponitur catalogus mansionum, non est concedendum, quod aliqua mansio omissa fuerit, vt infra 33. cap. & vbi est catalogus graduum illicitorum ad matrimonium non est dicendum, quod aliquis fuerit omissus, vt Leuit.capit.18. ita vbi ponitur catalogus festorum, idem dicendum erit. Item patet hoc, quia in omnibus aliis festiuitatibus hic ponitur, qui dies sint obseruabiles, & qui non. De calendis autem omnino subticetur, ideo patet eas nõ esse venerabiles. Sed arguetur, quod ista vocatur magna festiuitas, vt patet Psal. 80. & Isaiæ cap. 1. vbi comparatur sabbatho. Item patet hoc ex dicto Augustini, ait enim melius multæ fœminæ Iudæorum nerent, aut aliquid facerent, quam in neomeniis suis impudice saltarent. Istud autem festum vocatur neomenia, vt supra dictum est: saltatio vero in diebus, quibus vacatur à la-

Responsio Cõfutatio

Argumentum 1. Secundum.

A tur à laboribus fit: ideo in neomeniis fęminæ hebræorũ à laboribus vacabant,&cõsequenter festũ vniuersale erat apud Iudæos. Ad primum respondetur, ꝙ in Psal. vocatur neomenia festum insigne, non quidẽ quantum ad vacationẽ à laboribus, sed quantum ad solennitatẽ sacrificiorum, & buccinatio, de qua ibi dicitur non erat ad ipsorum Iudæorũ quietem, sed ad solennitatẽ sacrificiorũ, vt patet supr. c. 10. sc. si quando habebitis epulum, & dies festos, & calendas, canetis tubis super holocaustis & pacificis victimis. Ad secundum respondetur, ꝙ Iudęi non obligabantur obseruare aliqualiter à laboribus diem calendarum, quia tamen erat magnæ festiuitatis in sacrificiis consuetum erat apud aliquos die illa vacari à laboribus: poterant namq; ipsi inter se statuere, quod dies illa esset celebris, sicut patet de quibusdam aliis solennitatibus, quas Deus non instituit, & tamen Iudæi instituerũt, sic est dies sortium, qui vocatur dies Mardochæi, quem faciunt Iudæi valde celebrem, vt patet Hest. ca. 9. Sic etiam statuerunt inter se Iudæi diem purificationis templi, quãdo Iudas Machabæus purificauit templum ab immunditiis gentilium, & illa dies mansit celebris apud Iudæos semper. De hoc, 1. Mach. 4. & vocatur istud festum dies Encœniorum, vt patet Ioan. ca. 10. ita igitur poterant inter se statuere, quod obseruaretur dies calendarum, quanquam Deus non iusserit. Vel potest dici, quod ex consuetudine inter plurimos Iudæorum introductum erat obseruari diem calendarum: non tamen erat sub necessitate, quod magis patet, quia si esset sub necessitate Iudæi quo-

B que nunc obseruarent: ipsi enim nunc obseruant omnes festiuitates, quæ olim obseruabantur: solum autem in hoc differunt, quia nunc non possunt facere sacrificia, cum non sint in terra Chanaan, & tamen non obseruant diem calendarum, ergo nunquam fuit sub necessitate obseruationis. *Mense autem primo.* Hic ponitur quartum huius capit. in quo est tertia festiuitas, scil. azymorum, & est prima inter illas, quæ solum semel in anno fiunt.

De duplici festiuitate phase, quarum vna vocatur phase, & altera dies azymorum.

Qvæstio XIX.

ERat autem festiuitas duplex, scil. festiuitas phase, & festiuitas azymorum: prima erat solum in die 14. mensis primi ad vesperum, & immolabatur agnus per singulas domos, vt omnes Israelitæ comederent de agno paschali. Secunda, festiuitas erat azymorum, & ista durabat per septem dies sequentes. De prima festiuitate nihil agitur hic, sed solum nominatur non positis aliquibus cæremoniis illius, quanquam multæ sint, de quibus Exod. c. 12. Sed solum agitur de festo azymorum, scil. de septem diebus. Causa est, quia in hoc capit. & sequenti, ponitur catalogus sacrificiorum, & solum tangitur de festiuitatibus inquantum attinent ad sacrificia, sed in

C festo phase nõ erat aliquod sacrificium proprie dictum, quia agnus, qui immolabatur à popularibus ab eis comedebatur, ideo de hac festiuitate dicitur. Secunda autem festiuitas, scil. azymorum habet multa sacrificia, sicut patet in litera, ideo de hac dictum est, & ponitur hic tempus huius festiuitatis, scil. in mense primo. Iste mensis vocatur apud Iudæos Nisan, & non est primus apud nos, sed est Martius noster, & aliquando coincidit cum Aprili cum maiori parte. Incipiunt enim Iudæi annum apud æquinoctium vernale: non quidem quod annus lunaris, quem ipsi sequũtur necessario debeat ibi incipi, quia vbicunque potest incipi annus, siue lunaris, siue solaris. Incęperunt tamen Iudæi aqud æquinoctium, quia Deus iussit, ꝙ mensis ille esset eis primus in mensibus anni: eduxit enim eos tunc de Ægypto, & ad commemorationem huius beneficii voluit, quod annus ibi inciperet, vt patet Exodi capit. 12. scilicet, mensis iste vobis principium mensium primus erit in mensibus anni: ante hoc tamen non incipiebat mensis primus apud æquinoctium. Nam alias Deus non iussisset, quod ille mensis esset semper primus, sed incipiebat annus in Septembri, quando erant fructus maturi, quia sic ab exordio sæculi incœperunt anni, scilicet, existentibus omnibus arboribus plenis fructibus, sed tunc est September. Et sic aliquando Deus vocat Septembrem finem anni, & principium, vt patet Exod. 23. c. scil. solennitatem quoque in exitu anni, quando congregaueris oẽs fruges de agro: quod intelligitur de solennitate tabernaculorũ, quæ est in mense Septembris, & vocatur tunc finis anni, & Exod. c. 34. vocatur principium anni, vel reditus, vt patet cum dicitur: Et solennitatẽ quando redeũnte anni tempore cuncta conduntur. Dicitur autem redire temporis anni, quãdo annus rediit ad exordiũ suum: ideo incipiebat annus in Septembri. Fuit tamen postea mensis primus in Martio ex mandato Domini. *Quartadecima die mensis.* In ista die decimaquarta incipiebat festiuitas paschalis: & non in aurora, sed ad vesperum, scilicet. parum ante solis occasum, quia tunc immolabant agnum, & comedebant, vt patet Leuit. 23. & Deuter. 16. cap. non durabat autem phase, nisi per istam diem, quia sequenti die non comedebatur agnus paschalis, sed azyma, & ideo vocabatur festiuitas azymorum. Ista autem dies decimaquarta non est decimaquarta Martii nostri, vel Aprilis, aut alicuius mensis, quia Iudæi non incipiunt menses suos, sicut nos: quælibet quippe lunatio apud eos vnus mensis est, & illæ non incipiunt in principio mensium nostrorum sed vario modo. Vocabitur ergo dies decimaquarta mensis primi, id est, dies decimaquarta lunationis primæ. Ad hoc autem, quod nos inueniamus istam diem quartamdecimam, debemus inquirere, quæ sit lunatio propinquior vernali æquinoctio: & illa est primus mensis Iudæorum, vtpote ęquinoctium est die decimaquarta mensis Martii computando per mensem nostrum, tunc aut lunatio erat in die illo, id est, coniunctio Solis & Lunæ, aut non: si sit ibi incipiet annus Iudæorum, & decimaquarta die post hoc erit phase Iudæorum, scilicet, die vigesima septima Martii: si autem non sit ibi lunatio necesse est, quod aliqua lunatio sit ante diem illum, & aliqua post. Vtpote decem diebus ante æquinoctium sit aliqua lunatio, necesse est quod viginti diebus post sit alia lunatio: prima autem est magis coniuncta æquinoctio, & tunc incipiet annus Iudæorum decem diebus ante æquinoctium. sc. quarta die mensis Martii nostri, & erit phase eorum die decimaquarta eiusdem. Et sic secundum propinquitatem lunationum ad æquinoctium cognoscetur, vbi sit principium anni Iudæorum & phase. *Phase erat Domini.* Id est, erit pascha. Phase in Hebræo interpretatur transitus, & hoc idem signat pascha. Vocatur autem ista festiuitas sic, quia cum essent Iudęi in Ægypto angelus Domini transiuit per omnes domos Ægyptiorum occidens omnes primogenitos, & dimittens Hebræos: ad cuius honorem iussit, vt celebraretur festiuitas ista, & immolatio agni. Sic patet Exod. 12. c. scilicet, & cum dixerint vobis filii vestri, quæ est ista religio? dicetis eis victima transitus Domini est, quando transiuit super domos Israel in Ægypto percutiens Ægyptios: & domos nostros liberans. *Et decimaquinta die solennitas azymorum.* Id est, duæ festiuitates erunt: vna quæ vocatur phase in die decimaquarta solum, & alia, quæ vocatur festiuitas azymorum in die decimaquinta, & postea per dies septem: & non vocatur ista secunda solennitas azymorum, quasi in die phase non comederẽtur azyma: nam comedebatur agnus paschalis cum azymis, & lactucis agrestibus, vt patet Exodi cap. 12. & supra 9. ca. tamen non pertinebat principaliter ad festum azymorum, quia istæ duæ festiuitates fiebant propter duas causas. Prima festiuitas ad commemorationem mortis primogenitorum Ægyptiorum & saluationem Iudæorum. Secunda ad commemorationem exitus de Ægypto in pauore. De his latius dictum est, Leuit. capit. 23. *Septem diebus vescentur azymis.* Scilicet, à die decimaquinta, vsque ad 22. excluſiue. Non est autem intelligendum, quod in his diebus nihil comederent, nisi panes azymos, sed quod non poterant comedere alios panes, nisi azymos: licebat tamen eis sumere de quibuscunque cibis voluissent. An vero Iudæi obligarentur abstinere à fermentato, & non obligarentur comedere azyma: vtpote si nullum panem manducare vellent, sed fructus, vel legumina diebus istis, declaratum est Exodi capit. 12. *Quarum dies prima venerabilis, & sancta erit.* Id est, inter istos septem dies, prima dies est sancta & venerabilis. Hoc ponitur ad faciendum differentiam in istis septem diebus, quilibet enim horum solennis erat quantum ad oblationem sacrificiorum, sed non quantum ad obseruationem à laboribus. Soli autem duo erant solennes in vacatione à laboribus, scilicet, primus & septimus: sacrificia tamẽ æqualia erant in omnibus. Dicitur autẽ, quod prima dies erit sancta, id est, Dño applicanda, s. quantum ad specialem ritum

sacrificiorum.

Quis sit primus mensis Iudaorum.

D

Phase Iudæorũ quo tempore sit.

E

Phase quando celebrẽtur.

Solennitas azymorum quando fit.

F

A

sacrificiorum. Vel erit sancta, id est, applicanda solũ ad cultum Dei, & non ad labores humanos. Iste autem sensus melior est, quia oẽs isti dies erant æqualiter Dño applicati quantum ad sacrificia, vt patet infra, & tamen nullus eorum vocatur sanctus, nisi primus & septimus, quia in eis vacabatur à laboribus. Dicitur autem venerabilis, id est, magnæ reuerentiæ: & hoc proprie pertinet ad vacationẽ à laboribus. Alii autem dies venerabiles non sunt, quia laboribus applicãtur. *Omne opus seruile non facietis in eo.* Id est, nullum opus seruile facietis per æquipollentiam negationis postpositæ. Facit autem litera ista differentiam de opere seruili ad alia opera, quia non dixit: nullum opus facietis in ea, sed nullum opus seruile. Quæ autem opera sint seruilia, & quæ sunt species eorum, & quomodo aliqua, quæ secundum se sunt seruilia, & quæ secundum species eorum, & quomodo aliqua, quæ secundum se sunt seruilia aliquando ex fine efficiuntur non seruilia, vel propter alias circunstantias, & de omni modo obseruationis sabbatorum, & aliorum festorum in veteri testamento, & de modo obseruationis in nouo latissime declaratum est, Exod. cap. 12. Dixit tamen hic litera, quod nullum opus seruile fieret in die primo azymorum, quia quædam concessit fieri in illo, quæ non erant seruilia. In sabbato autem non dicitur de opere seruili: sed vniuersaliter dictum fuit: Omne opus non facietis in eo, Leuit. cap. 23. addit autem omne opus ad seruile parationẽ ciborum, & omnia accessoria, vel immediate præcedentia ad parationem, sicut est incensio ignis, hoc patet Exod. capit. 12. vbi dicitur de ista prima die azymorum, scilicet, dies prima erit sancta atque solennis, & dies septima eadem festiuitate venerabilis: nihil operis facietis in eis exceptis eis, quæ ad vescendum pertinent. Cum ergo hic prohibeatur opus seruile solum, & Exod. 12. capit. omne opus præter ea, quæ ad cibum pertinent nihil addet omne opus, ad opus seruile, nisi parare ea, quæ ad cibum pertinent, cum idem præceptum sit hic, & ibi. & in hoc erat minoris obseruationis iste dies paschalis, & omnes aliæ festiuitates Iudæorum quam sabbathum: quia in omnibus aliis licebat parari cibos, & fieri quædam præcedentia ad ciborum parationem præterquam in die expiationis cũ in omnibus vetetur solum opus seruile. Die autem sabbathi non licebat cibos parare nec accendere ignem. Siquis autem ignem saltem succenderet occidebatur, vt patet Exodi capit. trigesimoquinto, & sic omnes aliæ festiuitates erant minores sabbatho quantum ad vocationem à laboribus, præter diem expiationis, & erant maiores eo, quantum ad celebritatem sacrificiorum.

B

Sacrificia dierũ azymorum

Offeretis q; in ea incensum holocaustum Domino. Hic ponuntur sacrificia septem dierum azymorum, & quia omnes dies erãt similes in sacrificiis solum ponuntur sacrificia vnius diei. Et dicitur, quod in ista prima die offeretur holocaustum in incensum, id est, incedetur holocaustum. Istud enim, quanquã conueniat omnibus sacrificiis, maxime tamen holocausto, quia holocaustum totum crematur, Leuit. ca. 1. de aliis autem sacrificiis aliquid crematur, & aliquid comeditur: & non potest accipi hic incensum pro thure, quia holocaustum non erat thus, sed aliquid crematum.

C

Vitulos de armento duos. Id est, immolabuntur duo vituli. Dicitur autem de armento nõ tanquam sit aliqua determinatio specialis, sed quasi ex superabundanti, quia nullus vitulus est, nisi de armento: & nullus aries, vel hircus est, nisi de grege: quia armentum signat congregationem magnorum animalium, scilicet, boum, equorum, chamelorum: grex significat congregationem paruorum animalium, vt porcorum, ouiũ, & caprarum. Sciendum autem, quod in festiuitate ista eadem sacrificia fiunt penitus, quæ fiebant in calendis. Et si aliqua ratio posset poni de numero illorum, eadem poneretur de istis. *Arietem vnum.* Semper iubet poni plures agnos & vitulos, quam arietes in omnibus his solennitatibus sacrificiorum, quanquam sit vitulus sacrificium maiorum sumptuum. *Agnos anniculos immaculatos.* Septem anniculi vocantur ad differentiam arietum: quia si fuerint supra annum arietes sunt, & non agni. Vocantur autem immaculati, quia non solum refertur ad agnos, sed etiam ad arietem & vitulos: in omnibus enim quæ offerebantur requirebatur munditia, siue essent ipsa animalia, siue eorum libamenta, vt patet in fine capituli. *Sacrificia singulorum ex simila.* Id est, cum quolibet istorum animalium offeretur suum sacrificium, quod est ex simila.

D

Sciendum, quod aliquando accipitur sacrificium pro oblatione, & immolatione animalium: & tunc oblatio aliarum rerum vocatur oblatio solum, & non sacrificium. Aliquando autem accipitur sacrificium pro animali immolato, & etiam pro rebus aridis, quæ offeruntur, sicut pro simila: immo interdum accipitur solum pro simila, & animalia immolata non vocantur sacrificium, sed victima, vel hostia: sic accipitur hic, & supra 15. & Leuit. capit. 2. & sacrificia singulorum ex simila, id est, cum quolibet animali ponetur sacrificium suũ, id est, libamentum, quod est ex simila. *Quæ conspersa sit oleo.* Nunquam enim in sacrificio pacifico, vel holocausto ponebatur victima arida, sed semper conspergebatur oleo, vt patet supra capit. 15. vbi est regula de libamentis. Offerebatur tamen dupliciter simila pro peccato, scilicet, si esset pauper nõ potens offerre pecus, nec volatilia iubebatur offerre parum de simila, vt patet Leuit. c. 5. & dicitur: Non mittet in eam oleũ, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato est. Secundus casus erat quando offerebatur sacrificium ad inquisitionẽ adulterii pro zelotypia: quia tunc offerebatur simila ordeacea, sine oleo, vt patet supra c. 5. est etiam generale, quod quãdo simila erat conspersa oleo offerretur cum ea thus. Cum vero non ponebatur oleum, nec thus, non tamen poniturhic de thure, quia subintelligitur: maxime quia solum ponuntur hic libamenta, quæ dabantur in determinata quantitate, vt denominetur illa quantitas: thus autem non erat in certa quantitate, sed quantumcunq; offerretur bene erat. Nec valet argumentum: hic non exprimitur de thure, ergo non ponebatur cum simila. Nam eodem modo arguetur: hic non ponitur aliquid de sale, ergo non ponebatur sal in sacrificiis. Sed falsum est, quia nunquam poterat fieri aliquod sacrificiũ aut libamentum sine sale, Leuit. cap. 2.

E

Tres decimas per singulos vitulos. Id est, cum quolibet vitulo da buntur tres decimæ de simila, & illæ conspergentur medietate hin de oleo, vt patet supra, & non exprimitur hic determinatio olei, quia sicut fiebat in vno vitulo: ita & in omnibus eodem modo. De vino nihil exprimitur, offerebatur tamẽ, quia ista erant libamenta necessaria.

Et duas decimas per arietem. Id est, duæ decimæ de simila offerebantur cum ariete, & illæ eodem modo habebant consperſionem olei, scilicet, tertiam partem hin, & habebant vinum in eadem quantitate.

Et decimam decimæ per agnos singulos. Id est, cum quolibet septem agnorum offerebatur vna decima decimæ de simila: & accipitur hic, sicut supra, scilic. respectu cori, quia de illo accipiebatur decima decimæ pro agno quolibet: & tamẽ respectu ephi nõ erat decima decimæ: sed decima eo, quod ephi est decima pars cori: & cum ista decima quoque erat oleum, & vinum in libamento in quarta parte hin, vt patet supra. *Et hircum pro peccato vnum.* In die primo phase offeretis vnum hircum pro peccato: quod intelligendum est, vt supra diximus de hirco calendarum, scilicet, pro peccato populi, & non pro aliquo determinato peccato, sed in communi. *Vt expietur pro vobis.* Id est, vt fiat expiatio pro peccatis vestris: semper enim sacrificia pro peccato sunt ad expiandum: quantum autem, vel quomodo expiant sacrificia pro peccato, declaratum est Leuit. capit. 1. & supra 15. Iubebatur autem offerri hircus pro peccato in omnibus festiuitatibus, quia in aliis diebus, scilicet, profestis nunquam offerebatur hostia pro peccato nisi per accidens pro peccato alicuius specialis viri, qui cogeretur offerre pro aliquo quod commiserat iuxta ea, quæ habentur Leuit. capit. 4. & 5. & supra 5. & 6. vel forte voluntarie offerret, nam quanquam, vt in plurimum sacrificia pro peccato offerantur ex necessitate, interdum tamen offeruntur voluntarie, & ad solennitatem, vt patet de duodecim principibus tribuum Israel qui in dedicatione tabernaculi obtulerunt per duodecim dies sacrificia: & quolibet die offerebant aliquod sacrificium pro peccato, supra c. 7. & tamen hoc pure voluntarie agebant.

F

Præter holocaustum matutinum, quod semper offeretis. Id est, ista sacrificia supra posita erunt præter holocaustum matutinum, scilicet, quod nunquam dimittetur propter illa, quia etiamsi contingeret eadem die mille agnos anniculos offerri, non debebat omitti vnus agnus, qui pertinebat ad sacrificium iuge matutinum. Sciendum tamen idem esse de vespertino: quia vtrunq; vocatur iuge sacrificium, dicitur tamen de matutino, quia de

quia de illo erat ratio dubitãdi. De veſpertino autẽ nulla cauſa eſt, quia ſacrificium matutinũ offerebatur poſt ſolis ortum, & tunc erat tempus offerendi omnia alia ſacrificia ſi aliqua eſſent, & quia contingeret multa ſacrificia fieri eadem hora ſiue ordinaria, ſicut in feſtiuitatibus, in quibus ex neceſſitate offerebatur: ſiue ſpontanea ex deuotione popularium, videbatur dubium, an per aliquod illorum excuſaretur agnus matutinus: ſacrificium autem veſpertinum fiebat poſt ſolis occaſum per totam noctem, vſque ad ſolis ortum, vt patet Leuit. capit. 6. Tunc autem non erat tempus faciendi alia ſacrificia, nec vnquam fiebant: ideo non erat ratio dubitandi, an deberet dimitti ſacrificium veſpertinum: vnde non fuit neceſſe exprimi de illo quantum ad obligationem: tamen ęqualis erat neceſſitas in vtroque.

Ita facietis per ſingulos dies ſeptem dierum. His ſeptem diebus durabat feſtum azymorum: & quanquam ſoli duo eſſent obſeruabiles à laboribus, ſ. primus & ſeptimus, tamen in omnibus fiebat æquale ſacrificium. Erat autem quædam alia cæremonia oblationis, quæ fiebat in feſta azymorum, ſcilic. quod offerrentur manipuli ſpicarum, & acciperet ſacerdos vnum de illis: & ſanctificaret ſecundum modum, qui declaratus eſt Leuit. cap. 23 & cum illo offerebatur agnus anniculus cum libamentis ſuis, vt patet ibidem. Et quia oblatio ſpicarum non pertinet ad ſacrificium, non fit hic mentio de illa. Agnus autem anniculus, de quo ibi dicitur, erat præter iſtos, qui habẽtur hic: quia tamen erat acceſſorius ad manipulum ſpicarum, non dicitur de eo, cum hic ſolum agatur de ſacrificiis. *In fomitem ignis.* Id eſt, omnia iſta ſupra dicta cremabuntur in fomitem ignis, id eſt, ad fouendũ ignem: fomes enim ſiue fomentum eſt materia, in qua ignis fouetur. Nam omnia, quæ cremantur dicuntur eſſe cibus ignis, vt patet Iſaiæ ca. 9. ſc. omne veſtimentum mixtum ſanguine erit in combuſtionem, & cibus ignis: & iſte modus eſt vſitatus in ſcriptura, ſic patet Leui. c 3. ſc. tollentq; ex ea in paſtum ignis dominici adipem, qui operit ventrem, & iterum ibidem. Adolebitq; ea ſacerdos ſuper altare in alimonia ignis. *Et in odorem ſuauiſſimum Domino.* Id eſt, Deus ſuſcipiet odorẽ valde ſuauem de ſacrificiis. *Qui ſurget de holocauſtis, & de oblationibus ſingulorum.* Id eſt, Deus acceptabit odorem illum, qui ſurgit de cremationc ſacrificiorum. Vere enim ibi ſurgebat odor, ſed non erat ſuauis, quin potius grauis, ſcilicet, odor carnium combuſtarum, & adipum atque farinę. Deus tamen habebat hunc odorem tanquam ſuauiſſimum: non quod ipſe perciperet odorem, cum non ſit animal, ſed quia acceptabat illum, tanquam aliquod bonum propter deuotionem offerentium. Iſte autem odor ſurget de holocauſtis, id eſt, de carnibus crematis in holocauſtum, & de oblationibus, id eſt, de libamentis ipſarum victimarum. nam cum carnibus cuiuslibet animalis offerebatur aliquid de ſimila, & aliis libamentis, & cremabatur pars ſuper altare de qua etiam ſurgebat odor. Iſta autem libamenta aliquando vocantur ſacrificium, & aliquando oblatio. Dicitur autem ſingulorum, quod poteſt referri ad dies, vel ad holocauſta, ſcilicet, quod ſurget odor ſuauiſſimus de holocauſtis, & de oblationibus ſingulorum, id eſt, ſingulorum dierum, quia in quolibet ſeptem dierum fiebant iſta ſacrificia, & Deus omnia illa acceptabat. Vel ſingulorum, ſcilicet, holocauſtorum, quia de holocauſtis ſurgebat odor, & de oblationibus, id eſt, libamẽtis quorumlibet ipſorum. *Dies quoque ſeptimus celeberrimus, & ſanctus erit.* Non ponitur hic expreſſe de iſto die ſeptimo, propter diuerſitatem ſacrificiorum, quia eadem erant in eo, quæ in aliis ſex diebus: immo non exprimitur hic aliquid de ſacrificiis huius, ſed ponitur propter diuerſitatem celebritatis in vacatione à laboribus: nam inter primum & ipſum interciderant dies quinque non celebres: & quia de ipſo ſic putaretur expreſſum eſt de ſolennitate, ſcilicet, quod erat celeberrimus, & ſanctus, ſcilicet, ſanctus, id eſt, Deo applicitus ſpecialiter ſuper alios propter obſeruationem à laboribus. Et dicitur celeberrimus, id eſt, multum celebris, vel colendus: quia alii dies quinque præcedentes colebantur ſolum quantum ad ſacrificia: & non quantum ad vacationem à laboribus. Iſte autem quantum ad vtrunque. *Omne opus ſeruile non facietis in eo.* Id eſt, nullum opus ſeruile facietis in eo. Quantum ad hoc iſte dies eſt æqualis primo diei: & intelligẽdum eſt hic, ſicut dictum fuit ibi. Licebat autem in die hac ſuccendi ignem, & parari cibos, fierique cætera, quæ ſunt conuncta immediate ciborum parationi, nullum autem opus licebat. Quis autem iſtorum duorum dierum ſit celebrior, ſc. ſeptimus, vel primus cum alicubi vocetur vnus eorũ celebrior alio, & alicubi videantur vocari æquales, declaratum fuit Leuit. c. 23. *Dies etiam primitiuorum.*

De feſtiuitate primitiuorum.

Qvæstio XX.

Hic ponitur quintum, ſcil. de feſtiuitate primitiuorum, quæ erat quarta inter feſtiuitates ſimpliciter: & erat ſecunda de illis, quæ ſemel in anno accidebant. Habet aurem iſtud feſtum multum nomina: nam vocatur pentecoſtes, id eſt, quinquageſima, quia erat quinquageſimo die poſt feſtum azymorum computando à prima die azymorum. Vocatur etiam feſtum hebdomadarum, Leuit. capit. 23. quia computabantur ſeptem hebdomadæ poſt diem azymorum, & tunc fiebat iſta feſtiuitas: ſic etiam nominatur Deut. 16. cap. & non dicitur feſtum ſeptem hebdomadarum, ſed feſtum hebdomadarum ſimpliciter, quia nullum erat aliud feſtum, in quo cõputarentur hebdomadæ niſi ad iſtud. Vocatur etiam feſtum primitiuorũ hic, & Exod. 23. cap. non quidem propter primas fruges, quia hoc magis pertinebat ad feſtum azymorum cum ibi primo mitteretur falx in meſſem, vt patet Leuit. capit. 23. & ſic dicitur Deut. 16. quod phaſe celebrari debebat in menſe nouarum frugum primi & verni temporis: ſic etiam dicitur Exodi 13. capit. quod egreſſi ſunt Iſraelitæ de Ægypto in menſe nouarum frugum, & ibi iubebatur, quod celebrarent paſcha: ſed vocatur dies primitiuorum, id eſt, primitiarum, ſcilicet, quia offerebantur ibi primitiæ de panibus. Ex omnibus enim habitaculis Iſraelitarum offerebãtur panes duo: quorum quilibet haberet vnam decimam de ſimila fermentata, vt patet Leuitici capit. 23. feſtum quoque phaſe poteſt vocari dies primitiuorum, vel primitiarum, quia ibi offerebantur manipuli de ſpicis adhuc virentibus: & illi erant in primitias, cum ante hoc non liceret comedere panes, pultes, aut polentam, vel quidquid aliud ex ſegete, Leuitici vigeſimotertio capitulo. *Quando offeretis nouas fruges Domino.* Dicuntur offerre fruges Iſraelitæ: non quod offerrent fruges in ſpicis, vel in granis expurgatis, quæ communiter vocantur fruges, ſed in panibus coctis, qui poſſunt vocari proprie fruges, ſecundum originem nominis: fruges enim à fruendo dicitur, quia fruimur illa in cibum. Hoc autem nunquam magis eſt, quam cum eſt redacta in panes, ideo tunc eſt proprie fruges: offerebantur autem iſtæ fruges vniuerſaliter, quia de ſingulis domibus Iſraelitarum offerri debebant duo panes determinatæ quantitatis: & hoc ex neceſſitate, Leuit. 23. capit. In feſto autem azymorum offerebantur fruges in ſpica, vt ſupra dictum eſt. *Expletis hebdomadibus* Id eſt, iſta dies primitiorum erat poſt hebdomadas expletas: computabantur enim ſeptem hebdomadæ poſt feſtum azymorum, quia faciunt dies quadragintanouem, & ſequenti die erat feſtum hebdomadarum. A quo autem die azymorum incipiant computari iſtæ hebdomadæ declaratum eſt Leuit. 23. capitulo. Iſta eſt ſecunda ſolennitas, in qua Iudæi omnes conueniebant in locum Sanctuarii: iuſſerat enim Deus, vt ter in anno, ſcilicet, in die azymorum, & pentecoſtes, & tabernaculorum appareret omnis maſculus de genere Iudæorum, & de aduenis in loco Sanctuarii, vt patet Exodi 23. & 34 capit. & Deuteron. 16. cap. & hoc modo poterant offerri duo panes de quolibet habitaculo Iſraelitarum, vt iuſſum erat, Leuit. 23. capit. an vero aliqua iſtarum feſtiuitatum eſſet diſpenſabilis, ſcilic. quod non venirent Iudæi in locum Sanctuarii, & quæ eſſet illa, declaratum eſt, Leu. 23. cap. De iſta feſtiuitate dicunt Iudæi, quod fiebat ad honorem legis datæ, quia fuit lex data in monte Sinai quinquaginta diebus poſt exitum de Ægypto, quando fuit facta celebritas phaſe: an vero hoc ſtet, vel pauciores dies fuerint inter legem datam, & exitum de Ægypto, declaratum fuit Exodi capit. 19. ſic autem nos celebramus Pentecoſten, quia quinquaginta diebus poſt reſurrectionem Saluatoris, Spiritus ſanctus deſcendit ſuper Apoſtolos, & iſtud eſt quaſi legislatio, quia tunc lex à Chriſto data in cordibus eorum confirmata eſt, acceperuntque ipſi robur ſpirituale ad loquendum coram regibus & populis: vt etiam morientes ne-

Quare feſtum azymorum fiebat.

minem for-

A

minem formidarent. Acceperunt etiam scientiam omnium linguarum, vt per totum orbem prædicare possent. Acceperunt quoque omnem scientiam necessariam ad euangelizandum omnibus populis, tam sapientibus, quam insipientibus.

Dies Pentecostes fuit maximæ efficaciæ in nouo testamento, & & quid consecuti sunt illo die.

QVÆSTIO XXI.

VNde dies ille maximę efficaciæ fuit pro statu noui testamenti. Nam licet Christus per mortem suam iam nos redemerat, tamen lex noua nunquam fuisset diuulgata per orbem, nec aliquis conuerteretur, nisi Spiritus sanctus super Apostolos descendisset. Toto enim tempore, quo Apostoli cum Christo fuerunt adhuc rudes nimis erant: vnde Christus quasi conqueritur de eis propinquus passioni suæ: cum dixit Philippus: Domine ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Cui Christus respondit: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & patrem: quomodo tu dicis, ostende nobis patrem? vt patet Ioan. 14. capit. Nec solum ante passionem Christi hoc fuit, sed etiam eo ascendente ad cœlos adhuc Apostoli rudes nimis erant: nam cum ascendere vellet quæsierunt. Dñe, si in tempore hoc restitues regnũ Israel? Act. ca. 1. quod intelligebatur de restitutione temporali, scil. quod reduceret in gloriam illam, quã habuerat tempore Dauid & Salomonis liberando Israel à subiectione gentium. Sic enim patet ex verbis duorum discipulorum, qui ibant in castellũ Emmaus in die resurrectionis, quibus cum loqueretur Christus in figura peregrini ipsi dixerunt: Nos autem sperabamus, quia ipse redempturus esset Israel, scilic. ex subiectione gentium, Luc. c. 24. si autem intelligerent de redemptione animarum à peccato non dicerent: nos autem sperabamus, quasi dicant, iam non. speramus, quia quanquam Christus esset mortuus non tollebatur, quin redimeret Israel, imo quod amplius est redimere non poterat, nisi moreretur præsuppositio æterno decreto: quia tamen intellexerant de temporali redemptione, scilicet, de liberatione à subiectione, & iam Christus mortuus erat non sperabant, quod redimeret, quia illa redemptio in vita fieri debebat pugnando contra gentes, vel alias: & sic intellexerãt isti discipuli qui dixerunt: Domine, si in tempore doc restitues regnum Israel? Et quia Christus vidit eorum quæstionem esse insipientem, non respondit eis directe, sed ait: Non est vestrum scire tempora, vel momenta, quæ pater posuit in potestate sua, sed accipietis virtutem superuenientis in vos Spiritus sancti, & eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ, Actuum capit. 1. Secundus defectus erat in Apostolis toto tempore, quo vixerunt cum Christo, quod adhuc modicum de fide habebant: ideo infideles erant, quia dubii in fide: & sic Christus aliquando increpabat eos tanquam infideles, vt patet Matth. 17. capit. cum propter defectum fidei non potuerunt eiicere dæmonium à puero lunatico, cum dicitur: O generatio incredula, & peruersa quousque ero vobiscum? & vsquequo patiar vos? & postea ipsi dixerunt: Quare nos non potuimus illum eiicere? Dixit illis Iesus: Propter incredulitatem vestram. Non solum autem fuit ista incredulitas ante passionem, sed etiam post mortem illius: omnes enim perdiderunt fidem: sic enim dixit illis omnes vos scandalum patiemini in me in hac nocte, Matt. 26. cap. Id est, propterea quia videbitis me pati scandalizabimini, sc. recedetis à priori fide. Quod patet in duobus discipulis, de quibus diximus, ipsi enim dixerunt: Nos autem sperabamus quod redempturus esset Israel, id est, antequã crucifigeretur credebamus hoc. Nunc autem iam non speramus, & propter hoc redarguit eos Christus nimis de incredulitate, dicens: O stulti & tardi, ad credendum in omnibus, quę locuti sunt prophetæ, Lucæ 24. cap. nec solum isti duo non crediderunt, sed etiam omnes apostoli infideles erant, quia cum apparuit eis Iesus ianuis clausis, cõturbati sunt, & æstimabant se spiritum videre, & dixit eis, quod non turbarentur, & quod palparent manus, & pedes eius, sed adhuc non credebant. Nam etiam postquam Christus dixit, hæc verba dicitur, quod præ gaudio adhuc non credebant: postea autem crediderunt, Lucæ 24.

Apostoli, vt erant rudes.

B

Apostoli, vt erant in fide dubii.

C

ca. Si autem aliquando dicatur de eis, quod credebãt in Christum, vt Ioan. capit. 2. Dicitur, quod crediderunt in eum discipuli eius. Intelligendum est, quod erat fides leuis: ad tempus enim credebant, & postea paruo scandalo adueniente ad tempus discredebant: sic enim dixerat Christus de semine, quod cadit super petram, quia isti sunt, qui recipiunt verbum Dei, & aliquando cum gaudio illud habent, sed postea adueniente tribulatione recedunt, & dicitur, quod temporales sunt, & ad tempus credunt, & ad tempus discredunt, vt patet Matth. 13. cap. & Marci 4. cap. Tertius defectus in apostolis quando Christus erat cum eis fuit, quod erant adhuc aliquibus vitiis dediti, scil. quia erant cupidi honoris, & non solum concupiscebant, sed etiam interdum litigabant propter honorem, vt patet Matthæi. 18. capit. cum apostoli omnes accesserunt ad Christum, dicentes: Quis putas maior est in regno cœlorum? Id est, quis de nobis est magis honoratus, vel erit in regno tuo quod est regnum cœlorum Et iterum, cum mater filiorum Zebedei, scilicet, Ioannis, & Iacobi, petiisset à Christo, quod de duobus filiis eius vnus sederet ad dextram, & alius ad sinistram illius. Dicitur, quod indignati sunt decẽ de duobus fratribus, id est, valde irati sunt contra eos, Matth. 20. cap. Ecce, ergo quod ambitio honoris, & inuidia inter eos erat: nec fuit ablata post passionem Christi immediate. Quartus defectus in apostolis erat, quod erant timidi corde, scil. quod nihil pro fide Christi tolerarent: quod patet in passione eius. Cum enim à Iudæis captus est Christus, relicto eo oẽs fugerunt, vt patet Matth. 26. c. & ipse Petrus, qui videbatur esse cæteris aliqualiter excellentior, & magis Christum diligens: non ausus est ire cum eo, sed à lõge procedẽs sequebatur eum, Ioan. 18. cap. & melius, Matth. 26. quanquam ipse prius dixerat: si omnes scandalizati fuerint in te, ego non te negabo, Matth. 26. c. & adiunxit, quod paratus erat ire cum eo etiam in mortẽ. Ioannes quoque qui Saluatoris erat cognatus in gradu secundo, & ex hoc debuisset eum intensius diligere, non secutus est Christum, quando comprehensus fuit, sed sequebatur retro vadens: quanquam postea introiuit in atrium põtificis, quia notus erat illi, Ioan. 18. capit. sed adhuc iste in tumultu magno relicta sindone, qua tegebatur nudus aufugit: quia tenuerunt eum, & vt non occiderent illum (quod timebat) reiecit sindonem in manibus eorum, Marci decimoquarto capit. Ista autem timiditas eodem modo mansit post passionem: nam cum iam Christus surrexisset adhuc omnes erant latentes ianuis clausis, & hoc propter metum Iudæorum: existimabant enim, quod etiam eos vellent occidere Iudæi, Ioa. 20. cap. Multi quoq; alii defectus fuerunt in eis, qui satis patẽt ex processu Euangelii: & hos omnes patienter tolerabat Dominus Iesus spectans tempus, in quo omnia hæc auferrentur ab eis, quod factum est die quinquagesimo à resurrectione Christi adueniente spiritu sancto super eos. Iam enim rudes non erant, sed incœperunt variis linguis loqui magnalia Dei: & Petrus surgens inter Iudæos conuincit eos ex testimoniis scripturæ, Actuum 2. cap. Et iam non erat in eis infidelitas, vel infirmitas in fide, sed ita erant radicati in illa, quod nihil poterat eos à fide, vel charitate tollere. Sic ait Apostolus ad Rom. cap. 8. quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an gladius, an nuditas, an periculum? & postea sequitur: Certus sum enim, q̃ nec mors, nec vita, nec angeli, nec principatus, nec potestates, nec virtutes, nec instantia, nec futura, nec fortitudo, nec altitudo, nec profundũ, nec creatura alia, poterit separare nos à charitate Dei, quæ est in Christo. Ita iam non erãt apostoli ambitiosi honoris, nec inuidi, sicut prius fuerant: sed humiles valde nihil de temporalibus desiderantes: honores sibi non ambientes, sed aliis impendentes ad Rom. capit. 12. sc. Honore vos inuicem præuenientes. Imo nec iam Christum diligebant eo modo, quo prius, quia prius quodã modo carnali: nunc autẽ quadã alia longe excellentiori affectione spirituali, quam dicit Apostolus fuisse post resurrectionem Christi, sc. non immediate, sed post Spiritus sancti aduentum, vt patet 2. Corinth. cap. 5. scilicet, Christus pro omnibus mortuus est, vt qui viuunt iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit: & sequitur in persona apostolorum: itaque nos ex hoc neminem nouimus secundum carnem, & si cognouimus Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus. Item non erant Apostoli post aduentum Spiritus sancti iam

D

Apostoli vt quibusdã affectibus malis dediti erant.

Apostoli timidi erãt.

E

Ioannes Euangelista fuit qui relicta sindone aufugit

F

Spiritus sanctus abstulit defectum omnes apostolorum.

timidi, vt

timidi,vt prius:sed cum prius post Christi resurrectionem la-
A tuissent propter metum Iudæorum, Ioan.20.cap.nunc publi-
ce Christum publicabant nullum formidantes: & quanquã
principes Iudæorum sub interminatione mortis interciderẽt
verbum aliquod fieri de Christo, Apostoli respondebant in-
trepide dicentes magis oportere obedire Deo quam homini-
bus, Actuum 5.cap.& quod amplius est tanta Christi charita-
te feruebant: vt in iniuriis pro nomine eius susceptis gloria-
rentur,& ipsas tolerare desiderarent, vt patet præalleg. capit.
Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilii, quoni-
am digni habiti sunt pro nomine Iesu contumelias pati. Quid
plura dicam? totus Apostolorum status antiquus mutatus est
vt nihil vetustatis manserit, sed omnia facta sunt noua: sic e-
nim declarat Apostolus, loquens de statu Apostolorum post
aduentum Spiritus sancti,2.ad Corinth.cap.5. scil. siqua ergo
in Christo noua creatura est vetera transierunt, & ecce facta
sunt omnia noua: nec mirum quidem, quia insiliit in eos spi-
ritus Domini: si enim Saul mutatus est in virum alterum, quia
insiliit in eum Spiritus Domini, sicut dixerat Samuel,1.Reg.
cap.10.scilicet, insiliet in te Spiritus Domini, & mutaberis in
virum alterum: quanto magis isti mutarentur, in quos abun-
dantius insiliit spiritus Domini? Hæc autem omnia facta sunt
die pentecostes. Nulla ergo dies salubrior statui noui testa-
menti, & fidei atque conuersioni totius orbis vnquam fuit:
B nam salubrior est, quam dies passionis Saluatoris. Nam licet
dies passionis efficacior fuerit, quantum ad redemptionem,
quam in ea Saluator operatus est: tamen ista redemptio quã-
tum ad fructum nunquam fuisset cõmunicata toti orbi per fi-
dem,& Euangelii prædicationem, nisi Spiritus sanctus super
Apostolos aduenisset. Magna ergo cum celebritate dies pen-
tecostes apud nos Christi cultores agenda est, cum in ea tan-
torum bonorum nobis origo prouenerit. *Venerabilis & sancta
erit.* Scilicet, dies ista pentecostes apud Iudæos erat sancta, id
est, applicata ad Dei cultum solum vacando à laboribus. Dici-
tur venerabilis, id est, magna veneratione digna, scilic. maiori
quam illæ solennitates, in quibus offerebantur solum sacrifi-
cia: & non vacabatur à laboribus, sicut in die calendarum,& 5.
diebus intermediis azymorum, de quibus supra,& sex diebus
intermediis tabernaculorum, de quibus seq.capit. *Omne opus
seruile non facietis in ea.* Exponatur vt supra, scilicet, quod nul-
lum opus fieri debebat in hac solennitate, nisi ea, quæ perti-
nebant ad cibum. Sciendum autem, quod in hac solennitate
erat vnicus dies tam obseruationis à laboribus, quam cele-
brationis sacrificiorum, vt patet hic,& Leuit.ca.23. offeretis-
que holocaustum in odorem suauissimum. Ista dies erat æ-
qualis in sacrificiis cuilibet diei azymorum, & diei calenda-
rum, quia offerebantur totidem animalia, & de eisdem spe-
ciebus,& pro eisdem sacrificiis, vt patet conferendo inter se
ea, quæ habentur hic,& supra. Dicitur autem in odorem sua-
uissimum, s. quia surgebat de sacrificiis istis odor, qui erat sua-
uissimus Domino, exponendo eo modo, quo supra dictum
C est. *Vitulos de armento duos.* Isti offerebantur in holocaustum: &
dicuntur de armento, quia vituli semper sunt de armento,
cum armentum signet congregationes magnorum animali-
um. *Et arietem vnum.* Semper erant pauciores arietes in sa-
crificiis quam vituli, vt patet hic, & sequenti capitulo. Quod
dico de sacrificiis, quæ sunt ex necessitate legis. Secus autem
de illis, quæ spontanea sunt, quia ista non habent legem. Qui-
libet enim offerebat, quod volebat, & quantum volebat, & in
quocunque genere sacrificii volebat. *Agnos anniculos immacu-
latos septem.* Etiam isti pertinebant ad holocaustum. Quomo-
do autem sunt anniculi, & quomodo immaculati supra ex-
positum est. *Atque in sacrificiis eorum similæ oleo conspersæ tres de-
cimas per singulos vitulos.* Scilicet, quod in sacrificiis, id est, in
libamentis istorum holocaustorum debebant poni mensu-
ræ de simila, quæ infra habentur. Sacrificium autem in isto ca-
pitulo & sequenti, semper accipitur pro libaminibus, & spe-
cialiter pro simila. Nam vinum & oleum non vocantur sacri-
ficia, sed libamina, ideo seq. capit. semper distinguitur de ho-
locausto sacrificio, & libamine, accipiendo holocaustum pro
carnibus crematis, & sacrificium pro simila oblata: libamen
autem pro oleo,& vino superfusis. In omnibus autem holo-
caustis debebant fieri libamina,& poni simila, ideo dicitur in
sacrificiis eorum, id est, pro sacrificiis eorum, referendo ad
omnia suprapositaanimalia. Dicitur autem similę oleo con-
sperse, id est, de simila oleo conspersa ponetur sacrificium pro D
omnibus holocaustis: & ponitur immediate de vitulis, scilic.
decimas tres per singulos vitulos. *Per arietem duas.* Istud etiam
semper generale erat, vt nihil amplius aut minus de simila
cum ariete offeratur. Sic patet in regula libamentorum, su-
pra capit.15. *Per agnos decimam decimæ.* Id est, pro quolibet a-
gno offeretur decima decimæ de simila, scilicet, vna decima
ephi, quæ est decima decimæ respectu cori, vt supra declara-
tum est. *Hircum quoque qui mactatur pro expiatione.* Id est, etiam
offeres hircum, qui mactatur, id est, qui consueuit mactari, sc.
in diebus festorum. Nam in diebus profestis nunquam occi-
debatur sacrificium pro peccato ex necessitate legis, sed so-
lum holocaustum matutinum,& vespertinũ, vt patet in prin-
cipio capit. In omnibus autem istis festiuitatibus offereba-
tur hircus pro peccato, vt patet hic,& seq.cap. offerebatur et-
iam vnicus hircus, quanquam multiplicarentur alia sacrificia.
Fallit hoc in duabus festiuitatibus, sc.in pentecoste: quia prę-
ter hircũ, de quo hic dicitur offerebatur alius hircus pro pec-
cato, de quo Leuit.23.ca. Secundo, fallit in die propitiationis,
quia sequ.capit. iubetur offerri vnus hircus: & tamen præter
eum offerebantur duo alii, de quibus Leuit.c.16. quorum v-
nus immolabatur, & alius mittebatur in caprum emissarium.
Præter holocaustum sempiternum. Id est, ista offerantur præter
holocaustum sempiternum, sc. quod non computetur in istis
sed præter ista, id est, vltra ista offeratur illud. Istud autẽ est sa-
crificium iuge matutinum,& vespertinũ, quod vocatur sem-
piternum, propter duo. Primo: quia semper fiebat, id est, quo-
tidie sine intermissione, sacrificia autem festorum fiebant so-
lum in festiuitatibus, aliis autem diebus nequaquam. Secun-
do, vocatur sempiternum, id est, vsq; semper duraturum, quia
toto tempore, quo duraret status Iudæorum, & veteris testa-
menti, durabunt sacrificium matutinum,& vespertinum. *Et
liba eius.* Id est, etiam offeruntur cum holocausto sempiterno
liba ipsius: liba autem, & libamenta idem sunt: & accipitur
libum, hic pro omnibus, tam pro simila, quam pro oleo & vi-
no, sale, & thure, quæ nunquam omittebantur in holocau-
stis. *Immaculata offeretis omnia.* Id est, omnia animalia supra-
posita erunt immaculata: ponitur autem hic ista clausula, quia
supra non expresserat specialiter de omnibus animalibus,
quod essent munda, ideo hic generaliter dicitur, quod omnia
munda erunt. *Cum libationibus suis.* Hoc potest dupliciter intel-
ligi. Primo modo, quod cum dicat solum adiunctionẽ: & est
sensus, quod omnia ista offerentur munda cum libationibus
suis, id est, omnia animalia suprapositaerunt munda, & cum
eis offerentur libationes suæ. Tunc autem nõ refertur mun-
ditia ad libationem, sc.quod libamenta sint munda, sed solum
ad animalia. Secũdo modo potest poni, quod accipiatur, cum,
pro etiam: & est sensus, quod omnia ista animalia debebant
esse munda, cum libationibus suis, id est, etiam libationes suę
debebant esse mundæ.

Quæ immunditiæ attendebantur in prædictis sacrificiis. F

QVÆSTIO XXII.

QVæret aliquis, quæ munditiæ attendi debebant in istis,
vel quæ immunditiæ prohibebant ab oblatione. Re-
spondendum est, quod non erant eædem immunditiæ in ani-
malibus, & in libamentis suis, nec accipiebatur secundum i-
dem: in animalibus enim accipitur esse immũda, id est, imma-
culata. nam immundũ in animalibus dicitur, quãdo secundũ
speciẽ animalia immũda sunt,& illicita ad immolandũ: solæ e-
nim tres species animaliũ conueniunt immolationi, s. bos, o-
uis,& capra: reliquæ aũt species non conueniunt. Sic colligi-
tur Leuit.c.1. vbi cum fiat sufficiens distinctio animalium im-
molatiliũ, ponuntur solum ista tria, & in omnibus aliis locis
solum reperientur hæc pertinere ad immolationem. Si au-
tem aliquis vellet immolare aliquod animal, quod esset extra
istas species dicebatur immolare aliquid immundum, & hoc
modo quandocunque aliquis obtulerit ad immolationem
bouem, ouem, & capram: quomodocunque se habeant,
dicitur offerre aliquid mundum, nec potest offerre immun-
dum. Dicuntur autem animalia esse maculata, vel immacu-
lata secundũ quod sunt perfecta in omnibus membris suis,&
non habent aliquam deformitatem, vel secundũ q̃ deficiunt

Quæ animalia dicũtur immunda

in aliquo

A

in aliquo membro, aut habent aliquam deformitatem, & sic potest aliqua ouis esse maculata, vtpote si sit monstruosa, vel cæca, aut clauda: & sic de cęteris imperfectionibus, de quibus Leuit. c. 22. hoc autem vetatur hic, cum dicitur, quod omnia animalia erunt immaculata, id est, non habentia aliquã monstruositatem, vel defectum in membris, aut deformitatem. Et hoc modo contingit animalia esse munda, & habere maculam. In libamentis autem aliter accipitur ea esse immaculata, quia immaculatum, & mundum idem sunt: erit n. macula, vel immunditia primo in simila, si ipsa sit fermentata: quia tunc non poterit offerri, ita vt aliqua pars eius cremetur super altare: posset tamen offerri sacerdotibus, ita vt ipsi comederent. Sic pater Leuit. cap. 2. scil. omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento erit: nec quicquam fermenti atque mellis adolebitur in sacrificio Domini: primitias tantum eorum offeretis & munera, super altare vero non imponẽtur in odorẽ suauitatis. Item erat simila immunda ad sacrificium, si forte fuisset commixta aqua: nam Deus iubebat, quod commisceretur oleo, vt patet hic & seq. cap. ergo si antequam aliquis eam ad sacrificium disponeret, fuisset aqua commixta: postea non erat munda ad hoc, quod commisceretur oleum illi. Item si simila tangeretur ab aliqua re immunda, non potẽrat applicari ad cultum Dei: quod patet. Multæ enim res sunt, quarum tactus efficit hominem immundum Leuit. c. 5. & 11. & 22. cum autem non requiratur in homine tanta munditia, sicut in rebus, quæ applicantur immediate Deo in sacrificiis, necesse est, vt illæ polluantur per tactum harum rerum, per quas homo polluebatur. Cum ergo simila fuit contacta à rebus huiuscemodi immundis, dicetur maculata: vt si super eam transeat reptile, vel cecidit super eam aliquod animal morticinum: & sic de similibus, & non poterit offerri. De oleo autem similiter dicendum est, quod posset esse maculatum, vel immundum, vtpote si habeat amurcam: Debet enim oleum esse purissimum, vt patet sup. in principio cap. ideo de illo non poterit conspergi simila ad sacrificium. Idem efficietur oleum immundum, si aliqua res immũda contigerit illud, sicut dicebatur de simila, & adhuc magis quam de illa: nam citius incurritur immunditia in rebus liquidis, quam in aridis, vt patet Leui. c. 11. ibi ex declaratis. Item poterat immũditia causari in oleo, si forte fuerit in domo, in qua aliquis moritur: quia si sit in vase nõ habente operculum, nec ligaturam, erit immundum: omnia enim liquida existentia in vasis non opertis efficiebantur immunda, vt patet sup. 19. c. & ibi declaratum est: quando ergo tale oleum esset in domo alicuius defuncti non poterat de illo postea fieri oblatio. Item de vino dicendum est, quod fiebat immũdum duobus prædictis modis. scil. si tangeretur ab aliqua re immunda, vel si esset in domo defuncti in aliquo vase discooperto. non poterat ergo postea de illo poni aliquid in sacrificio. De sale autem, & thure dicendum est, quo d efficiebãtur immunda per contactum

In libamentis qualiter accipitur ea esse immaculata.

B

C

rerum immundarum: & postea non poterant poni in sacrificiis. Quantum ad hos modos igitur aduertendum erat, quod ista animalia cum libamentis suis essent immaculata.

Quando phase, vel pentecostes veniebant in sabbatho, quot animalia erant immolanda.

QVÆSTIO XXIII.

QVæretur amplius circa festiuitatẽ phase, quando contingebat in sabbatho, quot animalia immolanda erant, vel an esset mutandum aliquid de sacrificio impediendo sacrificia vnius festiuitatis propter alterius festiuitatis sacrificium. Respondendum autem, quod si euenit dies azymorum in sabbatho, non erat mutanda festiuitas, aliàs solennitas sabbathi propter solennitatem azymorum, nec è contrario: immo dicendum aliquam diem de festiuitate azymorum necessario accidere in sabbatho, quia festiuitas ista durabat diebus septem, vt patet supra: sed in istis necessaria erat aliqua dies sabbathi: & tunc fiebant sacrificia vtraque, scil. immolabantur animalia quindecim, duo agni quotidiani sacrificij, & duo agni pertinentes ad sabbathum: septem autem pertinentes ad quamlibet diem azymorum, vt patet in litera: & duo vituli, & vnus aries atque vnus hircus pro peccato: dies autem azymorum, in qua manipulus spicarum consecrabatur, si accideret in sabbatho, habebat sedecim animalia ad immolationem: & hoc quia vnus agnus immolabatur cum manipulis spicarum, vt patet Leuit. cap. 23. Dicet aliquis, quid si accideret dies phase in festo calendarum, quia habebat multa sacrificia, vt patet supra? Respondendum est hoc esse impossibile, quia dies calendarum erat primus dies mensis: festiuitas autem phase erat die decimaquarta, festum vero azymorum die 15. vt patet supra: ideo nunquam in calendis accidere poterant.

D

Si festum pentecostes fuisset in sabbatho, an aliquod eorum mutaretur.

QVÆSTIO XXIV.

QVæret aliquis de festo pentecostes, an aduenientе ipso in sabbatho mutarentur sacrificia eius, vel sabbathi: & quid si in calendis eueniret, & quot animalia in illo immolabantur. Respondendum est, quod non mutabatur aliquod sacrificium diei pentecostes propter sabbathum: nec mutabatur aliquod sacrificium sabbathi propter pentecosten, & generaliter quando vnum festum coincideret cum alio, nunquam mutabatur aliquid vnius, sed sacrificia vtriusq, offerebantur: & sic essent plura sacrificia in die pentecostes, si accideret in sabbatho, quam aliàs, quia addebantur duo agni, qui pertinebant ad sabbathum specialiter, vt patet supra. Cũ autem dicitur, quid fieret si acciderit in calendis: respondendũ, quod si esset possibile, offerrẽtur omnia sacrificia tam calendarum, quam pentecostes: impossibile tamen erat, quia dies pentecostes erat quinquaginta diebus post festũ azymorum, vt patet Leuit. 23. capit. sed festum phase fiebat die 14. mensis primi: ergo festum pentecostes semper esset necessario die sexta mensis tertij: calendæ autem sunt primo die mensis: ideo nunquam poterat accidere pentecostes in calendis: quia apud Iudæos non erat festum mutabile, sicut apud nos. Cum autem dicitur quot animalia immolarentur die pentecostes: dicendum quod aut accidebat in sabbatho, vel non: si non in sabbatho offerebantur ex eis, quę apparent in hoc cap. 13. animalia. scil. duo agni pertinentes ad quotidianum sacrificium, & septem agni pertinentes ad pentecosten, & duo vituli ad idem festum, & vnus aries, & vnus hircus pro peccato. Si autem esset in sabbatho, immolabantur quindecim animalia, scil. tredecim supra dicta, & duo pertinentia ad sabbathum, scilicet duo agni.

E

An in die pentecostes offerrentur tantum animalia prædicta.

QVÆSTIO XXV.

QVæretur amplius an solum ista animalia offerrentur in die pentecostes. Respondendum quod plura offerebantur, vt patet Leuit. capit. 23. vbi ponuntur alia animalia. Sed tunc aliquis dubitabit, an illa coincidant cum istis, & videbitur quod sic, quia sicut hic ponuntur septem agni, ita & ibi: & sicut ponitur hic vnus hircus pro peccato, ita & ibi. Dicendum est, quod non coincidũt sacrificia, quæ habentur hic & ibi, quia hic iubetur quod offerãtur duo vituli in holocaustum, & ibi iubetur, quod offeratur vnus. Item hic iubetur offerri vnus aries, & ibi duo: ergo non coincidunt. Item patet, quia hic ponuntur sacrificia, quæ sunt directe pertinentia ad solennitatem, & non ex aliquo adiuncto. Leuit. c. 23. ponuntur sacrificia, quæ pertinent ad festiuitates ex aliquo adiuncto: quod patet, quia in festo azymorum solũ ponitur Leui. 23. vnus aries. hic autem ponuntur septem. Item quia ibi dicitur, quod ille agnus immolabatur cum manipulo spicarum, id est, tanquam aliquid accessorium ad manipulum: ista autem sacrificia, quæ habentur hic, iubentur sine determinatione ad aliquid: ergo ista sunt, quæ pertinent absolute ad festiuitatem: ille vero agnus non pertinebat directe ad sacrificia festiuitatis azymorum, sed propter manipulum, qui ibi consecrabatur. Item hoc patet in omnibus aliis festiuitatibus: nam omnia festa, quę habentur hic, habentur Leui. c. 23. & tamen non ponuntur ibi determinata sacrificia in aliquo festo, nisi in festo azymorum, & pentecostes, eo quod in eis erant

F

aliqua accessoria, scil. in festo azymorum consecrabatur manipulus spicarum,& propter illum offerebatur agnus,de quo Leuit.23. In festo autem pentecostes offerebantur panes primitiarum siue fruges, vt dicitur hic: & propter istas primitias offerebantur sacrificia, quæ habentur ibi, vt patet cum dicitur ibidem: Offeretisque cum panibus septem agnos immaculatos,&c. Dicendum igitur,quod omnia sacrificia, quæ habentur ibi,differunt ab istis: & consequenter dicetur, quod in die pentecostes, si esset in sabbatho, offerebantur 26. animalia,sc.duo agni pertinentes ad iuge sacrificium,& duo pertinentes ad sabbathum, & septem pertinentes ad diem festũ, qui habentur hic, & septem pertinentes ad panes primitiarum, de quibus ibi, qui simul sunt 18.agni: duo etiã vituli,de quibus hic, & vnus de quibus ibi,vnus etiã aries, de quo hic, & duo ibi,vnus vero hircus pro peccato hic,& alius ibi,& sic sunt simul 26.animalia. Si autem accideret non in sabbatho, erant 24.quia deficiebant duo agni pertinẽtes ad sabbathum.

CAPVT XXIX.

Sacrificium mensis septimi prima die.

MENSIS *etiam septimi prima dies venerabilis & sancta erit vobis. Omne opus seruile nõ facietis in ea, quia dies clangoris est & tubarum. Offeretisq; holocaustum in odorem suauissimum Domino, vitulum de armento vnũ, & arietem vnũ, & agnos anniculos immaculatos 7. & in sacrificiis eorũ similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietẽ, vnã decimã per agnũ, qui simul sunt agni septem: & hircum pro peccato, qui offertur in expiationem populi præter holocaustum calendarum cum sacrificiis suis, & holocaustum sempiternum cum libationibus solitis. Eisdem cæremoniis offeretis in odorem suauissimum incensum Domino.*

Catalogus omniũ sacrificiorum ponitur in hoc cap.

Festiuitates Iudæorũ erãt duplices.

Menses etiam. Dicto in superioribus de festiuitatibus primi, & tertij mensis, hic agitur de solennitatibus mensis septimi. In quo considerandum, quod legislator volebat ponere hic catalogum omnium sacrificiorum tam illorum, quæ erant in diebus profestis, quam in festiuitatibus: & posuerat de sacrificio dierũ profestorum,& de quibusdam festiuitatibus: hic autem subdit de aliis. Diuiditur autem in tria, primo agitur de festo clangoris, secundo de festo expiationis, tertio de festo tabernaculorum & collectionis. secunda ibi. *Decima quoque die.* Tertia ibi. *Quintadecima vero dies.* Circa primum considerandum est,quod festiuitates erant duplices apud Iudæos. scil. quædam eueniebant sæpe in anno, quædam autẽ semel. De primis erant duæ.scil.sabbathum, & dies calendarum, de quibus præcedenti cap.patet. secundæ erant quinque.scil.festiuitas azymorum,pentecostes,clangoris,expiationis,& tabernaculorum. De primis duabus quantum ad cæremonias suas actum est præc. cap.De aliis tribubus agitur hic:eo quod illæ erant in primo,& tertio mense:illæ autem, de quibus hic sunt in mense septimo. Et primo agitur de festo clangoris, sc. *Mensis etiam septimi.* Id est, etiam in septimo mense, scil.erunt festiuitates,sicut in primo & tertio.Iste mensis septimus non est, qui vocatur apud nos septimus,sc.Iulius,sed September, qui apud nos est nonus: & hoc quia Iudæi incipiunt annum suum à Martio, & primus mensis eorum semper est partim in Martio.*Prima dies venerabilis & sancta erit.* Id est,primus dies huius mensis est festum clangoris, & ob hoc venerabilis & sancta. Hoc autem dicitur quantum ad vacationem à laboribus.scil.erit sancta. i.Deo applicata,quia non applicabatur ad labores humanos, sicut cæteri dies: & quamquã dies,in quibus sacrificia specialia fiunt Deo per hoc applicentur: nunquam tamen consuetum est eos vocari sanctos,si non sint vacatiui à laboribus, vt patet præced. cap. de festo calendarum, & de quinque diebus azymorum, in quibus sacrificia offeruntur,sed non vocantur sancti. Idem est de sex diebus intermediis festiuitatis tabernaculorum. Dicitur autem dies ista venerabilis,id est,magna veneratione digna, quia non solum erat habens solennitatem sacrificiorum,sed etiam vacationis laborum, *Omne opus seruile non facietis in ea.* Exponendum est

Dies sancta quæ dicatur.

sicut fuit dictum præced. cap. scil.quod non liceret in hac die fieri aliquod opus seruile, sed solum licita erat paratio ciborum: omnes autem alij labores, sicut arare,metere,ædificare,& plantare,& humanę negotiationes non licebant:in sabbatho autem non licebant ista, nec etiam paratio ciborum, aut succensio ignis, quia erat maioris obseruationis, quam cætera festa: vnde qui in ea pararet cibos, vel succenderet ignem,occidebatur. Exod.35.cap. *Quia dies clangoris est & tubarum.* Id est,ista dies est celebris ab omni opere seruili,quia est dies clangoris, & tubarum, id est, in qua clangebatur tubis. Vocatur autem istud festum clangoris, quia clangebãt in eo: & fiebat (vt Iudæi dicunt) ad memoriam arietis, qui oblatus est pro Isaac.Nam cum iussisset Deus Abrahę,quod immolaret filium suum Isaac: postea dictum est,ne extenderet gladium suum super eum: sed datus est ei quidam aries hærẽs cornibus inter vepres,vt patet Gen.22. cap. Magis autem adhuc videtur, quod fieret ista buccinatio ad lætitiam festiuitatis,quam Deus celebrari volebat: potissimum quando erat annus septimus remissionis, qui in eodem mense celebrabatur, vel quando erat festum iubilæi. scil. de anno quinquagesimo in quinquagesimum: tunc enim per vniuersam terram iubebat Deus clangi buccinis. Nec tamen est penitus negandum, quod fieret buccinatio ista ad memoriam gaudij pro Isaac liberato à morte.

Tubæ, in quibus clangebatur, de qua materia essent.

QVÆSTIO I.

QVæret aliquis, quæ tubæ erant istæ, in quibus clangebatur, an essent argenteæ, vel de cornibus animalium. Respondebit aliquis quod erant argenteę:quia iusserat Deus de duabus tubis argenteis, de quibus supra c.10. quod Iudæi clangerent in eis, quando haberent epulum, aut dies festos, vel calendas. Hic autem erant duo horum, scil.dies festus, in quo celebrabantur sacrificia, erant & calendæ, quia ista erat prima dies mensis. Respondendum est, quod in hac die clangebatur duplici tuba, sc.in tubis argenteis & in buccinis corneis. Quod autem aliquando in cornibus fieret pulsatio, patet in Psal. 98. vbi dicitur: In tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ, tubæ ductiles vocantur tubæ argenteæ, quia illæ fiebant productiles extendendo materiam earum opere malleatorio: corneæ autem tubæ sunt de animalium cornibus: fiebat tamen regulariter pulsatio in tubis argenteis: ex causa tamen fiebat in tubis corneis. Vnde dicendum, quod in die clangoris clangebatur in tuba cornea ad solennitatem illius festi,& memoriam Isaac liberati, & arietis immolati pro eo. Deinde fiebat pulsatio in tubis argenteis, & ista fiebat propter duo, scil. propter festum calendarum, quod erat de illa, quia semper festum clangoris, & calendarum erant simul: in calendis tamen erat clangendum in tubis argenteis, vt patet c.10.sup.Secundum erat propter quod clangebatur in his tubis oblatio sacrificiorum: nam iubebat Deus,quod super holocaustis & pacificis hostiis clangeretur tubis argenteis, vt patet præalleg.cap.Ex vsu autem Iudæorum hoc apparet:nam ipsi die ipso clangunt in synagogis suis in buccina cornea, & non clangunt in argentea, quia non possunt facere sacrificia nunc, quibus correspondeat ille clangor tubarum. si tamen determinatus esset totus clangor huius diei in buccina argẽtea, sicut clangor super holocaustis, & pacificis erat determinatus ad tubas argenteas, Iudæi quoque nequaquam clangerent nunc in buccinis corneis,quia existimarent,quod infringebãt mandatum Dñi: ergo primus clangor diei huius fiebat in tubis corneis, nec de quibuscunq;, sed de arietinis solum, quia fiebat festum istud in memoriã arietis oblati pro Isaac.

Quare clangebatur tubis argenteis.

Quis clangebat in buccinis.

QVÆSTIO II.

QVæret aliquis,quis clangebat in his buccinis? Respondendum est,quod soli sacerdotes, vt patet sup. c.10. sc. filij Aaron sacerdotis clangent tubis: eritque hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris.Erant enim istæ buccinæ vasa sacra: ideo nemini licebat accedere ad eas, vel clan-

gere

A

gere in illis, nisi sacerdotibus: quia etiam quando ad bellum ibatur, sacerdotes clangebant his buccinis: iussit enim Deus, quod quando ad bellum eundum esset, clangeretur tubis supra cap. 10. scil. si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes, qui dimicant aduersum vos, clangetis vlulantibus tubis: & erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, vt eruamini de manibus inimicorum vestrorum. Sacerdotes autem clangebant in bello in his buccinis: nam quando iuerunt Israelitæ ad lustrandum per septem dies vrbem Iericho, sacerdotes septem præcedebant clangentes in buccinis septem, vt patet Iosue cap. 6. & sic nunquam erat aliquod bellū, ad quod non irent sacerdotes aliqui ex iussu legis, scil. saltem ad clangendum tubis. Erat tamen aliquod officiū eorum in bellis. sc. quod irent ad corroborandum & ad monendum exercitum ante pugnam. Modus autē admonitionis eius habetur Deut. cap. 20. pugnabant etiam aliquando sacerdotes in bellis: de quo magis declaratum est supra c. 1. & Iosue 11. cap.

Sacerdotes ad bellum ibant.

Talis clangor an debebat esse concisus vel prolixus.

Qvæstio III

B

Qværet aliquis de modo clangoris huius diei, an debebat esse concisus vel prolixus: ponebantur enim modi diuersi ad clangendum in tubis istis, quia istæ tubæ erāt ad multa: aliquando enim ad vocandum principes solum: aliquando autem ad vocandum totum populum: interdum autem ad mouendum castra, & vt populus cognosceret ex modo clangendi, ad quid clangeretur, distinxit Deus plures modos clangendi, de quibus patet sup. c. 10. In sacrificiis autem & omnibus festiuitatibus debebat fieri clangor nō continuus, nec prolixus, sed concisus minutissimis vocibus, & diuersis flatibus, qui est signum magnæ lætitiæ: sic quoque fiebat in omnibus aliis festiuitatibus, vt patet sup. c. 10.

Quomodo iste clangor differebat ab aliis.

Qvæstio IV.

Qværet aliquis, cum in calendis clangeretur tubis, vt patet Psal. 80. scil. Buccinate in neomenia tuba, id est, in lunatione noua. In aliis quoque festiuitatibus super sacrificia clangebatur, vt patet supra c. 10. scil. si quando habebitis dies festos, & calendas, canetis tubis super holocaustis, & pacificis, quare iste dies vocabatur clangoris. Respondendum est, quod clangor huius diei differebat à clangore aliarum festiuitatum in tribus, ex quibus accepit nomen clangoris specialiter. Primo differt, quia in aliis festiuitatibus generaliter clangebatur ad solennitatem, & lętitiam festiuitatis: & recordationem eorum coram Domino, vt patet sup. cap. 10. scil. si quando habetis, &c. & subditur: Canetis tubis super holocaustis, & pacificis victimis, vt sint vobis in recordationem Dei vestri. In ista autem solennitate pulsabatur ad monendum homines ad pœnitentiam, & hoc est valde rationabile: quia decima die mensis huius septimi erat dies expiationis, in qua vniuersa delicta remittebantur, & fiebat sacrificium pro peccatis totius populi, atque confessio eorum, vt patet Leuit. c. 16. ad remissionem autem peccatorum præexigitur dispositio in eo, cui fieri debet remissio, ideo per istos decem dies reconciliabantur Iudæi proximis suis debita soluentes, & iniurias remittentes, vt sic fieret expiatio in die propitiationis.

Clāgor huius diei differebat triplici-ter à clāgore aliarū festiui-tatum.

C

Secundo differt ista pulsatio ab aliarum festiuitatum clangore: quia in aliis festis clangebatur tubis ductilibus de argento, quas fecerat Moyses, vt patet supra cap. 10. & non solum in festis, sed & generaliter: nam in motu castrorum, & in vocatione principum ad consilium, & in vocatione populi his tubis clangebatur.

Idem quoque fiebat in bellis, vt patet præal. c. in iubilæis etiam, scil. annis quinquagesimis fiebat clangor in buccinis argenteis Iosue c. 6. vbi dicitur, quod sacerdotes sumerēt buccinas 7. ad clangendum, quæ erant buccinæ iubilæorum, & ibi erat clangor ad pugnam, sed constat quod in bello clangebatur in buccinis argenteis sup. c. 10. ergo in iubilæis quoque clangebatur in tubis argenteis. In hac autem festiuitate clangebatur tuba cornea, quia licet clāgor super sacrificia, & propter honorem calēdarum diei huius clangeretur in buccinis argenteis, tamen principalis clangor festiuitatis fiebat in tuba cornea ex causa supra assignata. Tertio differt ista pulsatio ab aliis festiuitatibus, quia ista fiebat in vocibus minutissimis, & velocissimis, in quibus est clangor concisus, & vlulatus, atque cum magno impetu: pultatio autem in aliis solennitatibus fiebat in quadam melodia, & cantando psalmos. Ista differentia tenet quantum ad clangorem, qui fiebat in hac die principaliter pro ipsa festiuitate, & in tuba cornea: secus autem de clangore, qui fiebat eadem die propter calendas, quæ tunc erant & propter sacrificia, quia iste nō differebat ab aliis solennitatibus, non tubarum argēteārum ductilium, sed tubarum cornearum de ariete, quia licet in hac die clangeretur tubis argenteis super sacrificia, tamen clangor principalis huius diei, à quo denominatur festum, erat in corneis tubis, ideo inter cæteros modos laudandi Deum musice posita est vox tubæ corneæ, vt patet Psalmus 97. scil. psallite Domino in voce psalmi, in tubis ductilibus, & in voce tubæ corneæ: sed non legitur aliqua dies in toto anno, in quo clangeretur tubis corneis, nisi hæc.

D

Offeretisq; holocaustum. Id est, omnia animalia, quæ infra habentur, offeretis in holocaustum.

In odorem suauissimum Domino. Id est, ista holocausta erant ad hoc, quod inde exhalaret odor suauissimus pro Deo, non quidem quod esset Deo suauis, quia eum non percipit, sed exponatur vt præcedenti capit. fuit declaratum. Iste autem odor suauis cum in omnibus sacrificiis sit, quia Deus illa acceptat ex deuotione, & obedientia offerentium, tamen specialiter conuenit holocausto, quia holocaustum fit solum ad Dei laudem, vt declaratum est Leuitici capitulo 1. hostia autem pacifica fit principaliter pro pace obtinenda, vel obtenta, sacrificium autem pro peccato directe fit ad expiationem peccatorum: Deus autem maxime acceptat id, quod in ipsum maxime tendit. De his Leuit. c. 1. dictum est.

E

Vitulum de armento vnum. Istud est primum holocaustum, & differt ab holocausto trium solennitatum positarum præcedenti cap. scil. calendarum, azymorum, & pentecostes, quia in qualibet earum offerebantur Domino vituli in holocaustum, vt patet ibidem, ponuntur autem hic omnia genera animalium immolatitiorum de quadrupedibus, quia sic fit in qualibet magna solennitate. De auibus autem nunquam dicitur, quod in talibus offerantur.

Quare de auibus nunquam offerebatur in talibus festiuitatibus, & de sacrificio Noe: in quo obtulit de omnibus volucribus, & pecoribus mundis post exitum de arca: & de sacrificiis pauperum, & diuitum in quibus poterant quadrupedia commutari in auibus propter paupertatem.

F

Qvæstio V.

Qværet autem aliquis quare non offerebantur aues.

Respondendum est secundum quosdam, quod non licebat eas immolari. Sed hoc notissime est falsum, cum per totum Leuiticum multoties legantur aues oblatæ. Idem patet Lucæ c. 2. nam in duobus generibus sacrificiorum poterant offerri volatilia, scil. in holocaustis, de quo Leuit. c. 1. & in sacrificiis pro peccato, vt patet Leuit. c. 5. Sed dicendū est, quod nunquā iubentur offerri volatilia in his festiuitatib. quia nunquā lex iussit offerri volatile, nisi propter paupertatē offerentis, quod patet, quia volatilia solū offerebātur in holocaustis, & in hostiis pro peccato, vt probatū est. In hostiis aūt pacificis nunquā offerebātur, vt declaratum fuit c. 3. quod autē in holocaustis propter paupertatem solam offerrentur, patet Leui. c. 12. vbi iubebatur, quod mulier post purificationem suā, siue pro filio, siue pro filia offerret agnum anniculum in holocaustum, & vnū turturem, vel vnum pullū columbę pro peccato: postea aūt dicitur, quod si non potuerit manus eius offerre agnum, sumet duos turtures, vel duos pullos columbarū, simile patet Leui. c. 14. de purificatione leprosi, vbi iubentur offerri duo agni, & agna annicula: & vnus eorū erat in holocaustum. Postea autem subditur, quod si pauper est, & nō potuerit manus eius inuenire ista, loco duorum agnorum offerret

duos turtures, & tamen vnus illorum agnorum erat pro holocausto.

Item offerebantur volatilia interdū pro peccato, sed nunquam iubebantur offerri, nisi propter paupertatem, vt patet Leuit.c.5. vbi dicitur, quod peccās offerat agnam, vel capram pro peccato, si autem nō potuerit offerre pecus, offerat duos turtures, sic in omnibus aliis: nunquam enim, nisi pro paupertate volatilia offeruntur. Hic autem non erat aliqua paupertas offerentis, quia ista non offerebantur ab aliqua persona priuata, quæ posset esse pauper, sed offerebantur de pecuniis Sanctuarij: semper autem Sanctuarium abundabat, ita vt posset habere animalia, quę iussa erant immolari.

Aues an ex sola paupertate offerebātur. Primo. Secūdo.

Sed obiicietur, quod volatilia aliquando offerebantur, & non ex paupertate, sed cum aliis sacrificiis. Sic patet Gen.c.15. vbi Abraham obtulit de bobus, arietibus, & capris, & turtūribus, & diuisit omnia per medium præter aues: & tamen ibi non erat aliqua paupertas, præcipue cum super omnia alia animalia immolatila volucres fuerint immolatæ. Idem patet Gen.c.8. cum dicitur, quod Noe ædificauit altare Dño, & immolauit de omnibus volucribus, & pecoribus mundis. Item patet hoc Leui. c.1. vbi post immolationem boum, ouium, & caprarum in holocaustū dicitur de immolatione volatilium.

Respondetur ad primum, quod illud non fuit sacrificium aliquod, quod Abraham fecit, sed fuit quædam cæremonia ad componendum fœdus. volebat enim Deus ponere fœdus cum Abraham promittendo ei terram Chanaan, & accipiendo eum, & semen eius in speciales cultores, & quia inter gentes fiebat fœdus occidendo aliqua animalia, & secando ea in partes: & inter illas transibant postea, qui fœdus iniebant significantes per hoc, quod quicunque infringeret compositum fœdus diuideretur, vt illa animalia, sic autē Deus obseruauit cū Abraham, quia iussit animalia diuidi in partes æquales, & poni illas oppositas altrinsecus, ita vt inter eas esset via. Et tunc sequitur ibidem, quod apparuit lampas ignis transiēs inter diuisiones illas, illa autem erat repræsentans Deum transeuntem ad componendum fœdus. Et patet hoc magis, quia in eadem litera dicitur, in die illa pepigit Dominus fœdus cum Abraham dicens: semini tuo dabo terram hanc, &c. non erant ergo animalia ista oblata in sacrificiū, sed ad faciendum fœdus, ideo non est arguendum de illis ad sacrificia. Ad secundum cum dicebatur de Noe, quod obtulit holocausta de omnibus volucribus, & pecoribus mundis, responderi posset dupliciter. Primo, quia ibi fuit ratio specialis, quia Noe voluit impendere Deo quoddam obsequium pro suscepto beneficio liberationis in aqua diluuij: nihil autem videbatur magis exprimere diuinā dignitatem, quam sacrificium, ideo impendit illud, & quia in aquis diluuij fuerant liberata omnia animalia, quæ in arca recondita erant, obtulit Noe de omnibus, vt sicut in omnibus fuerat susceptum beneficium diuinum, ita in omnibus impenderetur Deo aliquod obsequium immolando quædā de illis. Immolasset autem Noe de omnibus simpliciter, sed quia quædam erant immunda, & nō conueniebant ad dignitatem sacrificij, immolauit de solis mundis pro omnibus aliis. Simile autem fuit in exitu de Ægypto in Iudæis. Deus enim tunc percussit omnia primogenita Ægyptiorum ab homine vsque ad pecora conseruans primogenita Hebręorum tam in hominibus, quam in pecoribus: ideo iussit quod applicarentur ei omnia primogenita tam hominū quam pecorum. Exo.13. & 34. & ob hoc omnes Leuitæ assumpti sunt ad cultum Dei pro omnibus primogenitis Israel, & pro cæteris soluebatur pretium. sup.c.3. f. pro quolibet quinque sicli: pecora autem primogenita immolabantur sup. c.18. Aliter responderi potest, & magis in radice. scil. quod non est simile de oblatione Noe, & oblationibus, quæ fiebant in veteri testamento, quia illa non fuit facta secundum aliquam legem directiuam, sed ex voluntate Noe. in veteri autem testamento fuerunt datæ leges de modo oblationum, & de animalib. offerendis, nec poterāt alia animalia aut ex aliis causis offerri, quam vt iusserat, & quia solum statuerat Deus volatilia immolari propter paupertatem offerentium, vt patet in exemplis inductis, non poterat aliud immolari. In Noe aūt fuit valde dissimile, quia ipse obtulit de omnibus animalibus mundis, tam volatilib. quam pecoribus. & tñ manifestum est, quod non licebat hoc in veteri testamēto, nam erant animalia munda omnia, quæ licebant ad esum, tempore tamē Noe nullum animal erat illicitum, nisi quod homines comedere horrerent, sicut nunc in nobis est. Item dato, quod acciperētur animalia munda secundum legem Moysi erant 10. pecora munda, vt patet Deut.c.14. de illis tamen solum tria immolari poterant. sc. bos, ouis, capra, vt patet per totum Leuit. Itē de auibus mundis secundum legem Moysi, quia omnes erant mundæ, nisi illę, quæ exprimuntur tanquam immundæ. Leuit.11. & Deut,14.c. de omnibus tamē illis non licebat immolari, sed solum de turturibus, & columbis Leui.c.1. & per totū librum. Ad tertium respondetur cum dicitur, quod Leui. c.1. ponitur holocaustum de volatilib. postquam positum est de omnibus pecorib. mundis, & sic non fit propter paupertatē, vel in commutationem, respondendū est, quod ibi non iubetur quidquā offerri, sed ponitur regula de cæremoniis holocaustorum, quia aliquādo contingeret fieri holocausta de volatilib. sc. propter paupertatem offerentium ponitur modus cæremoniarum eius, & sic stat ista ratio. sc. quod nō offerantur in istis festiuitatibus aliqua volatilia, quia illa solum erant propter paupertatem offerentium, & in commutationē pro pecorib. Alij dicunt, quod non offerebantur aues in solennitatibus, quia aues significant vitam contemplatiuorum, qui quasi columbæ ad altra volāt, & manent in nidis suis. sin celsitudine cōtemplationis, de quibus Isa. c.40. qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas? oblationes autem factæ in magnis solennitatibus pro toto populo fiebant, qui contemplatiuus non est, sed implicitus actionibus, Ista causa tamen multū allegorica est: nam si propter hoc fieret etiam diceremus, quod pauperes non offerrēt columbas, quia non erat generale de omnib. pauperib. quod essent magis contemplatiui, quam diuites: sed standū est primæ rationi, quæ est literalis. Vitium est n. in aliquo expositore sacrę scripturæ, si existente causa literali recurrat ad allegoricā: nam in metaphoris non est arguere: quia secundū Dionysium mystica Theologia non arguit, i. illa, quæ fundatur super sensu allegorico. *Arietem vnum.* Hoc erat generale in aliis festiuitatib. quod offerretur vnus aries, vt patet hic, & præced. c. Dicunt aliqui, quod iste aries offerretur in memoriam arietis immolati pro Isaac, cum ista festiuitas fieret in memoriam illius, & hoc satis rationabile est. *Agnos anniculos immaculatos septē.* Quomodo agni sint anniculi, & quomodo immaculati præced. c. declaratum est. Etiam ponuntur septem, sicut in omnib. aliis festiuitatibus Ra Sa. dicit, quod immolabātur ad significationem populi Israel, quia erant Israelitæ tanquam agni dispersi. Sed hoc non conuenit omni tempore, immo in tempore illo quo Israelitæ erant dispersi, nō poterant sacrificare, sicut nūc sunt: & quandocunq; ducebantur captiui extra terram suam: sed magis dicendum est, quod numerus istorum animalium immolandorum erat ad placitum legislatoris. *Et in sacrificiis eorum* i. in libamentis suis ponētur ea, quæ habentur inf. nunquam n. accipitur hic nec in præced. c. sacrificium pro carnib. immolatis, sed pro libamētis, quamquam in hoc differt, quia aliquando accipitur multum stricte, sc. pro simila, & tunc vinum, oleum, thus, & sal vocantur libamina, sic patet inf. in omnibus octo diebus tabernaculorum, & in festo expiationis. Aliquando autem accipitur sacrificium magis generaliter. sc. pro simila, & oleo saltem, vt hic, & præced. c. *Similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos.* i. sacrificia ista erant similæ. i. de simila conspersa oleo, & hoc tam in vitulis, quam in arietib. & agnis. Et dicitur, quod in quolibet vitulo erunt tres decimę de simila. de oleo autem ad conspergendum illam intelligendum est, quod esset medietas hin, quia istud fiebat in omnibus vitulis, vt patet præced. cap. & sup. 15. cap.

Quare dicatur per singulos vitulos, cum vnus tantum offerri iubeatur.

QVÆSTIO VI.

QVæretur, quare dicitur hic per singulos vitulos, cū iubeatur offerri vnicus vitulus? Responderi posset, quod ponitur hic plurale pro singulari, & aliquando ex modo loquendi sic accidit, vt cum dicimus aliquem habere filios, qui vnicū filium habet: sic n. patet Gen.46.c. vbi dicitur. Dan habuisse filios, & tamē vnicus filius eius est. Itē sup.c.26. ponuntur cognationes filiorum Dan, & tamen cognatio vnica erat, vt patet ibid. Sed ista responsio non multum stat, quia si poneretur

A retur plurale pro ſingulari ſolũ diceretur per vitulos, & non diceretur per ſingulos, quia ſingulus eſt nomen diſtributiuũ, & neceſſario ſignat multitudinem. Ideo reſponderi debet, quod ponitur per ſingulos vitulos non ſolum ad ſignificãdum iſtum vitulum huius diei, ſed etiam ad ſignandum omnes vitulos aliarum ſolennitatum: quia generale erat, quod in quolibet vitulo quandocunq; offerretur, darentur tres decimæ. Aliter autem adhuc conuenientius reſpondebitur. ſ. quod in hac die offerebantur tres vituli. ſc. vnus, qui iubetur hic propter feſtum clangoris, & duo qui offeruntur propter feſtũ calendarum, vt patet præced. c. & quia omnes iſti offerebantur cum libamentis ſuis, pro quolibet eorũ dandæ erant tres decimæ. *Per arietem duas decimas.* Etiã hoc generale erat, duo autem arietes offerebantur in die hac. ſc. vnus pro feſto clangoris, & alius pro calendis: hic autem ſolum dicitur de primo. *Vnam decimam per agnum.* i. vnam decimam ephi. ſc. Gomor vnum, & non accipitur hic decima, ſicut præced. cap. quia ibi dicebatur decima decimæ offerenda per agnum, & illa erat reſpectu cori, & non ephi. hic autem dicitur ephi. *Et hircum pro peccato, qui offertur in expiationem populi.* Id eſt, etiam offerretur vnus hircus pro peccato, & iſte erat ad expiationem peccati populi, quia ſacrificia iſta erant de communibus expẽſis, cum eſſent de pecuniis Sanctuarij, & illæ dabantur à toto populo: ergo pro expiatione totius populi immolari debebant.

B in hoc autem manifeſtum eſt, quod quærebatur præced. cap. ſc. pro cuius peccato immolaretur iſte hircus. Dicendum autem, quod ſicut iſte, de quo hic immolatur ad expiationẽ populi: ita & omnes alij, qui iubentur offerri in cæteris feſtiuitatibus, ſunt ad expiãdum pro toto populo. Sed arguetur, quia Leuit. 4. c. iubetur, quod pro peccato populo offerretur vitulus, & pro peccato principis hircus. Reſpondendum, quod illud tenet, quando erat aliquod peccatum determinatum, ſc. populus ſciebat ſe offendiſſe in aliquo offerebat vitulũ, cum autem iubetur hic offerri hircus, intelligitur de peccatis non determinatis, ſ. totus populus non erat ſibi conſcius alicuius peccati, propter quod deberet ſecundum legem offerri ſacrificium, quia tamen manifeſtum eſt, quod ſemper homines habent aliquid, quod expiari poſſit, iubebatur in ſolennitatibus offerri hircus pro peccato populi, ſi tamen contingeret, quod populus eſſet ſibi conſcius alicuius delicti, pro quo ſecundum legem offerre deberet ſacrificium, & vellet offerre ſacrificium in die clangoris, vel alterius feſtiuitatis, non excuſabatur, quod offerretur ſacrificiũ vituli, quod aliàs offerendum erat. *Præter holocauſtum calendarum.* Id eſt, iſta omnia offerentur, quæ dicta ſunt, & præter hæc offereretur holocauſtum calendarum, id eſt, omnia ſacrificia, quæ offerẽda erant in calendis, non ſolum holocauſta, ſed etiam pro peccato. Erat n. ſemper feſtum clangoris in die calendarũ, cum iuſſum eſſet, quod dies clangoris ſemper eſſet prima dies ſeptimi menſis. Vnde crederet aliquis, quod per ſacrificia feſtiuitatis clãgoris

C quæ poſita ſunt, excuſarentur ſacrificia calendarum. erat n. ad hoc magna veriſimilitudo, quia eadem penitus ſacrificia erãt diei clangoris, & feſti calendarum, ſolum erat exceſſus in vno vitulo, quia in die calendarum duo vituli offerebantur, vt patet præced. c. die autem clangoris vnicus offerri iubetur, vt patet hic, ideo dicitur, quod hæc offerrentur præter ſacrificia calendarum, quia Deus nunquam volebat aliquid iſtorũ deficere, ſed magis abundare ad gloriam ſuam, & ad vtilitatẽ ſpiritualem totius multitudinis. *Cum ſacrificiis ſuis.* Id eſt, cum libamentis, ſ. quod etiam non omitterentur libamenta holocauſtorum diei calendarum. Accipitur tamen hic ſpecialiter ſacrificium pro ſimila, quia infra ponuntur libationes, quæ ſunt alia libamenta, ſc. vinum, & oleum. Erant aũt in feſto calendarum multa holocauſta, in quorum quolibet erat ſacrificium ponendum, & libamina, vt patet præced. c. *Et holocauſtũ ſempiternum.* Id eſt, etiam offertur ſacrificium quotidianum, ſ. agnus matutinus, & veſpertinus, quod ſempiternum dicitur, quia ſemper offerebatur nulla die interpoſita. Vel ſempiternum, quia vſq, ad ſemper duraturum erat. *Cum libationibus ſuis.* Id eſt, etiam offerentur libamina cum his holocauſtis, & ſacrificiis. Per libationes intelliguntur hic vinum, oleum, thus, & ſal: ſimila autem non intelligitur per hæc, ſed per ſacrificia, vt dictum eſt ſupra. *Eiſdem cæremoniis.* Id eſt, omnes cæremoniæ, quæ aliàs obſeruabãtur in iſtis victimis quantum ad modum agendi ſacerdotũ obſeruabuntur hic, ſ. quantum ad immolationem, decoriationẽ, ſanguinis oblationem, partiũ diuiſionem, & cremationẽ ſuper altare. De his cæremoniis Leui. c. 1. iſta aũt ſeruanda erant æqualiter in omnibus diebus, cũ offerrentur victimæ. Dicitur autẽ hoc, quia crederet aliquis, quod propter multitudinem ſacrificiorum eiuſdẽ diei. & magnam temporis moram in aliis deberent in iſtis cæremoniæ breuiari, vel aliquæ prætermitti. dicit ergo Deus, quod nec breuiabuntur nec prætermittentur, ſed eædem erunt cæremoniæ, quæ in aliis diebus, quando fiebãt pauca ſacrificia oferebantur, obſeruabuntur. *Offeretis in odorem ſuauiſſimum.* Id eſt, iſta omnia offeretis ad hoc, quod ex eis cauſetur odor ſuauis Domino, quando fuerint combuſta. *In incenſum Domino.* Id eſt, iſta ſuprapoſita offerentur Domino in incenſum, id eſt, incenſa, ſcil. quod offerantur ad hoc quod incendantur, & non accipitur hic incenſum pro thure.

D

Quot animalia immolabantur in die clangoris.

QVÆSTIO VII.

QVæret aliquis, quot animalia immolabãtur in die clangoris. Reſpondẽdum, quod cum dies clangoris, & calendarum ſint idem, ex neceſſitate debent victimæ vtriuſque computari ſimul. Erant aũt duo vituli pro calendis, & vnus aries, & ſeptẽ agni, & vnus hircus pro peccato, quæ ſimul ſunt 11. pro feſto autem clangoris erant 10. animalia, ſc. omnia hæc præter vnum vitulum, quæ ſunt 21. animalia, addebantur autem duo agni pertinentes ad ſacrificiũ quotidianum, & erant ſimul 23. hoc autem ſi non accideret feſtum clangoris in ſabbatho, ſi autem accideret in ſabbatho, addebantur duo agni pertinentes ad ſabbathum, vt patet præced. c. & ſic erant 25.

E

Decima quoque dies menſis huius ſeptimi erit vobis ſancta atq; venerabilis, & affligetis animas veſtras: omne opus ſeruile non facietis in ea. Offeretisque holocauſtum Domino in odorem ſuauiſſimum, vitulum de armento vnum, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos ſeptẽ, & in ſacrificiis eorum ſimilæ oleo conſperſæ tres decimas per ſingulos vitulos, duas decimas per arietem, decimam decimæ per agnos ſingulos, qui ſunt ſimul ſeptem agni: & hircum pro peccato, abſque his, quæ offerri pro delicto ſolent in expiationem, & holocauſtum ſempiternum, cum ſacrificio, & libaminibus eorum.

De die expiationis.

DEcima quoque dies. Hic ponitur ſecundum huius cap. ſ. de die expiationis, vocatur autem iſta ſolennitas dies expiationis, vel dies propitiationis, vocatur dies expiationis ab expiando, i. purgando, quia tũc fiebat purificatio pro omnib. peccatis populi, & fiebãt ſacrificia, atq; ſanguis introducebatur in Sancta ſanctorũ, vt patet Leuit. 16. Dicitur aũt dies propitiationis à propitiando, i. miſerendo, quia Deus miſerebatur die illo ſpecialiter Iſraeli remittendo omnia peccata illius.

F

Sciendum, quod de iſta feſtiuitate agitur in tribus locis. ſ. Leuit. 16. & 23. & hic. In primo horum ponitur de modo ſacrificiorum, quæ pertinent ad expiationem illius diei, & de ſanguine introducendo in Sancta ſanctorum, aliisque cæremoniis pertinentibus ad ſacerdotem magnum, in ſecundo agitur de obſeruatione huius feſtiuitatis à laboribus, & de affliction illius diei. Hic autem agitur de ſacrificiis, quæ pertinebant ad ſolennitatem huius diei, & non erant ad expiandum, & dicitur hic dies decima menſis ſeptimi. ſ. Septembris, qui ſeptimus eſt apud Iudæos, & non eſt dies decima iſta, quæ eſt decima dies menſis Septembris apud nos, quia ipſi incipiunt menſes per lunationes, & contingit aliquando, quod dies iſta decima ſit vltima dies menſis Septembris apud nos, vel ſit in menſe Octobri: nam lunatio iſta eſt principium Septembris apud Iudæos, quæ propinquior eſt æquinoctio autumnali, Eſt aũt æquinoctiũ vltra medietatẽ Septembris, ideo continget, quod lunatio incipiat per 13. vel 14. dies poſt æquinoctiũ, & tunc eſt principiũ Septẽb. Iudæorum in fine Septẽbris noſtri, & coincidet tunc Septẽber eorum cũ toto noſtro Octobri, ideo oẽs iſtę 3. feſtiuitates. ſ. clangoris, ꝓpitiationis, & tabernaculorũ poſſunt accidere in Octobri noſtro, vt communiter: tamen dies clangoris eſt in Septembri noſtro, dies autẽ propitiationis æqualiter accidit, quod ſit in Septembri, vel in Octobri, feſtum autem tabernaculorum, vt communi-

A

teraccidit in Octobri noſtro potiſſime extremitas eius. Sciẽdum tamen, quod prima dies Septembris noſtri non poteſt eſſe dies clangoris, & feſtum propitiationis non poteſt accidere die decima noſtri Septembris, quia ad hoc oportebat, vt prima dies menſis Hebræorum eſſet eadem cum prima die Septembris noſtri, ſed hoc eſt impoſſibile, quia licet accideret lunatio prima die Septembris, tamen Iudæi non inciperent ibi Septembrem ſuum. Cauſa eſt, quia iſta lunatio magis diſtaret ab æquinoctio autumnali, quam ſequens, quia prima dies menſis Septembris diſtat ab æquinoctio pluſquam per mediam lunationem, ergo ſequens lunatio erit principium Septembris Iudæorum. neceſſe eſt igitur, vt nunquam ſit dies clangoris in prima die Septembris noſtri, & dies propitiationis nunquam ſit in decima die Septembris, & feſtum tabernaculorum nunquam ſit in die 15. ſed ſemper poſt.

Erit vobis ſancta atque venerabilis. Id eſt, erit vacatiua ab omnibus laboribus, eſt autem ſancta, id eſt, Deo applicita, venerabilis, id eſt, magnæ venerationis. Et quamquam non dicatur hic de iſta feſtiuitate pluſquam de aliis, tamen intelligendum eſt, quod magis venerabilis erat, quam aliæ in vacatione à laboribus vt infra patebit.

Et affligetis animas veſtras. Id eſt, affligetis voſipſos. Iſta afflictio eſt in priuatione omnium delectationum tam licitarum, quam neceſſariarum, dico autem neceſſarias, vt ſumere cibum, & potum, dico autem licitas, vt exigere debitum, vel reddere, lauare corpus, & ſimilia, quæ aliis temporibus licita erant. Hac aũt die nullum horum licebat: nam non debebant Iudæi comedere aut bibere toto hoc die, & quicunq; comederet, occidebatur. Etiam ceſſabant à petitione, & redditione debiti, nam in hoc conſtiſtebat quædã recreatio, quamquã licita: ſed iubebatur quod omnes homines ſe affligerent, & qui non affligeretur, periret de populis ſuis. Leuit. c. 23. ergo non debebat peti, aut reddi debitum. Et ſic de cæteris delectamentis humanis, vnde Iudæi in hac die nunc per totum diem ſine cibo, & potu manent, ſcil. non comedentes in 24. horis, quia à præcedenti nocte à ſolis occaſu incipiunt affligi non comedendo, & bibendo, manent in hac afflictione vſque ad ſequentem diem ad ſolis occaſum, ſcil. per vnum diem naturalem. Etiam in hac die non ſumunt calceos, ſed tota die in ſynagogis manent orationi, & lectioni vacantes, Etiam non exigunt debitum nec reddunt, nefas quoque apud eos eſt alicui delectamento vacare.

Omne opus ſeruile non facietis in eo. Vocatur opus ſeruile, ſicut ſupra dictum eſt, omne quod eſt præter parationem ciborũ. Vnde quando ſolum vetatur opus ſeruile, non vetatur paratio ciborum. Non eſt tamen intelligendum, quod in hac die ſolum vetetur opus ſeruile, ſicut in cæteris, ſed etiam omnia opera, ſic patet Leuit. 23. capit. vbi in omnibus feſtiuitatibus iubetur, ne fiant opera ſeruilia ſolum, in ſabbato autem, & in die expiationis iubebatur, ne fieret aliquod opus, ſcil. quia nec cibi parabantur, nec incendebatur ignis, aut aliquid alterum fiebat: in cæteris vero feſtiuitatibus licita erant hæc: & ſic videntur quantum ad hoc ſabbathum, & dies expiationis æqualia in vacatione à laboribus, & tamen non ſunt penitus æqualia, quia in die ſabbathi licet eſſent cibi neceſſarij, non parabantur, nec ſuccendebatur ignis, in die autem propitiationis non parabantur cibi, quia nõ erant neceſſarij, cum eadem die nihil comeſturi eſſent Iudæi, non licebat tamen parari cibos, ſi vellent eos pro ſequenti die parare, quia nullum opus fieri debebat. *Offeretisque holocauſtum*, ſcil. omnia holocauſta, quæ infra habentur. *Vitulum de armento vnum.* Hic ponuntur eadem ſacrificia penitus, quæ in feſto clangoris ablatis ſacrificiis calendarum, quæ ſemper erant in feſto clangoris, & nunquam poterant eſſe in die expiationis, ponuntur quoque eadem libamenta, quia in illa regulariter offerebantur, quando talia animalia offerrentur. *Et hircum pro peccato.* Iſte eſt qui offerebatur in omnib. feſtiuitatibus ad expiationẽ, & non eſt ſpecialiter pertinens ad expiationis feſtiuitatẽ. *Absq; his, quæ offerri pro delicto ſolent in expiationem.* i. iſta omnia offerrentur, & præter hæc offerrentur omnia alia, quæ pertinent ad expiationem. ſcil. vnus vitulus, & vnus aries. ſc. vitulus pro peccato, & vnus aries pro holocauſto: inſuper accipiebantur duo hirci, vnus ad immolandum eum prò peccato populi, & introducendum de ſanguine in Sancta ſanctorum, & alius ad mittendum in caprum emiſſarium. De his Leuit. 16. c.

B

C

D

Quomodo dicitur, quod offerebatur iſte hircus in expiationem.

QVÆSTIO VIII.

QVæret aliquis quomodo dicitur, quod offerebatur iſte hircus in expiationem, præter alia quæ offerebantur in expiationem, omnia n. videntur in expiationem oblata. Reſpondendum eſt, quod in die expiationis fiebãt ſacrificia duplicia quædam, quæ erant ſolum ad expiandum pro peccato, & alia, quæ erant ad ſolennitatem ipſius feſti, differebant autem hæc, quando vitulus, & aries, & duo hirci, de quibus Leuit. c. 16. erant proprie ad expiandum, quæ autẽ habentur hic, magis erant ad ſolennitatem feſti: differebant quoque ex cæremoniis veſtium. Nã ſacerdos magnus faciebat ſacrificia illa, de quibus Leui. 36. c. indutus veſtibus minoris ſacerdotis. ſc. fœminalib. lineis, & tunica linea, & zona linea, & cidari. Cũ vero offerebat ſacrificia, de quibus hic erat indutus veſtibus ſummi pontificis. Itẽ differebant iſta ex fine, quia prima erant ſolum ad expiandum, ſecunda autem quamquam aliquo modo expiarent, tamen magis erant ad honorem feſtiuitatis. Cęremoniæ erant quoque in eis diuerſæ. Pro quo conſiderandum, quod ordo in celebrandis ſacrificiis huius feſtiuitatis erat, quod primo fieret ſacrificium matutinum, quod in nulla die dimittebatur, de quo dicitur immediate ſpecialiter. Iſtud autem poterat facere quicunque ſacerdos minor, quia non pertinebat ad ſacrificia diei expiationis: deinde ſummus ſacerdos induebatur feminalibus lineis, & tunica linea, & zona, & cidari, quę erant veſtes ſacerdotum minorum, & in iſtis procedens immolabat vnum vitulum, & vnum arietẽ pro ſe, & domo ſua, ſ. vitulum pro peccato, & arietem in holocauſtũ: erant autem iſta animalia de expenſis ſuis: deinde accipiebat à populo duos hircos, ſuper quos mittebat ſortes duas, ſ. vnam ad immolandum, & aliam ad mittendum caprum in ſolitudinem, & ſecundum has diſtinguebantur illi duo hirci, & tunc ſacerdos confitebatur peccata totius populi ſuper hircũ mittens eum in ſolitudinem prius immolato alio hirco, & introeundo in Sancta ſanctorum ad expiandum cum ſanguine vituli, & hirci, quibus factis ſacerdos magnus exuebatur veſtibus prioribus, & lauabat ibi carnem ſuam: rurſus aũt induebat veſtes pontificales, & faciebat omnia ſacrificia, quæ habentur hic, & illa iam non pertinebant ad expiationem, quia in prioribus ſacrificiis facta eſt expiatio, quorum ſanguis fuit introductus in Sancta ſanctorũ. De hoc latius, & diſtinctius dictum eſt Leuit. c. 16. & quantum ad hoc patet, quod omnia iſta holocauſta diſtinguantur à ſacrificiis expiationis, de quibus Leui. c. 16. quia ad expiationem directe pertinent ſacrificia pro peccato, de quorum ſanguine introducebatur in Sancta ſanctorum, hæc autem holocauſta erant, quorum ſanguis effundebatur per parietes altaris holocauſtorum, ſed de ſacrificio iſto pro peccato, de quo dicitur hic, quod erat in expiationem eſt maius dubium, & dicendũ eſt, quod iſte hircus non erat aliquis de illis duobus, qui habentur Leuit. c. 16. illi enim proprie erant ad expiationẽ, quia vnus erat ad expiandum, ſcil. quod ſacerdos confiteretur omnia peccata populi ſuper ipſum, & portaret illa in ſolitudinem, quod eſt expiare populum ab iniquitatibus: alius autem erat ad expiandũ, quia immolabatur, & de ſanguine illius introducebatur in Sancta ſanctorũ ad aſpergendum corã propitiatorio, quod erat proprie expiare, erant quoq; iſti hirci pro peccatis populi tã pro illis, quæ neſciebantur, quã prò illis, quæ confitebatur ſacerdos ſuper hircum, & erant determinata, iſte autem hircus, de quo hic non erat, pro aliquo peccato determinate, quod ſacerdos confiteretur, ſed erat in generali. Nec fiebat directe, & principaliter iſtud ſacrificiũ pro peccato ad expiationem, ſed magis ad ſolennitatem feſti, ideo præter iſtum hircum offerebantur alij duo pro peccato Leuit. 16. cap.

Ordo celebrãdi ſacrificia huius feſtiuitatis.

E

Et holocauſtum ſempiternum. Id eſt, etiam præter iſta offerebatur holocauſtum iuge, ſcil. matutinum, & veſpertinum, quod ex nulla cauſa omittebatur.

In ſacrificio, & libaminibus eorum. Id eſt, offerentur omnia iſta in ſacrificio, id eſt, cum ſacrificio. In enim ſignificat cum, ſic patet Gen. 32. cap. ſc. In baculo meo tranſiui Iordanem iſtum, id eſt, cum baculo. Et vocatur hic ſacrificium ſimila, quæ offerebatur cum quolibet iſtorum animalium, non quidem

F

cum

A

cum animalib. immolatis pro peccato, sed cum aliis, quia pro peccato non dabatur libamentum, sed solæ carnes animalis.

Quot animalia offerebantur in die expiationis.

QVÆSTIO IX.

QVæret aliquis, quot animalia offerebantur in die expiationis.

Respondẽdum est, quod aut erat in die sabbathi, aut non, si primo modo offerebantur 18. animalia, scil. 10. quæ habentur hic, vnus aries, vnus vitulus, septem agni, & vnus hircus, offerebantur etiam quatuor pertinentia specialiter ad expiationem, scilicet vnus vitulus, vnus aries, & duo hirci. Sed vnus istorum non immolabatur, quia mittebatur in caprum emissarium. de his Leuit. cap 16. offerebantur etiam duo agni pertinentes ad sabbathum, & duo alij pertinentes ad quotidianum sacrificium, quæ simul sunt 18. si autem non accideret dies propitiationis in sabbatho, offerebantur solum 16. demptis duobus agnis pertinentibus ad sabbathum. In calendis autem nunquam poterat accidere festum expiationis, quia erat semper decima die mensis septimi, calendæ autem erant die prima.

B

Sacrificium 15 diei septimi mensis.

Quintadecima vero die mensis septimi, quæ vobis sancta erit atque venerabilis, omne opus seruile non facietis in ea, sed celebrabitis solennitatem Domino septem diebus. Offeretisque holocaustum odorem suauissimũ Domino, vitulos de armento tredecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: & in libamentis eorum similæ oleo conspersæ tres decimas per vitulos singulos, qui sunt simul vituli tredecim, & duas decimas arieti vno, id est, simul arietibus duobus, & decimam decimæ agnis singulis, qui sunt simul agni quatuordecim, & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, & sacrificio, & libamine eius. In die altero offeretis vitulos de armẽto duodecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim, sacrificiaq;, & libamina singulorum per vitulos, & arietes, & agnos rite celebrabitis, & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque, & libamine eius. Die tertio offeretis vitulos vndecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: sacrificiaque, & libamina singulorum per vitulos, & arietes, & agnos rite celebrabitis: & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque, & libamine eius. Die quarto offeretis vitulos decem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim, sacrificiaque, & libamina singulorum per vitulos, & arietes, & agnos rite celebrabitis, & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque eius, & libamine. Die quinta offeretis vitulos nouem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: sacrificiaque, & libamina singulorum per vitulos, & arietes, & agnos rite celebrabitis: & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque eius, & libamine. Die sexto offeretis vitulos octo, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim, sacrificiaque, & libamina singulorum per vitulos, & arietes, & agnos rite celebrabitis: & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque eius, & libamine. Die septimo offeretis vitulos septem, & arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim, sacrificia quoque, & libamina singulorum per vitulos, & arietes, & agnos rite celebrabitis, & hircum pro peccato, absq; holocausto sempiterno, sacrificioq; eius, & libamine Die octauo, qui est celeberrimus, omne opus seruile non facietis, offerentes holocaustum in odorem suauissimum Domino vitulum vnum, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos septem, sacrificiaq;, & libamina singulorum per vitulos, & arietes, & agnos rite celebrabitis, & hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioq; eius, & libamine. Hæc offeretis Domino in solennitatibus vestris, præter vota, & oblationes spontaneas in holocausto, in sacrificio, in libamine, & in hostiis pacificis.

Sacrificiũ 16. diei mẽsis septimi.

Sacrificiũ diei 17. eiusdẽ mensis.

Sacrificium diei 18.

C

Sacrificium diei 19.

Sacrificiũ diei 20.

Sacrificiũ diei 21.

Sacrificiũ diei 22.

D

De festo tabernaculorũ.

QVintadecima vero die. Hic ponitur tertium, sc. de festo tabernaculorum, & collectionis: in isto festo considerabantur tria, scil. cessatio à laboribus, & mansio in tabernaculis, & vacatio in victimis. De primo dicitur Leuit. cap. 23. scil. quod duo dies erant vacatiui, primus, & octauus, omnes autem sex intermedij habebant sola sacrificia, vt patet hic: secundum erat in hac festiuitate habitatio in tabernaculis, scil. quod construebantur tabernacula de frondibus, & ramis arborum extra domos Israelitarum in loco patenti, & ibi manebant Israelitæ sumentes cibos, vel facientes aliqua opera, sicut in domibus. De quibus autem arboribus fieri debebant ista tabernacula, & de cæremoniis lætitiæ, quia præcedebant ad ista tabernacula, & de causa huius festiuitatis declaratum est Leuit. cap. 23. an vero potuerit in deserto obseruari festum istud tabernaculorum, ibidem declaratum est. Ista quintadecima dies, quæ hic dicitur mensis septimi, non est quintadecima in aliquo mense nostro, sed computatur quintadecima per mensem Hebræorum, qui incipit in lunatione, & non in calendis nostris.

E

Erit vobis sancta atque venerabilis. Id est, cessabitis in ea à laboribus exponendo sicut supra declaratum est: erant enim octo dies in hac festiuitate, quorum duo erant ad sacrificia, & ad vacationem à laboribus, scil. primus, & octauus, & isti vocantur sancti, & venerabiles, alij autem erant ad sola sacrificia, & non vacabatur à laboribus, ideo non vocantur sancti, nec venerabiles.

Omne opus seruile non facietis in ea. Id est, nullum de seruilib. operibus: omnia enim opera vocabantur seruilia quæcunque in sabbatho erant illicita, præter ciborum parationes, quæ in sabbatho erant illicitæ, & licebant in aliis festiuitatibus, ideo de sabbatho non dicitur, quod nullum opus seruile fiat in eo, sed dicitur, quod nullum opus fiet. in solennitate hac autem licebat ignem succendi, & parari cibos. Cætera vero opera illicita erant quia seruilia vocantur.

Dubita. Solutio.

Si autem aliquis dicat, vnde constat, quod in his diebus poterant Iudæi parare cibos?

Respondendum est, quod hoc habetur ex differentia obseruationis sabbathi, & aliarum solennitatum. Nam de sabbatho dicitur, quod nullũ opus fiet in eo, & declarauit scriptura, quod etiam ciborum paratio non debebat fieri in illo, nec succensio ignis, vt patet Exo. c. 35. de festo autem azymorum dixit, quod nullum opus seruile fieret in eo Leui. 23. cap. & tamen dicitur de hoc festo, quod poterant in eo parari omnia, quæ pertinebant ad cibos. Exo. c. 12. ergo in cæteris festiuitatib. in quibus solum interdum seruile opus poterit esse paratio ciborũ, quia illa non est sub operibus seruilib. alioquin cũ dictum fuisset de festo azymorũ, quod nullum opus seruile in eo fieri poterat non diceretur, quod poterãt parari cibi. *Sed celebrabitis solennitatẽ Domino 7. diebus.* i. obseruabitis 7. dies in festiuitate ista, nõ quidem vacando in eis à laborib. sed offerẽdo sacrificium in singulis, & istud est celebrare, i. facere aliquã festiuitatem, qm̃ festiuitas inducit quendã honorem impensum Deo, qui nõ impẽdebatur in dieb. profestis, & quia contingebat istũ honorem esse duplicem. s. aliquãdo in sacrificiis, vt offerendo sacrificia, quæ nõ offerebantur in aliis dieb. & licet hoc solum fieret, erat celebritas, sic aũt fiebat in festo tabernaculorum per 6. dies intermedios, in quibus sola sacrificia fiebant, & non vacabatur à laborib. & dicuntur oẽs isti 7. dies, & octauus sequens solennes, aliquando aũt est festiuitas in eo, quod impenditur Deo honor vacãdo à laborib. propter ipsum, & intendendo in ipsum, hoc autem nunquã erat solũ, quia in omni festiuitate, quæ esset vacatiua à laboribus, offerebãtur aliqua sacrificia specialia. Patet n. de sabbatho, in quo minus fiebat, quã in cæteris, tamen ibi offerebantur saltem duo agni pertinẽtes specialiter ad festiuitatẽ istã, vt patet preced. c. Sed arguetur, quia dicitur hic, quod 7. diebus celebrabitur solennitas tabernaculorũ, & tñ postea singillatim ponuntur 8. dies, in quorum quolibet designãtur sacrificia, sic patet Leui. 23. c. Respondendum est, quod in festo tabernaculorum erant dies 8. simul, sed octauus nõ pertinebat ad festiuitatem

Dubita.

F

Festum tabernaculorũ durabat tantũ per 7. dies.

A

tabernaculorũ, ſed vocatur dies cœtus, atq; collectæ. i. quòd in die feſto expleta iam feſtiuitate cõgregabatur totus cœtus. i. totus populus, & de eis fiebat collecta pecuniarum pro expenſis Sanctuarij, quia ſumptus Sanctuarij erãt magni, & redditus ordinarij parui erãt: ideo recurrebatur ad eleemoſynas, & ſic in die feſto cólligebatur de toto populo pecunia, & quia cõuenerat totus Iſrael in locũ Sanctuarij ad feſtum tabernaculorũ, conuenienter fiebat collecta de populo congregato: fiebat aũt ſeq. die poſt feſtum tabernaculorũ, quia toto feſto 7. dierum manebãt Iſraelitę in loco Sanctuarij, & diſceſſuri erant die 8. ideo fiebat ibi collecta antequã recederent. Iſta tñ dies non eſt de feſtiuitate tabernaculorum, ſed eſt feſtũ coniunctum illi: quamquã large appellãtes interdum dicimus feſtum iſtud habere dies 8. De iſto die magis dicitur Leui. 23. c. *Offeretisq; holocauſtum.* Id eſt, offeretis omnia animalia, q̃ inf. habentur in holocauſtũ. Sciendum n. quod in omnib. 8. diebus celebrabantur ſacrificia in feſto tabernaculorũ, & offerebantur de omnibus animalibus immolatitiis. ſ. de arietibus, vitulis, & agnis, erant aũt æqualia omnia ſacrificia dierum 7. in agnis, & arietib. ſed differebant in vitulis, quia quotidie diminuebatur vnus vitulus de oblatione. *Vitulos de armento 13.* i. in prima die offerebantur 13. vituli in holocauſtum, & offerebãtur arietes 2. vt patet in litera: & agni 14. In vitulis n. fiebat variatio, agni vero & arietes totidem erant in vna die, & in alia.

B

De cauſis autem quare tot, vel tot offerebantur, & quare de quibuſdã animalib. plura, & de aliis pauciora, exiſtimo, quod à ſola voluntate legislatoris dependeant, ſicut eſt in iurib. humanis præfixio terminorũ, cum aſſignãtur tot dies, aut anni, nam in his ratio reddi non poteſt. potuiſſent n. eſſe plures, vel pauciores, & vtrobiq; eſſet rationabiliter factũ. Conſiderandum tamẽ, quod Ra. Sal. aſſignat aliquam cauſam iſtorum ſacrificiorum: fiebant enim inquit quotidie per ſeptem dies ſacrificia de vitulis, arietibus, agnis, & hircis, hircus autem qui offerebatur quolibet horum dierum erat ad expiationẽ populi pro peccato, vt patet ſup. ideo in hoc nõ oportet aſſignari aliam cauſam, de aliis autem dicit, quod agni erant quotidie 14. & multiplicati per ſeptem dies efficiuntur 98. qui offerebantur pro populo, vt liberaretur à 98 maledictionibus ſcriptis in lege Deut. 27. & 28. c. fuerunt autem iſtæ maledictiones poſitæ ſuper montem Hebal, & Garizim. Deut. 17. & Ioſue c. 8. Vituli autem offerebantur per ſingulos dies in minori numero, & de his dicit Rabbi Salomon, quod offerebantur pro populis gentilium, dicit enim, quod orare debent Iudæi pro regibus, & gentibus, inter quas diſperſi ſunt: ſic mandauit eis Ieremias, quod dum in captiuitate Babylonica erant orarent pro rege Nabuchodonoſor, ne ineiderent in aduerſitates, quia illo incidente neceſſe erat ipſos incidere, dicit autem quod iſti vituli minuebantur quotidie, quia Iudæi rogãt, quod gentes, quæ Iſrael deſtruunt, breuiter à Domino deleantur. Vel dicit, quod iſta minoratio ſignat minorationem poteſtatis gentium, nam quotidie dicit eas minorandas quouſque ad vltimum totaliter ſubdantur Meſſiæ ſuo. Sed omnia iſta aliena ſunt, ideo non oportet eas inſiſtere. *Et in libamentis eorum.* id eſt, cum omnibus iſtis animalibus dabãtur libamenta, ſed vario modo, vt patet inf. hic accipitur libamentum large, tam pro ſimila, vino, oleo, & cæteris. ſupra tamen ſimila vocabatur ſacrificium, vinum autem & oleum, thus, & ſal vocabantur libationes, vel libamenta, iſta autem ponebantur hic ſecundum eandem menſuram, ſecundum quam in præcedentibus, quia licet ſecundum varietatem feſtiuitatum ponerentur plura, aut pauciora animalia in ſacrificiis, tamen libamenta cuiuslibet nunquam minuebantur, ſed quantum ponebatur cum vitulo, vel ariete, de libamentis in vno feſto tantum ponebatur in aliis. *Et hircum pro peccato.* Iſte hircus erat communis in omnibus ſolennitatibus, ſiue vacatiuis, ſiue non vacatiuis, & nunquam fiebat aliquod augmentum, vel variatio in hircis, ſicut in cæteris animalibus, niſi per accidens, vtpote ſi aliquando duo feſta coincidebãt, vt dies clangoris, & calendarum, quia tunc pro quolibet feſto vnus hircus immolabatur, ſic etiam in die expiationis iubetur offerri vnus hircus, & Leuit. c. 16. iubentur offerri duo alij, ſed vnus occidebatur, & alius mittebatur in ſolitudinem. *Abſq; holocauſto ſempiterno.* i. hæc omnia fiẽt, & prẽter ipſa offertur holocauſtum iuge, quod vocatur ſempiternũ ex cauſis ſup. aſſignatis, & iſtud nunquam ceſſabat propter aliquam feſtiuitatem.

Quare erat agnorũ numerus 14. vitulorũ autẽ quotidie minuebatur.

C

Et ſacrificio, & libamine eius. id eſt, etiam offerretur ſacrificium, id eſt, ſimila debita holocauſto quotidiano, & libamen, id eſt, vinum, oleum, thus, & ſal. & ſic inf. diſtinguuntur ſemper libamen, & ſacrificium.

D

Quot animalia offerebantur in prima die tabernaculorum.

QVÆSTIO X.

QVæretur in hoc de prima die tabernaculorum, quot animalia offerrentur in illa, & quia contingeret plura, aut pauciora offerri ſecundum quod dies iſta coincideret cum aliqua alia ſolennitate, vel non. Aliquis diſtinguet, aut in calendis accidebat iſta dies, vel non, ſed iſta diſtinctio non ſtat, quia impoſſibile erat, quod prima dies tabernaculorum, vel aliqua de 8. diebus illius accideret in calẽdis: poſſunt quidem omnes iſti dies diuiſim accidere in calendis noſtris. ſcil. in calendis Octobris, quando incœperit lunatio circa medium Septembris, tamen de calendis noſtris nihil ad Iudæos attinet, ſed ipſi vocant calendas, vel neomeniam primam diẽ cuiuslibet menſis ſui, qui incipit cum lunatione, & de his erat impoſſibile, quod aliqua dies tabernaculorum accideret in calendis, quia feſtum iſtud incipiebat die 15. menſis, & durabat vſque ad diem 22. vt patet hic, & Leuit. 23. c. ideo de calendis non eſt diſtinguendum.

E

Sed dicetur, quod aut accidebat iſta prima dies in ſabbatho aut non, ſi primo modo immolabantur in ea 34. animalia. ſcil. 13. vituli, arietes 2. agni 14. & vnus hircus pro peccato, quæ ſunt 30. animalia pertinentia ad iſtam diẽ ſpecialiter. Offerebantur etiam duo vituli pertinentes ad ſabbathũ, & duo pertinentes ad iuge ſacrificium, quæ ſimul ſunt 34. ſi autẽ non accideret in ſabbatho, demebantur duo agni pertinentes ad ſabbathum, erantq; ſimul 32. animalia ex neceſſitate ſacrificij. De ſpontanee autem oblatis, vel quomodocunque aliàs non datur regula, quia illa ſunt per accidens. *In die altero offeretis vitulos.* Iſta dies ſecunda erat æqualis in ſacrificiis primi diei, & in libaminib. ſolum n. debetur vnus vitulus, quia iſti cõtinuo decreſcebant, offerebantur autem in die iſta 33. animalia, ſi eſſet ſabbathum, vel 31. ſi non eſſet ſabbathum. De iſto die ſecundo non dicitur, quod erat ſanctus, & venerabilis, ſicut dicebatur de primo, quia non vacabatur hic à laboribus, ſed omnia opera licita erant, quæ in diebus profeſtis fiebant.

F

Die tertio offeres vitulos. Iſte tertius dies erat profeſtus quantum ad vacationem à laboribus, ſed erat celebris quantum ad ſacrificia, ſunt autem eadem ſacrificia in hoc die, quæ in duobus præcedentibus: excepto, quod ſemper diminuitur vnus vitulus. Sunt autem in hac die animalia 32. offerenda ſi ſabbathum ſit. Si vero dies profeſtus, erunt 30. quia ea, quæ pertinent ſpecialiter ad hunc diem, ſunt 28. quibus adduntur duo agni pertinentes ad iuge ſacrificium.

Die quarto offeres. Iſte etiam dies erat profeſtus quantum ad labores, ſed ſacrificia erant ſolennia, ſcil. totidem, quot in aliis diebus, præter vitulum, qui diminuitur. ſunt autẽ in hac die 29. animalia offerẽda, ſi non ſit ſabbathum. & 31. ſi ſit ſabbathum, quoniam 27. pertinent ſpecialiter ad hũc diem, duo autem ad ſabbathum pertinent, & duo ad iuge ſacrificium.

Die quinto offeres. Sicut cæteri dies, ita & iſte profeſtus eſt, ſacrificia tamen eum celebrem faciunt, quæ in litera apparẽt, ſunt autem animalia 26. pertinentia ſpecialiter ad hunc diem, & ex iugi ſacrificio conueniẽt ei alia duo, ſi autem fuerit ſabbathum erunt 30. animalia. Hæc autem omnia cum ſacrificiis, & libamentis ſuis, de quibus nihil variabitur, licet variaretur numerus animalium immolandorum.

Die ſexto offeres. Erant ſacrificia, & libamina in die ſexta tabernaculorum, ſicut in cæteris, & tamen profeſtus erat. animalia vero 24. offerebantur ex lege diei huius. Addebantur autem duo ex iugi ſacrificio, & duo ſi eſſet ſabbathum, vt fierent 29.

Die ſeptimo offeres. Iſte erat dies vltimus feſtiuitatis tabernaculorum, quia ſolum dictum fuit, quod celebraretur ſolennitas ſeptem diebus, vt patet in litera, & Leuit. 23. c. erat quoque profeſtus dies iſte, ſicut & præcedentes, & ſacrificia erant minora, nam ſemper diminuebatur vnus vitulus, libamina autem manebant eadem.

Die octauo. Iſte dies non pertinebat ad feſtum tabernaculo-

rum

A

rum ſicut præcedentes dies, cum de ſolis ſeptem iuſſum eſſet, quod fieret in eis ſolẽnitas tabernaculorum: ideo quamquam iſte octauus dies eſſet ſolennis, non obligabantur Iudæi manere in tabernaculis factis de ramis arborum, nec manebant, ſed ſolum diebus ſeptem præcedentibus. Fuit autem iſte dies additus ad faciendum collectam, ideo vocatur dies cœtus, atque collectæ Leuit.c.23.

Qui eſt celeberrimus. id eſt multum honorabilis, ſcil. quantum ad vacationem à laboribus, nam in cæteris præcedentibus non vacabatur à laboribus, in hoc autem vacabatur. Cauſa erat, quia iſte dies erat aſſignatus ad faciendum collectam pecuniarum de populo pro ſumptibus Sanctuarij, ſi tamen non vacaretur à laboribus, dilaberetur populus ad opera ſua, & non congregaretur ad eleemoſynam faciendam pro ſumptibus Sanctuarij. Ne ergo ex hac occaſione diminueretur eleemoſyna Sanctuarij, factum eſt, vt eſſet dies iſte vacatiuus. Vocatur autem apud nos dies cętus, & collectę ex cauſa ſupra aſſignata, apud Hebræos autem vocatur retentio, quia populus, qui conuenerat de diuerſis partib. terræ promiſſionis ad Sanctuariũ in iſta feſtiuitate, volebat die octaua redire in poſſeſſiones ſuas expleta feſtiuitate tabernaculorũ, ſed ſacerdotes detinebant eum ad faciendũ prædictã collectam. Vocatur aũt dies iſte celeberrimus, nõ quod eſſet celebrior die primo feſtiuitatis huius, quia in illo vacabatur à laboribus, ſicut in iſto, ſed vocatur celeberrimus reſpectu dierum pręcedentiũ,

B

qui erant profeſti, iſte autẽ octauus erat celebris quantum ad labores. *Omne opus ſeruile non facietis.* i. in iſto die nõ fiet aliquod opus ſeruile. ſ. nullum opus præter ciborum parationes. *Offerentes holocauſtũ.* i. & in iſta die octaua offeretis holocauſtum. ſ. omnia animalia, quæ habentur inf. in iſto autem die nõ fiebãt tot ſacrificia, ſicut aliis diebꝰ, vt patet in litera. & hoc quia iſte dies octauus non erat de præcedenti ſolennitate tabernaculorum: ſacrificia autẽ fiebant ad celebritatem feſti: nam in hoc octauo die nullum ſacrificium præter quotidianum fieri debebat, niſi fieret ibi collecta, & quia dies erat celebris propter collectam, immolabantur animalia, quæ habentur hic ad honorẽ feſti: ponuntur aũt hic animalia 10. pertinentia ad iſtum 8. diem ſpecialiter. ſ. agni 7. aries vnus, vitulus vnus, & hircus pro peccato. Offerebantur autẽ duo agni de iuge ſacrificio, & ſi ſabbathum eſſet, offerebantur alij duo ita vt eſſent 14. *Abſq; holocauſto ſempiterno.* i. omnia prædicta offerebant, & præter hæc offerebat holocauſtum ſempiternum. i. iuge ſacrificium, quod ſolum erat holocauſtum, vt patet præced. cap. nam licet in qualibet feſtiuitate offerretur vnus hircꝰ pro peccato, pręterquam in ſabbatho, in profeſtis tamen diebus ſolum offerebatur holocauſtum ex neceſſitate legis: ſecus autẽ de ſpontaneis oblationib. vel quibuſcunque aliis per accidens oblatis. *Sacrificioque eius, & libamine.* i. offerretur cum iug. holocauſto ſacrificium ſuum. i. ſimila ei debita, quæ vocatur ſacrificiũ,

C

& libamen offerretur, i. vinum, oleum, thus, & ſal: ſed adhuc magis proprie libamen conuenit oleo, & vino: quoniam libare ad res liquidas pertinet. *Hæc offeretis Domino in ſolennitatibus veſtris.* Hic ponitur epilogus præcedentium. ſcil. quod omnia, quæ ſupradicta ſunt, debebant offerri in feſtiuitatibus Iudæorum, & demõſtratur hic, quod omnia ſuprapoſita fuerunt data ad declarandum ritum feſtiuitatum quãtum ad oblationes. De aliis autem cæremoniis, & obſeruationibus nihil dicitur hic. Ponuntur autem hic omnes ſolennitates, & tempora quibus ſacrificari debet. Aliæ autem nouem ſolennitates inter Iudæos poſt tempora Moyſi ex aliqua cauſa inter Iudæos inſtituta ſunt, de quibus declaratum eſt Leui.c 23. Illæ autem non habebant determinata ſacrificia ex lege, ſed inſtituentes illas feſtiuitates adiunxerunt eis ſacrificia, quæ obſeruabantur inter Iudæos, & illa iam obligarent ſicut priora hic expreſſa obligabant, quia omnes ſacerdotes cum toto populo poterant conſtituere aliquod feſtum, & cæremonias eius, ad quod ipſi obligarentur.

Præter vota. i. hæc omnia tenebantur Iudæi dare ex lege à Deo hic inſtituta, & hoc præter vota. i. dato quod ipſi vouerẽt aliqua ſacrificia facere, quæ vellent facere iſtis diebus, non propter hoc tollebatur, quin darẽt omnia inſtituta à lege, tollitur autem in hoc dubium, quia exiſtimaret aliquis, quod ſacrificia, quæ ſpontanee fiebant à Iudæis, poterant facere ad ſupplementum ſacrificiorum, quæ ex neceſſitate legis fieri debebant, contingebat tamen, quod in aliquo die feſto offerentur multa ſacrificia ex deuotione populariũ, & iſta omnia fiebant intra Sanctuarium, nam non poterat fieri ſacrificium in aliqua ciuitate, vel quocunque alio loco terræ Chanaan, vt patet Leuit.17. & Deut.12.cap. ſed omnia fiebant in loco Sanctuarij. Omnia tamen iſta nihil excuſabant de ſacrificiis inſtitutis à lege, communiter autem in iſtis feſtiuitatibus fiebant ſacrificia multa à popularibus, potiſſimum in tribus earum, ſc. in feſto azymorum: pentecoſtes, & tabernaculorum, quia cogebantur omnes viri Iſraelitæ ire in locũ Sanctuarij, vt patet Exo.23. & 34. & Deut.16. *Et oblationes ſpontaneas.* i. nulla oblatio ſiue ſpontanea ſiue ex voto poterat poni loco alicuius victimæ, quæ offerri deberet in feſtiuitatibus. Diſtinguuntur autem hic oblationes in votiuas, & ſpontaneas: oblatio enim quæ ex voto eſt, non vocatur ſpontanea, quia licet à principio votum ſit ſpontaneum, tamen in ſolutione neceſſarium eſt, ſacrificia autem conſiderantur hic tempore ſolutionis, ideo de votiuis recte dicitur, quod diſtinguentur contra ſpontaneas.

Oblationum alia votiua alia ſpõtanea.

D

Sacrificium pro peccato ſub quâ ſpecie oblationis ponitur.

QVÆSTIO XI.

E

DE ſacrificio pro peccato dubitabitur ſub qua ſpecie iſtarum ponatur. Dicendũ, quod non poteſt poni proprie ſub votis, quia illa non fiunt per votum, ſed ex neceſſitate legis. ſ. quia aliquis peccabat taliter, vel taliter obligabatur ex lege ad offerendum tale, vel tale ſacrificium ſecundum regulas, quæ habentur Leuit.c.4. & 5. vota autem aliquo modo ſunt voluntaria, nam antequam emittantur penitus voluntaria ſunt. Item non poteſt poni ſacrificium pro peccato ſub hoſtiis ſpontaneis, quoniam ſpontaneæ vocantur hic, quæ penitus ſunt ſpontaneæ, cum votiuæ hoſtię non vocentur ſpontaneę, quia non ſunt ex omni parte ſpontaneæ, minus tamen ſpontaneæ ſunt hoſtiæ pro peccato, quam votiuę, quia in iſtis non eſt aliqua libertas offerentis, ſed obligatio ex lege. Item non intelligitur ſacrificium pro peccato per ſpontaneas victimas, quia hic ponitur in litera, quę ſint ſpontaneæ, & ponuntur holocauſta, & victimæ pacificę ſolum. Reſpondendum autem, quod hoſtiæ pro peccato dupliciter ſe habent, aliquando enim ſunt ad ſolam emundationem alicuius immunditię, vbi non eſt peccatum aliquod, & interdum ſunt pro aliquo, quod eſt vere peccatum. De primo patet, vt cum aliqua mulier pareret, offerebat ſacrificium pro peccato. Leui.c.12. & tamen manifeſtum eſt, quod ibi non erat aliquod peccatum, ſed ſolum immunditia quædam prohibens eam ab acceſſu ad res ſacras. Idem patet de leproſis. Cum n. purificabantur, offerebatur ſacrificium pro peccato Leuit.c.14. fuiſſe tamen leproſum nullũ peccatum erat. Idem

F

eſt de Nazaræo viro, coram quo moriebatur aliquis. nam ille erat confeſtim immũdus, & offerebatur pro eo ſacrificiũ pro peccato, vt patet ſupra c. 6. ibi tamen peccatum non erat, ſed immunditia. De ſecundo patet exemplum Leuit. cap.4. & 5. vbi pro peccatis vere commiſſis imponitur ſacrificiũ. Quantum ad primum modum dicendum, quod ſacrificia pro peccato non ſunt ſpontanea, nec votiua, ſed pure neceſſaria ex impoſitione legis, & tunc nõ oportet de eis exprimi hic, quia ſicut in omnibus ſacrificiis neceſſariis ex poſitione legis, quę habentur præced. cap. & hic, vnum nunquam impediebatur per alterum, nec ſupplebatur, ſed ſi contingeret omnia venire in eodem die, omnia ſimul fiebãt, ita de ſacrificiis pro peccato modo prædicto, quia ſimpliciter erant neceſſaria, vnum non ſupplebatur per alterum. ſcil. quod iſta poſſent ſupplere locum alterius ſacrificij, quod fieri deberet in ſolẽnitatibus. Secundo modo ſacrificia pro peccato dicuntur eſſe illa, quæ offeruntur pro veris peccatis, & iſtud ſtat dupliciter, quia aut erant determinata à lege aut non. erant enim ſacrificia determinata à lege pro peccatis determinatis, vt patet Leuit.cap.4. & 5. aliquando autem non erant peccata determinata, ſed aliquis ſciebat in vniuerſali ſe peccaſſe, quamquam non erat ſibi conſcius ſpecialiter alicuius delicti, pro quo lex iuberet offerri. Quantum ad primum dicendum eſt, quod ſacrificia pro peccato non ſunt votiua, nec ſpontanea, ſed neceſſaria ſimpliciter, ſicut ſacrificia feſtiuitatum, quę ponuntur hic, & pręcedenti

A cedenti cap. ideo non fuit neceſſe exprimi de illis, ſed ſicut ſupra dicebatur, quod ſacrificia diei clangoris non impediebantur, nec ſupplebantur per ſacrificia calendarum, cum in eadem die eſſent, ſed vtraque offerebantur: ita iſta ſacrificia pro peccato non ſupplebunt pro aliis ſacrificiis, quæ erant in feſtiuitatibus, quia vtraque erant ex neceſſitate: ſi autem ſacrificia pro peccato non eſſent determinata à lege, vt ſupra dicebatur, poterant aliquando eſſe votiua, & aliquando ſpontanea: ſi enim aliquis ad honorem Dei, & conſcius ſibi ſceleris, quamquam non determinate voueret offerre pro peccato, erat ſacrificium pro peccato votiuum: ſi autem offerret ſine voto, erat ſacrificium pro peccato ſpontaneum, & tũc reducitur ad iſta duo, vel ad alterum eorum, & dicetur etiam, quod prẽter ſacrificium pro peccato, quod offerebatur ſpontanee, vel votiue, offerebantur in feſtiuitatibus omnia ſacrificia, quæ erant determinata. Conſiderandum autem circa prædicta, quod vnum ſacrificium ſuppleri per alterum ſolum poterat intelligi, quando vtrumque erat eiuſdem ſpeciei, & de animali eiuſdem ſpeciei: vtpote ſi deberet fieri aliquod holocauſtum in feſtiuitatibus, poteſt intelligi ſuppletio illius ſi fieret aliquod holocauſtum ſpontaneum, vel votiuum in eadem die. De ſacrificiis autem pro peccato manifeſtum eſt, quod non poteſt intelligi, quomodo ſupplerentur per holocauſta, & è conuerſo.

Sacrificium vnum ſuppleri per alterum qũo poterat.

B Item requirebatur, quod eſſent illa animalia eiuſdem ſpeciei, quia etiamſi ſacrificia eſſent eiuſdem ſpeciei, & animalia non, intelligi non poterat, quomodo fieret ſuppletio: vtpote ſi iubereturin feſtiuitatibus fieri holocauſtum de agnis, vel arietibus, & aliquis in eiſdem feſtiuitatibus ſpontanee, vel votiue offerret holocauſtum de vitulis, non poterat intelligi, quomodo fieret ſuppletio: data tamen identitate ſpeciei in ſacrificio, & identitate ſpeciei in animalibus videbatur eſſe dubium, an poſſit fieri ſuppletio: & de his dicitur hic quod fieri non poterat.

In holocauſto. Ponuntur hic partes hoſtiæ votiuæ, & ſpontaneæ: ſub qualibet enim earum contingit dari holocauſtum, & hoſtias pacificas: nam ſicut interdum vouet quis holocauſtum, ita & pacificas hoſtias, & ſacrificium pro peccato, vt dictum eſt. Spontanee quoque hic offerri poſſent, & tamen neutro modo ſupplentur, vel impediuntur ſacrificia feſtorum.

In ſacrificio in libamine. Sacrificium dicitur ſimila oblata cum carnibus animalis: libamen dicitur oleum, vinum, thus, & ſal: & eſt ſenſus, quod ſicut victimæ holocauſtorum, & pacificorum non impediebant victimas feſtorum, ſiue iſtæ victimæ eſſent ſpontaneæ, ſiue votiuæ: ita de libamẽtis eorum. ſ. quod non impediebantur, vel ſupplebantur libamẽta feſtorum per libamenta ſpontanea, vel votiua: cuilibet enim oblationi animalis, ſiue eſſet ex neceſſitate legis, ſiue ſpontanea, dum tamen eſſet pro peccato, vel pacifica hoſtia correſpõdebat libamentum aliquod, & de iſto dubitaretur. ſ. dato, quod non ſupplerentur victimæ feſtorum per victimas ſpõtaneas, vel votiuas an ſupplerentur libamẽta feſtorum per libamenta ſpontanea, vel votiua, & dicitur quod non. & hoc ſiue ſit ſacrificium. i. ſimila, ſiue ſit libamẽ. i. vinum, oleum, thus, & ſal. Aliqui autem accipiunt hic nomine ſacrificij hoſtiã pro peccato, ſed non conuenit, quia in omnibus diebus ſuprapoſitis dicebatur de ſacrificio, & libamine, & tamen ibi ſolum accipitur ſacrificium pro ſimila, ergo ſic accipit hic: hoſtia autem pro peccato intelligitur nomine holocauſti, vel victimæ pacificæ, quando eſt ſpontanea, vel votiua: cum autem eſt ex neceſſitate legis intelligitur per victimas feſtorum, vt ſupra declaratum eſt.

C Conſiderãdum autem, cum dicitur hic de votis, quod non intelligitur de omni oblatione votiua, vtpote ſi aliquis voluiſſet offerre pecuniam, vel aliquod animal, quod nõ licebat immolari, aut veſtem, vel aliquid ſimile. Nam de iſto non erat dubium, hic enim ponebatur ad tollendum dubium, quod vota, & hoſtiæ votiuæ non ſupplebant, nec impediebant oblationem, & victimas feſtiuitatum: dato tamen, quod iſtud non diceretur, non erat dubium de oblationibus votiuis, quæ non erant victimæ, ſed de ſacrificiis videbatur eſſe dubium. ſc. an ſacrificia votiua impedirent ſacrificia feſtiuitatum, & de his intelligendum eſt.

In hoſtiis pacificis. id eſt, eodem modo obſeruabitur hoc in hoſtiis pacificis, ſcilicet ſicut in holocauſtis, quod ſiue ſint votiuæ, ſiue ſpontaneæ non omittebantur propter eas victimæ feſtiuitatum. Idem etiam de libaminibus eorum dicendum eſt. D

CAPVT XXX.

Ritus votorũ & iuramentorum.

NARRAVITQVE *Moyſes filiis Iſrael omnia, quæ ei Dominus imperarat: & locutus eſt ad principes tribuum filiorum Iſrael: iſte eſt ſermo, quem præcepit Dominus: ſi quis virorum votum Domino vouerit, aut ſe conſtrinxerit iuramento, non faciet irritum verbum ſuum, ſed omne, quod promiſit, implebit.*

E *Narrauitque.* Supra dictum fuit de ordinatione poſſibili ad Deum, per ea, quæ erant de communi lege: hic ordinatur populus ad Deum per ea, quæ ſunt in ſola intentione. ſc. per vota: eſt enim votum obligatio quædam cauſata per ſolam voluntatem in his, in quibus prius liberi eramus aliquid promittendo. In toto autem hoc c. nihil agitur, niſi de votis, & conditione vouentium, & quando vota tenẽt, & quando non. Tanguntur autem quinque, ſecundum quinque conditiones perſonarum vouentium. Primo de viris: ſecundo de puellis nullo modo maritatis, aut deſponſatis: tertio de puellis deſponſatis, ſed nondum viro traditis: quarto de viduis, vel repudiatis: quinto de mulieribus viro traditis. Secunda ibi. *Mulier ſi quippiam.* Tertia ibi. *Si maritum habuerit.* Quarta ibi. *Vidua.* Quinta ibi. *Vxor in domo.*

Circa primum conſiderandum de eis, quæ dicuntur hic, quantum ad ordinem. ſcil. an fuerint dicta poſt ea, quę habentur præced. cap. vel prius.

Reſpondendum eſt, quod in iſtis non poteſt per certitudinem cognoſci ordo ipſorum: in hiſtoricis enim, quamquam aliquãdo ſint anticipata, vel recapitulata, poteſt cognoſci iſta mutatio ordinis ex rebus geſtis, quæ narrantur, quia quædam ſunt naturaliter priora aliis in operationibus: iſta autem ſunt præceptiua, & non habent inter ſe aliquam habitudinẽ continuationis. & ſic quamquam prius data fuerint iſta, quam illa, non poteſt cognoſci ordo iſtorum. Dicendum tamẽ, quod iſta fuerint poſteriora, quia nunquam aliquis debet recedere ab ordine literæ, niſi ex cauſa, ſcil. quando conſtat ex alio loco ſcripturę, quod non ſit ille ordo, qui habetur in litera, vel forte conuincitur per aliquam rationem: hic autem nihil tale eſt. Ideo dicendum eſt, quod iſte fuerit ordo. ſcil. quod poſtquam declarata ſunt ſacrificia, adiuncta ſunt vota. F

An iſta fuerint dicta immediate poſt præcedentia.

QVÆSTIO I.

QVæretur vlterius, dato quod fuerint iſta dicta poſt ea, quæ habentur præcedenti cap. an fuerint immediate dicta. Reſpondendum eſt hoc etiam non poſſe conſtare per certitudinem, ſed ſatis eſt veriſimile, quod fuerint immediate dicta, vel ſaltem paruum tempus fuerit poſt inter hæc, & illa: in quo præſupponẽdum eſt, quod iſta præcepta, & omnia ſuperiora à cap. 20. vſque ad finem libri huius dicta fuerint anno 40. ab exitu de Ægypto, vt declaratum eſt ſupra c. 28. in princip. Præter hoc autem infra c. 36. in fine dicitur. Hæc ſunt præcepta, atque iudicia, quæ præcepit Dominus per manum Moyſi ad filios Iſrael in campeſtribus Moab ſuper Iordanem: in quo innuitur, quod omnia iſta præcepta fuerunt data in vltima manſione, quæ eſt in campeſtribus Moab, quæ vocatur Belſethim, vt declaratum eſt ſupra cap. 25. & 26. omnia namque præcepta iſta, vſque in finem libri continuantur, ſed in fine dicitur, quod illa præcepta data ſunt in campeſtribus Moab, ergo etiam iſta data ſunt ibi: fuerunt autem data in octauo, vel nono menſe computatis omnibus, quæ facta ſunt poſt mortem Aaron, qui mortuus eſt menſe quinto, vt patet infra 33. cap.

A

Quare hic tractatur de votis, cum dictum fuerit sufficienter Leuitici cap. 27.

QVÆSTIO II.

QVæretur amplius, quare hic dicitur specialiter de votis in toto isto capit. cum de eis sufficienter dictum fuerit Leuit. capit. 27. Respondendum est, quod vota fiebant dupliciter: primo modo cum aliquis seipsum vouebat: secundo modo cum vouebat seipsum ad agendum aliquid solum, vel vouebat aliquam rem suam, & in istis votis considerabantur duo. s. an vota tenerent, & quæ personæ possent vouere. Secundum erat dato, quod votũ tenuisset, qualiter erat solutio faciendi. De primo horũ tractatur hic, & distinguuntur conditiones personarum vouentium, per quas notificatur, quando votum teneat, de quo nihil actum est Leuit. c. 27. Secundum erat, quomodo solutio erat facienda in votis, dato quod tenerent, & de hoc nihil agitur hic, sed Leui. c. 27. vbi distinguitur, sicut supra fuit dictum. s. an quis voueret seipsum, vel aliquam de rebus suis. Si primo modo determinatur ibi quantum quis pro seipso dare deberet, & distinguũtur status personarum secundum sexum, & ætatẽ. Si vero voueret rem suam, etiam ponuntur ibi differentiæ de mobilibus, & immobilibus: non fuit autem positum ibi, quando quis voueret aliquid facere, vt ieiunare, vel affligere se, & sic de cæteris, quę non sunt in dando seipsum, sed in agendo. Et de his agitur hic, & de distinctione votorum valentium, & non valentium: ideo fuit necesse, vt post illa ibi dicta adhuc ageretur hic de votis. Simile est in multis aliis: sic enim de festo azymorũ agitur Exo. 11. c. & Leui. 23. & sup. 28. De ipso enim quantum ad cæremonias agni paschalis, & panum azymorum agitur Exo. c. 12. Quantum vero ad obseruationem aliquorum dierum festi huius & aliorum non: & quantum ad oblationem primitiarum de spicis virentibus agitur Leui. 23. c. Quantum autem ad reliqua sacrificia pertinentia ad solennitatem huius festi, in omnibus diebus suis, agitur sup. 28. Ita etiam de omnibus festiuitatibus, quæ habentur duobus præcedentibus c. agitur Leui. c. 23. & tamen quantum ad diuersa: ideo omnia necessaria sunt.

B

Quare festiuitas phase tractatur in tot locis sacræ scripturæ.

Circa primum. *Narrauitque Moyses filiis Israel.* Deus enim loquebatur primo Moysi in secreto: deinde ipse proponebat toti populo. s. per angelum suum, quia in die dationis legis in monte Sinai cum audierunt Israelitæ vocem terribilem, timuerunt mori: ideo deprecati sunt, ne vltra Deus eis loqueretur, sed Moyses, vt patet Exo. c. 20. & Deuter. c. 5. Deus autem concessit: ideo dixit, quod daret eis Prophetas, qui loquerentur nomine eius, ne ipse loqueretur, & illos audirent sicut ipsum, vt patet Deuter. 18. c. non fuit tamen illa causa prima, propter quam Deus non loquebatur per angelum suum

Quare Deus loquebatur toti populo per Moysẽ, & non per angelum.

C

semper Israelitis, quin potius ipse fecit, vt vox quæ audiebatur in monte Sinai in die datæ legis, esset terribilis nimis, & continue cresceret ad esse magis terribilem Exo. c. 19. vt Iudęi compellerentur petere ab ipso, quod non loqueretur Deus, sed Moyses: quare autem Deus ad hoc Iudæos induxerit, declaratum fuit Exo. c. 20. vnde post illam vicem, nunquam fuerunt data præcepta Israelitis in sono tubæ per angelos Dei, sed loquebatur Deus Prophetis: ipsi autem enarrabant populo: semel tamen legitur, quod angelus Domini locutus fuit ad totum Israel: non quidem præcipiendo, sed increpando post mortem Iosue, vt patet Iudi. c. 2. ideo tempore Moysi Deus loquebatur ad ipsum, & ipse postea referebat verba illius ad populum.

Omnia quæ ei Dominus imperarat. Hoc potest intelligi referendo ad superiora. s. Moyses locutus fuit omnia supraposita de sacrificiis, quæ Deus imperauerat loqui, & postea locutus est ad principes ista, quæ habentur hic de votis, & tunc distinguuntur hic duæ sententiæ per duo verba, quæ habentur hic. scil. narrauit, & locutus est referendo primum ad præcedentia, & secundum ad ea, quæ habentur hic. Alio modo potest esse sensus, quod referatur vtrumq; ad ea, quæ habentur hic. sc. quod Deus locutus fuerit Moysi ea, quæ habentur hic de votis, & ipse enarrauit ea multitudini, & tunc fuit locutus: isto modo describitur factum in vniuersali. Primo per hoc quod dicitur: narrauit omnia, quæ Dominus imperauerat: secundo describit in particulari dicẽs. Iste est sermo, quem præcepit Dominus, & iste secundus sensus est, quem facit litera.

D

Et locutus est ad principes tribuum filiorum Israel. Isti principes erant 12. viri in 12. tribubus Israel, tanquam duces, & veniebant à capitibus ipsarum tribuum semper per lineam primogenitorum. De istis principibus patet sup. c. 1. & 2. Erant autem isti honorabilissimi in toto populo, quia erant principes totius multitudinis, & ob hoc in dedicatione sanctuarij ipsi soli leguntur obtulisse specialia dona, & sacrificia, vt patet sup. c. 7. poterat autem intelligi, quod locutus fuit Moyses ad istos. sc. quod vocauerit eos specialiter, & proposuerit eis istas regulas de votis. Aliquando enim consuetum erat, quod Moyses vocaret solos principes multitudinis ad consilium, & congregabantur intra atrium tabernaculi. Vocabantur tamen per quendam specialem sonitum tubarum, vt patet sup. c. 10. 1. si semel clangueris, venient ad te principes, & capita multitudinis, & proponeret Moyses istis præcepta de votis, qui erant principales in tota multitudine. Sed magis est dicendũ, quod Moyses locutus fuit ista ad totam multitudinem, quia ista pertinebant ad totum populum, sed nominantur hic soli principes specialiter, quia ipsi erant principaliores in populo. *Iste est sermo, quem præcepit Dominus.* id est, ista, quæ infra dicẽtur de votis, sunt, quæ Deus præcepit Israelitis obseruare.

E

Regula de votis circa viros.

Si quis virorum votum vouerit Domino. Ponitur hic prima regula de votis circa viros, & dicit, quod omne votum viri tenet. Dicitur autem de viro intelligẽdo de eo, qui est ætatis perfectæ, & sui iuris. Si n. aliquis sit minor, & in potestate patris, non tenebit votum, sed dicendum est de illo, sicut de voto puellarum, ideo dicitur hic, si quis virorum, quia vir denominat ætatem perfectam: paruuli autem non comprehenduntur nomine virorum. In hoc autem est considerandũ, quod iste, qui minor est, & vouet, põt deficere in voto dupliciter. Primo si sit defectus ex parte consensus, vel voluntatis se obligãdi. Secundo si deficiat, eo quod si est iuris sui, quamquam habuerit voluntatem se obligandi. De primo dicẽdum est, quod nullo modo tenet votũ, siue fit de vouendo seipsum, siue de aliquid agendo, vel de dando aliquid, vtpote si sit in ætate nimis imperfecta, cum non peruenerit ad rationis integrum, & habeat verba voti, non obligabitur, si promiserit se futurum monachum, vel ieiunaturum, aut aliquid in pauperes impẽsurum, quia votum est causans obligationem per libertatem, & voluntatem se obligandi: qui autem nondũ prouenit ad ætatem perfectæ discretionis, non habet voluntatem se obligandi, quamquã exprimat verba obligationis, sed est inuoluntarius per ignorantiã. Idem iudicium est de viris magnæ ætatis, qui sunt furiosi, & quando nõ habent lucida interualla, vouent. Ibi n. non est voluntas se obligandi, cum non iudicent quid agant. Si aũt non deficiat votum ex defectu consensus, potest deficere ex defectu potestatis se obligandi, & sic dicitur hic de mulieribus coniugatis, quod votũ earum non tenet, viro nolente. Idem de puellis, siue desponsatis, siue non desponsatis respectu patris sui. Sed in istis distingueret aliquis, quod aut pueri, qui vouerunt, & habebant integrã voluntatem se obligandi, vouerunt seipsos simpliciter, aut vouerunt aliquã rem daturos, aut vouerent, quod aliquid facerent: si vouerũt primo, & tertio modo, dicet aliquis, quod tenet votum: si secundo modo, non tenet. Et ratio diuersitatis, quia quandocunq; aliquis peruenerit ad ætatem discretionis, si est homo liber, habet potestatẽ super seipsum, licet non super aliquam rem, quia nihil adhuc ministrat. Primum autẽ & secundum votum respiciunt ipsam personã: ideo qui potest super seipsum, poterit isto modo vouere, qui autem est in ætate adulta super seipsum potest, si liber est, & non furiosus. Secundum votũ respicit res, ideo qui non habet aliquam ministrationẽ rerum, non potest isto modo vouere. Ista distinctio forte teneret secundum nos, sed secundum Hebræos non erat idem modus votorum, quia maior potestas dabatur patribus super filios in veteri testamẽto, quã in nouo: nã nunc potest quilibet cõpletæ rationis, quamquã non sit emancipatus, vouere seipsum, vt quod efficiatur monachus, vel vouere se ad aliquid faciendum, vt quod ieiunet: non potest tñ vouere aliquid dare, quia nihil habet, sed omnia sunt patris sui, nisi habeat peculiũ castrense, quod lucratus est in bello, quia seruiuit Domino, vel habuit ab hostibus, vel quasi castrense, quod in docendo acquiritur, vel in causidicãdo, & in similib. vbi filius acquirit aliquid

Quo tenet vota secũdum legẽ Moysi.

A quid, quia non datur sibi propter parrem, nec proueniet ex re patris administrãdo eam industrioſe, vocabitur quasi castrenſe. Et de isto vouere potest cum sit proprium peculium, & sui iuris non profectitium, nec aduentitiũ. Apud Iudæos tamen erant minus liberi filij existentes in potestate patris: ideo de eis videtur, quod non poterant vouere seipsos simpliciter, vel vouere ad aliquid agendum, sed iudicabitur, sicut de puellis. Nec valet si aliquis dicat, quod cum filij non præiudicarent patris iuri vouendo seipsos simpliciter, vel vouendo aliquid facere, quod teneat votum, sicut iudicatur apud nos, quod filiusfamilias possit vouere religionem, vel ieiunium, sed non dare eleemosynam, nisi habeat peculium castrense, vel quasi castrense. Nam si hoc modo diceretur, etiã de puellis Iudæorum, qui erant in potestate patris, diceremus, quod tenerent vota patre inuito: sed falsum est, vt patet in litera. Consequentia apparet, quia nunc puella in potestate patris potest vouere continentiam, etiam patre inuito, vel vouere ieiunium, aut contrahere matrimonium: ergo cõformiter de filiisfamilias, dicendum videtur, quod vota eorum non teneãt ex lege ista, sed iudicentur per legem votorum puellarum: viri autẽ sunt, qui sui iuris sunt, & illi habent administrationem rerum: ideo possunt vouere seipsos simpliciter, vel ad aliquid agendum, vel quod aliquid dent. *Votum Domino vouerit.* Dicitur de Deo, quia votum propriũ non potest fieri, nisi Deo: alias enim promissiones facere possumus, & oblationes, atq; iuramẽta: vota autem nequaquam. Vnde dicimus votum esse promissionẽ factam Deo de aliquo licito ad quod aliàs obligati nõ eramus.

B *Votum non potest fieri nisi Deo.*

Aut se constrinxerit iuramento. i. dato quod non expresserit verba voti, si tamen iurauerit aliquid facere per Deum, aut pro Deo non exprimens verba voti, obligabitur, sicut si vouisset. Considerandum aũt in hoc, quod iste, qui aliquid facere iurauit non exprimens verba voti, aut iurauit illud proximo suo. scil. volens se ei obligare, vel iurauit Deo. Si iurauit proximo suo, quamquam teneatur ad solutionem propter veritatẽ, & propter iuramẽtum tñ non est votũ: ideo si violauerit istam promissionẽ non dicitur violator voti, sed periurus. Si autem ista obligatio sit ad Deum. s. quod aliquis intendat se obligare Deo, poterit esse tripliciter. s. exprimendo verba voti, vel solum iurando siue voto, vel vouendo, & confirmando votum iuramento. Omnes autẽ isti modi dicuntur vota, quamquam non appareat in quolibet eorum verbum vouendi: differt tamen, quia maior obligatio inducitur, qñ votum est iuramẽto firmatum, quã si sit simpliciter emissum. Ratio huius est, quia vtrumq; eorum per se importãt vinculum: vnum ergo alteri additum efficit maiorẽ obligationem. Aliter patet, quia cum obligatio alicuius liberi ex sua voluntate nascatur ex voluntate accipietur ratio maioris, vel minoris obligationis: qui enim magis se obligare intendit, magis obligatur. Cũ ergo votum, & iuramentum simul maiorem voluntatis conatum ad se obligandum demonstrãt, magis obligabunt. Aliter enim potest comparari iuramentum voto, prout iuramentum est aliquid quo affirmamus promissa facta proximo, & tunc dicendum, quod non tm obligat iuramentum, sicut votum simpliciter emissum. Ratio est, quia votũ est directe in Deum. Iuramentũ autem, vt dictum est, directe est in proximum. s. ad vtilitatem illius, licet illã vtilitatem iurans speciali modo per iuramentum confirmat, prout ponit diuinã reuerentiam pro aliquo reductiuo sui ad firmã, & indubitatã promissorum executionem. Si ergo aliquis contrahat solum, offendit diuinam reuerentiam, in qua non per se, sed per accidens tendebat, qui aũt votum non soluit directe, magis Deum offendit, quia votum in eum directe tendebat: ideo fidelitas, quam Deo debemus, magis offenditur hic, quam in fractione iuramenti, quod erat factum in vtilitatem proximi, quamquã ibi offendatur Deus, & proximus, & in voto facto solum Deus offenditur: iuramento enim facto contra reuerentiam Dei agitur, sed non contra fidelitatem, quia nihil Deo promissum erat, sed proximo, licet per Deum promissum esset: in voto autem agitur contra fidelitatem, si frangatur: ideo dicitur in Eccl. 4. c. Si aliquid voueris, ne moreris reddere: displicet n. Deo infidelis, & stulta promissio. Vocatur autem promissio infidelis, quando fides non obseruatur. scil. voto violato: vocatur stulta quando fit indeliberate, vel de re vana, aut illicita, siue quandocunque non tenet: magis tamen offenderetur aliquis Dominus temporalis, cum aliquis ageret contra fidelitatem illi præstitam quã si ageret contra reuerentiã eius: iuramentum aũt, de quo supra nullo modo potest totaliter tendere in Deum, sed secundũ aliquid: magis aũt in vtilitatem proximi: iuramentum autem est totaliter directe in Deum, quando votum firmatur iuramento, quia vtrumque tendit tunc totaliter in Deum.

D

Votum Deo tripliciter fieri potest.

C *Quid magis est obligatoriũ votum an iuramentũ.*

Quid obligat magis iuramentum sine voto alicuius rei in Deum, vel è contra.

QVÆSTIO III

QVæretur tunc quid si iuramentum sine voto sit totaliter in Deum, sicut votum sine iuramento: videtur tunc dubium esse, quid magis obligaret. Respondendum est, quod magis obligaret iuramentum, quia in voto violato agitur directe, & explicite contra fidelitatem Deo debitam, implicite autem contra reuerentiam: nam cum quis vouet, promittit reddere: cum autem non reddit, non obseruat fidelitatem in promissis, & hoc est agere contra fidelitatem Deo debitam, quæ iam per votũ debita est. Et dicitur fieri contra hanc, quia votum secundum se promissionẽ istam importat. Est autem implicite contra reuerentiam: nam cum iste promisit Deo, & non reddit, non multum curat de eo, quia si curaret, redderet promissum, & hoc est agi contra reuerentiam. In iuramento autem quod totaliter factum est ad Deum, sit explicite cõtra fidelitatem, & directe. Etiã explicite contra reuerentiã, quod patet, quia iste, qui iurauit aliquid facere pro Deo promisit, & in promissione attenditur fidelitas. sc. quod sic fiat, vt promissum est. Qui autem iuramentum infringit, fidem non seruat, quia promissio perit, & hoc est directe frangere fidem, cum fiat hic contra promissionem, quæ in iuramento firmatur. Fit etiã directe, & explicite contra reuerentiam, quia ille, qui iurat, confirmat aliquid per Deum, quod si non obseruet reuerentia illius læditur: ideo namq; res promissas per Deum confirmamus, vt propter reuerentiam illius contrarium nõ agamus, quod non accideret si iuraremus per creaturam, quia illa nullius reuerentiæ esset, aut paruæ. In voto autem, & iuramento cum vtrumq; per se totaliter in Deum est, differentia manifesta est, quia votũ pro Deo fit. i. ad honorem, vel cultum illius; sed non per illum. i. non confirmatur per Deum, nisi intercedat ibi iuramentum, in quo Deus adducitur tanquã mediũ confirmatiuum. Iuramentum aũt in casu dicto est ꝓ Deo, quia in ipso promittitur aliquid, quod pro Deo est. Etiã est per Deum, quia in nomine eius promittẽtes confirmamus; ideo si frangamus iuramentũ huius maius esset, quã infringere votum. *Aut se constrinxerit iuramento.* Potest dupliciter intelligi. Vno modo, quod iuramentũ istud sit solũ. s. quod iste iurauit, & nõ expressit verba voti; tñ id quod iurabatur, erat solũ pro Deo, & sic obtinebit iuramentum illud locum voti, & distinguetur ista litera, s. si quis virorum votum vouerit. i. solum expressit verba voti, nihil iurans; aut se iuramẽto constrinxerit, i. vel solum expressit verba iuramenti, nõ exprimẽs verba voti, & dicitur, ꝙ vtroq; modo tenebitur ad id, quod promisit. Aliter potest accipi ista litera, quod ista clausula sit aliquid additum ad superiora, scil. si quis virorũ votum vouerit, i. si aliquis emiserit verba voti simpliciter nõ confirmãs iuramẽto, vel iuramento se constrinxerit, i. si vouerit, & super hoc addiderit iuramentum, q.d. quod quantum ad valorem voti nihil differt, an solum protulerit voce non iurans, vel quod vouerit, vel iurauerit, quia vtroque modo tenetur reddere. Primo modo tamen est minoris obligationis votum, quam secundo. *Non faciet irritum verbum suum.* Id est, non retractabit promissiones. Est enim facere irritum, id est, annihilare, sic enim fit in verbis nostris, quando ea agimus, verbum quippe nostrum est signũ rerum, prout sunt in anima, & prout sunt extra iuxta Arist. 1. Periher. sunt ea, quæ sunt in voce earum, quæ in anima sunt passionum notæ, id est, signa: de ratione autem signi est esse ad signatum, cum dicatur relatiue. Cum vero dicta nostra non explentur opere, nihil correspondet verbo, quod est signũ, & sic nihil est verbum in ratione signi. Sic aũt est in omni iuramẽto facto, & in voto violato: ergo verbũ est ibi irritum. *Sed omne quod promisit, impleuit.* Id est, non retractabit vir promissiones, sed omnia, quæ dixit, faciet. Non est hoc intelligendum absolute, quia impossibile est, quod aliquis vir quantumcunq; sui iuris omnia, quæ promisit, adimplere debeat. Nã si vouit Domino, ꝙ occideret aliquem, non

E

F

Cap. 1.

tenebi-

A

Cõditio voti prima.

tenebitur implere, sed magis implendo peccaret, vel si vouit aliquod malum se facturum, aut si vouit se daturum in eleemosynam omnia, quæ alius possidet, & sic de cæteris. Nihil enim horum implere tenetur, nec licitum est impleri, quanquam posset, sed intelligendum est appositis conditionibus, quæ requiruntur ad votum, scilicet, quod id, quod vouetur, sit licitum: illicita enim non cadunt sub voto. Et propter hoc occidere, fornicari, furari, contumeliari, non cadunt sub voto, & vniuersaliter de omni illo, quod inhonestatem aliquam importat. Ratio est, quia votum est promissio facta Deo ad magis colendum ipsum, quia est de operibus supererogationis: nullum tamen inhonestum est ad cultum Dei, sed magis illi repugnat, ideo de eo fieri votum non potest. Secunda conditio est, quod sit votum cum deliberatione factum: nam siquis etiamsi iuris repentina iracundia stimulatus, aut non multum aduertens ad ea, quæ dicebat, aliquid voueret, non tenebatur illud implere. Ratio est, quia deficit ibi fundamentum voti, per votum enim obligamur, & ista obligatio inducitur ex voluntate obligandi: in eo autem, quod stimulatus ira, aut non aduertens ad id, quod dicebat, aliquid promisit, deficit voluntas se obligandi, quia verba illa voti non fuerunt emissa per deliberationem, sed ex quodam motu passionali, vel leuitate quadam.

Illicita vouerí non possunt. 2. Conditio.

Tertia.

B

Tertia conditio est in voto, quod sit sine præiudicio iuris alieni, & propter hoc si quis voueat id, quod non est iuris sui totaliter, vel nullo modo, votum non teneret, vt si quis voueret dare in eleemosynam omnia, quæ sunt in vna vrbe. Actus enim iste licitus est, & etiam potest fieri sine leuitate cum plena deliberatione: tamen non potest iste, qui vouit, implere, quia præiudicaret iuri alieno. Ista autem vocatur stulta promissio, quia promittitur, quod non est in iure suo, & displicet: nam dicitur in Ecclesiastico: displiceat Deo infidelis, & stulta promissio. Istud etiam est, vt si quis voueat ea, quæ sunt sui iuris aliqualiter, tamen nõ possit ea explere sine præiudicio iuris alieni, quia iste vouens non est penitus iuris sui in illis, quæ promittit, sicut si quis coniugatus voueat castitatem perpetuam: est enim in hoc aliqualiter sui iuris quantum ad hoc, quod nõ est exigere debitũ, sed non est sui iuris in reddendo, quia compellitur reddere, vxore petente. 1. Corinth. cap. 7. ideo huiusmodi vota non valent: sunt enim similia votis puerorum, quia sicut pueri, & puellę voueant aliquid, non tenet votum, nisi pater voluerit, quia non sunt sui iuris: ita iste vir quanquam sui iuris sit, non poterit vouere, quæ dicta sunt, quia illa non sunt iuris illius: omnibus autem his præsuppositis intelligitur litera, scilicet, quod vir adimplebit omnia, quæ promisit.

Cap. 5.

Circa hoc considerandum est, quod tractatus iste de votis erat communis veteri testamento, & nouo, scilicet, quod in veteri testamento vota fiebant, & nunc fiunt, non tamen est idem modus votorũ, quia quædã obligant nunc, quę non obligabant in veteri testaméto, cum nunc sit maior libertas vouendi, & plura cadant sub voto, quam cadebant in veteri lege, vt infra declarabitur: ideo quia ista præcepta data sunt directe Iudæis exponentur primo solum de voto ipsorum, & qualiter obligarentur: deinde tota litera applicabatur ad modum votorum nostrorum, quantum applicari potest, & fiet magis distincta cognitio, cum fuerint impermixta.

C

An aliquis vir potuisset se totaliter Deo vouere in lege veteri, etiamsi esset coniugatus. Et de votis legis Moysi.

QVÆSTIO IV.

QVæret aliquis prosequendo vota Iudæorum, an aliquis vir qui erat sui iuris inter Iudæos posset se totaliter Deo vouere. Ad hoc aliquis distinguet, an iste vir, qui erat iuris sui, scilicet, emancipatus erat coniugatus, aut non: si autem esset coniugatus, non posset se vouere, quia agebat in pręiudicium vxoris: si autem non esset coniugatus posset se vouere, vel si esset coniugatus nondum consummato matrimonio, quia adhuc erat iuris sui, quantum ad se vouendum. Respondendum est, quod iste modus respondendi est secundum conditionem votorum nostrorum in statu noui testamenti, sed in veteri non erat sic: multum enim sunt dissimilia: primo quia dato, quod istud votum teneret secundum vetus testamentum, non præiudicaretur vxori: ideo compleretur votũ non obstante matrimonio. In nouo testamento autem non sic. Ratio autem diuersitatis est, quia in veteri testamento, quantumcunque aliquis applicaretur Deo, non impediebatur ab actu matrimonii: omnes enim tam sacerdotes, quam Leuitæ, & sacerdos magnus, etiam prophetæ sanctissimi vxores habebant. De sacerdote magno pater, quia filii sui succedebant ei, Exodi capit. 29. & Leuit. 6. & supra cap. 20. Deus etiam promisit summum sacerdotium Phinees filio Eleazari summi sacerdotis, & omnibus successoribus eius, vsque in æternum, supra 25. capit. De aliis sacerdotibus etiam patet, quia familia sacerdotum erat vna in tribu Leui, quæ non posset continuari, nisi sacerdotes haberent vxores. De prophetis patet, quod haberent vxores, quia Moyses sanctissimus prophetarum vxorem habebat, & filios, vt patet Exod. capit. 4. & 18. Isaias quoque vxorem habebat, & filios, vt patet Isaiæ cap. 7. scilicet, dixit Dominus ad Isaiam: Egredere in occursum Achaz tu, & qui derelictus est tibi Iasub filius tuus: alii etiam prophetæ, quasi generaliter filios habuerunt, sic patet 4. Reg. cap 2. vbi sæpe dicitur de filiis prophetarum, quod venerunt ad Heliseum, vel adorauerunt eum: ergo licebat in veteri testamento homini quantumcunque se applicare vellet ad Deum, vti matrimonio: in nouo autem testamento non est sic: quia si aliquis totaliter se voueat Deo ad colendum ipsum, debet se transferre ad habitum monachalem, vel ad aliquam religionem, omnes autem istæ professiones repugnant matrimonio, quia qui huiusmodi est continentiam profitetur, in quo nimis præiudicaretur vxori, si teneret votum, ideo nõ tenet, nisi pariter vxor profiteatur, vel det licentiam viro si ipsa manere potest in sæculo sine suspitione siniſtra: idem est autem si aliquis voueret assumere ordinem sacerdotalem, vel quemcunque sacrum qui laxior est: nam etiam iste ordo continentiam habet annexam: non igitur potest fieri votum, vel factum non tenet, si aliquis coniugatus sit, quod totaliter se ad Deum transferat. In veteri autem testamento nihil impedit, quin aliquis coniugatus posset se totaliter applicare Deo, quia non est ibi aliquod præiudicium matrimonii: ideo non est respondendum, sicut nunc respondetur. Alia ratio diuersitatis est, quia in veteri testamento matrimonium non erat ratum, cum posset quilibet vxorem suam repudiare, etiam sine aliqua causa, vt declaratum est Deut. 24. ca. ideo dato, quod votum de applicando se specialiter Deo præiudicaret matrimonio, ita quod vouens non posset vti actu matrimoniali votum teneret. quia poterat repudiare vxorem, & postea continentiam obseruare.

In nouo autem testamento non est sic, quia matrimonium est ratum, nec potest quisquam repudiare vxorem suam ex aliqua causa etiam ex causa fornicationis accipiendo repudium sicut in veteri testamento, quia Christus dixit: Quos Deus coniunxit, homo non separet, Matth. 19. ca. vbi voluit nullam causam esse repudii, nisi fornicationem, & istam non quidem simpliciter ad dirimendum matrimonium, sed ad tollendam cohabitationem: de his extra de diuor. in c. gaudemus. Ideo non potest quis nunc matrimonio consummato profiteri religionem, vel continentiam qualitercunque, quia non potest dissolui matrimonium per votum.

F

An in antiqua lege quis posset se Deo totaliter vouere sicut nunc religiosi, vel clerici.

QVÆSTIO V.

QVæretur tamen adhuc circa hoc, an aliquis de viris in testamento veteri posset Deo totaliter se vouere accipiendo vouere se Deo, sicut nunc, sc. ad cultum specialem eius sicut nunc religionem vouemus, vel statũ clericalem. Respondendum est, quod non erat in veteri testamento liberum cuilibet se vouere specialiter se ad cultũ Dei, sicut nunc, quia nũc omnis homo, siue emancipatus, siue nõ emancipatus, dum tamen rationis cõplete capax sit, & non sit vxori iunctus, potest vouere se, & Dño applicare, scil. assumendo ordinem sacrum in statu clericali, vel profitendo aliquam religionem. Cultus autem specialis, qui Deo exhibebatur in veteri testamento erat in opere Leuitico, aut sacerdotali: nam sacerdotes ministrabant

D

Votano ua legis valde dissimilia à votis antiquæ.

E

A

ſtrabant Deo immediate, ſcil. in ſacrificiis: in oblatione incenſi, & candelarum, & panum propoſitionis, omniumque miniſteriorum Sanctuarii, vt declaratum eſt ſupra 18. cap. Leuitę autem ſubminiſtrabant Deo, ſc. mediate, quia non faciebant aliquod miniſterium in Sanctuario cum eſſet ſolum ſacerdotale, & ſi vellent facere, morierentur, vt patet ſupra cap. 3. ſed habebant alias miniſtrationes magis remotas, ſc. quod excubabant in circuitu Sanctuarii: & quod portabant illud de loco ad locū: & deponebant ipſum, quando caſtra mouenda erant, atq; erigebant, quando caſtra figenda eſſent. De his patet ſupra c. 1. omnes autem alii, qui non habebant ſtatum Leuiticū, non faciebant aliquam miniſtrationem ſpecialem cultus diuini: ſicut non poteſt dicere Miſſam, qui ſacerdos non eſt. Hoc præſuppoſito dicendum eſt, quod aut ille, qui erat voues ſeipſum ſpecialiter Deo erat de ſacerdotibus, & Leuitis, aut de popularibus: ſi eſſet primo modo, iam videbatur applicitus Deo. Si ſecundo modo dicendum, ꝙ non poterat aliquis ſeipſum vouere Domino, vt eſſet Leuita, vel vt eſſet ſacerdos. Cauſa eſt, quia Deus repulerat omnes tribus Iſrael à miniſtratione ſua, & loco earum aſſumpſerat tribum Leui, vt patet ſupra capit. 3. & 8. & in iſta tribu diſtinxit Leuitas & ſacerdotes. Leuitas quidem pro minoribus miniſteriis, & magis remotis: ſacerdotes autem pro maioribus & immediatis, vt hic dictum fuit, & adiunxit, quod ſoli Leuitæ tractarent miniſteria ſua. Si autem aliquis conaretur inter eos miniſtrare, occideretur, & Deus indignaretur toti populo, ſupr. c. 1. De ſacerdotibus autē dictum eſt, vt Aaron, & filii ſui ſoli miniſtrarent in officio ſacerdotali, & nullus de extraneis accederet: qui autē accederet moreretur, ſupra cap. 3. & 18. & hoc etiamſi eſſet de Leuitis, qui erant miniſtri Dei, vt patet de Core, & ſociis ſuis: erat enim Core de genere Leuitarum, & tamen quia voluit miniſtrare in ſummo ſacerdotio, à terra abſorptus eſt, ſupra 16. & 26. c. In laicis quoque hoc fiebat, qui non erant de ſtirpe Leui, vt patet de Dathan & Abiron, qui erant de ſtirpe Ruben, & 250. viris ſociis Core, qui aſpirabant ad ſummum ſacerdotium, qui omnes perierunt, quidam à terra abſorpti, alii vero ab igne combuſti, ſupra ca. 16. rex quoque Ozias nolens vſurpare ſacerdotium, ſed ſolum miniſtrare, ſicut ſacerdos, percuſſus fuit lepra in fronte, & manſit leproſus vſq; ad mortem, 4. Reg. 16. cap. Non poterat ergo aliquis de laicis vouere hoc, quia lex interdicebat, & ſi vouerent non tenebat votū, ſed in vouendo grauiter peccabat, velut ſiquis nunc voueret adulterari. Nunc autem nobis licitum eſt vouere accipere ordinem ſacrum, niſi ſit aliquod impedimentū iuris. Ratio diuerſitatis eſt, quia in nouo teſtamento non eſt aliqua progenies, vel natio ſpecialiter determinata ad cultum Dei, ſicut in veteri teſtamento, ſed omnibus indifferenter licet ſe ad cultum Dei applicare, niſi à iure prohibiti ſint: laicis vero non licebat in veteri teſtamento ſe vouere hoc modo ad cultum Dei.

An ſacerdotes & Leuitæ poſſent vouere ſe ſpecialiter ad cultum Dei, & ad faciendum ſacrificia.

C

Qvæstio VI.

QVæretur amplius an ſacerdotibus, & Leuitis liceret ſe ſpecialiter vouere ad cultum Dei. Reſpondendum eſt, quod non poterat fieri de hoc votum, quia neceſſaria non cadunt ſub voto, cum vota ſint ſupererogationis: ſacerdotes autem, & Leuitæ obligari erant ad cultum diuinum ſpecialiter, ita vt nequaquam liceret alicui Leuitæ abſtrahere ſe à miniſterio ſuo. Idem de ſacerdotibus, etiamſi quilibet horū vellet renunciare omnibus, quæ proueniebant ei ex miniſterio ſuo, vt declaratum eſt ſupra cap. 20.

Sed hoc non ſtat: poterant enim Leuitæ & ſacerdotes vouere ſe totaliter Deo, nam licet ipſi eſſent neceſſario Deo appliciti: non tamē erant totaliter appliciti, & hoc quia ſacerdotes & Leuitæ erant multi & locus miniſtrandi erat vnicus, ſc. Sanctuarium, quod vnicum erat in toto Iſrael, ideo iſti erant diſtincti per vices, ſcilicet, erant factæ 24. ſortes ſacerdotum, qui miniſtrabant per diuerſas partes anni, & dum miniſtrabant illi, qui erant in vna ſorte, non miniſtrabant illi, qui erant in alia: ſed erant extra locum Sanctuarii in vrbibus ſuis, 1. Paralip capit. 24. Leuitæ quoque diuiſi erant per miniſtrationes ſuas & tempora miniſtrandi: illi autem, qui non miniſtrabant ibant ad vrbes ſuas. De hoc 1. Paralip. 9. & 25. cap. hoc autem fuit tempore Dauid, & ſemper poſt eum, quia ipſe ordinauit iſtum ſtatum ſacerdotum & Leuitarum, vt patet 1. Paralip. 23. capit. ſemper tamen poſt datam legem fuit hoc, quod non miniſtrarent omnes Leuitæ, vel omnes ſacerdotes coram Domino, ſed aliqui eſſent in loco Sanctuarii ad miniſtrandum, & alii in vrbibus ſuis, vt patet Deuter. capit. 18. & ſic quanquam aliquis Leuita, vel ſacerdos eſſet Domino obligatus, videtur quod poterat vouere ſe magis obligans, quia non erat obligatus totaliter, ſed ſolum ad tempus illud, in quo per ſortem, vel alias miniſtrare debebat, & ſic poſſet vouere, quod ſemper eſſet coram Domino ad miniſtrandum. Sic patet de Samuele, quia mater ſua vouit eum, vt eſſet coram Domino ad miniſtrandum omnibus diebus vitæ ſuæ, vt patet 1. Reg. cap. 1.

D

Item apparet hoc, quia ſi aliquis Leuita eſſet, qui deſideraret ſemper manere coram Domino in loco Sanctuarii, quanquam non obligaretur manere, niſi tempore ſortis ſuæ, manere poterat, & iubebatur, quod darentur ei iura, quæ dabantur omnibus aliis, qui manebant tunc in loco Sanctuarii, vt patet Deut. ca. 18. Quod ergo poterat iſte facere ſine voto poterat cum voto, & tunc totaliter ſe Deo applicabat per votum ad quod non erat obligatus: ſic ſacerdotes facere poterant, quia idem ius eſt cuilibet ſacerdoti reſpectu aliorum ſacerdotum, quod cuilibet Leuitæ reſpectu aliorum Leuitarum.

An liceret ſacerdoti vouere ſacrificare quotidie.

E

Qvæstio VII.

QVęretur amplius an poſſet aliquis ſacerdos in veteri teſtamento vouere, facere quotidie ſacrificium, vel offerre incenſum aut miniſtrare in Sanctuario. Reſpondendum eſt, quantum ad primum de ſacrificio, quod autem intelligebatur iſtud votum, quod quotidie faceret ſacrificium, id eſt, offerret aliquod animal de expenſis ſuis, & ipſe immolaret illud atq; faceret cæremonias illius, vel quod quotidie ſacrificaret, id eſt, quod de animalibus, quæ offerebantur quotidie ex neceſſitate dierum feſtorum, vel profeſtorum, de quibus in duobus præcedentib. capit. aut de animalibus, quæ offerebant ſponte populares facere quotidie ſacrificiū immolando aliquod ipſorū. Si primo modo intelligatur dicendum, ꝙ poterat vouere, quia facere ſacrificium pertinebat ad ſacerdotē, etiam in hoc nullius iuri præiudicabat. Si ſecundo modo intelligatur dicendū, quod non poterat, quia in hoc præiudicabatur iuri aliorum ſacerdotum: erant namq; ſacrificia diſtincta per dies, vel per genera ſacrificiorum, ſ. quod vni ſacerdoti proueniebat vna die ſacrificare, & alteri altera. Hoc autem erat, quia ſacerdos, qui faciebat ſacrificiū habebat omnia iura illius, ſc. de holocauſto ſolum proueniebat pellis, & ipſa dabatur ſacerdoti immolanti ſolum, Leui. c. de hoſtia pacifica proueniebat ſacerdotibus pectuſculum, & armus dexter, & ſolum dabantur ſacerdoti immolanti hoſtiam, Leuit. cap. 7. De ſacrificio pro peccato proueniebant omnes carnes, & pellis quādo non introducebatur de ſanguine illius in tabernaculum, ſed iſtud proueniebat ſoli immolanti, Leuit. ca. 6. Idem quoque erat de oblationibus de ſimila, oleo, & vino, quia qui ponebat vnum pugillum de illis ſuper altare accipiebat eas integraliter, aliis ſacerdotibus nihil præcipientibus, Leuit. c. 6. Si ergo liceret alicui ſacerdoti miniſtrare quandocunque vellet in ſacrificando ipſe perciperet omnia iura, in quo nimis præiudicaretur aliis, & eſſet locus infinito litigio: ideo determinauit, quod eſſet ordo in miniſtrando inter omnes ſacerdotes ſcilicet, quod tot dies darentur vni ad miniſtrandum, quot alteri, vt ſic iura æqualia eis prouenient. De hoc Leuit. cap. 6. in fine dicitur: cunctis filiis Aaron æqua menſura per ſingulos diuidetur, quod ergo aliquis vellet quotidie facere ſacrificiū erat præiudicare iuri omnium aliorum, quod non licebat ei: ideo non cadebat hoc ſub voto. Ad ſecundam particulam, quando quærebatur, an liceret ſacerdoti vouere, quod quotidie offerret thymiama.

An licebat ſacerdoti vouere quotidie offerre thymiama.

Reſpondendum eſt, quod non licebat, quia quanquā non præiudicaretur hic iuri alterius tollendo ei aliquam vtilitatē, præiudicabatur tamen inquantum auferebatur poteſtas aliorum: habebat enim quilibet ſacerdos ius offerēdi thymiama

F

A Domino aliquo die cum ſacerdotes eſſent diſtincti per vices 24. vt patet 1. Paralip. cap. 24. Si autem aliquis quotidie offerret thymiama auferret aliis poteſtatem offerendi cum ſolum offerretur thymiama intra tabernaculum bis in die, vt patet Exod. c. 30. Item non poterat voueri hoc, quia erat contra legem: iuſſerat enim lex, vt ſacerdotes offerrent thymiama, & facerent omnia alia miniſteria diſtincti per 24. vices, & quando aliqua illarũ miniſtratura eſſet, ſacerdotes ponebant inter ſe ſortes, quis de illa vice miniſtraturus eſſet, ſic patet Lucæ capit. 1. de Zacharia miniſtrante: ſi ergo aliquis vellet quotidie offerre incenſum tolleret diſtinctiones iſtas, & ſortes: ideo voueri hoc non poterat. Cum dicebatur autem de poſitione panum propoſitionis. Reſpondendum, quod non poterat aliquis vouere quotidie miniſtrare in panibus illis, quia illi ſoli ponebantur de octo in octo dies, ſcil. per ſingula ſabbathi, Leuit. c. 24. & hoc, vt cum quidam eſſent duri ponerentur alii recentes, vt patet 1. Reg. 21. ca. ideo non poterat voueri hoc quotidie explendum, ideo non poterat aliquis ſacerdos vouere, vt de octo in octo dies, quia in hoc præiudicaret iuri aliorum ſacerdotum, quibus competebat hoc facere per vices, ſicut cætera miniſteria, & generaliter de omnibus aliis miniſteriis dicendum eſt, quod non licebat alicui ſacerdoti vouere facere alia, quam ei competant ex officio, nec pluribus vicibus, quam ei competant, quia ſic præiudicabitur iuri aliorum.

B *An ſacerdos aliquis poſſet vouere introire quotidie in ſancta ſanctorum ad orandum*

QVÆSTIO VIII.

QVæretur amplius an liceret alicui ſacerdoti vouere introire in ſancta ſanctorum ad orandum, vel vouere facere ſacrificia diei propitiationis.

Reſpondebit aliquis, quod aut erat ſacerdos magnus, aut minor: ſi eſſet magnus poterat iſta vouere, quia competebat ei illuc introire: ſi autem eſſet de minoribus, non poterat vouere, quia ſoli ſacerdoti magno ius erat illuc intrare, Leuit. 16 & ad Hebr. capit. 9. de ſacrificiis diei expiationis, idem iudicabitur, ſcilic. quod nemo de minoribus ſacerdotibus illa poſſit vouere facere, quia ſoli ſacerdoti magno competunt, cum illa exigant ingreſſum in ſancta ſanctorum, vt patet Leuitici capit. 16.

Sed aliter reſpondendum eſt, ſc. quod aut iſte qui vouebat erat ſacerdos magnus, aut minor: ſi minor nihil horum vouere poterat, quia lex auferebat ei hoc, vt declaratum eſt. Si autẽ eſſet ſacerdos magnus, aut vouebat introire in ſancta ſanctorum ad orandum, aut volebat facere ſacrificia diei propitiationis: ſi ſecundum iſtorum, dicendum, quod non poterat vouere, quia ipſe obligatus erat ad faciendum hæc, & in neceſſariis non eſt votum. Si autem dicatur de oratione intra C ſancta ſanctorum, aut vouebat hoc in die propitiationis, aut pro aliis diebus: ſi pro die propitiationis dicendum, qꝙ non oportebat voueri, quia iam obligatus erat ad faciendum, cum illa die ſummus ſacerdos iuberetur introire in ſancta ſanctorum cum ſanguine vituli, & hirci ad expiandum pro toto populo, & ibi orabat pro expiatione. De hoc Leuit. 16. & ad Heb. cap. 9. Hoc autem, quia neceſſarium erat, non poterat voueri, poterat tamen ſacerdos vouere facere aliquam aliam orationem intra ſancta ſanctorum, quã facere non obligabatur per ritum expiationis, & iſtud votum tenebat. Si autem dicatur, quod vouebat orare in ſancta ſanctorum in aliquo alio die præter diem expiationis, non poterat vouere, quia non licebat ei illuc ingredi aliis diebus, & ſi ingrederetur, moreretur, vt patet Leuit. cap. 16.

An aliquo modo laicus poſſet ſe vouere Deo totaliter, licet non adminiſtrandum.

QVÆSTIO IX.

QVæretur amplius cum non liceret alicui laico inter Iudæos vouere ſe totaliter Deo ad colendum, ipſum miniſtrando in Sanctuario, an liceret aliquo alio modo ſe totum Deo vouere.

In quo prę ſupponendum eſt, quod contingit aliquẽ ſe Deo totum vouere, vel quantum ad aliquid: Primum eſt, vt ſiquis D vouеat ſe futurum monachum, quia ibi vouetur de ſtatu, in quo homo nihil ſibi dimittit, totum Deo tribuens: Monachi enim, & omnes religioſi nihil ſibi penitus reliquerunt exterius cum abrenuncient omnibus, quæ poſſidebant per votum paupertatis: nihil quoque interius ſibi relinquunt cum abrenuncient iuri poſſidendi, & voluntati aliquid habendi, aut aliquid ex ſeipſis faciendi, ſed iam propter obſequium Chriſti ad voluntatem aliorum operentur. Aliquando autem aliquis vouet ſe Deo non totaliter, ſicut ſi vouet ſe ad aliquid faciendum, vel non faciendum, vt ad dandum eleemoſynam determinatam, vel ad aliqua ieiunia, aut ad abſtinentiam à coitu, vel ab aliis actibus. Hic enim tribuit ſe homo Deo quantum ad id, quod vouit, ſed plura alia ſibi dimittit, in quibus penitus liber eſt. De hoc dicendum, quod non erat inter Iudæos aliquod miniſterium ſpirituale, ad quod homo ſe voueret totaliter Deo, quia iſta ſolum conueniebant ſacerdotibus, & Leuitis, vt ſupra declaratum eſt. Dicendum tamen, quod erat aliquid alterum, in quo poſſet homo ſe totaliter vouere Deo, ſcilicet, quando aliquando voueret ſe non determinans aliquid, ad quod ſe vouebat, ſed diceret, ego voueo me Domino, & tunc totus homo pertinebat ad ius Dei, & deberet applicari ei ad aliquod miniſterium, quia tamen non erat aliquod tale in veteri teſtamento poſuerat Deus pretium, quod daretur pro quolibet ſe vouente totaliter Deo, & E quando illud ſoluebat erat, ac ſi totum Deo traderet. Iſtud pretium diſtinguitur ſecundum varietatem ſexuum, & ætatum: nam ſi eſſet maſculus ab anno vigeſimo vſque ad quinquageſimum dabat ſiclos quinquaginta: ſi vero eſſet fœmina huius ætatis dabat ſiclos triginta: ab anno autem quinto, vſque ad vigeſimum, maſculus dabat viginti ſiclos, & fœmina decem: ab vno menſe vſque ad annum quintum pro maſculo dabantur quinque ſicli, pro fœmina tres. Si autem vir eſſet annorum ſexaginta, vel amplius dabat ſiclos quindecim, fœmina autem decem, & hoc intelligitur, quando erant potentes reddere iſtam æſtimationem. Si autem viri, vel fœminæ vouentes ſeipſos erant pauperes, veniebant coram ſacerdote dicentes, quomodo vouiſſent ſeipſos: ſacerdos autem conſiderans paupertatem determinabat quantum reddere deberet vouens. De hoc Leuit. capit. vltimo. & ſic habebant aliquem modum homines in veteri teſtamento, per quem ſe poſſent totaliter applicare Deo. Sed iſte modus non eſt proprius applicandi, quia qui ſemel Deo ſe totaliter applicauerit, poterit ſe iterum applicare, ſcilicet, iterum faciendo ſimile votum, & redimendo ſe.

An pater poſſet vouere filium Deo totaliter.

QVÆSTIO X.

QVæretur amplius, an vir, qui erat ſui iuris poſſet filium ſuum Domino vouere totaliter applicando. F

Reſpondendum eſt, quod aut iſte vir erat ſacerdos, aut Leuita, vel erat de popularibus. Si primo modo dicendum, quod poterat filium ſuum vouere Domino, & poterat dupliciter vouere, ſcilicet, modo voti laicorum, vel voto Leuitarum, & ſacerdotum. Modus autem voti vulgaris erat, quod quandocunque aliquis totaliter Domino voueretur. non applicaretur ad aliquod miniſterium diuinum, ſed daretur pro eo certa ſumma pecuniæ, de quo Leuit. capit. vigeſimo ſeptimo, & iſte ita ſi vouiſſet modo popularium filium ſuum, quanquam eſſet Leuita, daret pro eo tantum, quantum determinatum erat à lege. Alius modus erat voti Leuitarum, & ſacerdotum ad applicandum ſe Deo, ſcilicet, quod applicarent ſe illi ſemper manendo coram eo. Et ſi voueret pater hoc modo filium, manebat ſemper filius coram Domino: poterat enim pater hoc facere. Quod patet, quia cum mater poſſet hoc facere à fortiori poſſet pater: de matre patet, quia Anna mater Samuelis vouit eum Domino ad hoc, quod maneret ſemper coram illo, & miniſtraret, vt patet primo Regum capitulo primo, & poſtea obſeruatum eſt votum, quoniam traditus eſt puer, vt maneret ſemper coram Domino eodem capitulo.

Iſtam diſtinctionem faciũt quidam, ſed non eſt recipienda

A

Leuitæ enim quãdo filios ſuos vouebant, debebant eos ſemper coram Domino ponere, quia aut iſti Leuitæ, vel ſacerdotes vouebant filios ſuos Domino ad aliquid ſpecialiter, vel vouebant totaliter Domino, dicentes: Ego voueo filium meum Domino. Si primo modo debebant complere, quod voluiſſent, ſed non eſt illud vouere aliquem totaliter: ſi autem vouerent ſimpliciter dicentes: ego voueo filium meum Domino: non poterant dare precium pro illo, quod dabant vulgares, ſed debebant illum dare ad ſeruiendum ſemper coram Domino. Poſitio autem ſuperiorum fundatur in hoc, quod Leuita, vel ſacerdos haberet electionem, ſcilicet, an vellet filium ſuum dare modo Leuitarum, vt ſtaret coram Domino, vel vellet redimere illum dando precium modo popularium. Sed non ſtat, quia popularibus dabatur, quod darent pecuniam pro ſeipſis redimendo ſe, quia non poterant Domino applicari: ſi autem poſſent, non redimerentur. Sic patet de redemptione primogenitorum: omnes enim primogeniti erant obligati Domino ad miniſtrandum ei, & quia primogeniti laicorum, non poterant miniſtrare cum Deus veniſſet, dabatur pro eis pretium, vt patet ſupra capit. 3. pro primogenitis autem Leuitarum non dabatur aliquod pretium, ſed omnes applicabantur Domino: ergo conformiter hic in votis cum aliquis totaliter Domino voueatur, ſi applicari poteſt ei non dabitur pretium, ſed applicabitur. Idem patet penitus in animalibus, quæ vouebantur: ſi enim aliquis voueret animal quod licebat immolari, nullo modo poterat illud mutare

B

dando pro illo aliquod melius, vel pcius, ſed ipſum debebat applicari Domino ad immolandum: ſi autem non eſſet animal ad immolationem, ſcilicet, quia erat immundum ſecundum ſpeciem, vel etiam erat maculatum, debebat conſtitui pretium illius ſecundum arbitrium ſacerdotis, Leuit. cap. 27. Ita igitur ſi aliquis ſe voueret Deo, vel voueretur ab alio, & poſſet Deo totaliter applicari, non debebat pro Deo accipi aliquod pretium, ſed applicandus erat Deo: ſi autem non poſſet applicari, debebat pretium recipi, ſecundum determinationem legis, vel ſacerdotis. Sic autem erat de filiis ſacerdotum, & Leuitarum, quia illi poterant applicari Deo ſpecialiter, ſicut patres eorum: ergo non debebat accipi precium pro eis, & hoc tenendum eſt, tanquam neceſſarium, quod Leuita vouens filium ſuum Domino ſimpliciter debebat facere, quod ſemper maneret coram illo, ſicut factum eſt de Samuele. Sed tunc an ex voto patrum teneantur filii, dubium videtur, declarabitur autem 1. Reg. capit. 1. quando agetur de Samuele, quem mater vouit coram Domino. Si autem iſte vouens filium ſuum eſſet laicus tenebatur dare id, quod æſtimatum erat à lege pro ipſo ſecundum differentiam ætatis, & ſexus, de quo Leuit. 27. capit. & tunc magis erat notum, quod poterat vouere, quia pater in vouendo filium hoc modo non obligabat filium ſuum, ſed ſeipſum ad ſoluendum pecuniam determinatam à lege.

C

An potuiſſet vir vouere non accedere ad vxorem.

QVÆSTIO XI.

QVæretur vlterius, an poſſet vir in veteri teſtamento vouere Domino non accedere ad vxorem. Reſpondebit aliquis, quod non poterat, quia in hoc præiudicabatur matrimonio, ſicut non fit, quod nullus coniugatus poteſt vouere continentiam, & ipſi voueat, non tenet votum, niſi pariter vxor voueat. Sed ad hoc reſpondebitur, quod non erat ſimile de nouo, & veteri teſtamento, quia in nouo teſtamento matrimonium eſt ratum: in veteri autẽ non erat ratum, quia poterat vxor repudiari, & accipi alia, ergo poſſet etiã voueri continentia non curando de præiudicio vxoris, quia hoc lex permitteret, ſicut permittebat maius, ſc. repudium. Sed dicendũ eſt, quod iſta ſolutio non tenet, quia matrimoniũ eſſe ratum, vel non ratum, facit ad hoc, quod poſſet diſſolui, vel non: ſed non quod matrimonio exiſtente vir poſſet præiudicare vxori negando debitum. Ideo dicendum, ꝙ vir poterat in veteri teſtamento repudiare vxorẽ, ſed retenta illa nõ poterat vouere continentiam. Ratio diuerſitatis eſt, quia cum vir repudiaret vxorem accipiens aliam, vxor repudiata poterat accipere aliũ virum, & ſic non præiudicaretur ei in reddendo debitum, vel exigendo: cum vir vxore retenta, vouebat caſtitatem, præiudicabat vxori, quia non reddebat ei debitum, & ipſa non poterat repudiare virum accipiẽdo alterum, ideo maneret ſemper in grauamine, quod valde irrationabile erat, vt ex voto viri præiudicaretur vxori, & ſic dicendum, quod non poterat vouere caſtitatem. De fœmina autem à fortiori dicendum, quod non licebat ei vouere continentiam, cum maneret cum viro ſuo, licet vir haberet aliqua remedia contra fœminã, quæ non habebat fœmina contra virum, ſc. ſi fœmina voueret cõtinentiam poterat vir repudiare eam accipiendo aliã vxorem, & ſic non præiudicaretur viro quantũ ad petendum, vel reddendum debitum: fœmina autem non poterat illum repudiare ex aliqua cauſa: ideo non habebat remedium contra eum ſi voueret cõtinentiam, nullo modo tamen licebat alicui eorum vouere continentiam conſtante matrimonio, ſi poſtea etiam conſtare deberet.

D

E

F

An in tempore legis antiquæ vir, vel mulier ſui iuris poſſet vouere virginitatem.

QVÆSTIO XII.

QVæretur vlterius an in veteri teſtamento vir, vel fœmina, quę eſſent ſui iuris poſſent vouere virginitatem. Reſpondendum eſt, quod in veteri teſtamento nõ erat vſus vouendi virginitatem, quia multiplicatio in filiis erat in veteri teſtamento, tanquam valde magnum bonum, vt patet cum Deus promitteret multiplicationem iſtam tanquam benedictionem, vt patet Geneſ. cap. 22. ſcilicet, per metipſum iuraui, dicit Dominus, quia feciſti rem hanc, & non pepercifti filio tuo propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuũ, ſicut ſtellas cœli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris. Ipſi quoque qui erant viri multum perfecti, deſiderabant filios, & qui non habebant eos erant tanquam ignominioſi inter cæteros, & fœminæ ſteriles in magno opprobrio: ſic patet Geneſ. 30. capit. Rachel cernens, quod eſſet infœcunda, ait marito ſuo: Da mihi liberos, alioquin moriar. Cum vero poſtea peperit, dixit: Abſtulit Dominus opprobrium meum, quaſi ante hoc fuiſſet in opprobrio. Et ſic fuit poſtea communiter in veteri teſtamento: nam quando Iephte Galadites vouit, quod immolaret primum, quod occurreret de domo ſua, & occurrente filia dixit ei, quod occideret eam, ait filia, hoc ſolum mihi preſta quod deprecor, dimitte me, vt duobus menſibus circueam montes, & plangam virginitatem meam cum ſodalibus meis. Et poſtea: Cumq; abiiſſet cum ſociis, & ſodalibus ſuis, flebat virginitatem ſuam in montibus: flere autem virginitatem eſt, quod fleret, quia moriebatur in virginitate non genita prole. Si tamen apud Iudæos obſeruatio virginitatis fuiſſet aliquid laudabile, non ploraſſet iſta, ſed magis gauderet, quia moriebatur in virginitate.

Dicendum tamen, quod quanquam rariſſima eſſet virginitatis obſeruatio in veteri teſtamento, non erat illicitum votũ virginitatis, in mulieribus tamen in veteri teſtamento non reperitur obſeruatio virginitatis cum voto, aut ſine voto, ſed omnes accipiebant viros: Domina autem noſtra fuit prima, quæ virginitatem obſeruauit & vouit, ſic enim dicitur Lucæ c. 1. ad angelum ex verbo eius: Quoniã virum non cognoſco, id eſt, propoſui nõ cognoſcere. Et Eccleſia cantat de ea, quod in hac obſeruatione fuerit prima, dicens:

Domina fuit prima fœmina quæ virginitatẽ obſeruauit.

Sola ſine exemplo placuiſti fœmina Chriſto.

Id eſt, ante non fuit aliqua, quæ daret tibi exemplum virginitatis: ſed tu fuiſti prima in hoc voto. De viris autem magis reperitur, nam quanquam non habeatur expreſſum votum de virginitate, patet tamen, quod aliqui obſeruauerunt illam, ſicut fuit Hieremias, qui ſanctificatus ab vtero, Hierem. cap. 1. & poſtea manſit in virginitate, vſque ad mortem, vt ait Hieronymus in prologo ſuper Hieremiam, idem patet de B. Ioanne Baptiſta, qui in virginitate mortuus eſt, & fuit in veteri teſtamento.

Virginitas à multis viris obſeruata fuit.

Idem autẽ dicunt de B. Ioanne Euangeliſta, ſed nõ eſt ſimile, quia ipſe non propoſuerat obſeruare virginitatẽ, quia contraxit matrimonium, ſed Chriſtus vocauit eum de nuptiis die, quo celebrabat nuptias, nondum conſummato matrimonio, vt ait Hieronymus in Prologo ſuper Ioannem.

Inter gentiles autem maius fuit iſtud votum, quia erant inter eos virgines, quæ vouebant virginitatẽ, & compellebãtur

eam ſeruare,

eam ſeruare, ſcilicet, virgines Veſtales, de quibus fuit mater Romuli & Remi, filia Minitoris regis Italiæ: fecerat enim eam auunculus ſuus Amulio virginem Veſtalem, vt nunquam ex ea naſceretur proles, quæ poſſet regnare, & ſic ipſe regnaret: poſtea autem à quodam viro ignoto defforata gemellos peperit Romulum, & Remum, quos Amulio in Tyberi expoſuit, & poſtea à paſtoribus inuenti enutriti ſunt: matrem autem eorum Iliam nomine vouentem ſepeliuit, iuxta legem virginum Veſtalium. Quid autem eſſet de iſta, & ritibus virginum cuſtodientium eam ponit Ouidius in libris Faſtorum.

A *De hoc Titus Liuius in primo ab vrbe cõdit. in principio*

An domus, vel poſſeſſio poſſet Deo vouerí in veteri lege.

QVÆSTIO XIII.

QVęretur vlterius an vir, qui ſui iuris erat, poſſet aliquem agrum, vel domum vouere Domino, ſiue aliquid de immobilibus, & dicitur de iſtis, quoniam de bonis mobilibus manifeſtum erat, quod vouere poſſet, quia nulli præiudicabat in hoc, & bona illa erant ſua. Ergo poterat diſponere de illis. De immobilibus autem videtur dubium, quia immobilia erant ad diſtinguendum tribus, & familias, & per iſta cognoſcebatur nomen cuiuslibet in familia ſua, & ſatis late declaratum eſt ſupra capitulo. 27. & ob hoc iubebat Deus de his, quod non tranſirent de tribu in tribum, vel de familia in familiam, vt patet infra 36. cap. & ob hoc non vendebantur, & ſi aliquando venderentur poterant redimi ab illo, qui vendiderat, vel ab aliquo de cognatione illius, & ſi non redimerentur redibant ſaltem in Iubilæo ad venditorem, Leuit. cap. 23. ſi autem vouerentur Domino bona immobilia tranſirent ab vna familia in alteram, & ſic non maneret diſtinctio familiarũ, & tribuum, ergo non poterant vouerí. Reſpondendum eſt, quod poterat quilibet agrum ſuum, vel quodlibet de immobilibus vouere Domino, ſed propter hoc non fiebat confuſio poſſeſſionum, nec tribus manebant ſine poſſeſſionibus, quia quicunq; vouiſſet Domino aliquam rem immobilẽ non tradebat illam Domino, ſed ſacerdos æſtimabat illam, & pretium illius cum quinta parte inſuper dabat vouens, & retinebat ſibi rem: quã vouerat, vt patet Leuit. c. vlt. ſi autem fierent vota, ſicut nunc, quod iſta res, quæ vouebatur nunquam rediret ad vouentem, eſſet turbatio poſſeſſionum, & familarum, nunc autem votum nihil nocebat.

B

An aliquis poſſet vouere donare poſſeſſionem alteri.

QVÆSTIO XIV.

QVæretur amplius, an aliquis poſſet vouere Deo, quod daret alteri aliquam rem immobilem donando. Ratio dubii eſt eadem, quę in ſuperioribus, ſc. quia per donationem tranſiret poſſeſſio ad alteram familiam, & iam confunderentur familiæ, & poſſeſſiones earum, ſed hoc Deus nolebat. Reſpondendum eſt, quod accipiendo donare proprie ſecundũ quod nunc fit, vt transferatur dominium rei cum omnibus iuribus ſuis ad donatarium, nemo poterat donare aliquid immobile in veteri teſtamento, quia nunc donatio manet in perpetuum: poterat tamen large accipi donatio prout eſt cõceſſio rei ad vſum. & ſic poterat quilibet dare rem ſuam alteri toto tempore, quo viueret, & ſicut poterat dare ſimpliciter, ita poterat vouere, quod daret: non tamen ſequebatur ex hoc inconueniens. ſc. quod confunderentur poſſeſſiones, quia iſto mortuo filii eius poterant repetere rem, quam pater donaſſet ſine voto, vel cum voto, quia in præiudicium eorum non poterat pater donare: ita etiam erat de rebus venditis, q̃ poſt mortem aliquorum redibant ad filios eorum: vnde non confundebant ex hoc poſſeſſiones tribuũ, & familiarum. Similis autẽ modus erat de omnibus aliis votis virorum in veteri teſtamento, ſc. quod votum virorum valebat in eo, quod erat iuris ſui, & non erat contra legem, nec contra honeſtatem, & erat à voluntate deliberatum.

C

Mulier ſi quippiam vouerit, & ſe conſtrinxerit iuramento, quæ eſt in domo patris ſui, & in ætate adhuc puellari, ſi cognouerit pater votum, quod pollicita eſt, & iuramentum quo obligauit animã ſuam, & tacuerit, voti rea erit. Quidquid pollicita eſt, & iurauit, opere complebit. Sin autem ſtatim, vt audierit, contradixerit pater: & vota, & iuramenta eius irrita erunt, nec obnoxia tenebitur ſponſioni, eo quod contradixerit pater.

D

Mulier ſi quippiam vouerit. Hic ponitur ſecundum de puellis non maritatis: nec deſponſatis, quæ erant in domo patrum, & dicitur: Si quippiam vouerit, ſcilicet, ad ieiunium, vel orationem, aut aliquos labores, aut ad contrahendum, aut non cõtrahendum, quæ omnia ſunt, vel eſſe poſſunt ad cultum Dei. Nam non omnia cadunt directe ſub voto, ſicut ea, quæ ſunt indifferentia, vt claudere oculũ multotiens, vel raro, vel complodere vtranq; manum in meridie: iſta enim penitus carent ratione voti, quia ipſa facta non habent aliquam rationẽ boni & non facta non habent aliquã rationem mali, vel diminutionis boni. Si tamen aliquando quis iſta vouerit, videtur quod propter Dei reuerentiã debeat illa obſeruare. *Et ſe conſtrinxerit iuramento.* Id eſt, ſi puella obligauerit ſe per iuramentum, non eſt intelligendum, quod votum iſtud debeat fieri cum iuramento, & alias non ſtent ea, quæ dicuntur hic, quia ſiue votum fiat cum iuramento, ſiue ſine iuramento obligat, licet maioris vinculi eſt, quãdo fit cum iuramento, & maioris peccati eſt infringere votum, ſic factum, ſed eſt intelligenda iſta litera copulatiue, ſcil. ſi fœmina quidquam vouerit, ſcilic. verbis ſimplicibus non addendo iuramentum, & ſi iuramento ſe conſtrinxerit, id eſt, vel vouerit confirmando votum iuramento, vel ſi iurauerit aliquid Deo reddere non exprimendo verba voti, quia omnibus his modis eſt obligatio voti, ſicut ſupra declaratum eſt. Conſiderandum autem eſt, circa vota puellarum conſiſtentium in domo patris, quod aut illæ ſunt infra annos completæ diſcretionis, vel ſupra: ſi infra, non tenet votum, quia non eſt ibi voluntas ſe obligandi quæ attenditur principaliter in voto, ideo etiamſi poſtea perueniat ad ætatem, in qua ſit ſui iuris totaliter, vt ſi ſit vidua, vel repudiata non tenebitur obſeruare iſtud votum, quia nullum fuit, ſi autẽ peruenerit ad annos completę diſcretionis, aut vouet ex aliquo impetu paſſionali, & indeliberate, aut deliberate, ſi primo modo votum non obligat, quia etiam non eſt ibi volũtas ſe obligandi, quę tollitur per impetum, vel furorem. Si autem deliberate fiat, aut iſta puella vouet aliquid, quod homini exiſtenti totaliter ſui iuris liceret, aut quod non liceret: dicitur autem hoc, quia viri emancipati ſunt penitus ſui iuris, ideo dicebatur ſupra, quod quidquid vouerent, redderent: ſimile etiam de viduis, & repudiatis dicitur infra, & tamen iſtæ non poterant vouere quidquid voluiſſent, quia aliqua erant illicita, vt quia inhoneſta, vel non ſui iuris, aut in præiudicium aliorum, vt declaratum fuit ſupra, & in iſtis non debet fieri votum, quod ſi fiat non tenet. Si autem puella prædicta faciat votum de his, quæ homini totaliter ſui iuris vouere liceret, ſtat regula iſta, ſcil. quia aut pater contradixit voto eius poſtquam ſciuit, vel non: ſi contradixit reſcinditur, ſi non contradixit tenet. Aliqui tamen diſtinguunt circa hoc, quod aut puella huiuſmodi vouit orationem, aut ieiunium, & ſimilia, quæ dependent ex ſola voluntate, nec requirunt aliquam materiam exteriorem diſpenſabilem, vel diſtribuibilem: & tunc tenet votum, etiam patre inuito, quia puella nulli iniuriam facit obligans quod ſuum eſt. Si autem vouerit puella dare eleemoſynam, quia hoc de bonis patris ſui compleri debebat ſi teneret, & quia patrem obligare non poterat, ideo votũ non tenet, niſi ex conſenſu patris.

Secũda regula de votis circa mulieres non maritatas.

E

Sciendum, quod iſta diſtinctio teneret quantum ad ſtatũ noui teſtamenti, in quo liberius eſt puellis, & pueris vouere manentibus ſub poteſtate patris, quã in veteri teſtamento: ideo dicendum eſt, quod ſiue ſit votum de faciendo orationẽ, ſiue ieiunium, vel contrahendo, aut nõ contrahendo, puella non poterit vouere, ſecundum legẽ iſtam, ſi pater ei repugnare voluerit. De voto autem circa eleemoſynam magis manifeſtum eſt. De primo apparet, quia puellæ non poſſunt facere vota valida, ſi patres non aſſentiant eo, quod ipſæ non ſunt ſui iuris, ideo magis ſunt inualida vota earum quam illorum, qui ſunt ſui iuris, & debet aliquid licere illis, quod non liceat iſtis, ſed etiam exiſtentibus ſui iuris non licet vouere rem aliquam, ergo pueris, & puellis aliquid vltra hoc erit

De votis puellarum qualiter tenent & qualiter non, ſecundũ nouum teſtamẽtum, & qualiter tenent ex lege Moyſi.

F

quod non

A quod non liceat, existentibus enim sui iuris, licet de se ipsis disponere, pueris autem & puellis non licebit, vel saltem nõ valebit dispositio eorum si contradixerint patres : hoc enim habent super eos, quia non sunt sui iuris, quantum vero ad eleemosynam dandam, vel aliquid donandum manifestum est, quod facere non possunt etiamsi patres non repugnent, quia nihil habent, quod erogent, ideo sicut quisquis homo sui iuris voueret dare bona alterius in eleemosynam istud votum nõ præiudicabat illi, cuius erant bona, nec requirebatur aliquis dissensus, vel repugnantia illius, quia iste per votum non poterat constituere sibi aliquod ius super bona alterius, deo sic erat de pueris, & puellis, quod quanquam vouerent dare eleemosynam, & patres audientes non dissentirent, non tenebant vota quia nõ habebant aliquid istæ puellæ, vel pueri vnde soluerent. Si autem patres consentirent fauendo illis votum teneret. *Quæ est in domo patris sui.* Id est, quod ista puella est sub potestate patris, nam si sit puella, & non sub potestate patris, sed tradita viro, non tenebit ista lex, quia consensus, vel dissensus patris nihil ad eam agit, sed solum consensus, vel dissensus viri, vt patet infra.

Puella existens sub tutoribus sine patre an posset vouere aliquid.

QVÆSTIO XV.

B QVæret aliquis, quid si puella mortuo patre maneret sub tutoribus, vel curatoribus.

Respondendũ est, quod aut ista puella erat infra annos discretionis perfectæ, aut supra. Si infra, non teneret votũ, etiam si curator, vel tutor non repugnaret, quia deficit ibi fundamẽtum voti, sc. voluntas se obligandi, quæ non possit esse in istis, qui infra discretionis annos sunt, sed inuoluntarii sunt per ignorantiã. Si autẽ peruenisset ad annos perfectæ discretionis præsupposito, ꝙ ageret ex deliberatione dicendũ, quod non tenebat votum si tutor, vel curator postquã audiret, repugnaret, quia sicut puella erat sub potestate patris viuẽtis, ita datus est sibi tutor, vel curator sub cuius potestate sit : sed accipitur hic domus patris large, s. ꝙ puella non sit sui iuris, nec transiret ad ius viri, sed sit in iure patris, vel sub aliquo, qui habeat eam loco patris. *Et in ætate adhuc puellari.* Id est, nõ solum debet esse puella, sed etiã in ætate puellari. Dicitur enim ętas puellaris, id est, status puellæ, ideo interdum aliqua est in ætate puellę, quę nõ in statu puellari, sicut illa, quę iam maritata est, vel despõsata vidua, vel repudiata, quia per hoc aliquo modo, vel totaliter exiuit potestatẽ paternam, & è contrario, si sit aliqua manens in potestate patris, quæ iam sit magnæ ętatis, nunquã viro tradita nec viduata, aut desponsata dicetur esse in statu puellari, & de votis illius ita iudicabitur, sicut de votis puellarum secundum ætatem, quia adhuc manet sub potestate patris.

An vidua reuersa in domum patris possit vouere sine eius consensu.

QVÆSTIO XVI.

C QVæret aliquis, quid si puella mortuo viro manens in viduitate sua regrederetur in domum patris, an esset eadẽ lex de votis illius, quæ de votis puellarum manentium sub patria potestate. Aliquis respondebit, quod non erit eadem lex, quia istæ puellæ assumptis viris desierunt esse in patria potestate : postea autem pater non recuperat potestatem super illas, ideo vota earum erunt, sicut vota hominis, qui totaliter est sui iuris. Item patet, quia istæ habent iam bona distincta, quia eo quod ductæ sunt in matrimoniũ, habent aliqua bona dotalia, quæ specialiter pertinent ad eas, ideo cum habeãt administrationẽ bonorum illorum poterunt vouere non solum de seipsis, s. ad aliquid faciendum, vel non faciendũ, sed etiam de rebus suis ad aliquid dandum. Sed cõtra hoc dicetur, quod ista ratio non tenet : & primo cum dicitur, quod istæ puellæ exuerunt patriã potestatem, quando ductæ sunt in matrimonium, ideo quod postea non recuperant illam patres, videbitur forte è contrario, quia dicitur Leuit. c. 22. de filiabus sacerdotum, quod si mortuis viris redierint ad domos patrum, licebit eis comedere de cibis sanctificatis, sicut licuit, quando erant in potestate patris : & tamen dicitur, quod non licet eis hoc, cum sint traditæ viris : ergo videtur, quod cum sunt sub potestate virorum, non sunt sub potestate paterna, & cum illam exuerint redeunt ad patriam potestatem, & consequenter vota earum erunt, sicut vota puellarum. Item cum dicebatur, quod istæ puellæ habent iam administrationem in bonis, cum habeant vota distincta, scilicet, bona dotalia : ergo poterunt vouere : dicendum, quod in hoc non videtur præsupponi verum, quia non recipiebant puellæ hæreditatem patrum in veteri testamento sicut nunc, sed soli filii succedebant in bonis paternis, vt in illis conseruaretur nomen patris filiæ autem nunquam succedebant in totum, vel in partem, nisi non existentibus aliquibus liberis, vt patet supra cap. 27. Sed his non obstantibus dicendũ est, quod puella cum rediebat in domum paternam post viduitatem, non erat sub potestate paterna, sed licebat ei vouere, sicut homini totaliter sui iuris. siue haberet bona, siue non haberet, quia si non haberet bona dotalia, siue alias constante matrimonio acquisita, vel quæ postea acquireret, poterat vouere de seipsa, scilicet, ad aliquid agendum, vt ad ieiunandum, vel orandum, vel ad manendum in aliquo statu, vt in perpetua continentia, si autem haberet bona, quia administratio eorum pertinebat ad eam, licebat ei vouere de illis. Cum autem arguebatur contra hæc : quod puellæ in veteri testamento non habebant aliquã bona. Respondendum est, quod istæ puellæ viduatæ multis modis poterant habere bona, quæ pertinent ad earum ministrationem, scilicet, quia poterant habere bona dotalia, vel alias acquisita.

Primo modus adhuc subdiuiditur, quia ista bona dotalia poterant esse immobilia, vel mobilia : immobilia quidẽ regulariter non pertinebant ad fœminas, si tamen pater moreretur sine liberis masculis hæreditas pertinebat ad filias, vt patet supra ca. 27. & illa dabatur eis in dotẽ. Sic fuit de filiabus Salphaad, quæ mortuo patre acceperũt hæreditatem illius, & illa diuisa in dotes earũ nupserunt viris tribus suæ, vt patet infra. 36. ca. ideo istæ possent, postea in viduitate vouere de bonis illis, sed in istis non tantũ applicatur, quia non poterant redire ad patriam potestatem, nec domum patre iam defuncto. Erit autem alius casus, vt puta si pater genuit filias, & iam productus ad magnam senectutem, in qua nullo modo speraret habere liberos, nec habere posset, traderet nuptui filias suas, daret eis de bonis immobilibus in dotem, cum ipsæ ei totaliter successuræ erant, si postea viri earum morerentur, poterant redire in domum paternam, & ibi habebant bona sub ministratione sua, de quibus vouere possent.

Item poterant fœminæ habere bona dotalia inter Iudæos, quæ essent mobilia, & istud cõmuniter fiebat, nam quanquã patres non possent eis dare de bonis immobilibus stantibus liberis masculis, poterant largiri bona de pecuniis, vel de aliis mobilibus, quæ vocarentur bona dotalia, sicut est de bonis, quibus seruatur ius primogenituræ, quoniã omnia pertinent ad primogenitum. Cęteri autem liberi solum suscipiunt dona quædam à patre de bonis mobilibus, vel de his, quæ alias nõ pertinebant ad primogenituram, & de istis bonis, adhuc liberius erat puellis manentibus in viduitate aliquid disponere, quia propter hoc non sequebatur confusio familiarum, vel tribuum, sicut datis bonis immobilibus.

Alio modo poterant istæ puellæ viduatæ habere bona, scilicet, non dotalia, & hoc dupliciter, scilic. quia acquisierant ea constante matrimonio, sicut nunc fit per leges humanas, vel postea in viduitate existentes acquisierunt, & de his liberrimum est illis vouere, vel alias disponere. habebant igitur istæ puellæ viduæ aliquid, de quo possent disponere, ꝙ non accidebat, si istæ nunquã fuissent traditæ viris, quia existẽtes in patria potestate non poterant habere bona dotalia mobilia, vel immobilia, siue pater haberet liberos mares, siue non. Etiam non poterant habere bona alias acquisita, quia quandiu puellæ manent sub patria potestate, nunquã habent peculiũ proprium, secus autem de filiis, qui nondum emancipati possunt habere peculium castrense, vel quasi castrense, sed etiamsi istę puellę viduatæ, nulla omnino haberent bona, de quibus possent vouere nõ sequebatur ex hoc, ꝙ erant sub patria potestate, sed possent adhuc vouere de seipsis, sc. ꝙ ieiunarent, vel orarent, vel vouere aliquẽ statum, vt continentiã perpetuam.

Cum autẽ arguebatur, quod filię sacerdotũ mortuis viris, redibant ad domum paternam, & comedebant de cibis sanctificatis,

D

E *Quanquã fœminæ regulariter non haberẽt bona immobilia, tamen aliquando poterãt habere, & in quibus casibus*

F

A *Filia sacerdotis vidua rediens ad domũ patris, an maneret sub patria potestate.*

ctificatis, viuentibus illis non poterant hoc facere, ergo mortuis viris redibant puellæ in patriam potestatem. Respondendum est, quod non fiebat hoc propter puellas redire, vel non redire in patriã potestatem, sed quia de cibis sanctificatis volebat Deus, ꝙ non comederent, nisi illi, qui pertinebant ad familiam sacerdotũ, ideo dicebatur Leuit. ca. 22. quod vernaculi, & serui emptitii poterant comedere de sanctificatis, inquilini autẽ & mercenarii nequaquam: eo quod vernaculi, & emptitii erant aliquid proprium sacerdotis, & videbãtur pertinere aures eius, vel familiam, inquilini autem & mercenarii non erant aliquid ipsius sacerdotis, sed venerũt conducti pro mercede, ideo non licebat eis de sanctificatis sumere. Ita de puellis filiabus sacerdotũ, quando erant in potestate patris, erant in familia illius, cum autem tradebantur nuptui, pertinebant ad familias virorum suorum, ideo mortuis viris licebat eis comedere de sanctificatis, non quidẽ quasi redirent in patriam potestatem, sed quia redibant ad familiam paternam prius autem non erant de familia patrũ, sed virorum. Hoc autem apparet ex duobus, quia si istæ filiæ sacerdotum nuberẽt aliis sacerdotibus, siue in ætate puellari, siue consistente matrimonio, licebat eis comedere de cibis sanctificatis in domo paterna, si autẽ nupsissent alicui de popularibus non licebat eis hoc, vt patet Leuit. c. 22. sc. si filia sacerdotis cuilibet de populo nupta fuerit de his, quæ sanctificata sunt, & de primitiis non vescetur, constat tamen, ꝙ siue filia sacerdotis esset tradita in vxorem alicui sacerdoti, siue populari, non erat sub potestate patris, ergo non priuabatur cibo sanctificatorum, quia exibat patriam potestatẽ, nec rursus licebat ei sumere de illo, quia rediret in patriã potestatem. Item patet hoc, quia dato ꝙ puella mortuo viro rediret in domũ patris, si rediret cum liberis, non licebat ei comedere de sanctificatis, si autẽ sine liberis licebat, & tamen si puella rediens in domum patris iterum esset sub patria potestate, & propter hoc liceret ei comedere de sanctificatis, fieret idem, si rediret habens liberos, nõ licebat tamen, quia habebat liberos, quia tunc pertinebat ad familiam liberorum suorũ, qui non denominantur de familia eius, sed de familia viri mortui, ideo tanquam extraneæ nõ licebat comedere de illis. Patet igitur, quod puellæ viduatæ redeuntes ad domũ paternam poterant vouere, quia erant sui iuris, & non manebant sub patria potestate, & vota obligabãt illas simpliciter, sic patet infra, scilic. vidua, & repudiata quidquid vouerint reddent. *Si cognouerit pater votũ, quod pollicita est.* Id est, quod promisit puella, intelligitur de voto, quod agit de seipsa, sc. de orando, vel ieiunando. Secus autẽ si voueat dare eleemosynam, quia tunc etiam sine patris repugnantia non tenet votum, vt supra declaratum est. Cum autem dicitur hic: Si cognouerit pater, non magis differt, quod cognoscat immediate quã post multa tempora: nam quocunque tempore cognouerit potest irritare votum per dissensum suum.

B

C

An puella existens sub potestate patris vouens aliquid teneatur illud adimplere ante patris contradictionem.

QVÆSTIO XVII.

QVæretur circa hoc, si puella existẽs in patria potestate vouisset aliquid, an teneretur obseruare illud antequam pater retractaret, & an non seruans peccaret.

Respondendum est, quod puella si vouisset aliquid, & postea pater retractaret, puella non tenebatur obseruare, & etiam si patre nesciente puella obseruare posset, non tenebatur, quia votum iam nullum erat per repugnantiam patris. Si autem pater nondum repugnauerat, aut cognouerat votum puellæ, aut non: si autẽ cognoscens non repugnauerat, puella erat simpliciter obligata, nec poterat pater iam repugnare, ideo tenebatur obseruare votum suum, quia iam erat effecta sui iuris per non repugnantiam patris. Si autem pater nondum cognouisset votum, dicendum, quod aut puella erat supra annos discretionis, aut infra: si infra nullo modo tenebat quia deficiebat ibi voluntas obligandi se, ideo etiamsi pater non repugnaret, ideo etiamsi confirmaret votum puellę per expressum consensum, artificari non poterat, quia quod ex seipso penitus nullum est, non potest postea ratum fieri, & sic pater non poterat validare votum puellæ per consensum suum: posset tamen ipse eam vouere ad aliquid faciendum, vel ad aliquem statum, & teneret votum, sicut Anna vouit filium suum Samuelem Domino, & expleuit votum. Ratio diuersitatis est, quia vtile per inutile vitiatur hic. Votum enim puellæ infra annos discretionis est penitus inutile, consensus autem patris secundum se est vtilis, quia ipse sufficeret ad obligandum puellam ad aliquid, quia tamen fundatur hic super inutili, scilicet, per votum puellæ: ideo vitiatur. Si autem consensus patris esset per se, quod ipse voueret puellam per se non habendo respectum ad aliquod votum puellæ, tenebat votum patris, & erat vtile. Si autem puella vouisset existens supra annos discretionis, & faceret deliberate votum quantum ad ipsam tenebat, licet pater posset illud infirmare per dissensum, ideo tenebatur obseruare quousq; pater repugnaret, & si non obseruaret, erat tanquam rea voti fracti. Hoc autem est, quando votum erat tale, quod poterat in toto, vel in parte compleri antequam pater sciret, vtpote si puella vouisset orare per aliquot dies, aut ieiunare tenebatur orare, vel ieiunare in omnibus illis diebus quibus pater nondũ cognosceret votum. Si autem non faceret, rea erat voti. Alia autem erant vota, quę non poterant compleri in toto, vel in parte vsque ad aliquod magnum tempus, vt forte postquam puella sumpsisset virum. vel alias post mortem patris, & de istis nihil attinebat, nunc ad puellam: si tamen pater sciens reuocaret illa adueniente tempore completionis, non tenebatur puella complere ista vota, etiamsi esset iam effecta sui iuris, vt viduata, vel repudiata, quia antequam exiuerit de patria potestate cessauerat obligatio illorum.

D

E

An puella supra annos discretionis vouens aliquid in domo patris cupiens patrem retractare sit rea voti fracti.

QVÆSTIO XVIII.

QVæretur amplius, quid si puella super annos discretionis vouisset aliquid in domo patris, & postea cupiens non complere notificaret patri, quod vouerat hac intentione quod pater retractaret votum, an ista esset voti fracti rea, vel obligaretur obseruare istud votum patre viuente, aut postquam exiuisset eius potestatem effecta sui iuris.

Respondendum est, quod puella ista, aut voluit, quod pater votum eius sciret, & infringeret, & tamen non notificauit illi, nec dedit operam aliquam, vt sciret, vel aut notificauit, siue dedit operam.

Si primo modo dicendum est, quod puella ista peccauit eo quod desiderabat solui à voto suo, quod licite vouerat, tamen quanquam pater sciens, postea dissoluat non tenebitur puella ad votum, quia dissensus patris infringit votum, si autem ista puella non solum voluit, quod votum retractaretur, sed etiam dedit aliquo modo operam, aut dedit ad hoc operam in aliquibus signis, ita vt post posset cognoscere votum eius, aut ipsa significauit ei verbo. Si primo modo peccatum graue est, sed votum infringitur per patris dissensum, ideo puella non obligatur postea illo, nec tenebitur obseruare, siue quando est in potestate patris, siue quando extra illam. De primo apparet, quia si postquam peruenier hoc ad patris notitiam, quomodocunque perueniret, pater non posset retractare vota puellæ, iam priuaretur iure suo, quod habebat super puellam, & tamen non debebat ipse ex peccato puellæ priuari iure, nec etiam ista puella obligabatur seruare votum istud, postquam esset effecta iuris sui, quia cum votum semel cessauisset obligare, quia penitus irritatum fuerat ex repugnantia patris, nunquam vlterius resumebat vires, & sic manebat libera à voto: tenebatur tamen nimis dolere, quod commiserat talem fraudem, & quanquam ex viribus voti non esset obligata conuenientissimum remedium erat, quod effecta sui iuris obseruaret illud, si adhuc obseruari poterat.

F

Dico autẽ si poterat, quia aliqua vota sunt pro certo die, vel certa persona, aut certo actu, & cum transierint ista, iam non est locus voto. si autem puella ista significasset patri votum, ꝙ fecerat, aut significabat solum, aut significabat, & dicebat, quod absolueret eam à voto repugnando promissioni illius, vtroque modo erat peccatum graue, & magis quam in duobus modis præcedentibus, quãdo magis voluntas puellæ erat peruersa. ad non obseruandũ votum: tamen ex hoc non tollebatur, quin pater per dissensum suum infringeret votum, &

A

sic non manebat ipsa obligata ad completionem voti tempore, quo erat sub patria potestate, nec post rationes supra assignatis. Sed de peccato suo dolere obligabatur, & tanto acrius quanto in istis casibus maior erat iniquitas, quam in præcedentibus.

Et iuramentum quo obligauit animam suam. Non est intelligẽdum, quod per solum iuramentũ obligaretur puella ista, quia etiam per votum simplex sine iuramento esset obligatio: sed dicitur de iuramento, quia positum fuit ad maiorem fortitudinem voti, magis enim obligat iuramentum cum voto quã alterum eorum, quodcunque tamen ipsorum per se præstitum in Dei fauorem solide obligat. *Et tacuerit.* Id est, si tacuerit pater obligabitur filia, & quantum ad hoc nocetur ei, quia iam filia tenebitur ad aliquid alterum quam pater velit, & eo inuito faciet, quod promisit. Causa huius est, quia pater arguitur consentire per taciturnitatem istam, quandocunq; enim agitur de præiudicio alicuius, si taceat consentire videtur, & per consensum verũ, vel interpretatiuum causatur obligatio propter negligentiam subticentis. Si autem agatur de fauore alicuius, vt quod aliquid dabitur ei, vel ad aliquem statum promouebitur ex taciturnitate non probatur, nec præsumitur consensus. Ratio diuersitatis est, quia quod aliquis rem suam vel ius suum perdat, vel quod alius eum sine peccato lędere possit à voluntate patientis dependet, ideo per taciturnitatem consentire exiure præsumitur, quia contradicendo illo à se auertere posset. Quod autem bonum mihi detur, vel quod ad honorem promouear, non dependet ex mea voluntate, sed à voluntate dantis vel promouentis, & quia per meum consensum nullum ius mihi acquiritur contra dantem, vel promouentem tacendo consentire non arguor: sed si de malo, vel præiudicio meo agatur, quia ex consensu meo ius alteri contra me acquiritur, ius præsumit, quod si non consentirem manifeste repugnarem, & sic est ibi consensus interpretatiuus à iure factus, qui ad obligandum sufficit.

Tacere quando sit consentire. Cumpater tacebat audito voto filiæ firmabatur votum.

B

Voti rea erit. Id est, puella obligabitur ad reddendum quidquid promisit, quod est esse obligatam voto. *Quidquid pollicita est, & iurauit, opere complebit.* Id est, omnia, quæ vouit, & iuramento confirmauit soluet. Et non debet intelligi ista litera de copulato extremo, scilicet, quod omnia, quæ puella promitteret, & simul iuraret solueret, quia si nihil alterum soluere tenebatur, sed debet intelligi copulatiue, scilicet, quod quidquid puella iurauit, vel quidquid puella vouit tenebitur reddere, si autem vtrunque simul sit, scilicet, iuramentum, & votum fortius vinculum est, & etiam reddet quæ promisit. *Sin autem statim, vt audierit contradixerit pater.* Per istam contradictionem infringebatur votum puellarum, vel puerorum manentium in patria potestate: nõ quidem quod prius uon tenuisset, sed quia obligatio ista cessauit per hoc, quod pater repugnauit, sicut infra declarabitur de puella desponsata. Cum autem dicitur hic, quod statim contradicat, non est intelligendum istud statim stricte, scilicet, quod nullo alio facto postquam pater audierit verba puellæ teneatur repugnare, sed debet intelligi pro tota illa die in qua audiuit, vel cognouit votum filiæ, si autem distulit sententiam, vsque ad alteram diem non poterit postea reuocare, sic patet infra, de viro respectu vxoris qui in eadem die potest retractare votum: & dicitur retractare statim. Cum vero ad alteram diem differt, non potest retractare, & dicitur non facere statim *Vota, & iuramenta eius irrita erunt.* Id est, puella non tenebitur ad votum, quia iam vota & iuramenta irrita sunt, id est, nec obligatur per votum, nec per iuramentum. Dabatur autem patri ista potestas super filios & filias, quia quandiu manent in potestate eius, non debent agere aliquid, quod sit contra voluntatem patris, si tamen pater non posset retractare vota filiorum, vel filiarum manentium in potestate sua, agerent aliquid contra voluntatem eius, & indirecte subtraherent se à potestate patris saltem quantum ad multa, ideo ius est patri reuocare. Nunc autem non est sic, quia ad ampliandum cultum diuinum liberior est potestas vouendi, & filius vel filia in potestate patris, potest vouere religionem, vel alium statum perfectionis, etiam patre inuito, vel potest accipere virum, aut vxorem. In veteri autem testamento minor erat potestas vouentium, & tamen adhuc dabatur aliquis locus cultui diuino per vota, quia sine consensu, vel iussu patris filius, vel filia existens in potestate patris poterat vouere, & teneret votum, dum tamen pater non retractaret dissentiendo.

C

Nec obnoxia tenebitur sponsione. Id est, non tenebitur ista puella obligata ad explendam promissionem, quam fecit.

Eo quod contradixit pater. Id est, dissensus patris erat causa sufficiens ad hoc, quod non teneret votum puellarum, vel puerorum existentium in potestate patris, cuius causa supra posita est.

An filius, vel filia sub potestate patris existens posset se vouere Deo totaliter, & quomodo vota à filiisfamilias emissa tenebant.

QVÆSTIO XIX.

QVæretur circa hoc, an filius vel filia existens in potestate patris posset se Deo vouere totaliter. In quo præsupponendum est, quod aliquem vouere se totaliter Deo in veteri testamento non erat vniuersaliter, sicut in nouo, scilicet, applicare se ei ad ministrandum specialiter in cultu eius, vel ad manendum in aliquo statu perfecto propter honorem Dei sicut in monachatu, vel statu sacerdotali, sed cum aliquis se totaliter Deo vouebat dabat pro se certum pretium determinatum à lege, Leuit. cap. vltimo.

D

Hoc dato respondendum est, quod aut ille, qui se totaliter Deo vouebat, erat puer, vel puella, si esset puer præsuppositio, quod feciſſet illud votum in ætate perfectæ rationis, & ex plena deliberatione, quæ sunt communia in omnibus votis respectu omnium personarum ad valorem ipsorum, erat dicendum, quod aut erat filius sacerdotis, vel Leuitæ, aut alicuius laici. Si primo modo applicatio huius ad Deum debebat esse ad standum semper coram Domino, vt ministraret, vel vt faceret quidquid sibi iuberetur, sicut declaratum est supra, & non poterat dari aliqua pecunia in commutationem, vel redemptionem voti istius: & tunc dicendum, quod aut pater cognouit votum, vel non: si autem non cognouit, tenebatur iuuenis hoc obseruare vsquequo pater sciens retractaret illud: si autem sciens non retractaret tenebatur iuuenis obseruare votum assistendo semper coram Domino, & quanquam grauaretur pater in hoc, tamen sibi imputaret, qui noluit retractare votum filii cum potuit. Nec valet si dicas, quod poterat hoc filius vouere etiam patre renuente, sicut nunc filii, vel filię possunt vouere religionem, vel assumere sacros ordines, etiam inuito patre: nam magna differentia est in potestate vouendi in nouo, & veteri testamento, vt supra declaratum fuit. Si autem iste iuuenis esset filius alicuius popularis non poterat applicari Deo per votum suum, nisi quantum ad hoc, quod daretur pro eo aliquod pretium, quod taxatum erat à lege, nam omnes præter sacerdotes, & Leuitas prohibiti erant ministrare, vt supra declaratum est.

E

Et tunc dicendum, quod votum istud compleri non poterat, nisi patre sciente, quia hic debebat dari pecunia pro isto voto, sed filius vel filia, qui sunt in potestate patris, non habẽt aliqua bona: ergo ad hoc, quod compleretur votum oportebat, quod pater sciret votum emissum.

F

In aliis autem votis, vt in ieiunio, vel oratione, & similibus poterant filii, vel filiæ incipere obseruare antequam pater sciret: quia non requirebatur ibi aliqua materia distribuibilis, quam filii à patribus recipere deberent, & sic necesse erat patrem primo scire votum, quam inciperet compleri. Hoc verũ est, nisi filius haberet aliquod peculiũ castrense, vel quasi castrense, quoniam patre ignorante poterat ipse redimere votum suum de peculio illo, si autem pater cognosceret votum emissum, aut repugnabat, vel non: si repugnabat votum non tenebat, siue filius haberet proprium peculium castrense, vel quasi castrense, siue non haberet.

De non habente manifestum est, quod pater per retractationem voti infringebat illud, quia generale erat hoc, quantũ ad omnia vota filiorũ etiam in aliis, in quibus non erogabatur aliqua pecunia, quam pater dare deberet, si autem filius esset habens peculium castrense, vel quasi castrense, etiam non tenebat votũ, quia sicut si filius voueret ieiunare, vel orare, non tollebatur aliquid de bonis patris, & tamen non tenebat votum si pater retractaret, vt supra declaratum est, ita in

peculio

A peculio castrensi, vel quasi castrensi quanquam non lædantur bona patris filio distribuente illud, quia tamen sub patria potestate est, non tenebit votum cum pater retractauerit. Et si dicatur, quod si iusfamilias, quantum ad peculium castrense, vel quasi castrense non est in patria potestate, ideo potest de illo disponere.

Respondendum est, q̃ verum est in statu noui testamenti, vel secundum leges humanas, quæ nunc sunt, secus autem de statu veteris testamenti in quo erat maior patria potestas, & ad hoc dato, quod filii in veteri testamento habentes peculiũ castrense haberent liberam administrationem super illud, tamen patris repugnantia infringebat votum, sc. quod si huiusmodi filius emitteret votum pro quo redimendo dari deberet pecunia, repugnantia patris infringebat votum: ita quod non teneretur de peculio suo castrensi soluere pretium æstimatũ à lege in tali voto: poterat tamen ipse dare de peculio illo æstimationẽ complendo, quod vouerat, licet obligatus nõ esset. Ratio diuersitatis est, quia licet pater non possit tollere filio liberam administrationem in peculio castrensi, vel quasi castrensi, tamen quandiu sub potestate patris erat, poterat pater infringere vota eius auferendo obligationem: prædictus tamen filius poterat, postea explere votũ de peculio castrensi quanquam non esset obligatus, quia sicut posset expendere illud in alios vsus, qui non essent tantum liciti ita posset expendere in solutione voti, sed ista non erat iam propria solutio voti, sed magis libera oblatio. Si autem pater audiens votum, vel sciens subticeret, tunc differt, quia aut ille, qui vouebat habebat proprium peculium, scilicet, castrense, vel quasi, vel B non habebat.

Si primo modo dicendum, quod erat votum ratum, & non poterat postea pater per dissensum retractare: tamen non tenebatur pater soluere quantitatem pecuniæ pro voto illo, sed filius soluebat de peculio castrensi, vel quasi. Si autem nõ habebat filius peculium castrense, nec quasi: si pater audiret, & subticeret non tenebat votum filii. Ratio diuersitatis in hoc voto à cæteris est, quia in cæteris vouebat filius, vel filia quod suum erat, scil. orationem, vel ieiunium, in quo non præiudicabat patri auferendo aliquid de bonis illius, sed solum poterat præiudicari indirecte, inquantum per votum subtraheretur iste de potestate patria, quantum ad aliquid: ideo pater audiens, & non repugnans fingitur consentiens, & validatur votum. Si autem filius existens in patria potestate vouisset dare eleemosynam, vel aliquid quod in pecuniam resoluendum esset, præiudicabatur patri dupliciter. Primo, quia filius existens in sua potestate faciebat aliquid quasi sui iuris existens. Secundo, quia de bonis patris soluendum esset votum si teneret. Primum autem grauamen potest induci per taciturnitatem, si pater cognito voto subticeret, & sic erat in omnibus aliis votis. Secundum grauamen non poterat induci per taciturnitatem: quod patet, quia si aliquis voueat Deo aliquid quod meum est, & postea ego cognoscam votum, & non contradicam expresse, non propter hoc tenebit votum, nec grauabor in hoc, quod res mea ad Deum transferenda sit, in isto autem solo casu non tenebatur pater repugnare sed cum filius vellet complere, non permitteret pater, quia filius non habebat vnde compleret, nisi forte quis postea donaret ei, vnde posset soluere quantitatem ęstimatam à lege. Si autem non daretur, & postea huiusmodi filius perueniret ad ætatẽ, in qua esset sui iuris, & haberet vnde soluere, tenebatur complere votum, quia votum fuit validum eo, quod pater eo cognito subticuit, quanquam non valuit in præiudicium patris, & si filius mansisset semper in potestate patria vsque ad mortem, non habens aliquod propriũ peculium non dicebatur mori fracto voto, quia cum iste non haberet vnde soluere, votum soluendũ erat de bonis patris si teneret, sed in præiudicium patris votum, nunquam tenuit, vt supra dictum est, & quod nullum fuit infringi non potuit, ergo non moriebatur iste violato voto. Sed arguetur contra prædicta, sc. quod volente patre, vel inuito teneret votum emissum à filio, quo se totaliter à Deo vouet, quia Leuit. c. vlt. ponuntur pretia pro votis hominum diuersarum ætatum, scil. ab vno mense vsque ad quinque annos, & à quinque annis vsque ad 20. & à 20. vsque ad 60. sed saltem in duabus ętatibus primus harum erant filii in potestate patris: ergo votum emissum à filiisfamilias tenebat in veteri testamento.

Quomodo vota de aliquid dãdo emissa à filiisfamiliae tenebant & quãdo requirebatur dissensus patris.

Respondendum est, q̃ non tenebat, nisi secundum distinctionem supra positam: & nõ obstat, quod dicitur de istis pretiis statutis à lege, quia intelligitur hoc, quod omnes illi, qui ibi dicuntur vouerẽt seipsos, sed quod voueant seipsos, vel ab aliis voueantur: nam ponitur ibi pretium eorũ, qui erant ab vno mense vsque ad 5. annos: & tamen manifestum est, quod isti non poterant seipsos vouere, quia vix quidquã loqui possunt, & intelligere saltem ea, quæ communia sunt, & tamen pro illis dabatur pecunia, & cadebant sub voto, cum lex non ponatur de impossibilibus, vel superfluis: ergo intelligitur, quod isti vouerentur à patre vel matre, & tunc solueretur illa summa pecuniæ. Si autem filia existens in potestate patris voueret seipsam Deo, non est distinguendum, sicut de filio, quia nihil differt hic, an esset filia sacerdotis, vel Leuitæ, vel alicuius laici: vtroq; enim modo erat votum simile. In viris autem secus, quia poterant applicari Deo filii sacerdotum, vel Leuitarum ad ministrandum corã ipso, filii autem laicorum non: sed in filiabus non erat sic, quia siue essent filiæ sacerdotũ, aut Leuitarum, siue laicorum, non poterant applicari Deo ad aliquod speciale ministerium. De filiabus enim laicorum manifestum est, quoniam enim non licebat filiis ipsorum applicari Deo ad ministrandum. De filiabus autem sacerdotum, & Leuitarum apparet, quia quando commutati sunt Leuitæ pro omnibus primogenitis Israelitarũ computati sunt omnes masculi ab vno mense, & supra. De fœminis autem nulla, ideo quanquã deficeret numerus Leuitarum à numero primogenitorum Israel, scil. in 275. non accepta fuit aliqua de fœminis loco illorũ, nec omnes simul pro illis, sed pro quolibet illorũ dati sunt 5. sicli, vt patet supr. c. 3. ergo quando fœmina se totaliter Deo voueret non poterat ei applicari per aliquod ministerium speciale, sed solum erat danda pro ea aliqua summa pecuniæ, siue esset filia Leuitæ, aut sacerdotis, siue hominis laici. Et tunc dicendum, quod quando aliqua sic se vouebat posito, quod esset in annis discretionis perfecte, & egisset deliberate votum, aut pater cognouit, vel non cognouit: si non cognouit manifestum est, quod non tenebat votum in prẽiudiciũ patris, quia cum ipsa non haberet peculium proprium, si votum soluere deberet, oportebat, vt solueret de rebus patris, sed in aliis votis, quæ minus præiudicabant patri, non tenebat votum in prẽiudiciũ patriæ potestatis, quanto magis in isto, in quo operabatur magnum præiudicium? si autẽ pater cognouisset, siue repugnasset, siue non, non tenebat votum, quantum ad hoc, quod solueretur de pecunia ipsius, & consensus, qui erat interpretatiuus, siue taciturnitas non obligabat eum ad soluendum ex causis, quæ supra dicebantur de filio. hoc tamen verum est, si filia non haberet alias: non quidẽ quod haberet peculium castrense, vel quasi castrense, quia hoc solum tribuerunt iura filiis, sed quia aliquis forte ei donauit, & nõ ex causa patris, ita vt non sit aduenticium, sed propter eam donauit, quia forte voluit redimere votum illius, & tunc si pater tacuit, quanquam non obliget votum respectu patris: obligat tamen respectu puellæ inquantum ipsa potest F soluere: ideo si tunc non potuerit, & postea effecta iuris sui habuit vnde soluat, tenebitur soluere, quia votum licet non fuit validum in præiudicium patris propter eius taciturnitatem, fuit tamen validum in præiudicium puellæ.

Filia nõ poterãt Deo applicari.

Sed arguetur contra hoc, quod puella in potestate patris posset Deo se totaliter vouere, quia Leuit. capit. vltimo, ponitur summa, quam soluere debent fœminæ cum totaliter Deo vouentur, & ibi ponitur in fœmina ab vno mense vsque ad quinque annos, & de quinque annos vsque ad viginti, constat tamen, quod in aliquibus ætatibus harum fœminæ sunt in potestate patris, ergo non obstante hoc possunt se vouere.

Respondendum est, sicut supra dicebatur de filio, scilicet, quod non intelligitur illud solum de se vouentibus, sed de illis, qui ab aliis vouentur, & sic puellæ possunt voueri à patribus suis, & dabitur pro ipsis illud pretium, ipsæ autem non poterant se vouere, nisi pater expresse assentiret voto earum, quia tunc per hoc obligabat se ad soluendum.

A

Si filii vel filiæ voueant patre non contradicente ei ipso mortuo postea maneat obligatio sub qua æstimatione soluant.

QVÆSTIO XX.

QVæretur vlterius in casu dato si filii existentes in potestate patris se vouerunt, vel filiæ, & patre postea sciente, & non contradicente, mansit obligatio voti respectu filiorũ, vel filiarum, licet non respectu patris, & postea venientes ad ætatem, in qua sunt sui iuris, & habent vnde soluant, tenentur hoc soluere, sub qua æstimatione soluent, scilicet, sub æstimatione, quæ conuenit tempori illi, quo votum factum est, vel sub illa, quæ conuenit tempori in quo fit solutio. Ratio dubitationis huius est, quia filius vel filia, cum faceret votum istud sub potestate paterna existens erat forte infra viginti annos. Cum autem efficeretur sui iuris, & haberet vnde solueret erat forte inter 20. & 60. his autem temporibus non debetur eadem summa pecuniæ in redemptione voti, sed vir inter annum 5. & 20. soluebat 20. siclos, & inter 20. & 60. soluebat 50 fœmina autem inter quintum, & 20. soluebat 10. & inter 20. & 60. soluebat 20. vt patet Leuit. cap. vlt. ideo dubitandum erat secundum quod tempus horum fieri debebat solutio. Respondendum est, quod fieri debebat secundum conditionem tempus illius, in quo factum est votum, vt si filius familias fecit illud in anno 18. & postea effectus sui iuris in anno 26. solui votum, non debet soluere siclos 50. sicut solui debebant pro tempore illo, in quo facta est solutio, sed 20. siclos secundum conditionem temporis, in quo votum emissum est. Et sicut nunc accidit, quod aliquis melioretur secundum tempus ita aliquando accidit è contrario, scilic. quod videatur grauari, vt siquis vouit in patria potestate existens supra annum 20. & postea effectus sui iuris in anno 60. vel vltra incipit habere vnde soluat, debet soluere 50. siclos, qui debentur secundũ conditionem temporis illius, sc. à 20. vsq; ad 60, & non soluet solum 15. siclos, qui debẽtur ab anno 60. & vltra. De fœmina autem eodem modo se habet secundum summã, quæ correspõdet ei, de qua Leuit. c. vlt. Causa huius est, quia per votum causatur obligatio ad soluendũ: ergo causabitur secundũ conditionem temporis illius, in quo fit: inter tempus autem emissionis voti, & solutionis non causatur aliqua noua obligatio, cum ista sit pure voluntaria, ideo quanquam aliquis differat solutionem voluntarie, vel alias non obligabitur ad soluendũ in maiori pretio. Differt tamẽ, quia qui vouit si potens immediate reddere non reddat, peccat, vt patet Deut. 22. ca. scil. cum votum voueris Dño Deo tuo non tardabis reddere, quia requiret illud Dñs Deus tuus, & si moratus fueris reputabitur tibi in peccatum. Non causabatur tamen ex hoc obligatio ad soluendum maiora. Sed arguet aliquis, quod mora facit aliquem esse in culpa, & constituit eum debitorem maioris rei, sicut patet in mutatione siquis mutauit aliquam rem, & adiunxit tempus, in quo deberet solui, si non soluit qui accepit in tempore illo, & postea res sit effecta maioris valoris, non debet soluere secundum valorem tempus illius, in quo reddit. E contrario autẽ si accepit rem aliquam mutuo, & vltra tempus distulit solurionem, & pretium rei minoratũ est, non debet soluere secundũ tempus in quo fit solutio, sed secundum valorem temporis, in quo recepit, & hoc quia mora constituit eum in culpa. Respondendum est, quod in votis non est simile, quia mora nocet alicui in rebus illis, quæ per varietatem temporis accipiunt maiorẽ, vel minorem valorem. In rebus autem, quæ semper sunt eiusdem valoris mora nihil nocet quantum ad augmentum pretii, licet noceat quantum ad hoc quod constituit hominem reum alias; sic autem est in votis, quæ non accipiunt maiorem valorem per tempus, cum non sint aliqua venalia, quæ mutentur ex tempore: erit tamen reprehensibilis, qui non soluit immediate, vt habuit facultatem ad soluendum, & Deus requirit istud, vt patet Deut. 23. cap.

An mora soluẽdi in votis constituet

C

ret aliquẽ in culpa.

An mulier posset se totaliter Deo applicari ad aliquem modum viuendi licet non ad ministrandum.

QVÆSTIO XXI.

QVæretur amplius cum dictum sit, quod nulla mulier poterat Deo totaliter applicari ad aliquod ministerium faciendum in Sanctuario, nunquid posset totaliter applicari Deo alias.

D

Respondendum est, quod quando aliqua mulier vouebat se Deo, posito quod illa esset sui iuris, aut vouebat se Deo simpliciter, aut faciendum aliquid. Si primo modo non poterat applicari ei ad faciendum aliquid spirituale, scilicet, orandum vel ieiunandum, aut manendum in Sanctuario, ita vt per hoc satisfieret voto, sed tenebatur pro se dare pecuniam determinatam à lege, de qua Leuitici capit. vltim. si autem voueret se determinate ad aliquid faciendum non dicebatur se totaliter vouere Deo, & tamen tunc poterat magis applicari Deo quam alias, vt si aliqua mulier effecta sui iuris voueret continentiam perpetuam, & quod maneret semper in Sanctuario in ieiuniis & vigiliis. Sic autem apparet de Anna prophetissa filia Phanuel de tribu Aser, quæ manserat cum viro suo septem annis à virginitate sua, hæc vidua erat vsque ad annos 84. & non discedebat de templo nocte & die seruiens Domino in ieiuniis, & orationibus, vt patet Lucæ capitulo secundo. sicut autem ista faciebat hæc sine voto, ita poterat facere cum voto, & istud erat magis applicare se Deo totaliter, quam quod daret pro se summam pecuniæ, quæ habetur Leuitici capitulo vltimo, & tamen illud erat vouere seipsam absolute, & totaliter Deo. Hoc autem erat vouere cum quadam determinatione. Pater istud, quia cum aliqua fœmina vult se nunc totaliter applicare Deo, non est alius modus conuenientior, quam si voueat castitatem perpetuam cum paupertate, & obedientia secundum regularem professionem monialium, & sine operatione est hoc maius quam si pro se daret quamcunque pecuniæ summam: huic autem assimilatur magis modus applicandi se Deo, quem habuit Anna prophetissa, quam si solueretur pretium determinatum à lege pro illa muliere, quæ se absolute Deo vouebat.

E

An puella sub potestate patris existens posset vouere virginitatem.

QVÆSTIO XXII.

QVæretur amplius, an ista puella in veteri testamento posset vouere obseruare virginitatem, cum esset in patris potestate.

Respondendum est, non esse dubium quin posset vouere, sed an votum teneret, si pater sciret, & repugnaret est difficultas: non enim erat aliquid illicitum virginitatis in veteri testamento, cum aliqui viri, & fœminæ eam obseruarent, vt supra declaratum est. Dicet aliquis, quod puellæ poterant vouere virginitatem tunc etiam inuitis parentibus. Respondendum est, non stare, quia quanquam nunc hoc fiat, quia est liberior potestas in nouo testamento, quam in veteri respectu eorum, qui erant sub patria potestate, vt supra declaratum fuit. In veteri tamen nullum votum erat validum in filiis patre contradicente, cum essent in illius potestate, ideo distinguendum, quod cum puellæ sic emitterent votum virginitatis, aut pater sciebat, aut non: si autem nesciret, tenebantur puellę semper obseruare votum quousque patres scirent, & repugnarent, & si contrairent, habebantur tanquam violatrices votorum, si autem pater cognouisset votum, aut repugnabat, aut non: si non repugnabat, tenebatur puella obseruare votum, & erat iam simpliciter validum, nec poterat pater postea contraire: si autem pater sciens repugnasset, non obligabatur puella ad votum, sed iam licite cuicunque nuberet: poterat tamen puella obseruare votum si vellet, quia quanquam non obligaretur ex voto ad hanc obseruationem, quia tamen pater non poterat eam inuitam matrimonio copulare obseruare virginitatem: semper enim matrimonia libera fuerunt, & hoc modo indirecte puella poterat vouere virginitatem non frangendo votum, quia licet pater posset votum eius infringere, non tamen poterat impedire obseruationem, vel impellere ad contrarium actum.

F

An si puella constituta in patria potestate voueret matrimonium contrahere, pater posset impedire, & an requirebatur consensus patrum ad hoc, quod filiæ contraherent.

QVÆSTIO XXIII.

QVæretur amplius, quid si puella constituta in potestate patris voueret contrahere matrimonium, an pater posset impedire.

Respondendum est, quod istud votum potest dupliciter intelligi: vno modo, quod puella voueret contrahere matrimonium indeterminate: alio modo, quod voueret contrahere cum isto, vel illo. Si autem loquamur secundum conditionem temporis nostri, vtrunque liberrimum est, & puella vouendo poterit se astringere ad quolibet eorum, nec pater poterit impedire, erat tamen in veteri testamento maior potestas patribus super filios emancipatos, quam nunc, sicut ex supra positis apparet: ideo etiam in istis videbitur aliqua ratio diuersitatis. Vnde dicendum, quod in primo casu horum pater non poterat impedire, quin puella voueret contrahere matrimonium, quia hoc commune erat omnibus puellis, cũ non esset obseruãtia virginitatis in veteri testamento, & si pater non poterat puellam obligare ad contrahendum infringendo obseruationem virginitatis, multo minus poterat obligare eam ad obseruantiam virginitatis infringendo votum de contrahendo matrimonium, sed in hoc nullum erat votum in veteri testamento, quia votum non cadit super ea, quę homo alias facturus erat sine voto, sicut nemo vouet, quod quotidie aliquid comedet, aut bibet, aut dormiet, quia ista communia sunt, & alias sine voto quilibet hæc facturus erat. De contractu autem matrimonii sic erat in veteri testamento quod quælibet puella perueniens ad annos nubiles cõtrahebat, ideo nulla vouebat contrahere. De secundo dicendum est, quod est maius dubium, quia licet nunc pater non posset impedire quin puella accipiat in virum quẽ voluerit, nec cogitur accipere quem pater dederit, tamen in veteri testamento erant puellæ magis subditæ patribus, & recipiebant in viros quos voluissent parentes, nec videtur permitti hoc in potestate puellarum, sic patet Exod. 22. cap. vbi dicitur de puella defforata, quod defforans dabit ei quantitatem pecuniæ in dotem si pater puellæ voluerit eam dare illi in vxorem, & non dicitur, si puella voluerit accipere illum in virum. Item quandocunque dicitur de contrahendo matrimonium inter eos, qui sunt in potestate paterna: dicitur, quod patres non darent filias suas in vxores filiis gentilium, nec acciperent pro filiis suis filias gentilium in vxores, & non dicitur, quod fœminæ Iudæorum non accipiant in viros filios gentilium, vel filii Iudęorum, quod non accipiant in vxores filias gentilium: ergo videtur, quod potestas accipiendi hunc, vel illum in virum non sit ex puella, sed à patre, & consequenter si voluerit accipere hunc, vel illum præiudicabit patri, ideo poterit infringere votum illius.

In contrariũ videbitur de filiabus Salphaad, quia dicitur infra 36. c. q; nubant quibus voluerint: dum tamen accipiant viros de tribu sua: ergo potestas contrahendi in puellis est, quantum ad determinandum sibi hunc, vel illum in virum.

Respondendũ est, istud satis esse ambiguum, quia non videtur determinatus aliquis locus in veteri testamẽto, ex quo appareat puellas posse sibi accipere in viros, quos voluerint, quod patrum ista potestas sit. Videtur tamẽ dicendum, quod potestas determinandi erat in puellis ne matrimonia essent coacta, quia alias patres possent dare puellis viros, quos nullo modo vellent. Modus tamen erat, quod patres determinarent viros puellis, & illos accipiebant filiæ, ipsæ autem non eligebant sibi aliquos, si tamen puella aliqua totaliter repugnaret accipere in virum illum, quem sibi pater traderet non poterat compelli ad accipiendum eum. Cum autem arguitur de filiabus Salphaad, quod illæ solum sibi elegerunt viros, quia dicitur: Nubant quibus voluerint.

Dicendum, q; istæ puellæ non erant sub potestate patris, quia iam pater mortuus erat, vt patet supr. ca. 27. nec erant sub tutoribus, aut curatoribus, quia erant maiores ętate, ideo potestas determinandi sibi viros ab eis solum poterat depẽdere.

Cum autem arguebatur, quod pater solum posset determinare viros puellis, vt patet Exodi. cap. 22. Respondendum est, quod illud non est vniuersale, sed solum in odium raptoris, & defloratoris, scilicet, si quis seduxerit puellam, quę in potestate patris est, dormieritque cum ea, etiamsi puella velit illum accipere in virum, si pater noluerit eam dare ipsi non poterit accipere eum. Et causa est, quia istæ præiudicauit specialiter patri puellæ cum rapuit puellam de domo patris, vel seduxit eam, quæ erat in potestate aliena, & ob hoc habet cõtra ipsum potestatem, ne puella posset accipere illum in virum patre inuito. De aliis autem non sic, quia poterant puellæ recusare quos vellent, vel determinare quos vellent.

Cum autem obiicitur de eo, quod habetur Exod. 34. ca. & Deut. 7. c. scilicet, quod patres non darent filias suas in vxores filiis gentiliũ, & non dicitur de ipsis puellis, q; non acciperent filios gentilium in viros. Dicendum, q; hoc non ponitur tanquam potestas determinandi viros filiabus sit solum à patribus, & nequaquam filiabus, sed dicitur, quia non erat consuetudo, quod puellæ acciperent quos vellent, vel peterent, sed quos patres illis darent, si tamen puella repugnare vellet non accipiendo quem pater dedisset in virum non cogebatur, & ad eam pertinebat potestas determinandi virum sibi. In reuerentiam tamen patrum puellæ nunquã accipiebant alios, nisi quos patres darent in viros, & ob hoc interdictum est, ne patres acciperent filiabus suis viros gentiles, & non fuit dictum de filiabus. Est tamen intelligendũ, quod etiã interdiceretur puellis, siue emancipatis, siue non emancipatis potestas accipiendi viros gentiles, nõ tamen colligitur ex hoc dicto, quod ad patres solos pertineret determinatio virorũ pro filiabus, quia ibi non solum dicitur, q; patres non acciperent in viros filiabus suis filios gentilium, sed etiã, quod non acciperent in vxores filiis suis filias gentilium, & tamen filii Iudæorũ posita in potestate paterna determinabant sibi vxores, vt patet de Samsone qui dixit patri & matri, q; acciperent sibi vxorem de filiabus Philisthiim, quod quanquam displicuisset illis tamen post fecerunt, vt patet Iud. c. 14. ita ergo de puellis esset, quod possent sibi determinare viros, quanquã consuetudo laudabilis inter Iudæos erat in contrarium, sc. quod ipsæ non eligerent, sed patres. Dicendum igitur, quod si puella vouisset accipere aliquem in virum non prohibitum à lege, scilic. qui non esset de gentilibus, vel de diuersa tribu, aut in tali gradu consanguinitatis, vel affinitatis, in quo non liceret matrimoniũ. Non poterat pater directe infringere votum puellæ cogendo accipere alium in virum, cum etiam sine voto non posset pater tradere filiæ in virum eum, quem non vellet, non erat tamen consuetudo, vt aliqua puella voueret accipere in virum aliquem. Et hoc propter duo: primo, quia ista non cadunt sub voto directe: est enim votum de meliori bono, id est de opere supererogationis, vt infra declarabitur, accipere autem hunc, vel illum in virum, non est aliqua supererogatio, ideo in his non fiebat votum. Secundum est, quia puellæ propter reuerentiam patrum, non accipiebant in viros, nisi eos, quos patres illis tradidissent, si tamen votum emitterent de accipiendo hunc, vel in illum virum, per hoc astringerentur ad vnum, vt excluderent voluntatem patris, ideo non vouebant hunc, vel illum accipere in virum.

An ad solos patres spectaret determinatio virorum.

Si maritum habuerit, & vouerit aliquid, & semel de ore eius verbum egrediens animam eius obligauerit iuramento, quo die audierit vir, & non contradixerit, voti rea erit, reddetq; quodcunq; promiserat. Sin autem audiens statim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes eius verbaque, quibus obstrinxerat animam suam, propitius erit ei Dominus.

Si maritum habuerit. Hic ponitur tertium de puellis desponsatis, sed nondum viro traditis. Vota autem istarum differunt à votis puellarum, quæ sunt in potestate patris nondum traditarum, quia istæ iam non sunt penitus in potestate patris, vt pertineant ad sponsos propter contractum matrimonii, differunt etiam vota istarum à votis mulierum iam viris traditarum, quia illæ prorsus pertinẽt ad viros, ad patres autẽ nequaquam. De istis autem desponsatis dicitur communiter, quod patres, & sponsi possent infringere vota earum, & hoc quia

Tertia regula de votis puellarum desponsatarum.

aliquo modo manent in potestate parentum, & aliquo modo pertinent ad ius virorum, & hoc satis videbatur rationabile, litera tamen solum dicit de sponsis, quod possent irritare vota earum.

Quare sponsi possint infringere vota sponsarum suarum, cum nondum sint sub potestate eorum.

QVÆSTIO XXIV.

QVæret aliquis, quid attinet ad sponsos de votis, quæ emittunt sponsæ cum nondum sint in potestate eorum. Aliquis respondebit, quod si permitteretur puellis desponsatis vouere præiudicaretur sponsis earum, quia possent vouere aliquid de bonis dotalibus, quę iam assignata essent viris ideo ne præiudicaretur illis debuit dari potestas infringendi vota sponsarum. Sic enim fuit de sponso B. Luciæ, quæ accusabat sponsam suam, quod venderet totum patrimonium, & pauperibus erogaret. Sed dicendum est, hoc non intelligi vniuersaliter, scil. quod puellæ desponsatæ possent aliquid vouere de bonis dotalibus, nisi sponsi prohiberent, quia aut istę puellæ habebant parentes, aut non, si haberent, non erat in potestate earum aliqua pars bonorum dotaliũ, ideo non poterant vouere de ea quidquam, sicut nec puellæ, quæ erant in potestate parris, quia nullã habebant bonorum administrationem, potissimum, quia apud Iudęos puellæ non habebant possessiones, sicut nunc, quia nõ deriuabantur progenies, per fœminas, sed per viros, & ad illos pertinebat successio, vt patet supra cap. 27. Si autem puellæ non haberent parentes, nec tutores, aut curatores sub quorum potestate essent, habebãt ipsæ administrationem rerum suarum, & tunc dubium videtur, an possent aliquid vouere de bonis dotalibus, de quo infra declarabitur. Si autem dicatur, quod poterant vouere esset istud remedium, quia sponsi possent infringere vota earum, ne læderentur diminutis bonis dotalibus, si autem non poterant vouere de illis, dabatur istud in remedium aliorum votorum, quæ possent præiudicare sponso.

Vnde dicendum, quod vota quæ emitteret puella desponsata in domo patris, si eam obligarent posset præiudicari viro, vt si voueret, quod affligeret qualibet hebdomada, vel multis diebus animã suam ieiunio, oratione, vigilia, vel per abstinentiam aliarum rerum, si istud votum extenderetur ad tempus illud, in quo maneret iam tradita viro præiudicaretur illi, vtpote si per orationem frequentem se aliquantulum distraheret ab obsequio viri, vel si per ieiunium, & vigilias, aut labores alios efficeretur inepta ad concipiendũ, & nutriendũ, & obsequia viri, ideo debuit dari remediũ sponso, vt in præiudiciũ illius non obligaretur sponsa. Poterat autẽ tale esse votum, ꝙ puella compleret antequã traderetur viro, & tamen adhuc in hoc poterat præiudicari viro, vt si ex laboribus magnis vigiliarum, vel ieiuniorum, quos puella desponsata in domo paterna sustineret, efficeretur inepta ad postea concipiendum, nutriendum. & obsequia viro præstandum, ideo debuit dari remedium sponso contra vota sponsæ.

Si maritum habuerit. Accipitur autem hic maritus large pro sponso: nam proprie non dicitur maritus, nisi consummato matrimonio per copulam, vel saltem cum traduxit spõsam in domum suam, etiamsi nondũ cognita sit, qui tamen desponsatio per verba de præsenti parum differt à matrimonio consummato, maxime secundũ statum veteris testamenti, sponsi quando vocantur mariti. Alii tamen exponunt istam literam de maritis, quia iam acceperant vxores, & vocantur proprie mariti, & tunc stat conuenienter, quod non fiat hic mentio de patribus puellarum ad infringendum vota earum, sed solum de maritis, si tamen intelligeretur de puellis desponsatis videretur etiam rationabile, quod exprimerentur patres. Sed tunc stat litera superabundans, quia infra ponitur de voto vxorum, quæ sunt in domo virorum, ideo communiter exponitur ista litera de puellis desponsatis. *Et vouerit aliquid.* Intelligitur hoc de eo, quod alias subiacet potestati puellæ: nam si ipta voueret aliquid, quod erat contra legem, etiamsi sponsus non repugnaret, non teneret votum, vt si esset id, quod vouetur illicitum, sicut occidere, vel furari, & omnia vetita à lege, sed solũ intelligitur de his, quæ licita sunt, in quibus validaretur votũ statim, vt puella vouisset, nisi sponsus repugnaret cũ cognosceret. *Et semel verbũ de ore eius egrediens animã illius obligauerit.* Id est, immediate, vt puella emiserit verba voti obligata est ad obseruationẽ. Et dicitur de emissione verbi, quia vota fiunt in verbis communiter. An vero votum teneat sine verbis, vel sit necessaria semper verborum expressio infra declarabitur: & dicitur, quod verbum egrediens obligauit animam puellæ immediate, quia postquã puella emisit votũ, siue pater postea consentiat, siue non: si nondum est desponsata, vel si desponsata est, siue consentiat sponsus, siue non, ipsa non poterit propria auctoritate contraire voto, vt si emisit aliquod votum, cuius obseruatio immediate incipiẽda est, & nondũ cognouerunt pater, & sponsus aut maritus de voto, tenetur puella illud obseruare quousque dissentiant, qui possunt dissentire, nam quantum ad seipsam obligandam sufficit verbum suum, & nihil magis obligatur puella desponsata, quando emisso voto pater, & sponsus sciuerunt, & approbauerunt, vel non repugnauerunt, quam cum ipsa emisit votum nondum eis scientibus. Differt tamen in præiudicium ipsorum, quia quousque pater, vel sponsus sciat votum, non obligat in præiudicium ipsorum, cum autem scierit obligat, nisi repugnauerit, ideo si puella emisso voto antequam cognitum sit viro, vel patri, veniat contra illud tenetur rea tanquam voti violatrix.

An puella vouens verba eius eam obligent immediate, vel solum post consensum mariti.

QVÆSTIO XXV.

QVæret aliquis, de obligatione verborum puellæ, an immediate haberet efficaciam, vel suspendatur quousque sponsus audiat, & non repugnet, ita vt si approbet, vel non repugnet incipiant ex tempore illo obligare verba, & ante hoc nunquam obligauerint, & si dissentiant, quod nunquam verba obligauerint. Dicendum est, quod vt vult litera non suspẽdebatur effectus verborum istorum vsque ad tempus, in quo pater & sponsus dissentirent, aut consentirent: sed immediate erat obligatio, quod patet, quia si non obligaretur immediate posset desistere à voto emisso antequã vir, vel pater consentirent, vel dissentirent, & tunc etiamsi pater consentiret non confirmaretur postea votum, quia ante hoc ipsa voluit non obligari. Sed falsum est, quia si pater, vel sponsus velint, semper tenebitur voto. Hoc autem non esset si de nouo induceretur obligatio, ideo à principio obligatio fuit.

Quid causatur in votis puellarum per consensum patris, vel sponsi post votum emissum.

QVÆSTIO XXVI.

QVæretur amplius quid causatur per consensum patris, vel sponsi post votum emissum. Respondetur, quod iste consensus, non est tanquam aliquid directe agens, sed tanquam remouens prohibens. Ratio est, quia pater non potest filiam obligare, nec sponsus sponsam, sed potest obligationem destruere, vel non destruere, prohibens autem istam obligationẽ votiuam tenere est contradictio patris, vel sponsi, ideo remouens prohibens est consensus istorum, sicut in naturalibus rebus res mouentur ab intrinseco principio, remouens autem prohibens nihil in motu intrinsece causat principatiue, vel intensitiue, sed fecit ne destruatur: vnde non est maior velocitas in motu remouente prohibens adiuuante, nisi materialiter, secundum quod tangitur conditio medii ita votum emissum de ieiunando, vel orando, aut de simili ab vxore, vel filia non habet maiorem vim obligatiuam ante cõsensum patris, vel mariti, quam post. Quod patet, quia si aliqua mulier vouit ieiunare aliquod rationabile ieiunium viro nesciente, si antequam vir, vel pater contradicat ipsa agat contra votum suum, ita punitur, sicut si post consensum patris, vel viri votum fregisset, si tamen consensus viri, vel patris obligationem aliquam superadderet, magis puniretur agens contra votum post consensum eorum, quam ante. Et satis apparet, quia si aliquod mobile moueatur per aliquod spatium non impeditum, deinde veniat ad partem spatii, in qua sit prohibens, & illud per aliquid extrinsecum remoueatur,

mobile

A

mobile non mouebitur velocius post remotionem prohibentis, quam ante, quando per spatium non impeditum mouebatur, sic puella desponsata cum vouet non habet aliquod impedimentum huius voti, donec veniat mariti, vel patris dissensus, qui tollitur per consensum contrariũ, ergo non minorem libertatem antea quam post habebit, quia prius dissensus non præexistebat, si autem à principio voti fuisset dissensus, tunc remouens prohibens fuisset simul cum principio motus, & impossibilis fuisset motus, & sic consensus, & dissensus non sunt hic tanquam aliquid agens in voto sponsarum, sed tanquam remouens aliquid prohibens. In hoc tamen distinguendum est de rebus, quæ vouentur, quia quædam sunt, in quibus vxor, vel filia nihil vouere possunt sine consensu patris, & viri: Alia sunt, in quibus possunt vouere, nisi maritus, & pater dissentiant. De primo modo poterat filia, vel vxor vouere pecunias in aliquos vsus pios in magnam quantitatem dare, si actualiter pater, vel vir consentiant. De secundo vxor, vel filia potest ieiunium vouere, nisi vir, vel pater contradicat, ideo in primo nunquam causaretur obligatio, donec vir, vel pater actualiter consentiant. In secundo autem immediate causatur obligatio, & durabit semper, nisi veniat patris, vel viri dissensus: & sic in primo consensus non est aliquid remouens prohibens, sed aliquid intra concausans, ita quod consensus patris, & filiæ, vel viri, & vxoris sunt duo consensus inducentes simul partialiter vnam obligationem in filia, vel vxore. In secundo autem consensus patris, vel viri est remouens prohibens solum, nec concausat aliquo modo. Ratio autem diuersitatis est, secundum quod materia voti magis pertinet ad extrinsecam personam, vel minus: magis enim pecuniæ quas maritus, & pater habens, pertinent ad eos, quam caro filiæ, vel vxoris, quæ ieiunio, vel peregrinatione, aut similibus maceratus. *Obligauerit iuramento.* Non est sensus, quod solum obligatio voti istius inducatur per iuramentum, quia cum votum emittitur, siue iuramẽto firmetur, siue non, dum aliàs licitum sit, tenet, magis tamen obligat, quando iuramento firmatur, quam si non firmetur, vt supra declaratum est, sed ponitur hoc ad signandũ, quod etiam quantumcunq; votum sit firmum, si vir, vel pater repugnauerint, non manet obligatio. è contrario aute manebit. De voto autem aliàs emisso idem est. *Quo die audierit vir.* Id est sponsus, accipitur hic vir large: nam vir proprie maritum signat, qui traduxit vxorem in domum suam. Sponsus autem, de quo hic nondum traduxit, vnum tamen pro alio ponitur. Dicitur quo die audierit, & nõ contradixerit, quia si vir vna die audierit votum vxoris, vel sponsus votum sponsæ, aut pater votum filiç, & immediate non contradiceret, sed referret responsionẽ ad alteram diem, & sequenti die contradixerit, nõ valet contradictio, vt patet in litera. Si tamen audiuit vir votum vxoris in aurora, & non repugnat immediate, sed post in vespere ante solis occasum, valet contradictio, & non tenebitur vxor voto. Vtrum autem iste dies sit naturalis, & computetur à momento in momentum à tempore, quo cognitum est votum fuisse emissum, vel vtrum sit dies artificialis, qui computetur ab ortu vsque ad occasum solis, ita quod in quacunque hora diei pater, vel vir votum audierit, siue in aurora, siue in meridie, siue in vespere teneatur repugnare ante solis occasum certum non est. Sed videtur intelligendum de die, quæ computatur ab ortu solis vsque ad occasum, quia semper verba reducuntur ad intelligentiam, quam communiter habent, nisi loquens declaret. In communi tamen sermone magis sumitur dies secundum suos terminos ortum, & occasum, quam quod incipiamus à quocunq; puncto peruenientes vsque ad 24. horas sequentes, ideo modus iste verisimilior est. *Voti rea erit.* Non est sensus, quod tunc quando vir, vel pater audit verbum vxoris, vel filiæ, & non repugnat, incipiat esse rea voti, id est, obligata ad obseruationem, quia immediate, vt votum emisit, causatur obligatio, vt supra declaratum est, sed intelligitur, quod tunc erit rea voti, id est, erit immutabiliter obligata ad votum. Nam ante hoc licet mulier quantum ex seipsa est, obligasset se, tamẽ poterat votum infringi per dissensum viri, vel patris, ideo non erat votum simpliciter validum, quia pendebat ex futuro euentu, cum autem pater, vel vir audierit & non repugnauerit, est votum penitus firmatum, ita vt nequaquam infringi possit. *Reddet quodcunque promisit.* Id est, obseruabit omnia, quæ vouit. In voto n, hoc est generale, quod

B

C

si tenet solutio de necessario sequitur. *Sin autem audiens statim contradixerit.* Scil. si sponsus audiens votum sponsæ. Idem de patre ad filiam, & viro ad vxorem, quia tunc si contradicit, irritabitur votum. Et nõ dicitur audiens tanquam solum repugnare possit, s. quando audierit sponsam vouere, sed quocunque modo perueniat ad eum certificatio de voto sponsæ, debet immediate contradicere ad hoc, vt infringatur votum. Et dicitur hic statim non stricte, prout importat valde paruum tempus à tempore cognitionis voti emissi. Et hoc modo dicitur aliquis agere statim, quando cognita aliqua re antequam diuertat ad alios actus incipit operari circa illam, sed non requiritur tanta festinatio in patre, vel sponso cognoscente votum filiæ, vel sponsæ, sed intelligitur illud statim pro toto illo die, in quo peruenit cognitio ad ipsum & tunc vsque ad solis occasum, siue modicum, siue multum tempus sit, & in quacunque parte illius diei contradixerit, dicitur contradicere statim. *Et irritas fecerit pollicitationes eius.* Id est, annihilabit votum, s. quod per istam repugnantiam non manebat obligatio votiua, & non ponitur hic per modum affirmandi, quia iam præsupponitur hoc ex superioribus, scil. quod per contradictionem patris, sponsi, & viri irritentur vota filiæ, sponsæ, & vxoris, sed ponuntur ista continuatiue ad regulam sequentẽ, scil. & propitius erit ei Deus. *Et verba quibus obstrinxerit animam suam.* Idem signat quod superiora: verba enim, quibus anima astringatur, id est, obligatur, sunt verba voti, & ista irritantur. Alio modo, & conuenientius intelligitur, quod irritantur hic pollicitationes, id est, votum, & verba, quibus anima erat obstricta, id est, iuramentum. Votum enim idem est, quod pollicitatio, vel promissio, quia nihil est in voto nisi promittere. Iuramentum autem est vinculũ astrictiuum, quod interdum superadditur voto ad maiorem obligationem, & istud etiam tollitur per repugnantiam supradictam. Sciendum tamen, quod tam votum, quam iuramentum sunt obligatiua, iuramentum tamen directius obligat, quia in voto exprimitur quid intendimus pro Deo agere. In iuramento autem nihil, quod intendimus, exprimitur, sed quod intendimus, confirmatur. *Propitius erit ei Deus.* Id est, quamquam mulier ista non obseruet votum post repugnantiam sponsi, Deus non irascetur ei, sed propitiabitur, id est, miserebitur, quia si per vouentem non stetit quo minus votum compleret, sed per alium repugnatum est, vouens nullam habet culpam, etiamsi non compleat: nam non est iuris sui hoc complere, vel non: sed iniquitas videtur viri, vel patris, qui cogunt fœminam ad infringendum votum, si aliqua iniquitas sit, de qua infra declarabitur. Sciendum, quod Iudæi totum istum §. exponunt de muliere, quæ domum habet, & non in domo viri est, sed fecit votum in domo patris, & pater non repugnauit tenuitq; votum, ita quod mulier semper agebat secundum votum quousque venit ad domum viri, poterit postea vir repugnãdo votum illud infringere, etiamsi mulier à multis annis ante votum illud obseruasset. Ista expositio secundum literam nostram non concordat multum, quia litera præsupponit, quod prius vir habuit vxorem, quam ipsa voueret, licet iste sensus aliqualiter reduci posset ad illam. Litera autẽ Hebraica multum concordat huic expositioni, quæ talis est. *Si autem virum habuit, & vota super ipsam.* Id est, quod vota erant super ipsam fœminam, vel iam obligauerant eam, quando virum accepit. Melius tamen est secundum literam nostram, quia litera Hebraica reducitur ad nostram.

D

E

F

An puella desponsata in antiqua lege posset vouere castitatem.

QVÆSTIO XXVII.

QVæret aliquis, an puella desponsata inter Iudæos posset vouere castitatem perpetuam, vel per aliquod tempus. Aliquis forte respondebit, quod aut erat consummatum matrimonium, aut non: si primo modo, non poterat inuito viro: si secundo modo, poterat, & iste modus obseruatur apud nos, vt patet extra de conuers. coniug. in cap. verum. Sed hoc non tenet in statu Iudaico: magna enim diuersitas est inter statum istum, & illum: nam nunc fœmina desponsata nondum consummato matrimonio potest iure suo nullo requisito vouere perpetuam continentiam ingrediendo religio-

Ista duæ quæstiones sequentes multũ differunt à q. 11. & 12. idcc lector attẽde.

A nem, & hoc modo dissoluitur præexistens matrimonium, si autem sit consummatum non potest illud efficere, si tamen velit fœmina ob aliam causam dissoluere matrimonium nondum consummatum non poterit. In veteri autem testamento non erat status religionis, in quo obseruaretur continentia, sicut nunc, ideo non poterat dissolui matrimonium propter obseruationem castitatis, sed manebat sponsa cum viro suo, manente autem matrimonio non poterat fœmina vouere castitatem perpetuam, vel ad aliquod tempus, quia etiam vir non posset hoc facere, cum nimis grauaretur vnus coniugum per votum alterius. Sed dicet aliquis, quod posset sponsa vouere castitatem, & obseruare eam, quia licet non posset directe dissoluere matrimonium per votum castitatis, quod non teneret in præiudicium viri, tamen poterat dissoluere illud per repudium, & tunc obseruaret votũ suum. Respondendum est, non stare, quia repudium non licebat vxori contra virum, sed viro contra vxorem: nulla enim lex, siue humana, siue diuina concessit vnquam, quod fœminę possent repudiare viros, quia daretur sibi locus omni turpitudini, maxime autem hoc erat in lege diuina: nam in ea erat permissum repudium ad duritiam cordis Iudæorum, vt patet Matth. c. 19. ſvt non occiderent vxores. Duritia tamen cordis non attenditur in fœminis, sed in viris, qui viribus fortiores sunt, & possent fœminas occidere, si displicerẽt in oculis eorum. fœminæ autem nõ possunt aliquid tale super viros, ideo non debuit eis dari potestas repudiandi viros, & sic lex de repudio solum expressit de viris. Deut. 24. cap. Item dato, quod puellis daretur potestas repudiandi viros, non haberent eam dum essent desponsatæ, sed matrimonio consummato, quia non liceret eis plus quam viris. Viri tamen non poterant repudiare sponsas, sed solum postquam traduxissent eas consummato matrimonio, vt patet Deut. 24. c. ſc. si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius, scribet libellum repudij, &c. ergo non poterat repudiare antequam acciperet, & haberet vxorem, sed accipere est matrimonium contrahere, quod per aliqua efficitur vxor, habere est eam in domo ad cohabitationem tenere, ergo cum tempore desponsationis, quamquam vir acceperit vxorem, nondum habuit eam, non poterat scribere libellum repudij: à fortiori ergo de fœmina desponsata, quia quamquam posset fœmina repudiare virum, tamẽ non posset tempore desponsationis, & consequenter non posset vouere continentiam, dum esset desponsata.

Repudiũ licebat soli viro, non vxori.

B

An puella desponsata posset vouere castitatem de consensu sponsi, & de differentia huius à nouo testamento.

QVÆSTIO XXVIII.

C QVæret aliquis, an posset fœmina desponsata inter Iudæos vouere continentiam volente sponso, & fauente: nam inuito eo manifestum est ex prædictis, quod non poterat. Respondebit aliquis, quod poterat hoc fœmina, quia omnia vota, quæcunq; faceret sponsa, tenerent, nisi repugnaret sponsus. Vnde ex die, quo primo audiebat spõsus votum, & non repugnabat, manebat sponsa obligata, vt patet in litera. A fortiori ergo teneret votum, si sponsus faueret voto cõtinentiæ sponsæ suæ. Respondẽdum est, quod etiam viro volente non poterat sponsa vouere continẽtiam, quia istud votum dissolueret matrimoniũ, sed non poterat matrimonium antequam consummaretur, dissolui inter illos, ideo non poterat vouere sponsa continentiam, nunc autẽ matrimonium nondum consummatũ dissolui potest per votũ castitatis, sed tunc non erat religio, in qua esset istud votũ, solum ergo matrimonium poterat dirimi in veteri testamento per repudiũ, sed repudium non poterat dari ante matrimonium consummatum, vt sup. declaratũ est, ergo non poterat dissolui per votum cõtinentiæ, sed si vir, & vxor desiderarent dissoluere matrimonium in veteri testamento, cũ essent desponsati, debebant consummare matrimoniũ per copulam, vel saltẽ vir traducere debebat spõsam in domum suã ad mutuam cohabitationem, & tunc poterat repudiare eam. Erat autem è contrario in veteri testamento quã nunc: quia nunc matrimonium postquam consummatum est, nõ potest dirimi ex aliqua causa saltem ex voluntate vnius ipsorũ, ita quod quilibet eorum iure suo posset dirimere, tamen ante consummatũ matrimonium quilibet potest illud dissoluere inuito alio, si velit religionem profiteri. In veteri autem testamento matrimonium antequam consummaretur, erat ratum, ita quod nullus coniugum posset illud dirimere, siue per votum, siue per repudium, cum autem est cõsummatum, poterat vir dirimere illud repudiando vxorem. Causa autem quare nõ permittebatur repudium in veteri testamento despõsationis, sed post cõtractum matrimonium erat, quia permittebatur libellus repudij cum fœmina nõ inueniebat gratiam in oculis viri propter aliquam fœditatem. Ista tamen nõ poterat cognosci tempore despõsationis, quia tunc manebat puella in domo patris, & spõsus parum communicabat cum ea. Consummato autem matrimonio cum fœmina cohabitaret viro, in omni cohabitatione tam domestica, quam in thoro posset cognoscere fœditates illius, & abominari illam, ideo tũc debuit dari potestas repudiandi, & non tempore desponsationis. Patet igitur, quod sponsa tempore desponsationis etiam consentiente viro non poterat vouere continentiam. D

An durante tempore desponsationis posset sponsus vouere castitatem.

QVÆSTIO XXIX.

E QVæret aliquis, an durante tempore despõsationis posset spõsus in veteri testamento vouere castitatẽ. In quo dicendum est, quod licet votum de castitate, aut virginitate, vel qualiscunq; obseruatio illius raro esset in veteri testamẽto, aliqñ tamen erat, vt sup. declaratum est. Vnde interdũ viti, & interdum fœminæ poterant vouere cõtinentiam. De viro tamen, qui habet spõsam, vel vxorem dicendum est, quod cum haberet vxorem, poterat vouere cõtinentiam, sed non cum haberet spõsam. Primum patet, quia habens vxorẽ poterat eã repudiare, etiam sine aliqua causa, vt declaratum est Deut. 24. c. ideo si vellet vouere cõtinentiã, posset repudiare vxorem, & tunc obseruaret votum, & quia repudiare vxorem est in potestate illius, ita & vouere continentiam, nõ poterat tamen hoc vouere perpetuo, vel ad tempus, nisi repudiaret vxorem, quia si nõ repudiaret illam, cogeretur manere ipsa cũ viro, & propter votum emissum, vir denegaret ei debitũ, ergo grauaretur nimis: ideo nõ poterat sic votũ emitti, & si sic voueretur, nõ tenebat, sed cogebatur vir reddere debitum vxori. Secundum erat, quia vir nõ poterat tempore desponsationis vouere cõtinentiam, quia istud votum cõtinentiæ, aut esset temporale, vel perpetuum, si perpetuum dirimeret simpliciter matrimonium, cum nunquam esset ius spõsæ petere debitum, si autem esset temporale, grauabatur sponsa, quia pro illo tempore nõ posset petere debitum. Poterat tamen secundum istorum facere sponsus consentiente sponsa, quia solũ præiudicabatur ipsi ad tempus, & non dissoluebatur matrimonium. Primum autem fieri non poterat, quia sic dissoluere matrimonium, & tamen nullus modus dissoluẽdi tunc erat, nisi repudium, quod nõ poterat dari ante cõsummatum matrimonium, vt sup. declaratum est, ergo nõ poterat sponsus vouere continentiam, siue volente, siue nolente sponsa. F

Quomodo virgo gloriosa potuit vouere virginitatem, cum esset in potestate patris, & desponsata.

QVÆSTIO XXX.

QVæret aliquis de Domina nostra, quomodo vouit virginitatem in statu veteris testamenti, cum esset despõsata, vt patet Luc. 1. cum dicitur: Ad virginem despõsatam viro, cui nomen erat Ioseph, & nomen virginis Maria. Et postea dicitur ibidem: Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco? id est, proposui, vel voui nõ cognoscere? ergo desponsata erat, & vouit virginitatem. Respõdendum est, quod non vouit virginitatem, postquam despõsata fuit, sed ante. Et cum dicitur: quia virum non cognosco, non debet exponi de præsentia, sed de præterito, sc. proposui, vel voui non cognoscere virum, quia non est sensus, quod tunc ipsa voueret virginitatem, quando Angelus loquebatur ei: non enim poneretur tunc pro causa dubitationis, sed quia ab antiquo vouerat virginitã-

A ginitatem, cui videbatur repugnare, quod conciperet, dixit: quomodo fiet, quia virum non cognosco? Sed tunc stat dubium, quomodo Domina nostra potuit vouere virginitatem ante desponsationem, quia tunc erat in potestate patris, & matris, & isti poterant infringere votum eius, sicut sponsus, quia vota facta per puellam existentem in potestate patris irritantur per dissensum patris, vt patet supra: vnde nihil videtur differre, quod hoc vouisset dum esset in potestate patris, vel dum erat desponsata. Ad hoc responderi posset dupliciter. Primo, quia Domina nostra emisit votũ virginitatis, sed hoc latuit parentes illius, ideo votum tenuit quantum ad ipsam. & obligabatur illud obseruare, quousque parentes cognito illo per dissensum suum irritarent illud, sed nunquam cognouerunt parentes votum esse emissum, ideo nunquam irritauerunt, & consequenter ipsa mãsit semper obligata. Iste modus est multũ conueniens, quia cum Domina nostra desideraret obseruare virginitatem, non reuelaret votum parentibus sciens, quod in potestate parẽtum erat irritare illud, imo si ipsa reuelaret votũ parentibus, videretur imprudens si obseruare vellet, vel iniqua si obseruare nollet, quorũ vtrumq; nefas est: & est sensus si post emissionem voti Domina nostra reuelaret illud parentibus, & tamen ipsa desideraret semper seruare illud videbatur imprudẽs, quia parentes possent eam efficaciter impedire irritando votum illius. Si autem dicatur, quod ipsa nollet obseruare votum, & propter hoc parentibus illud panderet, vt irritari posset, esset ipsa iniqua, quod nefas est, quin potius semper desiderauit obseruare istud votum. Et propter hoc quando Angelus retulit, quod conciperet, respondit inquirens: Quomodo fiet istud, quia virum nõ cognosco? si tamen non curaret de obseruatione voti, nõ inquireret, qũo fiet istud nihil curans an opere virili hoc fieret. Item hoc est valde verisimile, quia quædã vota sunt puellarum, quæ nõ possunt latere parentes. vt ieiunium, & similia, quæ requirunt actum frequentem, & valde manifestum. Alia autem sunt, quæ non possunt ita cognosci faciliter, & ita est de voto virginitatis, quod nequaquam poterãt cognoscere parentes, dum Domina nostra maneret in potestate eorũ, s. ante desponsationem, & postquam desponsata esset. Et hoc propter duo: primo quia istud votum nõ requirebat aliquem actum, sed magis priuationem actuum, scil. inexperientiam actus venerei. Alia tñ vota, quæ occulta sunt per actus suos interdum manifestãtur. Secundo patet, quia cum votũ istud consistat in priuatione, solum potest cognosci per habitum appositum, scil. per actum, qui repugnat actui priuatiuo virginitatis, scil. per hoc quod est commiscri carnaliter viro, vel repugnare commiscri. Dum enim Domina nostra nulli viro commiscebatur, nec commiscri repugnabat, non poterat apparere, an vouisset virginitatem, vel nõ, cum autem veniret tempus accipiendi virum ad cohabitationẽ, & thorum, si repugnaret accipere illum, vel consentiret, poterat cognosci, an vouisset, vel non, sed hoc iam esset quãdo esset Domina nostra extra potestatem parentum, ergo dum fuit in potestate eorum non potuerunt ipsi cognoscere, an vouisset, vel non, nisi ipsa reuelaret. Aliter autem secundum quosdam potest responderi, quod Domina nostra vouit virginitatem dum esset in potestate parentum, & postea parentes cognouerunt votum illius, & non repugnauerunt, & per hoc confirmatum est, sicut patet supra de votis filiarum. Sed non multum stat, quia si parentes cognouissent votum puellæ, & approbassent, non traderent alicui viro in matrimonium, quia sciebant, quod repugnabat status matrimonij voto virginitatis. Sed forte dicetur, quod parentes eius cognouerunt spiritu reuelante mysterium incarnationis verbi in filia sua, scientes quod accipere virum non impediebat virginitatẽ illius, ideo tradiderunt ei virum. Sed hoc non stat, quia parentes virginis non cognouerunt hoc mysterium: nulli enim legitur reuelatum, nisi Mariæ, & Ioseph. De Maria patet Luc. c. 1. De Ioseph apparet Matth. c. 1. Et si adhuc velis proteruire, quod fuit reuelatum illis, dato, quod hoc scriptura non exprimat, quia multa subticentur, dicendum est non stare, quia etiam Beatæ Virgini non fuit reuelatum hoc mysterium ante votum virginitatis, & desponsationem. Nam angelus Gabriel reuelauit hoc, vt patet Luc. c. 1. & tamen dicitur ibi, quod virgo illa erat desponsata, & quod proposuerat non cognoscere virum: non stat igitur, quod parentibus eius reuelaretur istud mysterium ante desponsationem. Ideo dicendum, quod parentes non cognouerunt votum puellæ, & ob hoc desponsauerunt eam non existimantes eam habere aliquod impedimentum ad matrimonium.

B

C

D

Quomodo virgo glorioſa contraxit matrimonium, cum vouiſſet virginitatem, & ad quid conueniebat ei accipere virum.

QVÆSTIO XXXI.

QVæretur autem tunc de Beata Virgine quomodo ipsa consensit tunc accipere virum, cum vouisset virginitatem, & sciret se obligari ad reddendum debitum, si vir peteret. Aliquis respondebit, quod Domina nostra consensit accipere virum, quia sciebat illum, cui tradebatur in vxorem esse impotentem ad generandum, vel qualitercunque tangendum fœminam carnaliter præ magnitudine ætatis. Erat enim Ioseph vir senex. Et ista fuit opinio quorundam Iudæorum, cum dixerunt Christo, quod erat natus ex fornicatione, vt patet Io. c. 8. scil. Nos ex fornicatione nati non sumus, quasi dicat, tu natus es ex fornicatione. Hoc autem existimabant, quia scientes Ioseph esse virum grandæuũ putabant illum ad generandum fuisse impotentem, & Dominam nostram ab aliquo viro adulterino fuisse grauidatam. Sed istud non stat, quia matrimonium institutum est à Deo ad multiplicationẽ generis humani, & ad hoc omnes gentes contrahunt istud vinculum, & est hic debitum vtrinque reddendum quando exigitur. non est ergo verisimile, quod si Ioseph esset vir manifeste impotens ad generandum propter magnitudinem ætatis, quod accipere vellet vxorem, quia non posset debitum reddere, nec consequeretur finem matrimonij, & dato, quod diceremus, quod Ioseph non curaret de seipso, an consequeretur finem matrimonij, sed vellet magis Dominam nostram habere in sororem, quam in vxorem, tamen saltem propter eam non contraheret si impotens esset. Erat enim Domina nostra puella, & decora nimis, de qua existimare deberet rationabiliter Ioseph, quod si ipse impotens esset illa alteri copularetur, & hoc, quia nondum cognouerat sanctitatem virginis, & mysterium Dei, non ergo acciperet eam si se impotentem putaret. Item dato, quod Ioseph eam veliet accipere in vxorem tanquam sororem, tamen parentes illius non darent eam illi, si manifeste esset impotens, quoniam scirent, aut verisimiliter æstimarent, quod dabant filiæ suæ occasionem fornicandi tradendo eam viro impotenti, sed confidenter dederunt eam illi, nihil scientes de mysterio Dei, cũ etiam virgini nondum cognitum esset, ergo non erat Ioseph tam senex, vt verisimiliter impotens ad generandum videretur. Item patet hoc manifestius, quia si Ioseph manifeste appareret impotens, non arbitrarentur Iudæi Christum esse filium Ioseph: ergo non credebatur Ioseph impotens ad gignendum. Antecedens patet Luc. 3. cap. scil. & erat Iesus incipiens, quasi annorum 30. vt putabatur filius Ioseph, & Luc. c. 4. dicitur, quod mirabantur omnes de illo, & dicebant: nonne hic filius est Ioseph? nec solũ hoc dicebant Pharisæi, & turbæ, sed etiam Apostoli, vt patet Ioan. c. 1. cum dixit Philippus ad Nathanael: Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth, ergo non æstimabatur Ioseph impotens ad gignendum, & consequenter nõ contraxit Domina nostra cum Ioseph, quasi crederet eum impotentem, immo nequaquam conueniebat, quod esset Ioseph manifeste impotens, quia tunc nato Saluatore de Virgine omnes Iudæi manifeste arguerent eum natum esse de fornicatione. quia cum nequaquam crederent aliquam mulierẽ concipere sine semine, cum nunquam hoc vidissent, assererent Christum natum ex semine viri, sed si Ioseph esset manifeste impotens ad gignendum, ergo necessario inferri videbatur Christum genitum esse ex coitu adulterino, quod redundabat in maximam ignominiam matris. Nullum enim fœminę magis dedecus est, quam infamia ex adulterio nata, etiam redundabat in magnam ignobilitatem Saluatoris: nimis n. diminuebat dignitatem Messiæ videri ex adulterio genitum. Item non solum sequebatur hoc inconueniens, sed aliud maius, scilicet quod Iudæi nequaquam reciperent Christum in Messiã, quia Messias futurus erat de semine Dauid, sicut prædixerant omnes Prophetæ. Si autem Christus genitus crederetur

An Ioseph esset nex cũ sibi Maria desponsata fuit.

1. Ratio

E

2 Ratio

3. Ratio

F

A retur de coitu adulterino, pater eius esset incertus, & tunc non reciperent eum in Messiam, quia nescirent an esset de semine Dauid, vel de tribu Issachar, aut Zabulon, vel forte genitus ab aliquo viro gentili. Hoc autem maxime repugnabat intentioni Christi, qui volebat apparere Messias. Ideo dicendum, quod nequaquam conueniebat Ioseph esse ita grandæuum, vt ad generandum impotēs crederetur. Sed dicendum est, quod quamquam Ioseph esset aliqualiter senex, tamē adhuc erat potens ad gignēdum, & manifeste apparebat omnibus ex habitudine corporis: Domina autem nostra, quamquam vouisset virginitatem, tamē accepit virum, & hoc, quia in veteri testamento nondum fuerat aliquis status, in quo fœminæ permanerent in virginitate, sed solum erant duo status, scil. coniugatorum, & viduarū continentium: nam postquam aliqua mulier vidua efficeretur, etiamsi puella esset, laudabile erat, quod maneret in perpetua continentia. Sic patet de Anna filia Phanuel de tribu Aser, quæ à parua ætate acceperat virum, cum quo per annos septem manens, & postea vidua effecta vsque ad annos 84. permansit, vt patet Luc. cap. 2. status autem virginalis nullus erat, ideo videretur aliqua nouitas, si Domina nostra vellet manere in statu virginali, crederetur enim quod hoc faceret, vt liberius vacaret libidini, si autem fuisset status temporis huius, in quo sunt puellæ multæ Deo

B consecratæ in statu religionis in perpetua virginitate manentes, potuisset conuenientius fieri. Sed dato, quod Domina nostra haberet tunc aliquem statum virginum, sicut monialium, in quo posset honeste manere, adhuc non erat conueniens. primo, quia ipsa concipere, & parere debebat Saluatorem, si tamen innupta esset, crederetur ab aliquo defloratа, & inde concepisse, quia Iudæi non æstimarent eam concepisse de Spiritu Sancto. Item cum non haberet virum, & conciperet, crederetur pater incertus, & nesciretur de qua tribu erat Christus, quæ sunt magna inconuenientia, vt supra declaratum est, ergo non debuit manere innupta, quamquam voueret virginitatem.

Conclusio.

An matrimonium virginis repugnaret suæ virginitati, vel è contrario, & quis fuit modus vouendi virginitatem in ipsa, & matrimonium contrahendi.

QVÆSTIO XXXII.

QVæret tunc aliquis, an matrimonium, quod contraxit virgo, repugnauit voto virginitatis, vel votum virginitatis repugnauit matrimonio, ita vt alterum eorum, vel neutrum integrum maneret. Pro cuius responsione est sciēdum, quod votum virginitatis, & contractus matrimonij aliqualiter repugnant. Nam, vt ait Hieronymus, in virgine nō solum nubere, sed etiam velle nubere damnabile est, mulier tamen contrahens proponit nubere, id est, carnaliter commiscri, C siue exigendo, siue reddēdo debitū, ergo repugnatur in hoc voto virginitatis. Item votū virginitatis diminuit, vel destruit matrimonium. Nam matrimonium non est, si aliqua mulier proponat nunquam cognosci à viro, quia finis matrimonij est prolis, & forma matrimonij est consensus in alterutrum, vt in virum, vel vxorem, & hoc est in copulam carnalem. Illa tamen, quæ habet votum virginitatis proponit nunquam experiri actum venereum exigendo, vel reddendo debitum, aut alias, ergo non potest intercidere ibi matrimonium. Respondendum est, q̄ modus voti, & matrimonij B. Virginis sic fuit, quod ipsa à parua ætate cum peruenit ad annos discretionis à Deo multum illuminata vouit virginitatem obseruare, & tunc nihil suspicabatur de contrahendo matrimonium, sed vouit, quia Deus inclinabat eam ad vouendum, expediebat n. quod in genitrice Dei esset perfectio voti virginalis, quæ est valde magna, cum secundū Anselmum in virgine debuit esse tanta perfectio, vt maior ea sub Deo reperiri nō posset. Non tamen est intelligēdum, quod tunc B. Virgo cognosceret mysterium incarnationis, quod in ea celebrandū erat: nam postquam desponsata fuit, & votum virginitatis emisit, reuelatum est ei hoc, vt patet Luc. c. 1. immo quando angelus reuelauit ei, q̄ conceptura esset quasi arbitrans hoc repugnare voto virginitatis, ait: Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco? Luc. c. 1. Sciendum tamen circa istud, quod votum est duplex, scil. solenne, & simplex: votum solenne totaliter repugnat matrimonio, quia impedit contrahendum, & dirimit iam contractum: si ergo fuisset votū Dominæ nostræ solennizatum, non potuisset contrahere, & si contraxisset, non teneret, sed non fuit solennizatum, quia solennizatio voti requirit, quod fiat publice, & quasdam alias cæremonias, quæ tempore Dominæ nostræ adhuc non erant, quia nulla fœmina in Iudaismo emiserat votum virginitatis solenne, vel simplex, potissime, quia dato, quod essent tūc cæremoniæ solennizandi votum, Domina nostra non solennizaret illud, quia tunc necessario cognoscerent parentes eius votum, & forte non permitterent, & hoc ipsa esset imprudens, de quo supra declaratum est. Aliud est votum simplex, & istud non requirit aliquas cæremonias, sed quilibet potest emittere illud, siue solus sit, siue cum aliis. Et tale fuit votum virginis. Poterat enim simpliciter emitti, ita vt Domina nostra voueret, quod nequaquā vnquam cognosceret virum. Et in tali voto emisso, si aliquis matrimonium contrahat, tenet matrimonium, sed peccat contrahendo. Domina autem nostra non peccauit contrahendo, ideo votum suum non fuit absolute de seruanda virginitate, scil. quod voueret nunquā cognoscere virum, sed fuit cum conditione, scil. nisi Deus aliter de ea disponere vellet, & tunc stat matrimonium, & votum de virginitate, quia si esset votum absolute, peccaret contrahendo. Et quia Deus postea de ipsa ordinauit aliter, scil. significando ei, quod acciperet virum, non fecit contra votum virginitatis. Item non erat istud votum contra matrimonium, nec è contrario, quia quando Domina nostra accepit Ioseph in virum, non consensit expresse in copulam carnalem, ita quod proponeret debitum exigere, vel reddere, & hoc quia intelligebat, quod Deus aliter de ea ordinauerat, & nunquam à viro cognoscenda esset, pro quo dicit sanctus Thomas in 4. sententiarum dist. 30. quod Domina nostra prius certificata fuit de cōditione Ioseph, quam acciperet eum in virum, scil. quod sicut ipsa vouerat virginitatem, ita quæsiuit ab ipso an ipse vellet manere in proposito virginitatis, vel saltem in continentia perpetua, & tunc accepit eum in virum, cognito quod etiam Ioseph hoc vellet. Si autem noluisset manere in continentia, non consensisset in eum tanquam in virum, quod aliqualiter colligitur ex verbis eius ad angelum Luc. c. 1. scil. Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco, id est, proposui non cognoscere, & tamen iam acceperat sponsum: nam ibidem dicitur, quod missus est angelus Gabriel ad virginem desponsatam, quæ tamen desponsata est, intendit cognosci à viro, siue exigendo, siue reddendo debitum, ipsa tamen intelligebat, quod nunquam cognoscenda erat, ergo iam certificata erat de viro, quod ipse vellet manere in continentia perpetua. Aliter enim nō dubitasset, vel saltem non admiraretur in verbis angeli dicens: quomodo fiet istud, &c. quia iam ipsa habebat virum, à quo posset cognosci, & cōcipere, sed dixit, quod non erat cognoscenda à viro. Et hoc modo apparet, quod Domina nostra non se subiecerit alicui periculo virginitatis, quod timeri deberet, nisi certificata esset de viro.

D *De hoc Scotus, & S. Thom. & Bonauen. 4. sent. dist. 30.*

E

F

Quomodo Ioseph ad hoc induci potuit, vt accipiens puellam in vxorem, seruaret castitatem.

QVÆSTIO XXXIII.

QVæret aliquis, quomodo Ioseph ad hoc induci posset, quod acciperet puellam in vxorem, & voueret castitatem. Aliquis forte dicet, quod Deus reuelauit Ioseph illam fœminam concepturam esse Messiam filium Dei, & quod ipse assumi deberet in custodem illius, & virum, & tamen quod non tangeret eam propter dignitatem Messiæ inde nasciturі, quia ille sine opere virili gignendus erat, & tunc Ioseph hoc libenter faceret. Sed dicendum est nō stare, quoniam Ioseph nō cognouit quicquam de virgine, & mysterio in ea celebrando vsquequo Domina nostra iam conceperat: desponsatio tamen ad hoc præcessit. Apparet hoc, quia quando reuelatum fuit Dominæ nostræ, quod concipere debebat Saluatorem, erat desponsata, vt patet Luc. cap. 1. & tamen non erat tunc reuelatum Ioseph, quia postquam vidit eam grauidatam, doluit nimis putans, quod esset cognita ab aliquo viro adulterino, cogitauitque eam occulte dimittere, & tunc reuelatum est ipsi, quod de Spiritu sancto conceperat, & non

Modus vouēdi virginis.

Votum solenne & simplex.

timer et

A

timeret accipere eam: Ergo ante hoc non cognoscebat mysterium istud Matth.c.1. sed ante hoc erat certificata Domina nostra, scil. à principio despōsationis, quod Ioseph vellet perpetuam continentiam obseruare, vt patet ex prædictis. ergo non volebat hoc facere propter mysterium sibi reuelatum. Sed dicendum est, quod Ioseph proposuit obseruare continentiā, quia Deus inclinabat eum ad hoc, nesciebat tamen ad quem finem, cū Deus vtatur hominibus tanquā instrumentis ipsis nescientibus interdum, quid Deus per eos vellet operari. Sic enim fuit in Beata Virgine: nam ipsa à principio virginitatem vouit, & hoc manifestum est, quod fuit, quia Deus specialiter inclinauit eam ad faciendum hoc propter dignitatem Saluatoris inde nasciturī: nam nulla fœmina ante hoc virginitatem vouerat inter Iudæos, aut obseruasse legitur. Ita ergo nec ista fecisset, nisi Deus specialiter elegisset eam ad aliquod bonum, propter quod ad istā obseruationem eam inclinabat, ipsa tamen nesciebat ad quid Deus eam moueret, quia quando reuelatum est ei, quod concipere debebat Saluatorem adhuc aliqualiter dubitabat, an conceptio illa repugnaret voto virginitatis, & tamen virginitas erat propter illam conceptionem. Conformiter ergo de Ioseph dicendum est, quod Deus inclinauit eum ad votum continentiæ perpetuæ, & hoc solum erat ad custodiam matris suæ, ideo leuiter consensit, quando Domina nostra ei significauit, quod vellet manere in virginitate, quod maneret in perpetua continentia. Et hoc satis est verisimile, sc. quod sicut filius Dei elegerat sibi matrem castissimam, ita eligeret custodem matris mansurum in castitate perpetua. Nam si haberet propositum consummandi matrimonium periculum immineret virginitati puellæ, cum cogeretur ei reddere debitum. debuit ergo ipse manere in continentia, sicut ipsa in virginitate. Nesciebat tñ Ioseph ad quid Deus inclinaret eum ad hoc: nam ignorabat hoc esse, vt fieret custos matris Dei, & nesciebat illam futuram esse matrem Dei, sed postea cognouit reuelante angelo. An vero dici posset, quod à principio desponsationis Ioseph habuerit intentionem consummandi matrimonium: postea autem suasione virginis, vel reuelatione angeli proposuerit eam non cognoscere dubium videtur. Sed etiam hoc satis stare posset, scil. quod à principio intendisset eam cognoscere affectu coniugali, & tamē, quia tempore desponsationis ipsa manebat in domo paterna, non poterat exigere debitum, nec erat consuetudo, donec traduceret eam in domum suam, interim autem cognouit eam esse grauidam, & cum vellet eam dimittere occulte, angelus reuelauit ei, quod conceperat de Spiritu sancto, ideo non formidaret eam accipere. Et tunc verisimile est, quod angelus dixisset ei, ne vnquam accederet ad eam. Et dato, quod non diceret, satis ipse cognoscere debebat, quod non erat sibi licitum accedere ad illam, quam Deus sine virili semine impregnauerat, & acceperat in matrē, & tunc proponeret votum perpetuæ castitatis obseruare. Hoc autem necesse est dici, nisi forte dixerimus, quod à principio desponsationis suasione virginis ipse vouerit castitatem.

B

C

An Ioseph in principio desponsationis habuerit intentionē consummādi matrimonium.

Sed tunc dicet aliquis, quod Domina nostra submittebat se periculo virginitatis: nam cum nondum certificata esset, an sponsus suus vellet obseruare castitatem, timendum sibi erat, quod exigeret sponsus debitum, & ipsa reddere teneretur.

Respondendum est, quod Domina nostra firmiter credebat, quod nunquam carnaliter cognoscenda esset: sicut enim Deus inclinauerat eam ad vouendum virginitatem, ita & inclinabat ad hoc suspicandum, ideo quamquam traderetur viro, semper tamen credebat, quod Deus aliter disponeret de ipsa, & sic vtrumque, scilicet votum, & matrimonium manebat sine præiudicio.

An teneri possit, quod virgo vouerit post desponsationem.

QVÆSTIO XXXIV.

QVæretur vlterius, an dici posset, quod Domina nostra vouerit virginitatem postquam desponsata est. Aliquis respondebit, quod sic, quia non videtur innui contrarium ex sacra Scriptura: nam cum ipsa dixit ad angelum: Quia virum non cognosco. significauit se emisisse votum virginitatis, & tamen iam desponsata erat, ideo potuit satis emitti votum istud post desponsationem.

D

Item videbitur hoc valde rationabile, quia tunc Domina nostra non se submitteret periculo virginitatis, sicut se subiicere videbatur, si emisso voto virginitatis postea contraheret. Quod patet, quia post desponsationem posset cognoscere intentionem viri sui, & videns, quod Ioseph vellet obseruare continentiam, posset ipsa emittere votum de virginitate, & iam non erat periculum, quia non erat exacturus debitum Ioseph emisso voto continentiæ.

Sed arguet aliquis, quod non potuisset hoc votum emittere post desponsationem, quia in potestate virorum est tunc infringere sponsarum vota, vt patet hic, ideo posset Ioseph infringere votum virginitatis Dominæ nostræ.

Ad hoc responderi posset dupliciter. Primo, quia istud votum poterat emitti nesciente eo, quia erat tale, quod non requirebat aliquem actum, per quem cognosci posset, nisi in tempore, in quo Ioseph vellet exigere debitum, & tunc non infringeret illud, quia ignoraret eum emissum.

Aliter potest responderi, quod emisit Domina nostra votum de virginitate, & in hoc consentiret Ioseph, vel expresse assentiendo, vel non repugnando, per quod firmaretur votum, vt patet in litera. Cum autem dicitur, quod posset Ioseph infringere votum virginis.

E

Respondendum est, quod poterat, & in hoc non differt an vouisset ante desponsationem, vel post, quia quocunq; modo obligabatur Domina nostra reddere debitum Ioseph si peteret, cum esset inter eos verum matrimonium, noluit tamen infringere, quia etiam ipse vouit continentiam aliquo de duobus modis suprapositis.

Respō-sio auctoris.

Respondendum est ad quæstionem, quod nō conuenienter dicitur Dominam nostram vouisse virginitatem post desponsationem, quia tunc necesse erat dici, quod aliquo tempore illa habuisset intentionem experiendi actum venereum, siue exigendo, siue reddendo debitum, quia illa quæ matrimonium contrahit, si non habet aliquod impedimentum, intendit vacare actui coniugali, sed hoc non est concedendum de Virgine. Nam licet non esset peccatum ei, quod ipsa à principio accepisset virum ad gignendum, quia non erat contra legem, erat tamen imperfectio quædam, cum status virginitatis sit perfectior. De Domina autem nostra non solum peccata, sed etiam imperfectiones aliquas in moralibus prædicare nefas est. Dicendum igitur, quod Domina nostra ante desponsationem virginitatem vouerit, & non fuit aliquod tempus, in quo intenderet experiri actum venereum.

An vir posset infringere votum puellæ sibi traditæ confirmatum consensu patris.

QVÆSTIO XXXV.

F

QVæretur de votis sponsarum, an si puella in potestate patris voueret aliquid, vt de ieiunando, vel orando in similibus, & firmaretur votum consensu patris, siue quia non dissensit, & postea traderetur viro, an posset vir infringere votum illius.

Respondendum est, quod de votis sponsarum quæ emittuntur cum desponsatæ sunt, manifestum est posse infringi per sponsos, vt patet hic. In casu tamen proposito est duplex diuersitas ad hoc. Prima est, quia vota, de quibus hic, emittuntur quando iam puellæ pertinent ad potestatem sponsorum, vota autem, de quibus quæritur, fiunt extra potestatem sponsorum, ideo forte videbitur, quod non habent potestatem ad irritandum ea. Secunda diuersitas est, quia vota, quæ emittunt puellæ desponsatæ, nunquam sunt confirmata simpliciter quousque sponsi cognoscant, & approbent, vel saltem non repugnent. Vota autem, de quibus quæritur, fuerunt simpliciter confirmata puellis manentibus in potestate patris, quia cum pater consenserit, vel non dissenserit, ratificatum fuit votum.

Respondēdum est ad quæstionē, quod vota emissa à puellis in potestate patrum poterant postea irritari per sponsos. Nā aliter magnum præiudiciū pararetur eis, vt si forte puellæ

A

vouiſſent aliquid, quod erat contra bonum ſtatum matrimonij, ſcil. per quod fierent ineptæ ad concipiendum, vel nutriendum, vel aliquid, per quod ſubtraherentur aliqualiter ab obſequio virorum. Sed hoc irrationabile erat. ideo debuerunt ſponſi habere poteſtatem infringendi huiuſmodi vota. Eadem enim ratio eſt in iſtis, & in illis, quæ emittuntur poſt contractum matrimonium, ideo enim poteſtas data eſt ſponſis irritandi vota ſponſarum, ne fœminæ vouerent aliquid in præiudicium virorum, ſed ita poterat parari præiudicium ex votis, quæ emiſſa fuiſſent ante deſponſationem, ideo etiam illa debuerunt poſſe infringi. Conſiderandum tamen, quod in his attenditur eadem regula, quæ in votis emiſſis poſt deſponſationem, ſcil. quod cum primum cognouerit ſponſus emiſſum eſſe votum retractaret illud, ſi autem diſtulerit ad alterum diem non poterit irritare. poteſt tamen quocunque tempore cognouerit iſtud votum infringere illud, ſiue tempore deſpõſationis, ſiue poſt conſummatum matrimonium: nihil enim differt longitudo temporis in obſeruatione voti, dum tamen vir immediate, vt cognouerit votum emiſſum, irritet illud. Cauſæ autem diuerſitatis non proficiunt. De prima, ſcil. quod quãdo emittebatur votum, de quo hic quæritur, non erat puella in poteſtate ſponſi. eſt dicendum, quod non erat tunc in poteſtate illius, nec ſponſus poterat tunc irritare, quia tamen poſtea tranſiuit in ius ſponſi per contractum matrimonij, incœpit habere ſponſus poteſtatem ſuper eam, & votum fuit tanquam nouiter emiſſum, ideo potuit irritare illud ſponſus. Secunda cauſa diuerſitatis non prodeſt: quia ſcil. illud votum iam fuerat firmatum, quia licet firmatum fuit per conſenſum patris, vel non diſſenſum, hoc fuit in præiudicium ipſius, ſed in præiudicium ſponſi non potuit firmari, quouſque ipſe conſentiret, vel ſaltem non diſſentiret cognito voto.

B

Vidua, & repudiata quidquid vouerint, reddent.

Quarta regula de votis viduarum.

Vidua, & repudiata. Hic ponitur quartum huius cap. ſcil. de votis viduarum, & repudiatarum, & in vtriſque datur idem ius, ſcil. quod teneatur ad votum. *Quicquid vouerint reddent.* Id eſt, non erit diſtinctio votorum in iſtis, ſicut in puellis deſponſatis, vel quæ ſunt ſub poteſtate patris, ſed tenentur ad vota ſua ſimpliciter, ſicut viri. Dicitur autem vidua mortuo viro, repudiata autem cuius vir non eſt mortuus, ſed repulit eam à ſe dans ei libellum. Iſtud autem erat vſitatum in veteri teſtamento, quia dabatur viris poteſtas repudiandi vxores Deuteronom. capit. 24. iſtæ autem duæ tenentur ad vota, quia puellæ deſponſatæ, & non deſponſatæ, & coniugatæ non tenentur ad vota abſolute, eo quod non ſunt penitus ſui iuris. Vidua autem & repudiata ſunt ſui iuris. De vidua patet, quia mulier mortuo viro ſoluta eſt à lege viri, ita vt non iudicetur adultera, ſi cum alio viro fuerit. ſic patet ad Rom. 7. & 1. ad Corint. cap. 7. De repudiata eadem ratio eſt: quia cum vir ſcriberet ei libellum repudij, poterat ipſa accipere alterum virum Deuter. 24. capit. & conſequenter facere poterat quicquid vellet nullius legi obligata. De iſtis dicitur, quod reddent quidquid vouerint non vniuerſaliter, ſed intelligendo de votis, quæ aliàs ſunt licita, ſicut ſupra declaratum eſt de viris. Multa enim ſunt, quæ ſub voto non cadunt, & quamquam aliquis ea voueat, non obligatur, ſed magis in quibuſdam peccatum eſt, ſi voueamus. Sed intelligendum eſt hoc ad differentiam votorum, quæ emittebant puellæ deſponſatæ, vel non deſponſatæ, quia dato, quod illa eſſent de rebus licitis, tamen ex defectu poteſtatis non tenebant, ſi patres vel ſponſi vellent ea irritare. Hic autem dicitur, quod omnia vota repudiatarum, & viduarum tenent, ſcil. quod nullum eorum deficit ſaltem ex poteſtatis defectu, ſicut deficiebant in illis, quæ non erant ſui iuris.

C

Mulier habens virum ſi vouerit, & vir conſenſerit, etiam poſt mortem eius obligatur voto.

QVÆSTIO XXXVI.

QVæret aliquis, quid ſi aliqua mulier habens virum vouit aliquid, quod complendum erat aliquo tempore poſt emiſſionem voti, & vir ſciens votum emiſſum non repugnauit, & ſic firmatum eſt: poſtea vero ante completionem defunctus eſt vir; an teneatur mulier complere votum.

D

Reſpondetur, quod tenebitur, niſi forte votum eſſet conditionale, & nõ impleretur conditio, vel ſi eſſet votum, quod concerneret virum viuentem, vt dicat vxor: voueo ieiunare ſemel in qualibet hebdomada, dum vir meus vixerit. defuncto autem viro non tenetur, quia iſta licet non ſit conditionalis emiſſio: redit tamen in modalem, & debet teneri, ſicut conditio. Quod autem aliàs vota obligent, apparet, quia viro viuente confirmatum eſt votum iſtius fœminæ per conſenſum eius: poſtea autem nullus eſt, qui poſſit infringere votum; ideo ſemper tenebitur, nec ſolum hoc eſt, cum vir conſentit, & confirmatur votum; ſed etiam cum mulier coniugata emiſerit votũ, etiamſi nondum vir cognouerit ipſa obligata eſt quantum ad ſeipſam.

An ſi vidua deſponſetur, & habeat votum confirmatum per virum mortuum, & obſeruatum poſſit irritari per ſecundum ſponſum.

QVÆSTIO XXXVII.

QVæretur vlterius, quid ſi fœmina vouet cum eſſet coniugata aliquid facere, vt quotidie orare certo tempore, vel quolibet anno ieiunare certis diebus, & confirmato voto per conſenſum viri obſeruatum eſt aliquanto tempore, & poſtea mortuo viro etiam obſeruatum eſt, nunquid ſi iſta fœmina contrahat cum alio viro, poterit ſecundus vir irritare votum illius. Reſpondendum eſt, quod poterit, ſicut dicebatur de puella, quæ in poteſtate patris exiſtens vouit, & confirmatum eſt votum conſenſu patris: poſtea autem accepto ſponſo, ſi cognoſcat votum, poterit illud ſponſus irritare. Sicut ergo conſenſus patris non poterit præiudicare ſponſo in confirmando votum filiæ, ita nec conſenſus vnius viri poteſt præiudicare alteri viro in confirmando votum vxoris, ſed ſolum præiudicat quilibet ſibi per conſenſum ſuum: alioquin eſſet deterioris conditionis ſecundus vir, quam primus. Etiam ſequeretur inconueniens, ſcilicet quod præiudicaretur illi ſine cauſa ſubtracta vxore de poteſtate illius, ſed non ſtat. Ideo dicendum, quod etiamſi mulier habuiſſet tres, vel quatuor viros, & tempore omnium horum obſeruaſſet aliquod votum confirmatum conſenſu ipſorum, alius vir ſuperueniens poterit irritare votum, quia fœmina efficiebatur de poteſtate cuiuslibet eorum. Et ſicut nouiter incœpit eſſe fœmina de poteſtate viri, quando contrahit ita vota, quæ prius emiſerat, incipiebant eſſe tanquam noua reſpectu viri habentis ſuper eam plenariam poteſtatem. Et cum ſic fuerit votum irritatum, non tenebitur ipſa ad obſeruationem, ſed propitiabitur ei Deus, vt dicitur in litera de puella deſponſata, cuius votum irritat ſponſus: ideo ſi conaretur vlterius obſeruare votum contra interdictum viri, peccabat, quia præiudicabat ei.

E

F

Si quis antequam contraheret cum aliqua puella, vel vidua ſciret eam vouiſſe, an poſſet irritare votum, vel quomodo poſſet.

QVÆSTIO XXXVIII.

QVæretur amplius, quid ſi aliquis antequam contraheret cum aliqua puella, vel vidua cognoſceret eam vouiſſe aliquid: an poſſet contrahere cum ea irritando votum, vel quomodo irritari deberet. In quo ſciendum, quod iſte caſus differt ab omnibus, qui ponũtur in litera, quia iſti ſunt quando ſponſus poſt acceptam ſponſam, vel vir poſt acceptam vxorem cognouit votum emiſſum eſſe. hic autem cognoſcitur ante contractum matrimonij, vel ante facta ſponſalia. Eſt autem difficultas, quia vir vel ſponſus debent irritare vota emiſſa ab vxoribus immediate, vt ſciuerint: hic autem primo cognoſcunt quam ſint viri, vel ſponſi.

Reſpondendum eſt, quod aut iſta quæ vouerat, & contrahebat matrimonium, erat puella nunquam tradita viro, aũt erat vidua. Si primo modo, aut erat votum de obſeruanda continentia, vel aliquod alterum. Si primo modo peccabat puella ſi contraheret, ſiue pater ſciret votum, ſiue non:

A & tamen tenebat matrimonium, quia vota puellarum nõ solennizabantur tunc: imo nulla vnquã puella in Iudaismo vouit virginitatem ante Dominam nostram: si tamen aliqua vouere voluisset, esset votum simplex, & tunc non dirimeretur matrimonium postquam contractum esset. Si autem esset aliud votum, aut pater sciebat votum puellæ, aut non: si primo modo, erat confirmatum consensu patris: si secundo modo, poterat irritare: ideo in isto secundo modo erat facile, quia ille, qui contrahere vellet cum puella, notificaret votum patri eius, & tunc pater irritaret, siue esset votum perpetuæ continentiæ, siue aliud; & maneret puella absoluta à voto, quando contraheret: si autem pater sciuerat non poterat infringere, sed erat infringendum per sponsum si vellet: non tamen poterat infringere immediate cum sciebat, quia nondum erat puella in potestate eius per contractum matrimonii: sed modus erat, vt acciperet eam in vxorem, & immediate post contractum irritaret votum illius. nam si expectaret saltem per vnum diem, non posset postea irritare, sed in hoc est diuersitas ab aliis casibus, quia in illis immediate post votum cognitum vir poterat irritare illud, & debebat si forte vellet irritare: nam postea non poterat si elaberetur dies: hic autem non poterat immediate postquam sciret votum emissum retractare illud, quia non erat puella in potestate ipsius, sed postquam esset, retractare. *Obiect.* Sed tunc obiicietur, quod non posset, quia dicitur in litera, quod statim vt sponsus cognosceret votũ sponsæ, vel vir votum vxoris poterat repugnare, si autem transiret vna dies, non poterat, sed hic forte transissent multi dies, quia cognouerat sponsus istud votum antequam contraheretur matrimonium; ideo non posset etiam in die desponsationis retractare votum sponsæ. Nisi forte daretur quod in illa die, in qua matrimonium contractum est, primo cognouisset sponsus de voto sponsæ, & tunc repugnaret. *Solut.* Respondendum est, quod etiamsi per multos dies ante desponsationem cognouisset votum, poterat irritare illud in die desponsationis, quia intelligitur istud de scientia à tempore quo puella est in potestate viri, siue matrimonio consummato, siue non: nam scientia, quę erat ante hoc nihil proficiebat, cum in toto tempore illo non haberet vir potestatem super fœminam, quia non erat contractum aliquod vinculum, & sic non currebat contra eum tempus: sicut si aliquis nullo modo potest interrumpere, non currit contra eum tempus præscriptionis. Si autem esset ista mulier vidua, vel repudiata, non oportet poni distinctionem primam, quæ supra ponebatur. sc. an pater cognouerat votum eius, vel non, quia quomodocunque ista mulier vouisset tenebat votum, scilicet, siue vouisset tempore viduitatis, vel ante, quia si primo modo votum erat ratum, vt dicitur hic, & non poterat pater vel aliquis alius irritare illud, dum ipsa maneret in viduitate, quia erat penitus sui iuris. si autem votum fuisset prius emissum, siue cum erat in potestate patris, siue in potestate viri, erat iam votum confirmatum. nam siue illi sciuissent & approbauissent, confirmabatur siue nesciuissent, erat confirmatum nunc quando veniebat ipsa ad viduitatem, cum erat sui iuris, ideo si votum infringi debebat, oportebat quod infringeretur per virum. Et tunc dicendum, quod aut erat votum de continentia, aut nõ: si de continentia, aut erat solennizatum, aut non: si solennizatum, non poterat contrahere: & si contraheret, non teneret: si non solennizatum non debebat contrahere: si tamen contraheret, tenet: sed vterque peccabat in contrahendo: fœmina quidem, quia votum infringebat: vir autem, quia ad infringendum eam inducebat volendo cõtrahere cum illa, quæ non posset contrahere, nisi violando votum. Si autem esset aliquod alterum votum non poterat vir antequam contraheret, dissoluere illud, quia nullum ius habebat super eam. In ea tamen die, in qua cõtraheret, posset dissoluere illud, sicut dicebatur supra de puella.

Si sponsa vouerit, & votum per sponsum irritatum fuerit, & moriatur ipse antequam contrahat, an teneatur ad votum.

Qvæstio XXXIX.

B Qværetur Amplius, quid si mulier viuente marito aliqd vouit, & vir sciens irritauit illud, vel sponsa vouit aliqd, & sponsus sciens dissoluit, & moriatur sponsus ante consummatum matrimonium, an ista mulier vidua, vel puella, mortuo sponso, teneatur obseruare votum.

Respondendum est, quod non tenetur, quia licet tũc haberet tempus complendi votum, quia est effecta sui iuris: tamẽ obligatio non manet, eo quod illa obligatio, quæ semel penitus extincta est, nũquam reuiuiscit, sed per dissensum viri, vel sponsi fuit votum penitus irritatum in sponsa, vel vxore: ideo postea non obligatur. Erat tamen valde conueniẽs, quod obseruarent illud maxime si ipsa præstitit occasionem, vt vir vel sponsus sciret votum emissum, & dissolueretur, quia tũc quãquam non maneat directe obligatio, tamen propter culpam, in quam incidit non habet alterum melius remedium, quam vt votum obseruet, quod culpa sua dissolutum est.

Si puella desponsata vouerit, & sponsus consenserit: ipso mortuo an pater possit infringere votum.

Qvæstio XL.

Qværet aliquis de puella desponsata, quæ viuente sponso aliquid vouit, & nesciente sponso obseruabat votũ, an postea cum steterit in domo paterna mortuo sponso, pater possit irritare votum.

Respondendum est, quod istud dubium consistit in hoc, scil. an puella despõsata mortuo viro maneat in potestate paterna, vel efficiatur sui iuris: si enim redeat in potestatem paternam manifestum est, quod votum poterit infringi per patrem, quia sicut cum puella existens in potestate patris vouebat aliquid, & postea ducta ipsa in matrimonium potest vir, vel sponsus infringere votum; ita cum puella redeat nunc ad potestatem paternam, poterit pater infringere. si autem dicatur, quod per desponsationem emanciparetur puella à patria potestate, ita quod nũquã postea sit subdita illi; dicetur quod pater non poterit infringere votum: vnde in viduis hoc manifestum est, quod quamquam postea redeant ad domum paternam non poterunt patres dissoluere vota earum, quia nõ efficiuntur de iure patris. Nam per hoc, quod traductæ sunt à viris, exierunt potestatem paternam: per solam autem desponsationem fœmina non traducitur, quia hoc est, quando vir vult consummare matrimonium, vel ducere sponsam ad domum suam ad cohabitationem. Per desponsationem autem puella non exit penitus potestatem paternam: ideo si antequam traducatur à viro moriatur sponsus, redit puella in potestatem patris, & tenebitur eadem lex, quę est in votis puellarum non desponsatarum. s. quod pater poterit infringere votum earum. Sed attendendum est, quod immediate postquam redierit puella in potestatem paternam mortuo sponso retractaret votum si illud ante cognoscebat, vel saltem immediate. vt ad eius cognitionem peruenerit: si enim permiserit diem transire post cognitionem, non poterit postea retractare.

An omnia vota viduarum, & repudiatarum valeant.

Qvæstio XLI.

Qværetur amplius an generale esset in omnibus viduis, & repudiatis, quod vota earum valeant: videtur nanq; ꝙ aliquæ viduæ sint, in quib. non teneat votum si pater illud irritauerit, eo quod videtur redire in patriam potestatẽ, sicut est de filiab. sacerdotum, quando copulantur in matrimoniũ sacerdotib. vel si copulantur viris popularibus, & tamẽ redeunt postea sine liberis. Nam Leu. c. 22. dicitur quod filia sacerdotis, si fuerit copulata in matrimonium alicui de populo, & defuncto illo redierit ad patrẽ sine liberis, vel repudiata fuerit, poterit comedere de sanctificatis, sicut qñ erat puella in domo patris, & simile imo fortius est si contraxerit cum aliquo de sacerdotibus siue habeat filios, cum fuerit vidua, siue non. Si autem coniuncta fuerit alicui de populo, & mortuo viro redeat ad domum patris habens liberos, non poterit comedere de sanctificatis. In quo innuitur, quod in casib. præcedentibus ista vidua est, sicut puella in domo patris, sed si esset puella, sc. ante desponsationem vota eius infringentur per dissensum eius.

A Resp. Dicendum est, quod quomodocunque redeat filia domũ patris cum vidua est, non possunt vota illius infringi dissensu patris, siue sint vota, quæ tunc emittat, siue illa viuente viro emiserit, vel antequam vir acciperet, quia non est in potestate patris, sed est sui iuris. & cum arguitur de puella viduata filia sacerdotis redeunte in domum patris, quod in aliquo casu sit tanquam puella, & possit comedere de sanctificatis: dicendũ, quod non concluditur ex illo quod puella redeat in potestatem paternam: nam postquam puella redit in domum patris mortuo viro, nihil magis est in potestate illius si non habeat liberos quam si habeat: & tamen si habeat liberos ex viro, qui non sit sacerdos, non potest comedere de sanctificatis, & si non habeat liberos potest comedere. Quod autem habere liberos, vel non habere non abstrahat filiam à potestate patris, apparet, quia si puella in domo patris fornicetur, & gignat liberos non est propter hoc emancipata: & tamen filios habet. Dicendum igitur, quod posse comedere de sanctificatis, vel non, non est propter hoc, quod aliquis sit in potestate patris, vel non: sed ex hoc, quod pertineat ad familiam, vel progeniem illius: cibi enim sanctificati pertinent ad sacerdotes, & ad eos, qui computantur in progenie illorum. Filia autem sacerdotis aliquando pertinebat ad progeniem sacerdotum, aliquando non. Erat enim generale, quod fœminæ in veteri testamento, cum erant in domo paterna computabantur de stirpe patris: cum autem essent traditæ viris computabantur de stirpe virorum: si vero fierent viduæ, & haberent filios computabantur de stirpe virorum propter filios: si autem non haberent filios computabantur de stirpe patrum, quia nihil relictum fuerat de viris, propter quod ad stirpem eorum pertinerent. Si autem filia alicuius sacerdotis nuberet alicui sacerdoti, siue mortuo viro, siue viuente semper pertinebat ad familiam sacerdotum. Nam viuente viro pertinebat ad familiam eius, & ipse erat sacerdos; mortuo autem illo, si cum filiis maneret pertinebat ad familiam viri, quia erat sacerdos; si vero sine liberis maneret pertinebat ad familiam patris, quia etiam erat sacerdos, sed propter esse de familia sacerdotum competebat ei comedere de cibis sanctificatis: ergo non propter redire in potestatem patris, quia nihil magis redibat sic, quam sic. Et sic generale est in omnibus viduis quod paternõ possit infringere vota earum, quando sunt in domo patrum, quia iam sunt sui iuris.

B

An si aliqua vidua antequam contraheret vouisset aliquid & latuerit votum reuersa in domum patris posset ab eo irritari votum.

QVÆSTIO XLII.

C

QVæret Aliquis de aliqua vidua, quæ antequam matrimonium cõtraheret vouerat aliquid, & postea tempore viri latuit votum illud, & non fuit confirmatum, sed ipsa postea obseruauit, an rediens ad domum patris possit infringere votum ex dissensu patris. Ratio dubitandi videtur ex hoc, quia ista vidua emisit votum, quando erat puella in potestate patris, & tunc pater poterat retractare votum si cognouisset, sed latuit eum. Etiam istud votum latuit virum, & non confirmatum est consensu patris, & viri: ideo redeundo in domum paternam videtur, quod possit infringere illud pater, sicut si esset puella adhuc in statu illo, in quo vouerat, scilicet, antequam traderetur viro. Respondendum est, quod non potest pater istud votum dissoluere, & hoc quia non pertinet puella ad potestatem eius: nam quamquam istud votum nunquam fuerit confirmatum in præiudicium patris cum manebat puella in potestate eius, quia latuit patrem, nec fuit confirmatum in præiudicium viri, quia nunquam sciuit illud esse emissum: tamen immediate, vt ista fœmina est vidua votum fuit validum, quia ipsa incœpit esse sui iuris; & dato, quod non validaretur votum, pater non posset infringere votum eius, quia solum potest infringere quis votum illius, qui est in sua potestate, sed vidua non est in potestate patris, ergo manet votum eius ratum inuito patre, quamquam à principio, patre nolente, non tenuisset.

Vxor in domo viri cum se voto constrinxerit, & iuramento, si audierit vir & tacuerit, nec contradixerit sponsioni, reddet quodcunque promiserat. Sin autem ex tempo contradixerit, non tenebitur promissionis rea, quia maritus contradixit, & Dominus ei propitius erit. Si vouerit & iuramento se constrinxerit, vt per ieiunium, vel cæterarum rerum abstinentiam affligat animam suam, in arbitrio viri erit, siue faciat, siue non faciat. Quod si audiens vir tacuerit, & in alteram diem distulerit sententiam, quidquid vouerat atq; promiserat, reddet: quia statim, vt audiuit tacuit. Sin autem cõtradixerit postquam rem sciuit, portabit ipse iniquitatem eius. Istæ sunt leges, quas constituit Dominus Moysi inter virum & vxorem, inter patrem & filiam, quæ in puellari adhuc ætate est, vel quæ manet in parentis domo.

D

Vxor in domo viri. Hic ponitur quintum huius cap. s. de mulieribus maritatis. s. quando valeat votum earum, vel quando non. Et secundum istum modum, quem communiter tenent expositores differt votum desponsatarum à voto coniugatarum, & hoc, quia coniugatæ pertinent solum ad ius viri; desponsatæ aũt aliqualiter pertinent ad ius patris, magis autem ad ius sponsorum. Sed secundum expositionem Hebræorũ. s. quod tam hic quam in superiorib. intelligatur de coniugatis, non ponuntur differre desponsatæ à puellis, quæ sunt in potestate patris. *In domo viri.* Id est, existens in domo viri. s. quod quamquam desponsata sit vxor, quia tamen non est in domo viri, non pertinet totaliter ad ius viri. *Cum se voto constrinxerit, & iuramento.* Non est intelligendum, quod votum nunquam fiat sine iuramento, sed ponitur hoc ad significandum maius vinculum, scilic. quod si vir potest infringere per dissensum suum votum factum cum iuramẽto, à fortiori poterit infringere votum factum sine iuramento, cum sit minoris vinculi. *Si audierit vir.* Non solum intelligitur, si audierit, sed etiam quomodocunq; perueniat ad eius cognitionem votum fœminæ si non repugnauerit, tenebit votum. *Et tacuerit.* Scilicet per taciturnitatem firmatur votum, quia habetur hic taciturnitas pro consensu interpretatiuo. Et dato, quod non censeatur consentire, quia tamen non repugnat; vbi agitur de præiudicio illius, valet quod sit. *Nec contradixerit sponsioni.* Id est, non contradixit voto omne enim votum est promissio, & tenetur illi vir contradicere ad hoc, quod vxor non obligetur. *Reddet quodcunque promiserat.* Id est, obligabitur reddere quod promisit, & in præiudicium viri, vt si aliquid vouit ad cultum Dei per quod aliqualiter distrahitur ab obsequio viri tenebit votum. *Sin autem extemplo contradixerit non tenebitur promissionis rea.* Id est, si vir audiens repugnat immediate dissoluitur votum vxoris. Et dicitur; extemplo, id est, immediate non accipiendo stricte, quia non tenetur immediate repugnare. s. non diuertendo ad alios actus postquam audierit, sed totum diem habet ad repugnandum, vt patet infra. *Quia maritus contradixit.* Ista est causa quare vxor absoluitur à voto, scilic. quia vir repugnat. est enim fœmina in potestate viri, ideo non potest quidquam vouere in præiudicium eius: si autem aliquid tale vouerit, non tenet votum cum repugnat vir. In quibusdam autem simile est in viro ad fœminam. scil. quod si aliquid vouerit vir, non tenebit nisi fœmina consentiat, sicut si velit vouere castitatem, nec solum hoc si velit vouere in perpetuũ, sed etiamsi voueat per aliquos dies abstinere, nam tunc fœmina poterit irritare votum illius, quia quando petierit debitum, tenebitur vir, nisi forte fœmina consentiret expresse, vel tacite renuncians iuri suo quantum ad aliquod tempus, in quo possit petere debitum. *Dominus propitius ei erit.* Id est, si fœmina promiserit, & vir retractauerit, fœmina non debet complere votum: tamen non peccat, ex hoc, imo magis peccaret, si forte contra voluntatem viri conaretur obseruare votum, quia sic auferebat ei ius suum. Deus autem propitiabitur fœminæ, scilicet, non imputans ei hoc ad peccatum, quia violatio ista non prouenit culpa eius.

s. regula de votis faciũ per mulieres maritatas.

E

F

An pater peccet infringendo votum filiæ, & sic sponsus sponsæ, vel maritus vxoris.

QVÆSTIO XLIII.

QVæret aliquis si vir contradicit voto fœminæ, vel pater voto filiæ, aut sponsus voto sponsæ, an peccet contradicendo. Et videtur quod non, quia quod de vno dicitur, de alio negare videtur, vt patet extra De præsump. in capitu. nonne. sed infra dicitur quod si vir postquam scit votum vxoris, & transit tempus, contradicit: portat ipse iniquitatem suam: ergo videtur, quod si nondum transisset tempus & repugnaret quod non peccabat. Dicendum est, quod non est peccatum patri sponso, vel viro reuocare vota sponsæ vxoris, vel filiæ, quia lex concedit hoc, si tamen peccatum esset, pararetur laqueus. scil. quod peccaret aliquis faciendo per legem: id tamẽ quod iure fit, iuste fit, & lex reddit actum licitum, qui per eam, quia alias lex iniqua esset, nec differret facere aliquid p legem, vel contra legem, quia sicut si vir reuocaret vota vxoris lege prohibente reuocationem, esset peccatum, ita lege concedente, peccatum esset, & tunc superflua esset lex, quæ opus licitum non faciebat. Vnde dicendum, quod omnia, quæ lege permittuntur, quamquam non videantur secundum se esse iusta, quia tamen lex ista permittit, non est iniustum sic operari. Sic fuit declaratum de vsuris Deuteron. cap. 24. nam vsuræ secundum se sunt prohibitæ nunc, & videntur esse malæ, quia tamen lex permittebat eas in veteri testamẽto, non erat peccatum Iudæis dare ad vsuras. Idem autem de libello repudii erat, qui nunc illicitus est, vt patet Matth. cap. 19. permittebatur autem in lege veteri; Deuter. cap. 24. ideo Iudæi repudiantes vxores non peccabant. Considerandum tamen circa hoc, quod agendo per legem, nemo peccat. Interdum tamen peccatum esse potest ex intentione agentis, vel ex modo, sicut qui punit furem per legem, bonum agit, si tamen solo animo vindictæ agat, peccatum est: ita etiam si quis priuilegium habeat vtendo illo non peccat, quia vtitur iure suo: peccat tamen abutendo eo, ita est hic de viris, patribus, & sponsis respectu vxorum filiarum, & sponsarum, quia lex tradidit eis hoc quasi priuilegium, scilicet, quod possent reuocare vota ipsarum: si tamen isti abutantur iure sibi tradito peccant. Abusio autem consistit in hoc, quod præter intẽtionem legis vtantur isti priuilegio suo. Lex enim concedens istud ius viris sponsis, & patribus, fecit, vt ipsi non grauarentur per vota vxorum, filiarum, & sponsarum. Cum ergo ipsi sine grauamine aliquo reuocant vota, excedunt metas priuilegii, ideo non est dubium eos peccare. Ideo considerandum, quod isti ponuntur tanquam iudices votorum filiarum vxorum, & sponsarum: si autem reperierint vota esse indiscrete emissa habent ius reuocandi illa: si autem vota discreta sint, aut læditur inde aliquid vir, pater, vel sponsus, vel non. Si primo modo vtpote, quia vxor, vel sponsa, aut filia vouens subtrahit se aliqualiter ab obsequio, quod impendi deberet viro sponso, & patri, vel quamquam non tollatur aliquod ius istorum directe: tamen istæ efficiuntur ineptæ ad statum matrimonii per impletionem votorum: & tunc quia istorum interest, quod vxores filiæ, & sponsæ sint conuenientes ad statum matrimonii, poterunt reuocare vota, per quæ aliqualiter læditur matrimonium, sicut si per ieiunium, vel abstinentiam aliquarum rerum, quamquam fœmina non subtrahatur aliqualiter ab obsequio viri: si tamen sit inepta ad concipiendum, vel nutriendum vir poterit rationabiliter reuocare votum: si tamen contingat votum esse, in quo nec vir lædatur, pater aut sponsus subtrahendo aliquid obsequii: nec prę-iudicetur directe matrimonio, aut statui eius quantum ad aliquid, vt in orando aliquibus temporibus non in locis determinatis, sed quibuscunque, quamquam per legem possint reuocare vir, sponsus, & pater vota ista: tamen illicite agunt, quia distrahunt à cultu Dei vxores, filias, & sponsas, & hoc sine causa, quod non est paruum delictum. *Si vouerit, & iuramento se constrinxerit.* Hic ponitur exemplum de quibusdam votis: non est enim legenda ista litera tanquam tradatur hic aliqua regula præter superiores, sed est exemplum superiorum, scil. de voto vxoris, nam id quod cõmuniter vouere solent vxores, vel omnes fœminæ est ieiunium aut abstinentia ab aliis rebus, vel peregrinatio & similia: & de his subiicitur, quod in potestate viri erit, an votum teneat, vel non. Quod etiam intelligitur de filiabus respectu patrum, & de puellis desponsatis respectu sponsorum. Et dicitur si vouerit, & iuramento se constrinxerit, ad signandum maiorem obligationẽ voti. Nam votum, siue simpliciter, siue cum iuramento emittatur, tenet dum alias non sit inualidum. Nec magis facit ad hoc, quod votum teneat, emitti cum iuramento, quam sine, quia si aliquid voueatur quod sine iuramento non tenet: idẽ etiam per iuramentum promissum non tenebit. Facit tamen iuramentum ad maiorem, vel minorem obligationem, quia si votum alias tenere potest magis obligabit, quando fuerit cum iuramento, quam sine. Ponitur autem hoc ad magis exprimendum. s. quod si vir, pater, & sponsus possunt retractare vota vxoris filiæ, & sponsæ, à fortiori poterunt irritare vota non iurata. *Vt per ieiunium, vel certarum rerum abstinentiam affligat animam suam.* Per ieiunium affligitur anima. i. homo, qui vocatur anima, vt patet Gen. 47. & Exod. cap. 1. Vel accipitur anima pro corpore animato, quod per subtractionẽ cibi affligitur, cum corpus per cibum nutriatur, augeatur, & cõseruetur. Dicitur etiã per abstinentiam cæterarum rerum, quia præter ieiunium potest aliquis affligere se abstinendo, vt si quis vouеat non bibere vinum per mensem, vel non comedere carnes in tali, vel tali die, aut non dormire in lecto: & sic de cæteris, q̃ ieiunia non sunt, sed affligunt corpus. Ad hoc etiam reducitur votum de obseruanda castitate perpetua, vel temporaliter, quia affligitur in quibusdam per obseruationẽ illius. Dicitur autem de istis, quia ista sunt in potestate vxoris, filiæ, & sponsæ, dum tamen non repugnauerint vir pater, & sponsus, & hoc, quia ista obseruantes in se agunt. Alia autem sunt, in quibus materia voti pertinet ad patrem, & virum, vt dare eleemosynam. Si autem ista vota tenerent soluenda essent de pecuniis patris, & viri, ideo in istis alia ratio est: nullũ enim ius vouendi habet filia, & vxor, & dato quod vouerent, & pater non repugnaret, aut vir, non confirmaretur votum, sicut in aliis: sed oportebat esse expressum consensum patris, & viri ad hoc, quod votum vxoris, & filiæ de faciendo eleemosynam teneat, & tunc incipit tenere votum, cum isti confirmant, prius autem nequaquam, vt supra declaratum fuit de voto filiarum. *In arbitrio viri erit, vt faciat, siue non faciat.* Id est, vir poterit irritare, vel confirmare votum vxoris. Confirmatio autem voti, quam vir facit non est simpliciter confirmatio, quia sine confirmatione illa tenebat votum in præiudiciũ vouentis: tamen nondum tenebat in præiudicium viri. Confirmatio autem sua efficit, vt ipse postea reuocare non valeat. Repugnantia autem viri est maioris efficaciæ, quia non solum tollit votum, ne valeat in præiudicium ipsius, sed etiam ne valeat in præiudicium vxoris. Quod autem dicitur hic de voto vxoris intelligendum est de voto filiæ, & sponsæ, quia pater non potest irritare votum filiæ de ieiunando, vel alias se affligendo. Item poterit sponsus retractare vota sponsæ; eadem enim ratio in omnibus est, & eædem regulæ ponuntur supra.

Quod si audiens vir tacuerit. Hic ponitur casus, in quo confirmatur votum vxoris, scil. per taciturnitatem viri viro audiente, & non repugnante, quia per hoc præsumitur consentire, vel dato, quod non consentiat, si tamen non reclamat, vel nõ repugnat cum agatur de præiudicio eius, tenet votum. *Et in alteram diem distulerit sententiam.* In fauorem voti dabatur, q̃ non posset reuocari nisi in ea die, qua primo cognosceretur: si autem prima die vir consentiret, vel non dissentiret, & postea videretur ei dissentiendum, non poterat reuocare, vel si deliberaret de hoc vsq; ad sequentem diem, vt approbaret, vel reprobaret votum, non poterat reprobare.

Quidquid vouerat, atq; promiserat, reddet. Id est, tenebitur vxor in præiudicium viri complere votum. *Quia statim, vt audiuit tacuit.* Redditur causa huius, scil. quia si vir vellet reuocare votum vxoris, debebat immediate, vt audiuit reuocare, scilicet, in eadem die: si autem postea reuocare volebat, non tenebat reuocatio.

Si autem contradixerit postquam rem sciuerit. Ponitur casus, in quo vir peccat contradicendo voto vxoris, scilicet, si contradicat post diem lapsum, qui sibi datur ad contradicendum: nam tunc si contradicat, & impediat fœminam obseruare votum suum, quia fœmina impotentior est nõ poterit obseruare-

Quãdo vir peccat contra dicẽdo voto vxoris.

Quãdo agendo per legẽ põt esse peccatũ

A re votum: tamen peccatum est tũc in viro, qui reuocat, & impedit vota vxoris cum agat contra legem, & dicitur si cõtradixerit postquam rem sciuerit. Quod aliqui intelligunt, si cõtradicat quomodocunq;, quod peccatum est in viro. Sed falsum est, quia tunc lex daret occasionem peccandi, & facere secundum legem esset iniustum, quod falsum est. Etiam non est iste sensus literæ, quia ad hoc non oportebat dici: Si contradixerit postquam rem sciuerit. sed solum: Si contradixerit. Nam contradictio nunquam poterat esse nisi postquam perueniret ad eum, votum esse emissum; sed sensus est, quod si contradicit postquam rem sciuit. i. si non contradixit immediate postquam sciuit rem, sed expectauit vltra diem à scientia voti, ideo iã non potest contradicere, quia tamen vxor timet virum, & inuito eo non est sibi tutum obseruare votum, si relinquat illud, peccatum est in viro, & non in vxore. *Portabit ipse iniquitatem eius.* Id est, vir portabit iniquitatem fœminæ, quasi dicat, propter non obseruari votum est iniquitas aliqua: tamen ista non est in fœmina, sed in viro, qui reuocauit. Alio modo potest intelligi hoc quando vir in tempore, in quo reuocare potest votum reuocat: & tamen iniuste illud reuocat, vt si non erat votum in præiudicium eius, vel status matrimonialis. Tunc enim peccat vir licet habeat potestatẽ reuocandi, quia abutitur ea: & dicitur hic iniquitas eius, id est, fœminæ, quia directe pertinet ad fœminam cum ipsa infringat votum: tamen vir portat iniquitatem, eo quod ipse cogit eam non obseruare votum. *Ipsæ sunt leges, quas constituit Dominus Moysi.* Ista est recapitulario superiorũ, & dicitur, quod Deus constituit leges istas Moysi, id est, dedit eas illi, vt proponeret populo.

B *Inter virum, & vxorem, inter patrem, & filiam.* Id est, quando teneant vota vxoris, & quando vir possit ea reuocare: quando etiam teneant vota filiæ in præiudicium patris: non tamen solum dicitur hic de istis, sed etiã de votis virorum, & de votis viduarum, & repudiatarum, quia tamen principaliter dictum est de votis istarum, quæ aliquando retractantur, & aliquando non dictũ est de his. *Quæ in puellari adhuc ætate est.* Dicitur filia esse in ætate puellari, qñ nõdum tradita est viro, nec desponsata, quia tunc est totaliter sub potestate patris, quamquam sit ætatis prouectæ. *Vel manet in parentis domo.* Hoc intelligitur de puella desponsata, quæ quamquam puella sit, nõ dicitur esse in statu puellari, quia iã est alligata viro, & de voto huius etiam dictum est: nam vota eius retractat sponsus, & pater, vt aliqui volunt.

Quid sit votum noui testamenti tam secundum Theologos, quam Iuristas. Et quæ conditiones requirantur ad votum. Et de votis legis Christi.

QVÆSTIO XLIV.

C CVm supra, litera ista fuerit exposita de votis secundum statum veteris testamenti, nunc applicanda erit aliqualiter ad modum obligationis votorum in nouo testamento: non enim est idem modus obligandi, vt supra declaratum est. *Quid sit votum* Pro quo inquirenda sunt aliqua, & primo, quid sit votum. Aliqui dicunt, quod votum est conceptio boni propositi cum deliberatione firmata, qua aliquis ad aliquid faciendum, vel non faciendum se Deo obligat, & isti dicunt votum consistere in sola conceptione interiori, scil. in solo proposito volũtatis, quia omnia, quæ ponuntur in hac diffinitione reperiri possunt in voluntate. Item patet hoc ex nomine voti, quia votum à voluntate dicitur: sicut dicimus alicui esse prosperos successus ad vota, id est, habere bonam fortunam in omnib. secundum voluntatem suam: ergo votum nihil est nisi volitio. & dicunt ad votum non pertinere promissionem, quia promissio est actus rationis: volitio autem est actus voluntatis, vel propositum.

Item videtur ex eo quod dicitur Luc.c.9. s. Nemo mittens manum ad aratrum & aspiciens retro aptus est regno Dei, sed aliquis ex hoc ipso, quod habet propositũ benefaciendi mittit manum ad aratrum: ergo si aspiciat retro desistens à bono proposito non est aptus regno Dei, sed hoc non esset nisi forte proponere esset votum, quia alias non esset obligatio ex solo proposito faciendi bonum: ergo in solo proposito consistit votum. Sed dicendum non stare istam diffinitionem, quia substantiale in voto est promissio, sed hic non ponitur promissio, sed solum conceptio, vel propositio boni operis. Hoc patet Eccles. ca. 5. si quid vouisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis, & stulta promissio: ergo votum promissio est. sed propositio deficit à promissione, quia vbicunq; est promissio præsupponitur propositum, nisi sit promissio fallax, scil. quod aliquis promittit facere, quod non intendit facere.

D Ad colligendum autem particulas diffinitionis voti: considerandum est, quod votum causat in nobis obligationem ad aliquid faciendum, vel non faciendum. In hominib. autem obligatio est per modum promissionis, quæ est rationis actꝰ, ad quam pertinet ordinare: cum enim nos simus rationales omnis operatio nostra ad alios per rationem dirigenda est. Habet autem se aliquis ad maiorem, vel ad æqualem promittendo, & habet se ad minores imperando: vtroque modo ordinatur actus noster, quia sicut imperando, & deprecando quid alii pro nobis facere debeant ordinamus, ita promittẽdo ordinamus quid nos pro aliis facere debemus. Sed promissio in hoc differt, quia illa, quæ fit homini ab homine non potest fieri nisi per verba, vel aliqua signa exteriora designantia affectum nostrum, quia interiora nõ sunt nobis per se cognita, sed sunt ea, quæ sunt in voce earum, quæ in anima, passionum notæ, vt patet 1. Perihermenias. Deo autem fieri potest promissio per solam interiorem cogitationem, quia Deus nihil minus cognoscit interiora, quam exteriora: omnia enim nuda sunt, & aperta oculis eius. Ad Hebræ. c. 4. Ista differentia patet 1. Regum capitu. 16. s. homines vident ea, quæ patent. Deus autem intuetur cor. Et quantum ad hoc non erat necessarium exprimi promissionem per verba in voto, & q̃cunque ad Deum haberemus, sufficiebat solo interiori affectu tractari. Interdum tamen verba exprimuntur, sicut ad excitationem eius, qui loquitur, sicut fit in oratione: nam licet Deus intelligeret quid petamus sine verbo: Ecclesia tamen semper in verbo orat, & nos orare admonet, quia verba nostra excitant nosipsos: magnus enim est effectus verborum in prouocatione ad passiones, quod apparet ex persuasione rhetorica. Interdum enim si aliquid proponatur rusticano verbo, licet res, de qua agitur, satis animos concitare posset: rusticanus tamen verborum stilus passionalem promotionẽ non promeretur. Interdum vero cum aliquid verborum grauitate, & ornatu quo decet proponitur: licet secundum se nimis non commoueret, verborum virtus efficit, quod res ipsa efficere non valeret: vnde experimur interdum in nobis, ꝙ quamquam concepimus aliquam amaritudinem de inflicta nobis iniuria, vel de fortunæ aduersitate non cõmoueamur in lachrymas: si autem dolorem nostrum nobisipsis verbo explicare libuerit, vel literis, & stilo cõmendare hoc ipso in nobis magnum exaggerantes concitemus dolorem, ita vt in lachrymas corruamus: sic enim signat Boet. de consol. lib. 1. Metro. 1. dicens:

Promissio fa-cta a Deo et homini quo differũt Cap. 1.

E *Ecce mihi lacere dictant scribenda camœnæ.*
Et veris elegi fletibus ora rigant.

F Vbi vocat camœnas, id est, scientiam poeticam, & dictatoriam laceram. i. lacerantem eum. Et dicit elegos. i. versus elegiacos rigare vultum suũ lachrymis. i. incitare eum ad lachrymas, quod non fieret, nisi proponerentur ista in verbo mõ rhetorico: vnde in oratione quanto valuerimus obseruandũ, est, vt perba passionalia ꝓponamus, quia sic magis ad deuotionem concitabimur. De hoc dictum est Gen. ca. 32. Interdũ autem proponimus aliqua ad Deum in voce ad contestandum alios. sc. quod notificemus eis nos velle obligari Deo: & hoc pertinet ad votum, & ad similia, quæ aliquis agere debet ꝓpter Deum, & nimis proficit ista exterior promissio. s. vt nõ solum desistat hõ à fractione voti propter timorem Dei, sed etiam propter reuerentiam, & verecundiam hominum. Ista fuit causa potissima quare Ecclesia inuenit modum solennizandi vota, quia solennizatio fit publice, & cum multis cæremoniis: votum autem simplex fit non publice, quia quilibet potest illud facere solus: & hoc siue exprimendo verba, siue non. Quod autem solus homo agit non verecundatur retractare, quæ autem publice egerit infringere verebitur. Non est igitur de substantia voti expressio verbalis: est tamen cõmunis modus, & vtilis, quod promissio in verbo fiat. Ex hoc aũt colligi possunt ea, quæ necessaria sunt ad votum. Ponun-

Quare Eccl. inuenit modũ solẽnizãdi vota.

Quo in voto sũt tria necessa-

tur au-

A

tur autem tria neceſſaria,& duo de bene eſſe, quæ interdum veniunt,& interdum non. tria neceſſaria ſunt promiſſio, propoſitũ, deliberatio. Promiſſio erat neceſſaria, vt probatũ eſt, & tñ nõ põt eſſe ſine propoſito niſi ſit fallax, ideo neceſſe eſt, vt quandocunq; aliquis vouet quidpiam habeat intẽtionem illud complendi, quod pertinet ad propoſitum. Requirit aũt propoſitum deliberationem, quia nemo põt quid proponere, niſi illud deliberauerit, & ſecundum iſta tria ſubſtantialia poteſt diffiniri votũ, ſc. votum eſt promiſſio ex propoſito deliberato ad aliquid faciendum, vel non faciendum Deo.

ria. & duo accidẽtalia de quo vide ſupr. qu. 3.

Alia autem duo ſunt accidentalia in voto. ſc. verborum expreſſio, & proficit ad quandam confirmationem: ſic dicitur in Pſal. Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerũt labia mea, id eſt, quæ ore pronunciaui. Secundum accidentale eſt teſtificatio, ſcil. quod fiat votum coram aliis: & hoc eſt ad confirmationẽ, & quantum ad iſta accidentalia, diffinit Magiſter 4. Sent. diſt. 38. f. votum eſt teſtificatio quædam promiſſionis ſpontaneæ, quæ Deo, & de his, quæ Dei ſunt, fieri debet. Poteſt tamen reduci iſta diffinitio ad primam: ita quod accipiatur ibi teſtificatio: non prout eſt confirmatio voti proferendo coram aliis, ſed vt teſtificatio denotet quandam firmitatem interioris propoſiti, & promiſſionis. Sed diffinitio prima eſt conueniens.

Diffinitio voti ſecũdũ Theologos.

B

Aliter autem diffinit Hoſt. in ſumma, ſcilicet, votum eſt alicuius rei licitæ ad faciendum, vel non faciendum cum deliberatione animi Deo facta pollicitatio. Iſta diffinitio ſatis cõcordat primæ, & dicitur: Rei licitæ, quia in voto non debet promitti aliquod illicitum, & ſi promittatur reſcindendum eſt votum, iuxta illud: In malis promiſſis reſcinde fidem: in turpi voto, muta decretum, vt patet in decretis 22. quæſt. 4. c. in malis. Et dato, quod in talibus votis intercidat iuramentũ, non ſunt obſeruanda: magis enim in his reputarentur rei obſeruatores voti quam tranſgreſſores, vt patet in Authen. ſcenicas mulieres. Dicitur etiam ad faciendum, vel non faciendum, quia votum eſt promiſſio, ſed iſta nunquam eſt, niſi de faciendo, vel non faciendo: dicitur etiam cum deliberatione, quia votum eſt promiſſio, quæ non eſt ſine propoſito, & deliberatione. Vnde ſi aliquis aliquid voueat ex facilitate animi nihil accedendo ad id quod vouet non obligaretur, vt patet extra de voto, & voti redemptione in capitu. venientis. & extra de regularibus. capi. ad noſtram: Dicitur etiam pollicitatio facta, quia ſi aliquis eſſet in deliberatione, an aliquid voueret, & nondum deliberaſſet non obligabatur, vel ſi deliberaſſet, & nondum propoſuiſſet obſeruare, non obligatur, vel etiamſi propoſuiſſet, & nõdum promiſiſſet in corde, & hoc quia votum in promiſſione conſummatur: ideo exiſtentib. duobus primis, nondum erat obligatio, vt patet extra de voto, & voti redemptione in capit. literaturam. Si autem aliquis promiſiſſet, tenebatur.

Quod diffinitio prima ſit cõueniẽtior colligitur ex Scoto ibi. & S. Tho. 2. 2. q. 88. ar. 1

C

Sed obiicietur, quia 17. quæſtio 1. capitu. qui bona dicitur, quod illi, qui firmiter propoſuerunt, & deliberauerunt iam obligantur.

Reſpondendum eſt, quod ibi accipitur large propoſitum. ſ. pro promiſſione. & hoc aliqualiter innuitur, quia dicitur firmum propoſitum. Eſt autem propoſitum firmum, id eſt, firmatum, quando non licet recedere ab illo. Cum autem licuerit recedere nondum eſt firmatum, ſed à propoſito ſine promiſſione recedere licet cum non acquiratur aliquod ius alicui ex propoſito noſtro, quod patet, quia dato, quod aliqs iuret, quod firmiter proponit dare alteri centum, non eſt facta aliqua obligatio: ſi tamẽ promittat dare, obligabitur dare. Sic autem eſt ad Deum, quia ſi aliquis ſolum proponat, & deliberet aliquid facere non ſubiicit voluntatem ſuam alicui, ſed ſignificat id, quod intendit. Cũ aũt promittit iam ſe ſubiicit poteſtati alienæ, & tunc non licebit recedere, quia quæſitum eſt alteri ius.

Ad rationes primã opi.

Ad rationes autem probantes primam diffinitionem voti, ſcilicet, quod votum eſſet ſola deliberatio, & propoſitum, & quod pertineret ad voluntatem, reſpondetur. Ad primam cũ dicebatur, quod conceptio boni propoſiti ſit votum; & tamen iſta eſt in ſola voluntate. Dicendum quod non ſufficit ad rationem voti, quia votum importat quandam firmam obligationem, ſed conceptio boni propoſiti quamquam ex voluntate ſit, tamen non firmatur ex voluntate, ſed ex deliberatione contrahente promiſſione. Ad ſecundam cum dicebatur, quod votum à voluntate dicitur: ergo in ſolo propoſito eſt votum. Dicendum, quod votum habet originem à volũtate, ſed conſummatur in intellectu. Nam volũtas mouet rationem ad repromittẽdum aliquid circa ea, quæ eius volitioni ſubduntur. Et pro hoc votum à voluntate nomen accipit quaſi à primo mouẽte, ſed non recipit ab illa totum eſſe ſuũ. Ad tertiam cum dicebatur de mittente manum ad aratrum, & reſpiciente retro: dicendum, quod mittere manum ad aratrum, non eſt aliquid proponere ſolum, ſed aliquid facere. Nam, ſicut qui mittit manum ad aratrum, iam operatur, vel diſponit ſe ad operandum diſpoſitione immediata, ita ille, qui promittit iam operatur, quia incipit ſe exhibere promptum ad faciendum, licet nondum impleat, quod promittit, ſicut ille, qui ponit manum ad aratrum nondum arat, iam tamen apponit manum ad arandum, qui autem ſolum proponit nihil adhuc agit nec exhibet ſe paratum immediata diſpoſitione, ideo in propoſito ſolo non conſummatur votum, ſed in promiſſione.

D

An vtile, & expediens ſit hominibus aliquid facere per votum, vel omnia ſine voto. Et quæ vtilitates ſequuntur in vouendo.

QVÆSTIO XLV.

E

QVæret aliquis an vtile ſit, & expediens hominibus aliquid vouere. Arguetur, quod non, quia peccatum eſt plura facere quod poteſt fieri per pauciora 8. Topico. ſed omnia bona, quæ poſſumus facere per votum poſſum⁹ etiam ſine voto, ideo fruſtra eſt apponere obligationem, cum ſine illa res bene fieret. Item non expedit alicui homini, quod ſe priuet bono, quod ei Deus donauit, ſed libertas eſt vnum de maximis bonis, quod videtur tolli per votum, quia inducitur neceſſitas. ergo vouere non expedit. Item nullus debet ſe immiſcere periculis. ſed quicunq; vouet ſubmittit ſe periculo: ergo nullus debet vouere. Hoc patet, quia ante votum poterat id, quod vouetur prẽteriri ſine peccato: cum autem emittitur votum peccatum eſt non impleri. vnde Auguſtin. dicit in epiſtola ad Armentarium, & Paulinam: Quia iam vouiſti, iam te aſtrinxiſti, tibi facere non licet aliud: non talis eris, ſi non feceris, quod vouiſti, qualis manſiſſes, ſi nihil tale vouiſſes, minor enim tunc eſſes, non peior, modo autem tanto miſerior, quod abſit, ſi fidem Deo fregeris, quanto beatior ſi ſolueris, ergo vouere non expedit.

Primũ arguin. Cap. 4.

2. argũ.

3. argũ.

Item qui operatur virtuoſe, operatur cum delectatione, & liberrime, quia ſignum generati habitus eſt delectationẽ fieri in operibus, vt patet 2. Ethic. ſed qui operatur ex voto non agit delectabiliter, & liberrime, eo quod iam non agit ex inclinatione, ſed ex neceſſitate, ergo non expedit vouere.

4. arg. Cap. 3.

Item Apoſtolus dicit 1. ad Corint. cap. 4. Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti, ſed non legitur Chriſtum aliquid voluiſſe, nec Apoſtolus: ergo videtur, quod non expediat aliquid vouere.

F

5. argu.

Item Apoſtolus admonet ne agamus bonum ex triſtitia, & neceſſitate, ſed hilari mente, vt patet 2. ad Corint. capitu. 9. ſcilicet, vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo non ex triſtitia, aut ex neceſſitate: hilarem enim datorem diligit Deus: ſed qui agit ex voto, agit ex neceſſitate, ergo nihil eſt vouendum.

6. argu.

In contrarium videtur, quod votum ſit expediens, quia Scriptura admonet vouere, vt patet in Pſal. Vouete, & reddite. ſi tamen malum eſſet, non admoneret. Item ſi non expediret vouere, quamquam interdum aliquid voueremus nõ oporteret illud ſolui: & tamen Scriptura nimis admonet ſolutionem votorum, & non eſſe tardandum in redditione eorũ, vt patet Eccleſiaſt. cap. quinto. & Deutero. 23. cap. ergo expedit vouere.

Pſal. 75.

Reſpõſio ad quæſt.

Reſpondendum eſt, quod cum in voto obſeruantur omnes conditiones voti, ſcilicet, quod fiat de rebus licitis, & diſcrete, valde, expediens eſt. In quo conſiderandum, quod votum eſt promiſſio facta Deo, vt ſupra dictum eſt. Fit autem promiſſio interdum homini, & interdum Deo, ſed ex diuerſis cauſis, & in vtraque reperitur vtilitas. homini enim promittimus aliquid propter eius vtilitatem, quia id quod ei promittimus aliquid confert, & hic ſunt duo, ſcilicet, exhibi-

A

tio,& promiſſio: exhibitio enim vtilis eſt,quia per ipſam trāſit res vtilis ad eum,cui fit promiſſio. Eſt etiam promiſſio vtilis,quia propter hanc non licet promittenti recedere ab eo quod dicit,& ille,cui facta eſt promiſſio habet certum ius ad rem,quod ſine promiſſione non haberet: fit autem promiſſio Deo,& hic etiam duo ſunt, ſcilicet, exhibitio, & promiſſio,ſed neutrum fit propter vtilitatem Dei: quod patet, quia exhibitio rei promiſſæ non eſt vtilis ei cum bona vtilia ſolum conferant ad ſupplendam negligentiam alias indigentiam. Deus autem bonorum noſtrorum non indiget Pſalmor. 15. Etiam promiſſio non eſt vtilis Deo, quia promiſſio eſt vtilis, inquantum per eam acquiritur aliquod ius, & certificatur is, cui fit promiſſio de exhibitione, ſed Deo non eſt vtilis exhibitio:ergo nec promiſſio : eſt tamen vtrunque nobis vtile. Vnde Auguſti. dicit in Epiſtola ad Armentarium, & Paulinam: Benignus exactor non eſt egenus, & qui non creſcat ex redditis, ſed in ſe creſcere facit redditores, ea tamen, quæ nos reddimus ſunt nobis vtilia, quia dum magis Deum colimus amplius apud eum promeremur. Promiſſio quoque nobis vtilis eſt ad multa, nam præter hoc, quod eſt reddere id quod per votum promittitur ipſa promiſſio multum proficit, quia neceſſe eſt, quod in eodem actu ille, qui vouet, plura Deo det, quam qui non vouet. Nam qui non vouet, exhibet actum, ſed manet ei libera voluntas ad continuandum, vel non continuandum actum: eſſe aut ſui iuris eſt aliquid valde magnum, quod ille, qui vouet Deo exhibet : nam non ſolum actum ſuum Deo impendit, ſed etiam voluntatem, & libertatem ſuam faciens, quod nihil ei liceat, niſi quod Deus vult.

Qui vouit plura Deo dat quā
B
q̄ non vouit.

Item proficit promiſſio, quia inducit nos ad magis colendum Deum. Nam qui agit ſine voto, quia nō obligatur interdum agit, & interdum ceſſat, & languet voluntas eius ad aggreſſionem magnorum bonorum, qui autem vouit, quia ſcit ſibi ex neceſſitate incumbere, quod agat diſponit ſe ad agendum confortando ſe ad magna, & ardua, & ſic nimis proficit. Hoc apparet in illis, qui ſolum ex delectatione ſtudēt, vel, qui ex neceſſitate: nam abundantius proficiunt quibus viſitandi libros neceſſitas ineſt.

Item proficit promiſſio ad maius firmamentum inducendum in opere bono, potiſſimum cum iſta promiſſio publice fit; quia licet tunc promittens non curaret obſeruare promiſſum propter Deum: curabit tamen ſaltem obſeruare propter humanam verecundiam, & quamquam à principio ſint actus iſti difficiles, quaſi non penitus voluntarii : tamen aſſuetudo illos faciet delectabiles, & ſic votum erit in nobis occaſio bonorum habituum, qui non fuiſſent cauſati ſine voto. Item ꝓficit promiſſio ad aliorum concitationem, quia cum aliquis vouet quidpiam Deo impendere quantum ad illam partem ſe totum Deo exhibet, nihil ſibi iuris relinquens, quod alii videntes magis concitantur ad Deum colendum, quam alias concitarentur, cum magis manifeſtetur affectus noſter in Deum per votum quam ſine voto. Ad rationes in cōtrarium reſpondendum: ad primam cum dicitur, quod peccatum eſt per plura facere &c. conceditur, ſed negatur minor. Nam ſicut in voto plura ſunt quam in operatione ſine voto, ita plures vtilitates ſunt operantis cum voto, quam ſine illo, & patet de omnibus ſupra poſitis, quarum nulla eſt in operatione ſine voto. Ad ſecundum reſpondetur, cum dicitur, quod nullꝰ debet ſe priuare libertate & conceditur. Cum autem dicitur, quod tollitur neg-ndum eſt, quia ſicut qui ſine voto operatur, libere operatur. ſcil. à principio intrinſeco nullo extra cogente, ita qui ex voto agit libere agit, quia voluntati ſuę ſubiicitur complere votum, vel non. Si autem dicas, quod ante emiſſionem voti libertas ineſt, poſt emiſſionem vero ſoluendi neceſſitas manet: dicendum eſt verum eſſe de neceſſitate ex præſuppoſitione. ſ. quod ſi non impleuimus, non habebimus vitam æternam; ſed non eſt neceſſitas abſoluta, ſicut neceſſe eſt hominem eſſe mortalem, & hoc ſufficit ad hoc, quod non tollatur libertas.

C
Ad rationes ad primam.

Ad 2.

Aliter rñderi poteſt, ꝙ votum cauſat neceſſitatem, ſed nō diminuit libertatem. quia ſolum inducit quandā firmitatem ad operandum, & non coactionem, ſicut autem neceſſitas ad non peccandum non diminuit in Deo libertatē, nec in beatis, ita neceſſitas ad bene operandum non tollit, aliquam libertatem. Et eſt iſta confirmatio ſimilis confirmationi beatorum, ſed ex illa non ſunt minus perfecti. Vnde neceſſitas voti, quia eſt firmitas in bono melior eſt, quam libertas. i. indeterminatio ad faciendum hoc, vel illud: vnde Aug. in Epiſtola ſupra nominata ait: Fœlix neceſſitas, quæ ad meliora compellit. Ad tertium cum arguebatur, quod nemo debet ſe immiſcere periculis, ſed quicunque vouet, ſubiicitur periculo. Dicendum eſt quod periculum habet ſe dupliciter: vno modo periculum oritur determinate ex ipſo facto, quod quis aggreditur : alio modo oritur nō ex ipſo bono, quod quis incipit, ſed eo, quod deficit, vel errat à bono incœpto. Primo modo nullus ſe debet immiſcere periculis, ſicut nō eſt expediens, quod aliquis tranſeat flumen per pontem ruinoſum, vel quod habitet in domo diſpoſita ad caſum, quia ex ipſa renaſcitur periculum. Secundo modo non eſt inconueniens quod aliquis immiſceat ſe periculis, ſicut aſcēdere equum ſecundum ſe non eſt periculum: poteſt tamen inde cadere aſcenſor, ſed propter hoc non eſt ceſſandum ab operationibus, quia hoc modo ceſſandum eſſet ab omnibus operationibus bonis propter periculum, quia non eſt aliqua operatio, ex qua non poſſit ſequi periculum per accidens: ſic enim dicitur Eccle. 11. ca. Qui obſeruat ventum, non ſeminat, & qui conſiderat nubes nunquam metet, ſed oportet, quod homo ſe exponat alicui periculo ꝓpter bonum cum ex re ipſa, cui ſe exponit non naſcitur directe periculum, ſed per accidens: in voto autem ſic eſt, quia nō naſcitur periculum ex eo, ſed ex culpa hominis, qui voluntatem tranſmutat tranſgrediens votum: vnde Aug. in prælleg. Epiſtola ait. Non te voluiſſe pœniteat: imo gaude iam tibi nō licere, quod tamen tuo detrimento licuiſſet. Ad quartum: Cū dicitur, quod qui operatur virtuoſe, operatur delectabiliter, & liberrime, ſed non eſt ſic in voto, ergo &c. Dicēdum, quod operantes ex voto non minus libere, & delectabiliter operantur, quam cæteri: nam delectatio oritur ex habitu, ſed ſi operans ſit habituatus ad id, quod operatur, vt patet 2. Ethicor. hoc autem per accidens ſe habet ad operari ex voto, vel ſine voto, quia poteſt vouens habere habitum perfectiorem, quam non vouentes, & tunc delectabilius operabitur, ſi autem non vouentes habeant habitum ad id, quod operantur delectabilius operabuntur: ſed hoc totaliter eſt per accidens ad votum, ideo de eo non eſt curandum. Cum vero dicitur, quod vouentes non operantur ita libere, falſum eſt, quia votum non tollit aliquam libertatem, nec diminuit: nam ſicut ille, qui mouetur, & cadere non poteſt, non mouetur magis ex neceſſitate, quam ille, qui mouetur, & frequenter cadit, ſed habet aliquid excellentius, ſcilicet, quia iſte eſt confirmatus ad non calendum, & ille non : ita in vouente, & non vouente, quia vouens habet firmitudinem propoſiti ad operandum propter promiſſionem : non vouens autem nullam habet firmitudinem, cum non ſit determinatus ex propoſito ſuo magis ad agere, quam non agere, coactio tamen ad agendum nulla magis vni quam alteri ineſt. Ad quintum, cum dicebatur, quod Chriſtus non vouit, nec Apoſtoli: ergo nec nos vouere debemus. Reſpondendum eſt, quod non ſequitur, quia quamquam nos debeamus eſſe imitatores Chriſti, non tamen debemus omittere, vel non agere omnia, quæ ipſe non egit: nā tūc tollentur nobis multi actus boni. ſ. Chriſtus nunquam doluit pro aliquo praue commiſſo, quia nunquam peccauit: ergo nos non debemus dolere de aliquo commiſſo: ſed falſum eſt: ergo, quamquam ipſe non vouit, nobis vouere expediens eſt. Aliter reſponderi poteſt, quod quamquam Chriſtus in perſona ſua non vouit, dedit tamen nobis exemplum vouendi: ipſe enim erat Deus, & homo: & in quātum erat Deus non competebat ei vouere, quia votum ſemper fit alicui maiori. inquantum homo etiam non debuit vouere, quia votum fit ad firmandum voluntatem noſtram in bono per promiſſionem, quæ alias firmata non eſt. Chriſtus tamen inquantum homo habebat firmam voluntatē in bono, quia comprehēnſor erat, & omnes hi ſunt confirmati: dicitur rñ nobis ex perſona Chriſti id quod habetur in Pſa. ſ. vouete & reddite. & illud. Vota mea reddam in conſpectu timētium eum. Cū autē dicebatur de Apoſtolis, ꝙ non leguntur vouiſſe, dicendum, ꝙ non apparet expreſſe eos vouiſſe, ſed ſatis veriſimile eſt, quod vouerint omnia pertinentia ad ſtatum perfectionis. ſ. quando Chriſtum relictis omnib. bonis ſecuti ſunt. Ad ſextū cum dicebatur, quod Apoſtolus admonet ne agamus ex triſtitia, aut ex neceſſitate, quia hilarem datorē diligit

D

Ad tertiū. Exponere ſe periculo quando licet & quando non.

E

Ad 4.

Cap. 3.

Ad 5.
F

2 ſolut.

Pſa. 75
Pſa. 21.

Ad 6.

A

git Deus. Dicendum est, quod agentes ex voto non agunt ex tristitia, nec ex necessitate. Nam tristitia causatur ex his, quæ nobis accidunt contra voluntatem nostram: votum autem non est aliquid contra voluntatem, sed ex voluntate habens originem: ideo non fit aliqua tristitia per illud. Etiam non est aliqua necessitas, quia accipit Apostolus necessitatem coactionis, quæ tollit meritum, vel necessitatem inductionis magnæ ab extrinseco, vt quod aliquis operetur bonum propter solam magnam verecundiam. In voto autem non est necessitas coactionis ad obseruandum illud, sed necessitas ex præsuppositione, scilicet si volumus saluari, quod oportet obseruare votum: & ista necessitas non diminuit libertatem, quia tunc etiam diceremus, quod non vouentes agebant ex necessitate, quia quædam sunt, quæ necesse est ipsos agere ex præsuppositione, scilicet, obseruare omnem legem Euangelicam, alioquin non est salus, sed non dicimus propter hoc eos esse minus liberos in agendo: ergo nec vouentes propter hanc necessitatem sunt minus liberi.

Quæ sint species voti.

B

QVÆSTIO XLVI.

QVæretur Vlterius de speciebus votorum. Respondendum, quod votum diuiditur primo per necessarium, & voluntarium, & hoc intelligitur comparando ad tempus emissionis. Nam post emissionem omne votum necessarium est. Dicitur autem votum necessarium id, quod necessarium est etiam antequam emittatur, & sic est votum, quod fit in baptismo, scilicet, abrenunciare Satanæ, & pompis eius, & tenere fidem, & seruare decalogum, & alia, sine quibus non est salus, vt patet de conse. dist. 4. in cap. prima. & 1. q. 1. §. ecce cum honoris: ideo cum homo peccat post baptismum ex duplici causa peccat, scilicet, quia malum simpliciter agit, & quia transgreditur votum: tamen sunt duo peccata, sed vnum grauius, quam alias foret, si non voueretur. Votum voluntarium dicitur illud, ad quod quis non tenebatur ante emissionem, sed post emissionem astringitur ad obseruandum, sicut est votum continentiæ, & abstinentiæ à cibis, & peregrinationis, & similium. De his dicitur in Psalm. vouete, & reddite. & ibi glossa, id est, si vouetis, reddite. Et sic primum ad consilium, & secundum ad imperium refertur, vt patet extra De voto, & voti redemptione. In cap. magnæ.

C

Cum autem dicitur, quod votum continentiæ est voluntarium intelligendum est quantum ad emissionem continẽtiæ perpetuę, vel temporalis, per quod aliquis abdicat à se potestatem experiendi actum venereum, quem alias licite experiri posset, quilibet tamen obligatur continere, nisi contrahat: leges enim imposuerunt omnibus continentiam, quia sola potens est animas cum fiducia Deo præsentare, vt patet in Aucten. De lenonibus. §. sancimus. colum. 2. & per hoc corrigunt leges antiquæ, quæ concedebant concubinatum. Dicitur votum continentiæ voluntarium, quia quicunque vouet continere, posset contrahere, vel vti matrimonio iam cõtracto. Item cum dicitur de abstinentia à cibis, scilicet, de ieiuniis, quod votum istorum est voluntarium, intelligendum est quantum ad illos dies, qui non sunt sub præceptoEcclesię, vt ieiunentur, quia quantum ad hos non est libertas, generaliter autem omne votum est voluntarium, quia de re licita fit ad quam ante emissionem voti non obligabamur, istud autẽ distinguitur, quia quoddam est simplex, aliud solenne, votum simplex dicitur, quod sine aliqua solennitate emittitur, scilicet, quia non fit in conspectu Ecclesiæ, vel in manibus alicuius prælati, aut per sumptionem sacri ordinis, vel professionem alicuius religionis approbatæ, sed fit ab solute, vt si apud se quis voueat, nemine audiente, & hoc, siue in solo corde, siue in voce etiam si aliquis audiat, non tamen fiant vlteriores cæremoniæ. Votum autem solenne est quod publice fit, vel in manibus prælati, qui suscipere potest votum. Et sic de aliis cæremoniis introductis iure, solennitatem enim votorum iura introduxerunt, vt patet De voto, & voti redemptione ca. vnico in 6. Fuit autem ista sollennizatio propter maiorem firmitudinem in votis, quia vota solennia publice emittuntur, ideo in his quamquam Deus non moueat hominem ad complendum votum saltem ipse humana verecundia incitabitur, & ob hoc generale est in istis votis, quod sint publica, vota autem simplicia, vt communiter sunt occulta, & ob hoc maius delictum est in transgressione voti solennis quam simplicis, & in ipsis solennibus est differentia, quia quanto aliquod magis publice emittitur tanto transgressio est damnabilior, & pœna infligenda est maior, vt patet extra de voto, & voti redemptione capit. vnico in sexto, istorum autem votorum quædam consistunt in faciendo, vt ieiunare, peregrinari, orare offerre, alia consistunt in non faciendo, sicut non contrahere matrimonium, non accipere ordines sacros, non suscipere Episcopatum. Hæc autem voluntaria sunt, quia sine his est salus 1. quæst. 1. capit. si qui. §. ecce cum honoris. Et potissimum dicitur hoc de sumptione sacrorum ordinum, & acceptione Episcopatus, quia quamquam ista pertineant ad quãdam excellentiam virtutis, & status, tamen sine his est salus, quia non sublimitate graduum, sed in amplitudine charitatis acquiritur regnum Dei, vt patet extra de temporibus ordinãdorum cap. ad aures.

Votum simplex & solẽne quid

An votum sit actus latriæ, & secundum se totum pertineat ad latriam.

QVÆSTIO XLVII.

QVæretur amplius circa votum, an sit actus latriæ. Pro quo considerandum, quod latria, siue religio dicitur esse virtus, secundum quam Deo exhibemus debitum famulatum, scilicet, quod cognoscimus eum Dominum, & pro hoc impendimus ei cæremonias quasdam famulatus. Differt autem ista virtus à charitate, quia secundum charitatem Deum super omnia diligimus, & colimus, tamen non inquantum Dominum, sed inquantum summum bonum, latria autem respicit Deum tanquam Dominum, & impendit ei cultum tanquam debitum. De hoc magister lib. 3. sententiarum dist. 9. Et in hoc arguitur, quod non sit votum actus latriæ, quia omne opus virtutis cadit sub voto; sed ad eandem virtutem videtur pertinere promittere alicui, & facere: illud ergo votum pertinet ad quamlibet virtutem, & non specialiter ad latriam. Item secundum, quod ait Tullius ad religionem, vel latriam pertinet cultum, & cæremoniam Deo offerre, sed ille, qui vouet nondum aliquid offert, sed solum promittit, ergo votum non est actus religionis. Item cultus latriæ, siue religionis non debet exhiberi alicui, nisi Deo, sed votum non solum fit Deo, sed interdum fit sanctis, etiam fit prælatis quibus religiosi profitentur obedientiam vouentes, ergo votum non est actus religionis, vel latriæ. Sed contra hoc est, quia Isaiæ ca. 19 dicit. Colent eum in hostiis, & in muneribus, & vota vouebunt Domino, & soluent, sed colere Deum est actus propriꝰ latriæ, ergo votum cadit sub latria, vel religione. Item votum cum pertineat ad vnum genus operationis humanæ, & sit aliquod bonum, & dirigibile, impossibile est, quod non pertineat ad aliquam virtutem, sed non est aliqua ad quam possit pertinere, nisi sit latria, ergo sub latria poni debet. Nec valet si dicas, quod actus cuiuslibet virtutis potest voueri, ideo pertinebit votum ad omnem virtutem. Dicendum, quod quamquam id quod vouetur possit pertinere ad omnem virtutem, tamen vouere dicit, quam cæremoniam specialem cultus diuini, scilicet, obligare se ei per promissionem, & hoc est generale in omni voto, ideo quantum ad hoc necesse est, vt votum determinet sibi aliquam specialem virtutem, & ista est latria, siue religio, quia non potest inueniri alia. Ad quæstionem respõdendum, quod latria ab aliis virtutibus differt, quia ipsa est virtus imperatiua, scilicet, secundum eam imperantur, & ordinantur omnia, quæ in Deum dirigi debent, cum Deus sub ratione Domini, & cui debetur famulatus sit id, quod intendit latria, virtutes autem aliæ sunt exequentes, vtpote aliquis propter Deum vult abstinere à libidine intendens per hoc impendere se Deo famulatum, istud pertinet ad duas virtutes, quia imperare, quod abstineamus, & hoc propter Deum pertineret ad latriam, ipsum autem continere pertinet ad temperantiam, vel ad dispositionem, quæ vocatur continentia. Sic etiam apparet in operationibus potentiæ volitiuæ, & intellectiuæ, nam actus potentiarum executiuarum sunt actus potentiæ intellectiuæ, & volitiuæ, quia nihil potẽtiæ executiuæ operãtur, nisi illud intellectus decreuerit,

D

Quãto votum est magis publicum tanto dãnabilius frãgitur.

E

Charitas & latria qũo differunt.

Primũ argumẽtum.

Secũdũ

Tertiũ.

F

Respon.

Latria qũodiffert ab aliis virtutibus

A

& voluntas elegerit, & in hoc ponunt ordinem in potentiis inferioribus. Executio tamen actuu m non pertinet ad intellectum, & voluntatem, sed ad inferiores potentias, sic autem de latria est, quoniam ipsa ordinatur ad diuinam reuerẽtiam, quæ est proprius finis latriæ, ordinare autem alios actus in suum finem pertinet ad virtutem imperantem, & non ad virtutem imperatam, ideo ipsa ordinatio actuum cuiuscunque virtutis in seruitium Dei est proprius actus latriæ, licet executio illius pertineat ad virtutes imperatas, sed manifestum est ex præcedentibus, quod votum est, quædam promissio facta Deo, promissio autem importat ordinationem quandam eius, quod promittitur, vnde secundum quosdam votum est ordinatio quædam eorum, quæ quis vouet in diuinum cultum, ergo votum est actus virtutis ordinatiuæ, scilicet, latriæ. Ad rationem primam respondetur, quod votum considerat dupliciter, aut quantum ad promissionem, qua quis Deo se obligat, aut quantum ad rem exhibitam per promissionem. Primo modo necesse est, vt vouere pertineat ad actum latriæ, quia non est aliqua virtus cuius actus sit promittere aliquid Deo, vel ordinare in illum præter latriam, in omni tamen voto est ista ordinatio, ergo quãtum ad hoc pertinet ad latriam. Secundo modo, scilicet, quantum ad rem exhibitam potest dupliciter accidere, quia aliquando id quod promittitur est proprie materia religionis, vel latriæ, scilicet, quia pertinet ad quasdam cæremonias, quæ ad solum cultum diuinum exhibentur, sicut offerre sacrificium, & orare, & similia. Interdum autem res exhibita pertinet ad materiam alterius virtutis, vt si aliquis vouear ieiunare, vel continere, quod pertinet ad tẽperantiam, aut vouear dare eleemosynam, quod pertinet ad liberalitatem, vel facere Ecclesiam aut monasterium, quod pertinet ad magnificentiam, aut pugnare contra infideles, quod pertinet ad fortitudinem, vel non respondere maledicentibus, quod pertinet ad mansuetudinem, & sic omnis actus virtutis potest cadere sub voto. Primo modo votum pertinet ad latriam tam quantum ad materiam, quam quantum ad promissionem. Secundo modo pertinet ad latriam quantum ad promissionem, & ad alias virtutes quantum ad executionem. Sed tunc dicetur, cum pertineat votum ad latriam quantum ad aliquid, & ad alias virtutes, quantũ ad aliquid, à qua denominabitur? Respondendum est, quod debet vocari actus latriæ, & hoc propter duo. Primo, quia interdum pertinet votum totaliter ad latriam, sed nunquam totaliter ad alias virtutes, vt siquis vouear orare, vel dicere Missam, aut recitare horas canonicas. Iste actus pertinet ad latriam quantum ad promissionem, quia per illam ordinatur actus in diuinum cultum, sed ad nullam virtutem pertinet ordinare in diuinũ cultum operationem, nisi ad latriam. Etiam pertinet iste actus ad latriam secundum materiam suam, quia hoc quod est orare, vel Missam dicere, aut genua flectere, & similia non est materia alicuius virtutis, nisi religionis, siue latriæ. In aliis autem virtutibus non sic reperitur, quia licet materia, in qua fit votum pertineat interdum ad alias virtutes, vt ieiunare, continere, & dare eleemosynam. Ordinare tamen actum istum in Deum per promissionem non pertinet ad aliquam illarum. Item secundo apparet hoc, quia dato, quod semper materia voti pertineret ad alias virtutes, adhuc principale, quod est in voto pertinet ad latriam, quia substantiale, quod est in voto est promissio facta Deo. quod autem promittatur hoc, vel illud, non tantum refert. & per hoc etiam votum distinguitur ab omnibus aliis operationibus, quia votum determinat sibi promissionem. Debet ergo denominari votum actus latriæ ad quam pertinet substantiale illius, & non actus aliarum virtutum. Ad secundam rationem, cum dicebatur, quod ad religionem, vel latriam pertinet cultum, & cæremoniam Deo offerre conceditur. Cum dicitur, quod vouens adhuc nihil operatur dicendum, quod eo, quod exhibet se promptum immediata dispositione ad aliquid Deo offerendum, cum Deo se obligat, quodammodo videtur iam offerre, sic enim dicitur aliquid fieri, cum causa eius immediata sit, quia effectus continetur virtualiter in causa. Sic etiam de eo, qui mittit manũ ad aratrum licet nondum aret iam tamen arare videtur, quia illa est propinquissima dispositio, & inde est. quod cum nos gratis agimus aliquibus propter bona, quæ conferunt, non solum gratis agimus cum conferunt, sed etiam cum conferre promittunt. Si tamen promissio non reputaretur aliqualiter, ipse actus dandi non regratiaremur, & sic etiam est quantum ad Deum in voto, nam non solum aliquis meretur apud Deũ, qui votum complet, vel secundum votum suum agit, sed etiam cum vouet, ideo siquis voueat cum plena intentione exequendi quod vouet, tantum meretur in sola voti emissione, quantum in multis actibus posterioribus, qui sunt ad completionem voti, & hoc potissimum cum per votum inducitur magna obligatio, sicut in vouentibus religionem, nam ibi profitentur, & promittunt se obseruaturos continentiam, paupertatem, & obedientiam, quæ tria profecto maxima sũt, & qui ista vouet iam sibi nihil vltra relinquit. Ideo dicendum, quod siquis ad ampliandum cultum Dei in seipso cum firma, & plenissima intentione complendi ista tria vouerit in hac sola emissione voti sine aliquo actu posteriori magis meretur, quam si multis diebus ieiunaret, aut contineret, ideo si omisso voto moriatur quis antequam incipiat exequi aliquam partem illius, per solam illam emissionem magnus gradus gloriæ sibi debetur. Ad tertiam rationem respondendum, quod votum soli Deo fit, sed promissio potest fieri etiam homini, & ipsa promissio boni, quæ fit homini potest cadere sub voto inquantum est quoddam opus virtuosum. Intelligendũ est autem per hoc votum quo aliquis vouet aliquid sanctis vel prælatis, vt ipsa promissio facta sanctis cadat sub voto materialiter. Est autem sic intelligendum, quod quando aliquis vouet alicui sancto facere aliquid propter illum, vt ieiunare in festiuitate illius, aut visitare limina eius, votum fit hic Deo. Tamen exhibitio operis specialiter est pro isto, vel illo sancto.

Et cum aliquis dicit, ego voueo tali, vel tali sancto ieiunare in festiuitate illius, est sensus istorum verborum, ego obligo me Deo ad ieiunandum in festiuitate huius sancti, & pro honore huius sancti, votum autem non recipitur hic à sancto, sed à Deo, quia ipsi fit obligatio, sed exhibitio operis specialiter dirigitur in sanctum illum. Sic autem erat de latria respectu omnium aliarum virtutum in voto, quia promissio, quæ in voto fit semper ad latriam pertinet, opus tamen, quod promittitur aliquando pertinet ad vnam virtutem, & aliquando ad alteram, sed propter hoc nihilominus pertinet votũ semper ad latriam. De voto autem, quod fit prælatis dicendum est, quod in professione religionis vouent religiosi continentiam, & paupertatem Deo, & obedientiam prælatis suis, non tamen est sensus, quod votum obedientiæ directe, & solum tendat ibi in prælato, sed est sensus, ego voueo obedientiam prælatis, id est, ego voueo Deo obseruabo obedientiã ad prælatos, & sic promissio, quæ est substantia voti, dirigitur ibi in Deum, opus autem est ad prælatos propter Deum.

Votum de quibus rebus fieri debet, & quomodo concordetur opinio iuristarum cum opinione theologorum, quantum ad indifferentia an fiat Deis votum. Et quid agendum est, quando votum est indiscretum, & nobis impossibile.

QVÆSTIO XLVIII.

QVæretur vlterius de quibus rebus debeat fieri votum, scilicet, an fiat de bonis, & malis indistincte, & de indifferentibus, vel de solis bonis, & si de bonis, an de bonis, quæ sunt sub libertate nostra totaliter, ita quod non cogimur ad illa, vel de omnibus bonis tam necessariis quam voluntariis. Dicitur autem communiter, quod votum fieri debeat semper de meliori bono, id est, de bono supererogationis. Vocatur autem bonum ipsum, per quod peruenim⁹ in salutem æternam, & sine illo impossibile est peruenire: sic sunt omnia præcepta necessitatis. Vocatur autem melius bonum id per quod in vitam æternam peruenitur, & efficacius peruenitur, quam per primum bonum, & ita sunt bona, ad quæ non cogimur, sicut consilia Euangelica. Vocantur autem meliora bona, quia ad altiorem statum pertinent, quam illa, quæ sunt bona sub necessitate, & communiter constituuntur vota in illis.

Sed arguitur, quod non solum fit votum de istis, sed etiam de illis, quæ pertinent ad necessitatem salutis, sicut in baptismo vouent homines abrenunciare Satanæ, & pompis eius, & fidem seruare, vt dicit Glossa super illud: vouete, & reddite Domino. Etiam Iacob vouit id quod erat de necessitate salutis,

B C D E F

Ad rationem primã. *Ad secundã.* *Quo in vouẽdo ẽt ante opus aduenit a magnum meriti est.* *Ad tertiam.* *An aliquando possit fieri votũ sanctis vel prælatis & an cẽ votum fiat Deo* *Respõ. sio communiter.* *Confu.*

A

tis,ſcilicet,quodDeus verus eſſet ſibi Deus,vtpatetGen.28. c. & tamen hoc eſt de neceſſitate ſalutis, ergo non ſit votum ſemper de meliori bono.Item videtur,quod mala voueri poſſint licite,quia Iepte Galaadites ponitur ab Apoſtolo in catalogo ſanctorum.Ad Heb. 11. cap. ipſe tamen vouit immolare quidquid ſibi occurreret primum de domo ſua reuertenti de bello,& immolauit tunc filiam ſuam vnicam innocentem, vt patet Iudi.capit.11.ſed occiſio innocentis illicita eſt ſecundum ſe,& non redarguitur ille,qui vouit, ergo illicita cadunt ſub voto. Item ea, quæ redundant in alicuius detrimentum, vel quæ nihil ſunt vtilia, non habent rationem melioris boni, ſed aliquando fiunt vota de iſtis, vt de immoderatis ieiuniis, aut vigiliis. vel laborioſis peregrinationibus, quæ vertunt in magnum periculum perſonæ, fiunt autem interdum vota de aliquibus indifferentibus, & ad nihil vtilibus, ergo non ſemper de meliori bono. Item impoſſibilia non ſunt meliora bona,ideo non ſunt bona,quia nunquam ſunt, & tamen interdum aliquis vouet, quod ſibi impoſſibile eſt, ſicut aliquis vouet,dare pecuniam,ad quam reddendam poſtea eſt impotēs, vel vouet ire in peregrinationem,& infirmitate grauatus habet hoc pro impoſſibili.ergo votum non eſt de meliori bono ſemper.Sed contra,quia Deuterono. 23.cap.dicitur,quod vouentes non debent tardare reddere,& ſubditur,ſi nolueris

B

polliceri abſque peccato eris, ergo apparet, quod qui vouet bene agit,ſed qui non vouet non agit malum, & ob hoc non poteſt eſſe votum de illicitis, quia illicite agere peccatum eſt, ſed vouere eſt licitum.Etiam patet ex hoc,quod non ſit vouere de bonis,quæ cadunt ſub neceſſitate, quia qui illa omittit peccat,& tamen non vouere non eſt peccatum, cum dicatur: Quod ſi nolueris polliceri abſque peccato eris. Ergo ſolum eſt votum de meliori bono, quod ſine peccato omitti poteſt.

Reſpondendum ad quæſtionem,quod votum, ſicut ſupra declaratum fuit,eſt promiſſio facta Deo. Promiſſio autem fit alicui in fauorem ipſius,&non principaliter in fauorem promittentis, ideo debet fieri de aliquo quod vtile eſt ipſi, cui promittitur,vel ſaltem gratum,& dicitur hoc, quia in hominibus fit promiſſio propter vtilitatem eorum, ad quos eſt, quia indigent in alterutrum vtilitatibus, promiſſio autem, quæ fit Deo non eſt de aliquo vtili,cum nihil ſit ſibi vtile,quia bonis noſtris non indiget, vtilitas autem eſt ad ſupplendam indigentiam.Debet tamen id quod ei promittimus ſaltem eſſe ei gratum,mala tamen ei grata non ſunt,quia non eſt Deus volens iniquitatem iuxta illud Pſalm.5. Quoniam Deus nolens iniquitatem tu es.Et iterum: Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem, ergo de malis non poteſt fieri votum. Item repugnat hoc ſecundum rationem voti, eſt enim votum ſecundum ſe promiſſio,ſed promiſſioni repugnat fieri de malo, quia ſiquis promitteret alteri,quod inferret ei malum,nō vocaretur iſta promiſſio,ſed magis comminatio.

C

Item ex cauſa ſuperiori indifferentia non cadunt ſub voto. Dico autem indifferentia ea, quæ ſunt pure indifferentia, in quorum altero non poteſt maior bonitas, quam in alio reperiri,nam dicimus,quod contrahere,vel non contrahere indifferens eſt, ſcilicet, quod ad ſalutem vitæ æternæ non differt, cum per matrimonium, vel continentiam poſſit haberi vita æterna:non tamen ſunt iſta pure indifferentia, quia in vno maius bonum reperitur,quam in alio,quia licet vtroq; modo perueniatur ad vitam æternam, tamen melius, & perfectius peruenitur per obſeruationem continentiæ, quam per contractum matrimonii.

Alia ſunt pure indifferentia,ſcilicet,in quorum altero non poteſt maius bonum quam in alio reperiri,& quod in eis non reperitur directe aliquod bonum,vel malum, ſicut quod aliquis quotidie lauet manus quinquies, vel ſepties, vel quod reſpiciat rem vno oculo,vel duobus. De primis indifferentibus non eſt hic ſermo,nam de illis eſt proprie votum,vt infra declarabitur, ſed intelligitur de indifferentibus ſecundo modo,in quibus non poteſt reperiri bonum vel malum morale, & de his dicendum, quod non cadunt ſub voto,quia votum eſt promiſſio facta Deo,quæ debet eſſe de aliquo, quod ei eſt gratum. Indifferentia autem non ſunt Deo grata, ſed ſolum opus virtutis, immo indifferentia, ſi aſtringantur ad certum modum arguunt quandam ſtultitiam aut ſuperſtitionem, nā indifferentia non habent in ſe aliquod bonum, vel malum, quia conferrent aliquatenus ad directionem vitæ, quod ergo aliquis circa ea curam exhibeat determinando ſe ad talem, vel talem modum ſtultitia eſt, cum ſolicitudo noſtra, quæ ad dirigenda neceſſaria,& conferentia,ad ſuperflua,&inania diſtribuitur, vt ſi aliquis curam haberet oculos ſemper aperire velociter,vel ſemper in tarda ſucceſſione, vel ſi adhiberet curam ad lauandum quotidie ſepties manus,& non pluries,nec etiam deficeret amplius, & obſeruatio iſtorum indifferentiū inducit ſuperſtitionem, quæ vitanda nimis eſt. Eſt enim ſuperſtitio obſeruatio aliquarum cæremoniarum, quæ ad rem non conferunt, vt ſiquis volens dare pharmaca ægroto daret ea manu dextra,& non ſiniſtra,vel conuerſus ad orientem,& non ad occidentem, iſta enim nihil conferunt ad ſanitatem, quia non habent aliquam efficaciam naturalem ad hoc. Sic autem eſt de omnibus pure indifferentibus reſpectu omniū bonorum humanorum,quia illa nihil ad rem conferunt,ideo ſiquis aſtringat ſe ad obſeruandum aliquem modum indifferentium rerum proprie ſuperſtitioſus eſt. Cauendum ergo eſt,quia iſta inutilia ſunt,&ſpeciem mali habent.Si autem iſta obſeruata ſine voto non ſunt licita, multo minus licita erunt obſeruata ex voto, quia maior ſolicitudo tunc ad obſeruandū impendetur,quam ſi ea non voueremus, & hoc propter obligationem inductam ex voto, tanto tamen aliquis ſtultior eſt,quanto circa inutilia diligentiorem adhibet ſolicitudinē, ideo ſuperſtitioſum eſt ſiquis voueret, quod quandocunque flecteret genua ad orationem,primo flecteret genu dextrum, quam ſiniſtrum,vel primo declinaret oculos in terram quam eleuaret in cœlum,ideo iſta nec vouenda ſunt,& ſi aliquando voueantur,obſeruari non debent, quin potius videtur Deo, quædam irrogari iniuria,quando iſta vouentur, quia videtur contemni,velut ſiquis alicui Domino promitteret alquid dare,quod nihil penitus valeret, vt vnum capillum, vel vnum pugillum terræ,reputaret ille ſibi hæc ad iniuriam,vel cōtemptum, ita Deus cum nos ei indifferentia voluerimus reputabit ad iniuriam ſi deliberato animo illa vouemus, vel reputabit ad ſtultitiam noſtram ſi indeliberate promiſerimus, manet ergo votum de ſolis bonis fieri poſſe.

D

Sed adhuc conſiderandum eſt, quod votum promiſſio eſt. Fit autem promiſſio de voluntariis,nam de ſimpliciter neceſſariis nemo promittit, eſſet enim ſtultum ſiquis promitteret ſe eſſe moriturum,vel non eſſe volaturum in cœlum,aut non futurum aſinum,ideo iſta non cadunt ſub voto.Siquis autem aliquod horum Deo voueret, vel non eſſet ſanæ mentis, ita quod non intelligeret quid diceret, & tunc nulla eſt obligatio,vel peccatum, vel ſi eſſet ſanæ mentis irrideret Deum iocans ad illum,ſicut in ſociali collocutione fieri ſolet, ſed hoc tollit reuerentiam, quæ Deo debetur, ideo culpabile eſt, & dolendum ſiquis aliquando taliter vouerit. Manet igitur votum de ſolo bono, & voluntario. Quia tamen neceſſarium non repugnat ſimpliciter voluntario, cum in Deo ſit neceſſitas bene agendi,tamen inſit maxima libertas,diſtinguendum eſt de neceſſario,ſ.cp quoddā eſt neceſſariū in nobis,quod tollit oēm libertatē,ſicut nos eſſe mortales,vel non eſſe incorruptibiles,& talia neceſſaria excludunt omnem libertatem, iō de his votum fieri nequit. Alia ſunt neceſſaria neceſſitate finis,vel præſuppoſitionis,ſcilicet, ſine quibus non poteſt eſſe ſalus,ſicut tenere fidem,vel obſeruare, præcepta legis Euangelicæ.De iſtis autem poteſt fieri aliquo modo votum, quia licet non fiat votum de eis in quantum ſunt neceſſaria, fit tamen inquantum ſunt voluntaria, ſcilicet, quod ſit neceſſariū ad ſalutem æternam,quod ego obſeruem præcepta decalogi: tamen non eſt ſimpliciter neceſſarium, quod ego obſeruem, quia poſſum non obſeruare,ideo quantum ad id, quod in hac parte libertatis meę eſt,potero me aſtringere per votum.Alia autem ſunt totaliter libera, ſcilicet, quæ non ſunt ſimpliciter neceſſaria,nec etiam ex præſuppoſitione finis, ſicut continere,vel peregrinari,& ſimilia ſine his ſalus eſſe poteſt,&de iſtis propriiſſime eſt votum, & vocantur iſta maiora bona. Nam ea, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis inquantum nos ordinant ad vitam æternam bona ſunt,ſed iſta,quæ ſunt ſupererogationis perfectius nos ordinant in vitam æternam, cum perfectior ſit ſtatus conſiliorum,quam præceptorum,ideo vocantur meliora bona eſſe illa, quæ proprie cadunt ſub voto, & hoc eſt quod communiter dicitur, ſcilicet, quod votum eſt de meliori bono. Poteſt autem magis particulariter

E

F

dici,

Secūdo.

Tertio

Quarto

Reſpon.

Quidcantur indifferentia.

3. Cōcluſio quō indifferentia ſunt duplicia quorū quadā obſeruare ſtultitia eſt & ſuperſtitio.

Superſtitio quid.

4 Concluſio ſuperſtitioſa Deo da re vel vouere peccatū eſt. Bonum exēplū.

5 Concluſio votum non eſt de neceſſariis

Neceſſarium duplex.

6 Concluſio. poteſt fieri votum tenere fidem vel obſeruare præcepta.

Iſtud ēt colligitur ex intētione S. Tho. 2. 2. q 88. ar. 2. & Bona. 4. Senten. diſt. 30.

A

dici,quod votum proprie est de ieiuniis, & orationibus eleemosynis,peregrinationibus,religionibus,abstinentiis,&cõtinentiis, vt patet extra de voto, & voti redemptione per totum, & De statu monachorum per totum, & generaliter in omnibus piis causis licitis,& honestis faciendis, vel in cõtrariis non faciendis tenet votum.

Regula generalis quãdo votũ nõ tenet nec est seruandum. Op. Host & Canonistarum an fiat votum de indifferentib. Op. Theologum in 4. Sẽt dist. 30. & S. Th 2 2 q. 87. ar 2. ad 3.

Est tamen regula, quod vbicunque aliquid fit, quo facto salus corporalis, vel spiritualis amittitur, non tenet votum, vel si aliquid fit, quod non faciendo incurritur mors temporalis, vel peccatum mortale non tenet votum de non faciendo, nec ad hoc est seruandum votum, nec iuramentum, nec peccatum, nec lex, nec consuetudo, nec aliquod aliud vinculum, vt patet extra de iureiuran. capit. quanto. hoc tenet Host. in summa. ti. de voto, & voti redemptione. Dicit autem de indifferentibus, quod quamquam non sit peccatum mortale de faciendo, vel non faciendo illa: tamen tenet votum, & obseruandum est argumento extra. de no. ope. nunc. capit. cum ex iniuncto. § . super eo. Nisi ratione personæ aliud dicatur, scilicet, quia inhabilis est ad vouendum, & tunc etiam non tenerent vota quæcunque alia emissa, etiam dum non sint contrarium alteri præcedenti obligationi licitæ, & honestæ ar. extra de iureiuran. in ca. eam te. & cã. veniens.

B

Contra hoc autem est Beatus Thom. de Aquino secunda secundæ. vbi dicit, quod vota de rebus vanis, & inutilibus magis sunt dimittenda quam seruanda. Posset autem aliquis cõcordare forte istas opiniones per distinctionem, quam supra dedimus de rebus indifferentibus, scilicet, quod intelligatur opinio Host. de indifferentibus, primo modo, quæ sunt bona licet non necessaria ad salutem opinio autem Beati Thom. intelligatur de secundo modo indifferentibus, quæ sunt vana, & inutilia. Sed non stat ista concordia, quia hoc modo ieiunium, abstinentia, peregrinatio, similia essent indifferentia, sed Host. distinguit ista ponens bona, & mala, & indifferentia. Dicendum ergo, quod opinio Beati Thom. intelligitur de pure indifferentibus, quæ non possunt habere aliquam malitiam, & bonitatem, vt aperire oculum velociter, vel tarde, & inclinare primo genu dextrum, quam sinistrum in orando, opinio autem Host. intelligitur de quibusdam indifferentibus parum excedentibus ad hæc, scilicet, quod quamquam non sint illa indifferentia, quæ ponuntur sub consilio, de quibus proprie est votum, sunt tamen quædam indifferentia, quæ aliqualiter possunt participare de bono quamquam parum, & illa quamquam alias inutilia sint propter aliquod bonum, tamen quod in eis reperibile est obseruanda sunt, si voueantur. pro prior tamen est modus loquendi sancti Thom. quia indifferentia proprie illa sunt in quibus nullum bonum, aut malum reperitur, si autem alias se habeant iam aliquo modo ad bonum aut malum determinantur. & sic indifferentia iam non sunt.

Ad rationes 1. opi. ad primã.

C

Ad rationes in contrarium. Ad primam respondendum est, quod quamquam votum propriissime fiat de meliori bono quod est supererogationis, tamen etiam fieri potest de bono, quod est necessarium reperiatur in eo aliqua libertas, & sic est in eo, quod vouetur in baptismo, quia licet sit de necessitate salutis, quod illud obseruemus, tamen possumus nõ obseruare, & quantum ad hoc cadit sub libertate.

Cum autem obiiciebatur de Iacob, qui vouit, quod Deus verus esset Deus suus. Responderi potest dupliciter. Vno modo, quod necessarium erat, quod Iacob coleret Deum verum ad vitam æternam habendam, tamen poterat non colere, sicut aliæ gentes non colebant, & quantum ad id quod liberum erat, colebat, & vouebat. Alio modo responderi potest, & melius, quod Iacob non vouit, quod Deus verus esset Deus suus, sed quod acciperet eum in Deum quantum ad specialem cultum, & hoc apparet quia in eodem 28. cap. dicitur: Si fuerit Dominus mecum, &c. Erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur Domus Dei cunctorumque, quæ dederis mihi decimas offeram tibi, & hoc modo liberum erat Iacob vouere. quia non obligabatur ad offerendum Deo istas decimas ante noc. Simile autem apparet, quia Deus suadebat Israelitis, quod acciperent eum in Deum. & hoc inducit per beneficia, quæ eis contulit Exod. capitu. 19. Apparet autem, quod ista fuerit intentio Iacob vouentis, quia vouit conditionaliter, scilicet, si fuerit Deus mecum, & custoderit me in via, per quam ambulo, &c. vt patet in præalle. cap. si tamen vouisset accipere Deum verum in Deum absolute non intelligens de speciali cultu non apposuisset cõditionem, quia siue Deus faceret prosperum iter suum, siue non, semper coleret eum habendo in Deum cum patres sui coluissent eum.

D

Ad secundam rationem cum arguebatur de Iepte Galaadite, quod vouit aliquid illicitum, & tamen non reputatur ei ad iniustitiam, quin potius dedit ei victoriam contra Ammonitas. Respondendum, quod Iepte non vouit aliquid illicitum. sed in completione voti fecit aliquid illicitum, nam ipse vouit, quod quidquid occurreret ei primo de domo sua redeunti de bello immolaret Domino: hoc autem absolute nõ erat malum, quia poterat ei occurrere aliquod pecus, & illud esset licitum ad immolandum, intentio autem sua non fuit ad malum, quia non fuit determinata ad occidendum filiam, quando vouit, immo non considerauit, quod filia posset ei occurrere, sed existimauit de aliquo pecore, & quantum ad hoc votum erat licitum, & acceptabile. Deus quoque acceptauit illud, vnde dicitur Iudic. 11. cap. quod factus est spiritus Domini super Iepte, & tunc pugnauit, & vicit Ammonitas: si autem intentio sua fuisset determinata de occidendo filiam fuisset votum damnabile. Quod autem non intenderit de filia apparet, quia Iudi. 11. cap. dicitur, quod reuertente Iepte in domum suam, cum videret filiam occurrentem sibi primo, scidit vestimenta sua, & ait: Heu filia mi decipisti me, & ipsa decepta es. Deceptio tamen nunquam euenit nisi quando aliquid accidit præter id quod æstimabamus. Circa votum Iepte dicit sanctus Thom. vbi supra, quod quædam sunt, quæ in omnem euentum bona sunt, sicut opera virtutis, & alia huiusmodi, quæ absolute possunt cadere sub voto, quædam vero in omnem euentum sunt mala, sicut ea, quæ secundum se sunt peccata, & hæc nullo modo possunt cadere sub voto, quædam vero sunt bona, & secundum hoc possunt cadere sub voto; possunt tamen habere malum euentum, in quo non sunt obseruanda, sicut in voto Iepte accidit, qui vt dicitur Iudi. 11. capit. votum vouit Domino dicens, si tradideris filios Ammon in manus meas quicunque primus egressus fuerit de foribus domus meæ mihique occurrerit reuertenti, eum offeram holocaustum Domino. Hoc enim poterat habere bonum euentum, vt si occurreret ei aliquod animal immolaticium, vel malum euentum, vt si occurreret homo, vel asinus, quæ non sunt immolaticia, & sic factum est. vnde Hier. dicit, quod in vouendo fuit stultus, & in reddẽdo fuit impius. præmittitur tamen ibidem, quod factus est super eum spiritus Domini, scilicet, quia fides, & deuotio ipsius ex qua motus est ad vouendum fuit à Spiritu sancto, propter quod ponitur in catalogo sanctorum, & propter victoriam, quam obtinuit. Dicit autem sanctus Thom. quod verisimile est, quod Iepte pœnituerit de isto malo. Considerandum autem circa votum Iepte, quod non fuit iniquum sed indiscretum, quia debuisset dicere, cum rediero de bello in pace quodcunque animal immolaticium primo mihi occurrerit egrediens de domo mea offeram illud in holocaustum, dixit tamen vniuersaliter. Fuit autem præter hoc impius in exequendo, quia licet vouisset indiscrete debebat interpretari votum in bonam partem, cum non attendisset specialiter ad filiam, & si ad eam attendisset debebat votum infringere, quia non teneret, peccauit tamen per ignorantiam non in vouendo, sed in exequendo, quia cum ipse vniuersaliter locutus fuerit, scilicet, quicunque primus egressus fuerit &c. existimauit, quod istud votũ extendebatur ad omnia, siue ad homines, siue ad quæcũque pecora, & iumenta, ideo quamquam nimis doleret pro filia, quia vnica sibi erat, quia tamen intelligebat se obligatum ad hoc, magis voluit quantum ad suam æstimationem orbus manere, quam Domino displicere. Sic patet Iudi. capit. 11. ex verbis Iepte, scilicet, Heu filia mi decepisti me, & ipsa decepta es, aperui enim os meum ad Dominum, aliud facere non potero. Filia quoque Iepte intellexit patrem obligari ex hoc voto, vt patet ibidem, cum dicitur: Cui illa respondit, pater mi si aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcunque pollicitus es concessa tibi vltione de inimicis tuis. Hoc autem dato non oportet dici, quod Iepte doluerit de malo isto, quod fecit, quia non intelligebat se facere malum, immo existimabat, quod si hoc non faceret, nimis peccaret contra Deum, & propter hoc, quamquam cum graui amaritudine, filiam tamen

Ad 1. De voto Iepte & Galaaditis.

E

F

Ignorãtia Iepte

A

men occidit. Incidit autem Iepte in errorem, quia manifestũ est, quod non erat obligatus ad complendum votum, immo peccabat in complendo, nisi eum ignorantia excusaret, quia nemo potest per votum suum infringere legem Dei, alioquin tota lex faciliter aboleretur vouendo contra eam, fieretque nobis fornicari licitum per legem, quod alias illicitum erat. Sed istud inconueniens est, ideo nulli licet contra legem vouere, & si voueat peccat in vouendo, non tamen debet complere, & si compleuerit grauius peccat. poterat tamen accidere in voto Iepte, quod occurreret ei aliquod brutum non immolaticium, vt asinus, si autem vellet illud immolare, peccaret, quia lex vetuerat immolari aliqua animalia immunda, ideo non poterat licite complere votum, à fortiori autem, cum immolaret filiam, quia ibi multipliciter peccabat, scilicet, quia occidebat hominem innocentem, & quia filiam, & quia immolabat animal non immolaticium. Compleuit tamen Iepte votum, quia æstimauit se obligatum esse, quod fuit propter magnam ignorantiam legis peritorum temporis illius. Facile enim erat concludi, quod istud votum non obligabat, erant tamen Iudæi illi rudes circa legem vix ea, quæ clarissima erãt intelligentes. Sic autem accidit, & aliis temporibus, nam cum in diebus Machabæorum pugnarent Gentiles contra Iudæos, qui volebant obseruare legem, inierunt bella in diebus sabbathorum, & illi existimantes sibi esse illicitum pugnare se defendendo non se defenderunt, nec saltem concluserunt loca, in quibus possent conseruari, sed dixerunt: Moriamur omnes in simplicitate nostra, & testes erunt super nos cœlum, & terra, quod iniuste perditis nos. Et occisi sunt quasi mille viri, vt patet primo Machab. cap. 2. postea autem alii Iudæi videntes, quod hoc modo omnes perire possent per fraudem, iudicauerunt, quod in diebus sabbathorum pugnarent se defendendo. De isto autem voto Iepte magis declarabitur Iudi. 11. cap.

Quam rudes essent Iudæi.

B

Ad 3.

Ad tertiam rationem, cum arguebatur, quod aliquando fiunt vota, quæ vergunt in detrimentum personę, dicendum, quod maceratio proprii corporis per vigilias, & ieiunia non est Deo accepta, nisi inquantum est opus virtutis. Actus autem virtutis est secundum determinationem rectæ rationis, & quantum ad hoc sunt Deo accepta, quæ fiunt, scilicet, inquantum fiunt ad refrenationem concupiscentiarum cum debita discretione. Cum autem exeunt metas rectæ rationis, non cadunt sub voto, nec Deo placita sunt. Propter hoc Apostolus ad Roma. 12. cap. postquam, dixit, Exhibeatis membra vestra hostiam viuentem sanctam, Deo placentem; addidit: Rationabile sit obsequium vestrum. Sed quia quantum ad ea, quæ homo habet ad seipsum faciliter fallitur cum interdum sit sibi fauorabilis, ista vota congruentius secundum arbitriũ alterius iudicantur, ideo Ecclesia statuit, quod in votis, quæ apparent dura, secundum arbitrium eius, qui præest iudicentur, scilicet, an teneant, vel non, & ad seruanda, vel mutanda sint, & in quid commutentur, vt patet extra de voto, & voti redemptione capit. de peregrinationibus. Cum vero arguebatur de indifferentibus, & vanis de quibus interdum fit votum, dicendum est, quod non debẽt seruari si talia sint proprie indifferentia, quia in vouendo talia, & seruando esset homo superstitiosus, & stultus, ideo dicebat Beatus Thom. de Aquino, quod talia magis sunt dimittenda, quam seruanda.

Quãdo fiut vota indiscreta qualiter obseruãda sunt.

C

Ad 4.

Host. autem dicebat, quod erant seruanda, sed hoc supra declaratum est. Ad quartam rationem cum arguebatur de impossibilibus, quæ aliquando vouentur, & tamen illa non sunt meliora bona. Respondendum est, quod voueri impossibile contingit dupliciter: vno modo, quod res sit impossibilis, quando vouetur, & cognoscatur esse impossibilis: alio modo, quod à principio fuerit possibilis, & leuis impleri, postea autem efficiatur à casu impossibilis. Si primo modo dicendum, quod impossibile non cadit sub voto, sicut non cadit necessarium necessitate absoluta, immo minus cadit quam necessarium, quamquam nõ sit nobis liberum: tamen sit per nos, vel patimur nos illud. Quod autem est impossibile, nec agimus, nec patimur, stultum ergo foret, si quis voueret impossibila. si autem id quod vouetur à principio erat possibile tamen postea efficiatur impossibile propter languorem, aut infirmitatem, vel paupertatem aut alias causas, sicut dicebatur in arguendo, votum tenut à principio, quia factum est de re possibili licita, & honesta, ideo postea debet dare operam ipse, qui vouit, vt compleat: si autem efficiatur sibi impossibile, non tenetur, debet tamen aspicere an deuenerit in istam impossibilitatem ex culpa sua, & tunc dolebit, quod per accidens ipse fuerit causa fractionis voti, & tamen nihil vltra agere tenebitur re facta impossibili: si aũt non accidit impossibilitas ex culpa sua nõ tenebitur dolere, nec aliquid alterũagere.

Ad 3.

Impossibile non cadere sub voto. Vide infra q. 50. ad tertiũ.

D

An idem opus sit magis meritorium cum voto, quam sine voto.

QVÆSTIO XLX.

QVæretur amplius de voto, s. an idem opus sit magis meritorium, vel minus cum voto, an sine voto, sicut si quis obseruet castitatem ex voto, & alius sine voto cæteris partib. quis horum magis mereatur. Et arguitur, quod magis meritorium est agere sine voto, quia omnis operatio humana hẽt rationẽ boni, vel mali, in quantum reperitur in ea ratio libertatis, & quãto est magis libera est magis bona, vel magis mala. Quod aũt est totaliter inuolũtarium, nõ est laudabile, nec vituperabile vt patet 3. Eth. sed quod sit sine voto est pure liberũ, ꝙ aũt ex voto hẽt necessitatẽ, nõ magis meritorium, vel demeritoriũ erit, quod sit sine voto, quã cũ voto. Et si aliquis respondeat, quod votum non hẽt necessitatem absolutam, sed necessitatẽ finis, vel ex præsuppositione. Adhuc non videtur satisfacere, quia necesse est in voto dari aliquam necessitatẽ qualiscunq; illa sit: sed sine voto non est aliqua necessitas, ergo magis liberum est agere sine voto, & consequenter magis laudabile cũ bonum fuerit. Item patet hoc, quia dicit Prosper in 2. li. De vita contemplatiua: Sic abstinere, vel ieiunare debemus, vt nos non necessitati ieiunandi subdamus, ne iam non deuoti, sed inuiti rem voluntariam faciamus, sed ille, qui vouet ieiunium subdit se necessitati ieiunandi, ergo melius esset, si ieiunaret sine voto. Item Apost. 2 ad Cor. cap. 9. dicit. Vnusquisq; prout destinauit in corde suo, nõ ex tristitia, aut necessitate, hilarem n. datorem diligit Deus, sed quidam ea, quæ vouent ex tristitia faciunt, & hoc videtur procedere ex necessitate, quam votum imponit, quia necessitas est contristans, vt patet 5. Meta. ergo melius est aliquid facere sine voto, quam cum voto. Itẽ votũ necessarium est ad hoc, quod firmetur voluntas ad rem, quam vouet, vt supra fuit declaratum, sed nullus põt magis firmari in aliquo operabili, quã cum illud actualiter facit, ergo melius est sine voto agere, quia tunc inducetur necessitas, quã voleba mus per votum inducere. Itẽ quãto aliquod bonum opus est cũ maiori delectatione tanto est magis virtuosum, quia signũ generati habitus est fieri delectationẽ in opere 2. Ethi. sed qui agit ex voto nõ agit ex tanta delectatione, sicut qui sine voto, quia qui non vouit operatur ex inclinatione, sc. quia vult, qui aũt vouit iam ex necessitate operatur, iõ minus delectabiliter, quod patet, quia operatio illa est delectabilis, quæ est conformis naturæ, vt patet in fine 7. Ethi. sed esse liberum est naturæ humanæ conditio, & qui agit ex voto non agit ex plena libertate, qui aũt sine voto agit liberrime, iõ delectabilius operabitur, qui sine voto, & consequenter virtuosius, & magis meritorie. In contrariũ videtur, quod melius sit agere ex voto, quia magis meritoriũ ẽ habere actum duarum virtutum quã vni 9, sed qui agit ex voto hẽt actum duarũ virtutum, & qui agit sine voto hẽt actum vnius tantũ virtutis, ergo magis meretur, qui agit ex voto. Antecedẽs patet, quia qui agit ex voto, s. vouẽdo continere hẽt primo actũ latriæ inquantũ ordinat istum actũ in Deũ per promissionẽ, & illa promissio est quoddã obsequiũ. Hẽt ẽt actũ secũdæ virtutis, s. temperantiæ cuius est cõtinere, vel abstinere, si aũt aliquis sine voto abstineret solũ harẽt actũ temperantiæ, ergo magis meretur, qui vouit. Itẽ dato, quod in actu votiuo esset actus vnius virtutis solũ, adhuc illa perfectius operaretur, quã sine voto, quia vouere pertinet ad principaliorẽ virtutẽ, s. ad latriam, vt supra fuit declaratũ, agere aut sine voto pertinet ad alias virtutes minores, s. ad temperantiã fortitudinem, & similes, habẽt se tamen sic actus virtutis, sicut ipsę virtutes, s. quod actus principalioris virtutis est principalior, actus minoris virtutis est minor, & propter hoc dicitur 1. Eth. quod felicitas sit actus principalissimæ virtutis, quia est felicitas summũ bonũ. ẽt colligitur hoc ex 8. Eth. ergo votũ ꝙ est à latria, quæ est principalis erit excellẽtius quã operatio sine voto, quę est à minoribus virtutib. Itẽ dicitur in Ps. Vouete, & reddite Domino: si tamen non esset magis meritoriũ agere ex voto, quam sine illo non admoneret Scriptura ad hoc, quia esset votum superuacuum. Item super istum locum Psalmi Vouete, & reddite, Glossa dicit vouere voluntati consulitur

Arg 1.

Cap. 1.

E

Cap. 3.

F

sed

A

ſed conſilium non eſt niſi de meliori bono. ergo melius eſt facere aliquid ex voto, quam ſine voto. Item perfectius eſt cõplere actus duorum conſiliorum, quam vnius, ſed qui vouet complet in ſe duo conſilia, qui autem ſine voto agit, vnum tantum complet ergo melius eſt vouere. Primum patet, quia quodlibet de conſiliis dicit aliquam perfectionem, ergo melius eſt duo adimplere, quam vnũ. Secundum patet, quia qui vouet complet duo conſilia. Primum eſt, quia vouet, obligare autem ſe per votum pertinet ad conſilium, vt dictum eſt. Secundum conſilium eſt quantum ad id, quod vouetur, quia votum proprie eſt de operibus ſupererogationis, vt ſupra fuit declaratum, & iſta cadunt ſub conſilio, qui autem operatur iſta ſine voto ſolum complet vnum conſilium, ſcilicet, quia agit vnum opus ſupererogationis. Reſpondendum ad quæſtionem, quod magis meritorium, & laudabile eſt agere aliquid cum voto, quam ſine voto, ad quod poſſunt eſſe multæ rationes. Prima eſt, quod vouere eſt actus latiæ, quæ eſt virtus multum excellens, immo nobiliſſima inter omnes morales, nobilioris autem virtutis eſt opus melius, & magis meritorium, vnde actus inferioris virtutis eſt melior, & magis meritorius ex hoc, quod imperatur à ſuperiori virtute, cuius actus ſit per imperium. Patet autem hoc ex comparatione theologicarum virtutum ad morales: ſicut enim inter theologicas excellentior eſt charitas, ita inter morales nobiliſſima eſt latria, ſed in theologicis ſic eſt, quod actus fidei, & ſpei,

Magis laudabile & meritorium eſt aliquid agere ex voto q̃ ſine voto.

B

quæ ſunt minores virtutes eſt perfectior quando imperatur à charitate, quam ſi non imperetur, ergo ſic erit de latria ad virtutes minorales. Aſſumptum patet, quia ſi aliquis habeat actum fidei per charitatem, ſcilicet, quod aſſentiamus alicui articulo, quia charitas iubet captiuari intellectum in obſequium Chriſti perfectior eſt ille actus fidei, quam ſi ſolum eſſet ex fide ſine charitatis imperio. Idem eſt de actu ſpei. De moralibus autem reſpectu latriæ ſic ſe habebit: latria enim eſt excellentiſſima inter morales, & habet ordinare actus omnium aliarum moralium per imperium in Deum, qui eſt finis ſuus: ergo cum ille ordinatæ fuerint per latriam perfectiores erunt quam ſine latria. ſed vouere eſt actus latriæ, ergo cũ aliquis ieiunauerit, vel continuerit ex voto melius operatur quam ſine voto: ſic enim dicit Auguſt. in lib. de virg. quod nec ipſa virginitas, quia virginitas, ſed quia Deo dicata eſt honoratur, quam vouet, & ſeruat continentia pietatis. Sed obiicietur contra hoc, quia etiamſi non voueamus poſſumus habere actum latriæ, quia virtutes morales ſecundum ſe non diriguntur in Deum, ſed in quoſdam alios fines magis particulares, ſicut patet de temperantia, fortitudine, iuſtitia, eutrapelia, quæ ordinantur ad quædam bona humana. Cum autem aliquis habuit actus iſtarum virtutum ſolum, non operabitur propter Deum, vt ſi contineat, vel ieiunet. Si tamen aliquis proptet Deum ieiunet, vel exponat ſed ad mortem, aut elargiatur pauperibus eleemoſynas, ordinabũtur hi actus trium

C

virtutum moralium in Deum, & hoc per latriam, nam nulla virtus poteſt per ſeipſam ordinare actuum ſuum niſi in finem ſibi præſtitutum. Cum autem ordinatur ad finem altiorem eleuatur per aliam virtutem ordinantem ipſam, & vtentem ea per imperium: ſic enim fit de iuſtitia legali reſpectu omnium virtutum moralium, quia aliæ ſunt in bona particularia humana, iuſtitia autem legalis eſt in bonum commune, ideo ordinat actu omnium aliarum virtutum in bonum commune, vt patet 5. Ethic. circa principium. Sic igitur latria erit ordinans actum omnium virtutum moralium in Deum, ſcilicet, faciens, quod propter Deum iuſte, temperate, liberaliter, & fortiter agamus, & iſtud contingit ſine voto, ergo ita diriget latria alias virtutes morales ſine voto, ſicut cum voto, & cõſequenter erit ita meritorium operari ſine voto, ſicut cum illo, quia iſta perfectio voti ſolum prouenit ex latria.

Reſpondendum, quod ſine voto poſſunt ordinari actus virtutum moralium in Deum, ideo generaliter quandocunque operamur ſecundum aliquam moralem virtutem propter Deum, eſt ibi operatio latriæ dirigentis actum illius virtutis moralis in Deum, ſed adhuc magis meritorium eſt, cum agimus aliquid ex voto, quam ſine voto, & hoc, quia quando aliquis agit ex voto, habet duos actus latriæ, cum vero ſine voto habet vnicum, vnde accipiendo, quod aliquis contineat ex voto ſunt hic tres actus: vnius eſt actus temperantiæ adquam pertinet continere. Alius eſt actus latriæ inquantum propter

In voto eſt actꝰ duarũ virtutũ ſine voto vniꝰ tantum

Deum ſolum continemus. Tertius eſt etiam actus latriæ inquantum ei quandam aliam ſpecialem cultus cæremoniam exhibemus obligantes nos ei ad continendum, quæ obligatio per ſeipſam ſolam eſt actus latriæ, etiam ſine actu priori. Cum vero aliquis continet propter Deum ſine voto ſunt duo actus virtutis, primus eſt temperantiæ, cuius eſt continere. Secundus eſt latriæ, quæ ordinat iſtam continentiam in Deũ. Perfectius ergo erat votum, in quo erant tres actus virtutis, & duo erant actus latriæ, quam operatio ſine voto, in qua ſunt ſolum duo actus virtutis, & vnicus eſt actus latriæ. Alia ratio adhuc eſt, quia ille, qui vouet aliquid, & facit plus ſe Deo ſubiicit, quam ille, qui ſolum facit, quia qui vouet ſubiicit ſe Deo non ſolum quantum ad actum, ſed etiam quantum ad poteſtatem agendi, ſcilicet vt non ſolum aliquid agamus propter Deum, ſed etiam, quod de cætero nihil nobis facere liceat, niſi quod Deus vult, & hoc nimis eſt, plus enim quis donat voluntatem ſuam ſubiiciendo Deo etiamſi non voueat aliquem actum determinate, quam ſi multos actus faciat non obiiciens voluntatem ſuam, ſicut plus daret alicui, qui daret ei arborem cum fructibus quam qui daret illi fructus tãtum, vt dicit Anſelmus in libro de ſimilitudinibus. Quod etiam votum ſecundum ſe ſine aliqua operatione ſequenti ſit meritorium apparet, quia ſic ſe habet votum noſtrum ad Deum, ſicut promiſſiones de benefaciendo inter homines, ſed non ſolum alicui gratias impendimus cum nobis benefacit, ſed etiam cum benefacere promittit ergo Deus non ſolum acceprat cum aliquid agimus, ſed etiam cum agere vouemus. Item alia ratio ad hoc eſt, quod voluntas noſtra firmatur per votum immobiliter in bonum, facere autem aliquid ex voluntate firmata pertinet ad perfectionem virtutis, vt patet 2. Ethic. vbi Philoſophus ponit tria requiſita ad virtutem, ſcilicet, quod in operatione ſit homo ſciens, & volens, & impermutabiliter operans, ſic autem è contrario peccatum, quod mente firmata fit in malo dicitur fieri per obſtinationem, & illud eſt nimis graue, ergo è contrario mens firmata in bonum faciet actum excellentiorem. Quod autem dicitur de firmitate mentis in voto non eſt intelligendum ſolum quantum ad obligationem, per quam determinatur quis ad faciendum ſic, & nõ aliter, ſed intelligitur de quadam firmitate mentis, quæ eſt totaliter ſe diſponere ad aliquid faciendum, & per hanc firmitatem nimis homo meretur, quia quanto aliquis eſt magis firmatus tanto eſt magis voluntarius. Cum enim quis nondum vouit habet voluntatem non firmam, ideo interdum operatur cum vult. rurſus autem cum noluerit, non operatur, & ſic fluctuat, qui autem vouet niſi forte indeliberato animo agat, quod proprie non eſt votum, primo ſe totaliter determinat ad ſemper ſic faciendum, & quia ſic deliberat vouet: ideo firmitas mentis eſt ſimul cum voto, & tamen eſt præter obligationem voti.

F

Ad rationes in contrarium reſpondetur. Ad primam cum dicebatur, quod quanto aliquid eſt magis liberum, tanto eſt magis meritorium cæteris partibus concedendum eſt. Cum vero obiicitur, quod ea: quæ ſunt ſine voto ſunt magis libera, negandum eſt. Nam quamquam aliqua neceſſitas ſit in voto: tamen illa non tollit, nec diminuit libertatem. Deus enim neceſſario bene ſe habet, & bene operatur: tamen liberrimus eſt in operatione. Cum autem obiiciebatur, quod quamquam nõ ſit neceſſitas abſoluta in voto, eſt tamen neceſſitas ex preſuppoſitione finis, ergo ſaltem ex hac parte minus liber eſt, qui vouet.

Ad rationem in principio.

Reſpondendum eſt non valere: hoc enim eſſet ſi neceſſarium per ſe opponeretur libero, vel voluntario, quia tunc quæcunque pars neceſſitatis diminueret aliquam partem libertatis, ſed falſum eſt: eſt enim contrarium libero, vel volũtario coactum, & de hoc verum eſt, quod coactio ſimpliciter aufert totaliter voluntarium, & quæcunque pars coactionis aufert aliquid de libertate, ſed in voto nulla coactio eſt, nec ante emiſſionem voti, nec poſt: licet ſit ibi neceſſitas ex preſuppoſitione finis: ergo non tollitur libertatis aliqua pars per votum. Aliter dici poſſet de neceſſitate voti, quod etiam neceſſitas, quæ eſt ex præſuppoſitione finis non eſt ſimpliciter in vouente, quia vouentes aliquando fuerunt ſine omni neceſſitate, ideo ex voluntate vouendi, quando erant pure abſoluti à neceſſitate omnes actus poſteriores ſunt pure liberi: ſi enim illi, qui ex voto agunt ſemper fuiſſent neceſſitati ad agẽ-

dum,

dum, verum esset, quod per votum esset operatio minus libera aliqualiter, quam alias foret, & tamen ipsi se voluntarie subdiderunt ideo ex hoc magis merentur. Sed prima responsio melior est.

Alia solutio. Aliter responderi potest, quod illi, qui vouent non solum non sunt minus liberi, sed etiam sunt magis liberi, quia libertas pertinet ad voluntatem, ideo quantum aliquis agit rem magis voluntarie tanto magis libere, sed qui vouet agit magis voluntarie cum voluntas eius sit firmata, & determinata magis ad operationes, voluntas autem non vouentis non est tãtum determinata, sed fluctuat, ideo ex hoc minus volens est.

Ad 2. Ad secundam rationem de auctoritate Prosperi quantum ad necessitatem ieiunandi, dicendum est, quod intelligitur illa auctoritas quantum ad necessitatem coactionis, & non quantum ad necessitatem voti, ideo signanter dicitur in eadem auctoritate, neiam non deuoti, sed inuiti rem voluntariam faciamus, necessitas autem coactionis inuoluntarium causat, & deuotionem excludit: necessitas vero voti est per immutabilitatem voluntatis, vnde voluntatem confirmat, & deuotionem auget, & sic ista non prohibetur, sed magis consummatur. *Ad 3.* Ad tertiam rationem de dicto Apostoli, dicendum quod necessitas faciendi non causat semper tristitiam, quia in Deo B est summa delectatio, vt probat Aristot. 12. Meta. & 7. Ethic. ipse tamen necessario bene agit, sed necessitas coactionis inquantum est contraria voluntati tristitiam causat secundum Philosophum 5. Metaph. necessitas autem, quæ est ex præsuppositione finis non causat tristitiam in illis, qui bene dispositi sunt in anima, sed magis voluntatem confirmat, & gaudium generat. Si enim homines scirent in potestate sua simpliciter constitutum bonũ agere, langueret virtus mentis circa istud. Cum vero sibi sciunt incumbere aliquid agendum, confortãt se ad illud exequendum, & faciliter exequuntur, per hanc autem executionem bene dispositi postea in operatione gaudent, nam habitus ex operatione gignitur, sed habitus superueniens facit delectationem esse in operibus, vt patet 2. Ethi. vnde Aug. dicit in Epistola ad Armentarium, & Paulinũ: Non te pœniteat vouisse, immo gaude iam tibi sic non licere quod cum tuo detrimento licuisset. Sed adhuc posito, quod aliquis à principio, qui fuit feruens in voto efficiatur tepidus, vel frigidus, ita vt doleat de voto emisso, si tamen adhuc maneat voluntas implendi votum, & impleat cum illa tristitia, magis meritorium esset, quam si fieret sine voto, & hoc, quia licet ad actum materialem voti sit tristitia, tamen respectu voti nõ est aliqua, ideo ipse vouens vult explere votum cum expleat: tamen actus materialis est sibi difficilis, impletio autem voti est actus religionis, quæ est potior virtus, quam abstinentia, cuius actus est ieiunare, vel quam continentia, cuius est cohibere libidines, ideo magis meretur explens votum cum tristitia, quam ille, qui nõ vouens facit quod facit vouens, etiam cum gaudio.

Ad quartam rationem respondetur, quando dicebatur, quod votum est ad firmandum voluntatem, sed non potest magis firmari, quam cum quis actualiter operatur, etiamsi sine voto. Dicendum, quod ille, qui facit aliquid sine voto, habet immobilem voluntatem respectu illius operis singularis quod facit, & tunc cum facit solum quod quidem non est, ex aliqua firmitate voluntatis per libertatem, sed ex necessitate rei, quia volũtas dũ vult, necessario vult. & oẽ quod fit, vel est, dũ fit, vel ẽ necessario fit, vel est, quia ista sũt in sensu cõposito. & sic est accipiendum omnis propositio de præsenti inquantum est de præsenti, scil. reduplicando conditionem temporis, sc. cum, vel dum, & ista firmitas voluntatis non est aliqualiter meritoria, quia non est liberũ volũtati sic se firmare. Qui autem facit ex voto aliter habet voluntatem firmam, nam cũ agit est firma voluntas ex conditione rei, & hoc non attinet ad votum. manet etiam firmitas voluntatis pro futuro, quia firmiter determinat ille, qui aliquid vouet semper se sic facturum, sicut aliquando facit, & hoc quando votum est perpetuum: si autem sit ad aliquod tempus durans, non solum firmatur voluntas vouentis in illo actu, quem actualiter habet, sed ẽt ad omnes futuros actus, si vero votum sit devnico actu, vt siquis vouit se vna die ieiunaturum, manet voluntas firmata respectu futuri, quia quando ille actus vouetur, adhuc futurus est, tamen vouens firmiter se determinat ad illum firmiter exequendum.

Actus voti cõpletiuꝰ licet alias quando sit cum tristitia magis meritorius est q̃ actus delectabilis sine voto C *& qũo intelligitur vide supra Hoc idem tenent Doct. aliqui. 4. Sent. & S. Tho. 2. 2. q. 88. ar. 6 Ad 4. Qua sit firmitas, qua inducitur per votũ in operatione.*

Ad quintam rationem, cum dicebatur, quod qui agit ex voto agit ex minori delectatione, negandum est, & cum dicitur, quod est ibi aliqua necessitas. ergo minor libertas, & consequenter minor delectatio, neganda consequentia. Nam necessitas non repugnat libertati, sed coactio, vt supra declaratũ est. Aliter poterat dici, quod interdum contingit, quod vouentes cum tristitia operentur, licet hoc sit nimis accidentale voto, tamen adhuc tunc dicebatur, quod erat magis meritorium agere ex voto, & cum tristitia, quam sine voto, & delectabiliter, ideo pro hoc negandum est antecedens, scil: quod opus bonum tanto est magis virtuosum, quanto est cum maiori delectatione: intelligendum est enim cæteris paribus, vt scilicet, si sit idem actus, & ab eadem virtute, si tamen sint diuersæ virtutes, actus ille, qui est cum tristitia poterit esse excellentior eo, qui est cum delectatione, vt siquis operetur per fortitudinem circa magna terribilia, vel per temperantiam abstinendo à magnis delectabilibus, manifestum est, quod nimis excedit ad eum, qui operatur per eutrapeliam, vel affabilitatem, etiam si delectabiliter, eo quod fortitudo, & temperantia sint de maximis virtutibus, eutrapelia autem forte omnium minima est. ita de operatione, quæ est cum voto, & illa, quæ est sine voto, quia votum est actus latriæ, & completio eius inquantum est: votum etiam pertinet ad latriam, facere autem sine voto pertinet ad minores virtutes, ideo quamquã sit actus voti in complendo cum tristitia, est maior, quã actus sine voto cum delectatione, quia ille pertinet ad minores virtutes. D *Ad 5.* *Nota quõ intelligitur, q̃ delectabilis operatio in eodẽ genere semper est magis meritoria, q̃ operatio tristis.* E

An omne votum factum ab eo, qui vouere potest, & non impedito obliget, & de votis obligantibus, & non obligantibus, ac de votis monachorum.

QVÆSTIO L.

QVæretur vlterius de voto an omne votum obliget, & non est intelligendum hoc absolute, quia sic manifestũ est, quod non obligat omne votum, cum multa vota fiant ab illis, qui non possunt vouere, vt à paruulis, & furiosis, & generaliter ab omnibus, qui non sunt sui iuris quãtum ad id, quod vouent. Etiam, quia aliquando fiunt vota de rebus illicitis, quæ non cadunt sub voto, & de his nemo dubitat, quod votum non teneat: sed posito, quod votum fiat ab illo, qui vouere potest, & de re illa, quæ cadit sub voto, & sic de cæteris conditionibus voti, tunc est dubium, an omne votum teneat. Et videtur, quod non, quia votum est promissio facta Deo, per promissionem autem acquiritur ius ei, cui fit promissio si acceptet promissionem: si autem non acceptet nihil acquiritur, vt patet in stipulantibus, sed sic est de promissionibus, quæ fiunt inter homines, quod nemo sanæ mentis curat acceptare promissionem illam, quæ est penitus de re inutili, & sic est de omnibus promissionibus nostris respectu Dei: ergo nullam acceptabit, & consequenter non manebit obligatio in voto. Antecedens patet, quia vtilitas est ad supplendam indigentiam: Deus aut bonorum nostrorum non indiget, ideo non acceptabit votum, quia erit sibi inutile. *Arguitur 1. q̃ non.* Item magis indiget homo eis, quæ promittuntur sibi per alium hominem quam Deus eis, quæ nos ei vouemus, cum bonorum nostrorum, nequaquam egeat, sed promissio simpliciter homini facta nõ obligat ad obseruandum secundum constitutionem legis humanæ, quia videtur esse propter mutabilitatem voluntatis humanæ institutæ: ergo multominus promissio simpliciter facta Deo, quia dicitur, votum obligabit ad obseruandum. Item nemo potest ad impossibile obligari: sed quandoque quis vouet id, quod fit ei postea impossibile, vt si aliquis promittat quidquam, postea nequaquam potest adimplere, & tamen à principio poterat: velut si quis ingrediatur religionem factis aliquibus votis in sæculo, postea non poterit illa complere, si prælatus repugnet: vel voueat peregrinationem, & efficitur ita languens, quod nec per se, nec ab aliis portari potest: ergo videtur quod non obliget omne votum. *Secũda.* Item id ad cuius solutionem est aliquis obligatus statim soluere tenetur, sed aliquis non tenetur soluere statim votum præcipue si sub conditione futura vouit: ergo non est semper obligatorium votum. *Tertio.* In contrarium arguitur, quia dicitur Eccle. cap. 5. quodcunque voueris redde, multoque melius est non F vouere,

A

vouere, quam poſt votum promiſſa non reddere: ergo omne votũ obligat. Item ſi non obligaret oẽ votum, non eſt peccatũ in non reddendo, ſed peccatum eſt cum non reddimus, & nõ ſolum cum non reddimus, ſed ẽt cum moramur in reddendo: ergo omne votum obligat. De hoc Deut. cap. 23. ſcilicet, cum votum voueris domino Deo tuo non tardabis reddere, quia requiret illud Deus tuus, & ſi moratus fueris reputabitur tibi in peccatum. Ad quæſtionem reſpondendũ eſt, quod ſi obſeruentur omnes conditiones voti, ſcilicet, quod fiat ab illo, qui poteſt vouere, & de re, quæ ſub voto cadit, & ſic de omnibus conditionibus obligabit. Hoc autem, quia ad fidelitatem hominis pertinet, vt obſeruet illa quæ promiſit: vnde dicitur aliquis fidelitatem habere in hoc præcipue, quod non facit irritum verbum ſuum, & ſi homo obligatur homini reddere, quæ promiſit, quia recta ratio dictat hoc eſſe ſeruandum: multo magis debet homo obſeruare promiſſa ad Deum, quia lõge grauius eſt æternam, quam temporalem offendere maieſtatem: extra de hæret. c. vergentis. Debet autem homo fidelitatem Deo, tum ratione domini, quia vniuerſalis dominus eſt, tum ratione beneficii, quia quidquid ſumus & habemus ipſe contulit: in ipſo enim ſumus, viuimus & mouemur Actu. 17. c. Ad hanc ergo fidelitatem pertinet, vt homo maxime obſeruet vota facta Deo: ideo fractio voti eſt quædam ſpecies infidelitatis. Vnde Eccleſ. c. 5. dicitur. Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere: diſplicet enim ei infidelis, & ſtulta promiſſio. Eſt autem promiſſio infidelis quando non ſeruatur, quod promittitur. Ad rationem reſpondendum. Ad primam cum dicebatur quod votum non obligat, quia Deus non acceptat illud: reſpondendum eſt, quod acceptat: immo ſi vota fiant diſcrete Deus multum acceptat ea: & propter hoc ſæpe in ſcriptura conſulitur, quod voueamus. & cum dicitur, quod promiſſio noſtra eſt Deo inutilis, ideo non acceptat. Dicendum, quod quamquam ſit inutilis reſpectu Dei, ſcilicet, quod nulla indigentia eius ſubleuatur per votum noſtrum, nec etiam aliquod bonum ei acquiritur: tamen eſt nobis vtilis promiſſio voti, quia per eam magis meremur, ideo Deus acceptat illam non vt ipſe creſcat ex bonis noſtris, ſed vt nos creſcamus in eo per bona, quæ ei promittimus. Aliter dici poteſt, quod licet votum noſtrum non ſit Deo vtile: eſt tamen ei gratum, ſc. quia votum ſit de bonis, vt ſupra dictum eſt: Deus autem eſt ſummum bonum: ideo quantum ad hoc omnia bona habent quandam ſimilitudinem cum eo: ipſe vero ea, quæ ſibi ſimilia ſunt diligit: ideo gratum eſt ſibi votum noſtrum & acceptat illud: nam ad acceptandũ aliquid, non ſolum requiritur, quod ſit vtile: ideo interdum magis acceptamus ea, quæ grata ſunt ſi ſint delectabilia, quamquam inde nulla ſequatur vtilitas. Sic autem eſt de votis noſtris reſpectu Dei, ideo acceptat illæ.

B

Ad 1. rationẽ.

C

Ad 2.

Ad ſecundam rationem dicendum, quod homo obligatur Deo per promiſſionem, & obligatur homini etiamſi promiſſio non habeat ſecum alias cæremonias iuris poſitiui: eo quod iſta promiſſio habet obligationem de iure naturali, cum ratio noſtra dictet ſemper eſſe veritatem tenendam, & obſeruandas promiſſiones. Eſt autem iſta promiſſio de iure naturali habens vigorem, & propter hoc ſi aliquis promiſerit alteri aliquid dare, quamquam non ſint alia verba, quæ inducant obligationem de iure ciuili: tamen tenetur dare, quod promiſit, & peccat mortaliter ſi non dederit. De voto autem reſpectu Dei ſic eſt, quod obligatur homo ei per ſimplicem promiſſionem: quia reſpectu eius non ſunt obſeruandæ cæremoniæ iuris ciuilis, ſed ſicut ipſe dedit nobis ius naturale in cordibus noſtris, quod eſt dictamen rationis, de quo Apoſtolus ad Ro. c. 2. ita vult, vt nos per ius naturale, ſc. per dictamen conſcientiæ noſtræ nos ad Deum habeamus, ſed ſecundum ius naturale nihil magis obligat promiſſio ſimpliciter facta, quam ſi veſtiatur verbis, vel aliis cæremoniis inducentibus obligationẽ de iure ciuili: ergo votum ſimpliciter emiſſum obligabit.

Ad 3.

Ad tertiã rationem cum dicebatur, quod impoſſibilium non eſt obligatio: reſpondendum eſt, quod vota ſi à principio fiant de impoſſibilibus nulla ſunt, vt ſi aliquis voueat ſe nunquam moriturum, ſed de hoc non arguebatur. fiunt autem aliquando res promiſſæ impoſſibiles, ſcil. quod à principio erant poſſibiles: poſtea autem ex aliquo caſu efficiuntur impoſſibiles, & de hoc arguebatur. In quo dicendum eſt, quod qui vouit, debet attendere, an culpa ſua prouenit iſta impoſſibilitas: ſi autem ſine culpa ſatis eſt, quod habeat animum paratum ad exequendum iſta ſi aliquando redierit poſſibilitas faciendi. Si vero culpa ſua prouenit impoſſibilitas doleat, quia ipſe fuit aliqualis occaſio non implendi votum: ſemper tamen habeat animum paratum, vt ſi forte aliquando contigerit iſta eſſe poſſibilia operetur ea. De duobus autem caſibus, qui proponebantur dicendum eſt: & primo de ingrediente religionem dicetur, quod ſi aliqua vota fecit in ſæculo ſi compleri poſſunt non repugnando ſtatui religionis debet petere à prælato ſuo, vt concedat ei licentiam implendi hæc, quæ ſi concedatur explebit illa: ſi autem cõcedatur non tenebitur adimplere. Nec tamen multum dolendum eſt iſti, quod ipſe ſciens ingreſſus eſt religionem nondum expletis votis, quia obſeruatio votorum religionis eſt maioris perfectionis, quam omnia vota, quæ in ſæculo fieri poſſunt: ideo nõ eſt aliquod votum, quod per ingreſſum religionis non poſſit commutari, vt patet extra de voto, & voti redempt. c. ſcripturæ. De hoc autem magis infra dicetur.

Quid agendũ ſit de eo qui vo-

De ſecundo caſu, ſcilic. de promittente peregrinationem, dicendum eſt, quod ſi impoſſibile eſt ſibi illuc ire propriis pedibus, vt pote quia incidit in podagram, vel alios magnos languores, debet ſi potuerit ſaltem equitans peregrinari. Si autem nec ſic potuerit debet auctoritate diocæſani commutari votum in aliquem alterum pium actum, vt in ieiunia, orationes, vel eleemoſynas, & ſimilia, vt patet extra de voto, & voti redemp. c. de peregrinatione. Quid aũt ſi iſte totaliter fuerit factus impotens, vt ſi ſit pauper & languens valde, ſ. quod nec orare, nec ieiunare, nec ſimilia facere poſſit? dicendum quod tunc expletio voti eſt ſibi penitus impoſſibilis, & impoſſibilibus deficit obligatio, & non eſt imponendum aliquid per ſuperiorem, ſed abſoluetur à voto: cum hoc tamen quod ſi peruenerit ad poſſibilitatem alicuius horum votum expleat, vel aliquid pro commutatione det.

D

uit aliquid & non põt adimplere vi de ſupra q. 48. ad 4.

Quid de illo qui vouit peregrinationẽ efficitur totaliter impotens.

E

Ad quartam rationem quando dicebatur, quod id ad cuius ſolutionem aliquis eſt obligatus immediate ſoluere tenetur, reſpondendum eſt, quod ſi aliquis vouit, aut cum conditione vouit, aut non: ſi cum conditione, non tenetur vſquequo cõditio fuerit adimpleta: ſi autem ſine conditione, aut limitauit tempus, in quo redderet, aut non: ſi primo modo tenetur, quando aduenerit tempus limitatum: ſi autem non limitatũ eſt tempus ſecundum iura obligabatur immediate ſoluere: Deus tamen magis reſpicit habitudinem conſcientiæ, quam poſitionem iuris. Ideo dicendum, quod aut intentio ſua fuit ad immediate ſe obligandum ad ſoluendum aut non: ſi primo modo, debet immediate ſoluere: ſi autem ſecundo modo, debet tam citius ſoluere quam commode potuerit, de hoc tñ adhuc infra magis ſpecialiter inquiretur.

F

De obligatione votorum.

QVÆSTIO LI.

QVæretur vlterius circa hoc de votis obligantibus, vel non obligantibus, ſcil. quid ſi aliquis vouit intrare in aliquod monaſterium, & fratres illius nolunt eum recipere. Dicendum quod ipſe iam non poteſt implere votum, cum dependeat hoc ex ptãte alterius, qui non vult aſſenſum dare: ſi tamen iſte introierit in aliud monaſterium ſatisfaceret, ſed adhuc nõ obligatur ad hoc indifferenter. Pro quo ſciendum, quod iſte qui vouit intrare aliquod monaſterium habuit principaliter intentionem ſe obligandi ad aliquam religionem, & tamen elegit ſibi ſpecialiter ex conſequenti aliquod monaſterium, tanquam locum magis ſibi congruentem, & tunc ſi ibi non recipiatur tenetur intrare aliam religionem, & ſufficiens eſt: ſi autem principaliter intendebat ſe ad hanc religionem obligare, vel ad hunc locum propter ſpecialem complacentiã huius loci, vel religionis: non tenetur aliquam reliquam religionem intrare, ſi illi, qui ſunt in hac religione, vel monaſterio eum recipere noluerint. hoc tenet S. Tho. 2. 2. q. 88. art. 3. ſanius tamen eſſet, quod iſte ingrederetur aliquam religionem, ſed neceſſitas nulla eſt.

Vouens

Vouens intrare monasterium in quo volunt cum recipere, an teneatur intrare aliud.

QVÆSTIO LII.

QVæretur amplius, quid si iste, qui vouit intrare monasterium, in quo nō recipitur, vult intrare in alterum an possit intrare in quocunque voluerit, vel in quamcunque religionem. Respondendum est, quod de monasterio non est difficultas, scilicet an hic vel ibi. Est autem difficultas aliqua de religione, scilicet an possit intrare in laxiorem, vel cogatur introire in strictiorem. Pro quo respondendum est, quod aut iste qui sic intrat habuit primo intentionem se obligandi ad aliquam religionem specialiter, & non ad aliam, vel principaliter voluit obligari religioni, & ex consequenti elegit sibi hanc, vel illam, tanquam magis conuenientem. Si primo modo, dicendum quod potest introire in quamcunque religionem voluerit, siue in strictiorem, vel laxiorem, & causa est, quia iste non obligabatur introire in aliquam religionem cū non fuit receptus in illam, quam specialiter vouerat, & si intrat in aliquam magis est ex consilio, quam ex necessitate: ideo libertati eius relinquitur quam velit. Si autem intentio sua erat principaliter se obligare ad religionem, consequenter autem determinauit sibi hanc, vel illam tanquam magis conuenientem videbitur esse dubium, & tamen magis videtur, quod iste teneatur ad strictiorem, quam ad laxiorem religionem, & hoc quia semel cum se voluit obligare ad istam religionem specialiter disposuit se ad omnem asperitatem, quæ erat in hac religione. Si autem ad aliquam laxiorem rediret, non staret votum in virib. suis, quia iam minus ageret, quam vouerat. Rursus autem videtur difficultas, quia iste solum habuit voluntatem obligandi se ad tantam asperitatem, quanta erat in hac religione, & forte si proponeretur ei aliqua strictior religio, nollet eam vouere. Quod ergo obligetur ad id, quod ipse nullo modo volebat, satis videtur esse difficile. Est autem ista difficultas, quando in tota illa religione, quam vouit non recipitur. Secus autem si vouit introire in aliquo monasterio specialiter in casu dato, quia tunc si non recipiatur in illo, debet inquirere omnia alia monasteria illius ordinis, quia est æqualis strictio obseruationis: in casu tamen superiori, quando in tota religione non recipitur, quia vtrinque difficultas est: sanius videtur, quod consulatur diœcesanus qui potestatem habet in votis, vt patet extra de voto, & voti redemp. cap. 1.

Vouens intrare in vnum monasterium non receptus intrauit aliud, an teneatur redire ad illud volentibus illius monachis.

QVÆSTIO LIII.

QVæretur vlterius quid si aliquis vouens introire in aliquod monasterium, vel religionem non receptus est, & introiuit in alterum monasterium, vel religionem, & postea fratres illius ordinis, vel monasterii eum recipere volunt.

Respondendum est, quod aut ille non receptus est in monasterio, quod vouerat, sed in altero monasterio eiusdem ordinis, aut in monasterio alterius ordinis. Si primo modo facile est compleri votum, quia aut secundum consuetudinem monasteriorum ipse propria auctoritate potest recedere ab vno eundo in alterum, aut requiritur auctoritas superioris ad mutandum locum. Si primo modo debet inde recedere eundo ad monasterium, quod vouerat: si secundo modo debet petere licentiam à superiore, qui si concesserit tenetur impiere. Si autem nō manebit vel transibit ad monasterium, ad quod destinauerit eum superior, nec in hoc infringit votum, quia iam non est sui iuris ad complendum illud. Si autem receptus est in alia religione, aut illa est strictior, aut laxior debet redire ad illam, quam vouerat, & hoc potest facere auctoritate sua à superiore suo petita licentia, licet non obtenta: si autem religio, quam introiuit est strictior non potest redire ad illam quam vouerat auctoritate sua, vel prælati sui sine summi pontificis licentia, qui etiam non dēt eam dare sine aliqua causa iusta. Si dices nunquid debet petere eam à summo pontifice, vt impleat votum? Respondendum est, quod non debet, quoniam vota introducta sunt in fauorem Dei, non quidem tanquam vtilia sibi, sed vt eum magis colamus: non debent ergo vota esse directe ad impediendum, vel diminuendum cultum diuinum: ideo cum iste transierit ad statum perfectiorem diuini cultus. non debet petere licentiam redeundi ad statum imperfectiorem. Nec etiam ex hoc dicitur infringere votum, quia non est fractor voti, qui illud in melius commutauit, sed sic est hic, immo magis frangit si propter voti completionem velit redire à statu perfectioti ad imperfectiorem, quia iste videretur mittens manum ad aratrum, & respiciens retro.

Vouens dare pecuniam & perdens, an teneatur voto.

QVÆSTIO LIIII.

QVæretur vlterius quid si aliquis vouit pecuniam Deo dare in eleemosynam, & postea illam perdit, ita vt nequaquam possit dare?

Respondendum est, quod aut iste vouit specialiter dare aliquam pecuniam, vt si diceret ego voueo Deo istum florenum, vel istam duplam, vel fuit intentio sua dandi certam summam pecuniarum, siue esset de istis, siue de illis: si enim sit isto secundo modo, dicendum, quod si efficiatur pauper vouens, ita quod nullatenus reddere possit, aut istud venit propter culpam suam, scilicet, quod noluit votum soluere tempore, quo erat potens soluere, aut sine culpa: si ex culpa debet dolere, quod ipse fuerit causa huius non impletionis voti: & debet semper habere animum paratum ad implendum si forte venerit ad pinguiorem fortunam. Si tamen vellet, quod commutaretur istud votum in aliud melius auctoritate diœcesani, satisfaceret & cessaret obligatio primi voti, vt in orationem, vel in aliquid alterum quod melius esset: non tamen tenetur si voluerit, sed spectabit semper an aliquando efficiatur potens ad complendum votum, quod emisit. Si autem dicatur quod vouit aliquam specialem pecuniam dare, scilicet, istum florenum, vel istam duplam, & non aliquid alterū, dicere poterit aliquis, quod erit sicut de monasterio vt supra dicebatur, scilicet, quod si vouisset quis introire in aliquod monasterium spiritualiter, & ibi non reciperetur, non erat obligatus ad introeundum in alterum, cum non fuerit intentio sua principalis obligandi se religioni, sed solum de isto loco intendit. Ita de pecunia cum intentio alicuius fuerit specialiter dare aliquam pecuniam, & non aliam, si illa perdita fuerit: dicetur forte, quod non teneatur ad aliam, quamquam ad aliam dandam potens sit. Respondendum est, quod tenebitur ad aliam æqualem illi, quam vouerat: nam sicut declaratum fuit supra illa, quæ sunt pure indifferentia sunt superstitiosa: ideo non sunt talia obseruanda, sic autem quod votum solum compleatur de ista pecunia, & non de aliqua alia, quæ sit æquiualens isti, superstitiosum est: & ob hoc non debet curari quantum ad hanc partem, an ista, vel alia detur, tanquā nulla fuerit determinata. Et cum inducitur simile de introitu in monasterium aliquod speciale non est simile; quia quod aliquis introeat in istud monasterium, & nō in aliquod alterum non est superstitiosum, quod forte istud sit perfectioris vitæ omnibus aliis, vel istud sit cōueniens conditioni vouentis & nullum alterum: ideo tunc non obligatur ad alterum si non potest introire in istud. In pecunia autem promissa secus est, quia superstitiosum est promitti specialiter istam, vel illam pecuniam, & quod non possit dari aliqua alia æquiualens: ideo si fuerit aliqua alia nō est curandum an detur de illa, quæ promissa est, vel de alia: immo existente ipsa, quæ promissa est, & aliquibus aliis, non multum differebat, quod magis daretur de ipsa, quam de aliis si essent summæ penitus æquiualentes.

An mulier vouens virginitatem, & postea defiorata violenter teneatur obseruare continentiam.

QVÆSTIO LV.

QVæretur vlterius quid si aliqua mulier vouit virginitatem & postea violenter defiorata est. Respondendum est,

quod si forte ex aliqua culpa sua saltem leuissima data est occasio ad hoc, debet dolere, quod aliquo modo ipsa fuerit cā non impletionis voti: si autem non fuit ex caussa sua, quamquam esset conueniens dolere, quod accidisset aliquid contrarium voto suo tamen non cogitur, quia ipsa nihil peccauit propter quod doleat. Sed tunc quæretur an ista obseruare dēt postea continentiam, cum non possit iam obseruare virginitatē, vel possit contrahere. Aliquis forte dicet, quod poterit contrahere, quia ista specialiter vouit virginitatem, & iam impossibile est impleri, nec debet spectari aliquod tempus, in quo efficiatur possibile, sicut dicebatur de vouentibus pecunias si postea efficiantur pauperes, quod debent spectare, an postea perueniant ad pinguiorem fortunam, quia ibi quod aliquando non est possibile, postea efficitur possibile, hic aūt non est sic, quia illa, quæ semel virginitatem perdidit, impossibile est, quod sit virgo: iō quod possit redire ad quodcunq; voluerit, tanquam desperans de completione voti. Respondendum est falsum esse, quia si iam non pōt obseruare virginitatem dēt saltem obseruare continentiam abstinens vlterius ab omni coitu. Et patet simile, si aliquis vouit dare mille, & efficiatur impotens ad illa, possit tamen dare quinquaginta, tenebitur ad ea. ētsi aliqua mulier inter moniales vouerit virginitatem suam Deo, & postea violenter, vel spontaneè defloretur, non erit propter hoc absoluta ab obseruatione continentiæ, sed tenebitur semper continere, quamquam non sit virgo: alias n. daretur occasio fraudi, sc. quod aliquis ageret semel contra votum, vt dissolueretur obligatio eius, iō manebit. Item simile est si aliquis promittit alicui soluere centum in certa die, dato quod non possit soluere in die illa, tenebitur vltra: ita ergo cum in virginitate sint duo, sc. nunquam fuisse delectationem veneream, & nunquam vlterius experiri, si aliquis voueat vtrumq; quādo vouere potest, & postea tollatur alterum eorum, scil. quod aliquando sit expertus delectationem veneream, dēt tamen obseruare secundum, scil. quod nunquam vlterius eam experiatur. Dicendum igitur, quod totaliter vouens continentiā dēt iam obseruare, cum non possit seruare virginitatem.

Si aliquis voueat, quod nunquam intrabit religionem, an teneat votum, & an peccabit si introierit.

QVÆSTIO LVI.

QVæretur vlterius circa ea, quæ supra dicebantur de obligatione voti, sc. an omnia vota obligarent: an si aliquis vouet, quod nunquam intrabit religionem, an teneat votum. Et videtur quod non, quia vota introducta sunt ad amplificandū cultum diuinum, cum vouere sit actus latriæ, sed in religione est perfectior modus viuendi, quam in sæculo: iō si teneret istud votum tolleretur via per illud ad cultum Dei. Etiam tolleretur diuina inspiratio, quæ ali quando pulsat hominem ad religionem, cui resistendum non est patet extra de regularib. c. licet, & 19.q.2.c. duæ sunt.

In contrarium dicet aliquis, quod debeat obseruare votū, quia sine religione charitas est: absit. n. quod omnes coniugatos dicamus esse sine charitate. Etiam quia ipsi possunt ex cōmuni consensu in domo propria obseruare cōtinentiam, quā in religione obseruaturi erant 33.q.1.c. quod Deo pari. Ad hāc quæst. respondet Gratianus. 22.q.3.c. vlt. & 61.di.c.2. sc. quod si aliquis cogebatur à parentib. vt clericatus tonsuram, vel religionis vestem susciperet, & se neutrum iuramenta firmauerit facturum, quamuis aliquibus videatur hoc iuramentum reprehensibile, quia opus charitatis iuramento se non facturū promisit: nulla tamen auctoritate seruari prohibetur. & si nūquam hoc, vel illud faceret: non tamen ideo minus saltē promereri valet, cum & nonnulli in laicali habitu sanctissimi, & Deo dilecti inueniantur. Host. respondet in summa. tit. de voto; & voti redemptione, quod licet istud votum indiscretum fuerit: tamen postea tenetur obseruare, nisi contrarium à domino inspiretur: illectus ergo non intret. 20.q.3.c. constituit, & extra de conuer. coniug. c. dudum. Ex reuelatione autem secure intret. vt in c. supra allegatis, & extra de diuor. ca. gaudemus. Hanc solutionem dicit Host. satis approbari. 22.q.2. cap. beatus. & 16.q.1.c. in parochia. Sed istud est solum quantum ad illam partem, sc. si Deus inspirauerit, quod debeat introire religionem, quamquam contrarium vouerit: sicut dicitur de B. Paulo, quod ipse promisit venire in Hispaniā, & tamen postea à Deo prohibitus non venit, iō non est redarguēdus de mendacio, vel de fracta promissione. Dicendum quod solutio ista satis videtur dura esse, sc. quod non debeat intrare si vouit: fundamentum autem Gratiani est in hoc, quod quāquam sit perfectior status religionis, quam quicunque alius: tamen cum in aliquo alio possit esse salus: siquis vouerit non introire religionem, tenebit votum: vult. n. quod non possit fieri aliquod votum, quod totaliter auferat viam charitatis, pōt tamen fieri votum, quod auferat viam maioris charitatis: iō dat ipse regulam, quod quandocunque aliquis vouet quidpiam, per quod impeditur via ad maiorem perfectionem tamen alias possit homo manere in charitate tenet votum, vt patet 22.q.4.c. vlt. Sed istud non videtur satis rationabiliter dictum: nam quod ille, qui ista vouit complendo votum non peccet non est dubium, qui etiam sine voto poterat quis non introire religionem, & non facere alia opera perfectionis, cum adhæc obligatus non sit, sed quod iste teneatur implere votum, scilicet, non mutando religionem, vel non faciendo alia opera perfectionis satis est durum: immo videtur esse contra rationem voti, quia votum est de meliori bono, quod est bonum supererogationis, vt supra declaratū fuit, sed quod aliquis non intret religionem, vel non faciat similia opera perfectionis, contra opera supererogationis. Item quia votum est promissio facta Deo, ideo fieri dēt de his, quæ Deo placent alioquin non acceptabit eam, sed talis promissio Deo non placet cum per hoc impediatur cultus diuinus, quia ipse hortatus est nos ad opera consiliorum: ergo non tenebit votum, quia introduceretur tunc vinculum contra Deum, velut siquis promitteret alicui, quod nunquam ei complaceret, aut bonum faceret, non acceptaret ille istam promissionem, ita nec Deus acceptabit talia vota nostra: & consequenter nō erimus obligati ad illa seruanda. Item sicut supra declaratum est. q.48. & tenet illud B. Tho. de Aquino, & alii de indifferentib. non fiunt vota, & si fiant magis sunt dimittenda, quam tenenda, & hoc quia ista non sunt placita Deo, cum non habeant aliquem actum virtutis: à fortiori ergo Deus non acceptabit vota illa, per quæ repugnatur actui alicuius magnæ virtutis, & huiusmodi est vouere non introire religionem. Quod appareret, quia ea, quæ pure indifferentia sunt non habent in se aliquod bonum, vel malum, nec habere possunt, & tamen non repugnant alicui maiori perfectioni cum per illa vota nihil impediatur, impeditur tamen cultus Dei per votum de non intrando religionem: ergo minus obligabit istud votū, quam votum de indifferentibus. Ideo sine præiudicio sententiæ maiorum videtur posse rationabiliter dici, quod votum istud nequaquam teneat, sed potius qui sic vouit, pœnitere dēt, quia sic vouerit, sicut qui iurauit facere aliquid illicitum, non dēt complere, sed dolere, quod sic iurauerit: manet tamen liber sicut prius, sc. an intrare velit religionem, vel non. Cum autē dicebat Host. quod ex inspiratione intret secure, siue ex reuelatione, manifestum est, quod intrare possit. Et cū dixit, quod illectus non intret, dicendum quod aut istud sonat, quod non intret per aliquam fraudem inductus, aut non intret, siquis monuerit, aut consuluerit, quod intret religionem, si primo modo manifestum est, quod non dēt intrare. Nam & si introiuerit, & assumpserit habitum redire poterit postea ad sęculū. 20.q.3.c. constituit. Si autem intelligat, quod aliquo consulēte introire religionē non intret: non est satis rationabile, quia sicut fides in nobis ex auditu est, & nemo pōt credere in eum, quem non audiuit ad Rom. c. 10. ita bona opera, & proposita per consilium aliorum interdum in nobis sunt, & sicut per reuelationem de intrando religionem deberet aliquis intrare, ētsi contrarium vouisset, ita si per consilium alterius incidat alicui desiderium religionis, non videtur quare non debeat intrare, ētsi contrarium vouerit. Item aliquando nemine cōsulente desiderat quis introire religionem, & illud non est ex reuelatione, nescitur autem an sit ex inspiratione, iō in isto secundum sententiam Hostien. non videretur, an posset, vel nō posset introire. Nam non est hic inductus ab aliquo, nec etiam est aliqua reuelatio. Dicendum videtur ergo quod prius, scil. quod possit intrare non obstante voto, quod tanquam nullum reputari debet.

Si ali-

A

Si aliquis vouit, aut iurauit non accipere episcopatum, aut curam animarum, & postea eligatur, aut præsentetur, an possit acceptare maxime si sit necessitas accipiendi eum quia ecclesia potest inuenire alium idoneum.

QVÆSTIO LVII.

QVæretur vlterius quid siquis iuret, vel vouerat, quod nunquam efficietur episcopus: an poterit assumere episcopatum si eligatur. Videbitur forte, quod debet votum obseruare, vt patet 85 di. cap. Archidiaconum Florentinum. Sed arguetur contra, quod non teneatur obseruare votum, quia sicut supra dicebatur de religione, quod non teneret votum, siquis iurauit, quod nunquam efficeretur monachus, quia impediebatur cultus Dei: ita si vouerat nunquam fieri episcopum, quia maioris perfectionis est gradus episcopalis quam status monachalis, vt patet extra de renun. cap. nisi cum pridem. §. nec putas, & de regularibus cap. licet. §. pen. Soluit istam quæstionem Huguitius distinguens an iste vouens intellexit, quod in nullo casu efficeretur episcopus, etiam necessitate instante, & tunc non est seruandum votum argumen. 17. quæst. 1. cap. scias, & 8. quæst. 1. cap. in scripturis. Si autem intellexit, quod non fieret episcopus, nisi in magna necessitate instante, & sic venialiter peccauerit, quia non debet quis iurare, nisi necessitate vrgente, extra de iureiuran. cap. & si Christus, tamen non repelletur assumptione episcopalis gradus si necessitas instet, quia tunc non agitur contra votum. Si autem dubitetur qualiter intellexit vouens, scilicet, an in nullo casu efficeretur episcopus, vel solum tempore necessitatis, scilicet, cum nullus alius idoneus reperiretur, interpretandum est in secundo casu: quia interpretatio benigna, est facienda, vt extra de regu. iur. cap. estote, & de iureiuran. cap. ad nostram. Ista autem solutio Huguitii stare satis videtur: nam in primo casu votum non videbatur tenere, quia erat contra charitatem, scilicet, quod etiam existente ecclesia in necessitate, non efficeretur episcopus: ideo non tenebat, quia se subtrahebat vtilitati proximorum. In secundo casu non agitur contra votum: quia si necessitas ineſt, qui iurauit nunquam se futurum episcopum, nisi tempore necessitatis, non agit contra votum. Vel dato quod non expresserit, quia sic interpretatur non infringitur votum. Sed quid si aliquis iurauit, vel vouit modo prædicto, & post eligatur in episcopum, & non sit necessitas eius, quia potest etiam habere alium idoneum. Respondendū est, quod non debet acceptare, quod si fecerit peccat.

B

C

Sed arguetur, quia qui vouit non introire religionem potest introire, & tamen non est necessitas religionis, quod aliquis intret in eam cum solum illa sit propter bonum cuiuslibet introire volentis. Respondendum est quod non est simile de religione, & episcopatu, quia fieri religiosum est seipsum diminuere & priuare se omni bono humano, atque effici, tanquam mortuus, qui autem episcopatum accipit ad maioris honoris gradum extollitur: ideo non debet ad illum sic accedere, sicut ad religionem. Item patet differentia, quia nemini permittitur assumere episcopatū, vel alium honorem, aut concupiscere illum, nisi vocetur à Deo, vt Aaron ad Hebr. c. 5. religionem tamen intrare, & illam concupiscere cuilibet permittitur: ideo est laudabile si introierit, & laudabilius si à seipso moueatur, quam si alius eum incitauerit. Cum autem arguitur, quod episcopalis status est maioris perfectionis, quā vita monachalis. Respondendum est, quod non est simile, quia quamquam sit perfectior status ille, tamen istam perfectionem non debet acquirere, qui efficitur episcopus postquam effectus est, sed debet eam habere antequam efficiatur, vt cōuenienter gradum illum assumat. Vita autem monachalis dicit perfectionem: non quam aliquis habeat antequā intret religionem, sed quam acquirere debet postquam iurauerit: ideo ad episcopatum nullus se debet reputare dignum. ad susciendum autem habitum monachalem quilibet potest se æstimare idoneum, etiamsi semper fuerit pessimus, dū tamen ad bonitatem anhelet, quia in monacho nulla dignitas virtutis, nec scientiæ excellentia præexigitur. In episcopo aūt secundum vtrumque maxima. Item perfectio vitæ episcopalis hēt secum annexum magnum periculum, sc. excellentiam honoris, magnitudinem iurisdictionis, & abundantiam dispensandarum rerum: ideo difficile est huic se labori submittere, vt bene commissa regantur, quia hæc omnia magnū incitamentum ad malum perhibent. In monacho autem nihil horum est, sed magis vitæ, & status humilitas semper eum ad meliora instruit non habentem ex conditione vitæ aliqua offendicula, sicut episcop⁹ habet ex statu suo: ideó ad religionē semper transire permittitur: ad episcopatum autem non semper. Cum vero arguebatur de c. Archi. 85. di. scil. quod ille qui iurauit non effici episcopum, quod non efficiatur: dicendum quod intelligitur quando non est necessitas, scilicet, quod ecclesia potest inuenire alios idoneos: si tamē nullum alium inuenire faciliter, & commode posset, non obstabit votum, nec iuramentum.

D

An vouens non esse episcopum si sine necessitate ecclesiæ Papa iubet, vt suscipiat episcopatum, teneatur obedire Papæ.

QVÆSTIO LVIII.

QVæretur amplius casu prædicto, quid si non est necessitas ecclesiæ, & Papa iubet, quod iste assumat episcopatū, quia forte non inuenitur alius melior, quamquam sint alii boni, nunquid recipere debet qui vouit se non recepturum. Respōdet Huguitius ego non obedirem Papæ, sed potius domino spiritus 11. q. 3. cap. si dominus, & c. qui resistit. & hoc quia redditio iuramenti est de lege naturali, cum præcipiatur de iure naturali, & non humana lege reddere domino iuramenta tua. 22. q. 1. si peccatum. posset tamen Papa talem absoluere à pœna periurii, & ab infamia quoad ecclesiam militantem, & sic per consequens non repelleretur ab aliquo actu publico. ff. ad municipales. l. Imperatores. Alii autē respondent, quod indifferenter Papæ obediendum est in hoc voto. Ar. 15. q. 6. c. auctoritatem, & c. nos sanctorum, & c. iuratos. Respondet Host. in summo tit. de voto, & voti redempt. quod nisi expresse constet de voluntate diuina contraria mandato Papæ semper est ei obediendum: & est ratio, quia auctoritas Papæ in votis, & in iuramentis intelligitur exceptiue Ar. extra de iureiuran. c. venientes, & rescriptis. c. constitutus. Vnde non est voti transgressor qui auctoritate sedis Apostolicæ illud distulit adimplere: extra de voto & voti redemp. c. non est. Item sicut si Deus dispensaret in voto nostro absoluens nos ab eo, vel iuberet non obseruari, debeamus non obseruare: ita cum Papa iusserit non obseruari, videtur Deus illud iubere: quia non intelligitur hoc fieri auctoritate puri hominis, sed Dei, cum Papa ipsius vices gerat in terris. extra de translatione episcopi, vel electi. c. inter corporalia, & in duobus sequentibus capitulis. Item quantumcunque iste exprimat vouendo, quod non efficietur episcopus, sensus verborum est, quod non fiet episcopus eo procurante, nec se deneget Deo vocante. 8. q. 1. c. in scripturis: ideo si sequatur electio inspirata à spiritu sancto de aliquo etiamsi vouerit non debet resistere, quia non est resistendum Spiritui sancto. 22. q. 3. c. qui resistit. Istud autem sic deberet intelligi, nisi aliquis exprimeret in voto, quod nūquam fieret episcopus etiamsi Deus inspiraret, vel reuelaret, & tunc non tenet votum, quia non poterat sine peccato mortali obseruari, nec emitti. Ideo tenendum breuiter, quod si alicui sic vouenti in casu posito Papa iuberet, quod assumeret episcopatum non deberet immediate consentire, sed magis orare, vt eum ad hoc non compelleret: si tamen Papa insisteret, faciendum erat. Nunquam tamen iste vouens assumere debebat episcopatum, tanquam volens, sed tanquam obediēs Et quia respectu Papæ in similib. nemo est sui iuris, ista actio reputabitur inuoluntaria: ideo etiamsi alias esset culpabilis, iā non erit.

E

F

Quid sit solennitas in voto, & an apud Deum magis obliget votum solenne, quam simplex.

QVÆSTIO LIX.

QVæretur vlterius circa supradicta, quia dicebatur de solēnitate quorundam votorum, & cōmuniter dicitur, quod solennizatur votum per susceptionem sacri ordinis, & per professionem ad certam regulam, quæreretur an sit verum. Et videtur quod non, quia votum est promissio facta Deo: ea

t. Arg.

A

vero,quæ exterius aguntur pertinentia ad ſolennitatem non videntur ordinari ad Deum,ſed ad homines:ergo per accidẽs ſe hñt ad votum,& conſequenter ſolennitas,quæ fit in ſuſceptione ſacri ordinis,vel in promiſſione certæ regulæ nõ pertinebit ad conditionem voti, & ſic non dicetur votum diuidi per ſolenne,& non ſolenne. Item id quod pertinet ad conditionem alicuius rei,videtur competere omnib.illis, quæ ſunt ſub illa re, vel ſaltem poterit competere , ſed multa poſſunt cadere ſub voto,quæ non pertinent ad ſacrum ordinem:ſicut cum quis vouet peregrinationem,aut aliquid huiuſmodi:ergo ſolennitas,quæ fit in ſuſceptione ſacri ordinis , vel in profeſſione certæ regulæ non pertinet ad conditionem voti. Itẽ votum ſolenne idem videtur eſſe quod votum publicum,ſed multa alia vota poſſunt fieri in publico quam votum,quod emittitur in ſuſceptione ſacri ordinis , vel profeſſione alicuius ordinis,& è contra.iſta vota poſſunt aliqñ fieri in occulto.Nõ ſunt igitur ſolum huiuſmodi vota ſolennia. Sed contra hoc arguitur,quia iſta duo ſolum impediunt matrimonium contrahendum , & dirimunt iam contractum , quod eſt effectus voti ſolennis,vt patet in c.vnico,de voto,& voti redemp.in6. ergo iſtis modis votum ſolennizatur. Reſpondetur ad hoc, quod ſolennitas eſt quædam conditio rei faciens eã excellentiorem,vel dans ei aliquam vim ad ſubſiſtendum,ſicut in omnib.reb.quæ ſolenniter fiunt.Nam hñt maiorem auctoritatẽ, & neceſſitatẽ ad manendũ,nec põt contra illas ſic obiici,ſicut ſi non eſſent ſolenniter factę,ſicut patet in ſolennitate matrimonii, & ſolennitate voti, quibus aliquid confert ſolennizatio,in quibuſdam aliis contractibus ſic eſt.Sed iſta ſolennitas non eſt eadem in omnib.cuilibet.n. adhibetur ſecundum conditionem ipſius,ſicut alia eſt ſolennitas nouæ militiæ,ſcil. in quodam apparatu equorum,& armorum, & concurſu militum,& alia eſt ſolennitas nuptiarum , quæ conſiſtit in apparatu ſponſi,& ſponſæ,& in conuiuiis propinquorum.Votum aũt eodem mõ ſolennizatur , & attenditur ſolennitas eius ſecundum aliquid ſpũale,quod ad Deum pertinet,i. ſecundum aliquam ſpũalem benedictionem , vel conſecrationem,quæ ex inſtitutione apoſtolorum,& ſucceſſorum ſuorum adhibetur in profeſſione certæ regulæ, vel in ſuſceptione ſacri ordinis,vt dicit Dion.2.c.eccleſiaſticæ hierarchiæ.Et huius rõ eſt, quia ſolennitates non conſueuerunt adhiberi,niſi qñ aliquis totaliter mancipatur alicui rei, & quia in votis aliarum rerum non fit mancipatio ad ſemper ſicut in profeſſione alicuius religionis , vel ſacri ordinis non ſolennizantur alia vota: ſic tenetur communiter.Inducitur aũt exemplum,quia ſolennitas matrimonii non adhibetur, niſi in celebratione matrimonii, qñ vterq; coniugum ſui corporis poteſtatem alteri tradidit:in ſuſceptione aũt ſacri ordinis ſic eſt , quod aliquis mancipatur Deo in perpetuum per ſuſceptionem illam , & in ingreſſu religionis per profeſſionem regulæ,&mancipat ſe quis Deo,qñ per abrenunciationem ſæculi , & propriæ voluntatis ſtatum perfectionis aſſumit.Iſte modus ſolennitatis voti eſt multum ſpecialis,ſ.ad dicendum votum aliquod ſolenne,quod matrimonium fieri impediat , & dirimat iam contractum : ſunt tñ ſine his multa alia vota ſolennia: quorum quædam perpetua ſunt,& alia ſunt , quæ non impediunt matrimonium contrahendum,nec dirimunt iam contractum, de quib.magis infra declarabitur.ſatis tñ eſt,quod per iſta duo ſolennizatur votũ, ſc.continentiæ,&propter hoc nõ licet cõtrahere:&ſi contrahatur,non tenet matrimonium. Ad rationes in contrariũ reſpondendum: ad primam quod ſolennitas nõ ſolum pertinet ad homines,ſed magis ad Deum, quia per votum ſolenne datur quædam ſpiritualis benedictio,vel conſecratio,cuius Deꝰ auctor eſt iuxta illud ſupra c.6.Inuocabo nomen meum ſuper filios Iſrael,& ego benedicam eis.Amplius aũt votum ſolenne hẽt maiorem oblationem,quam votum ſimplex : & iſta eſt reſpectu Dei , cum cogatur manere ſemper in cultu Dei , qui ſolennizauit votum,ſed non qui emiſit votum ſimplex.Et iſta obligatio ad Deũ eſt.cum per hoc dignior reddatur ei cultus, quam alias. ẽt ille , qui tranſgreditur votum ſolenne,grauius peccat,quã qui tranſgreditur votum ſimplex.Si aũt arguatur, quod apud Deum non eſt differentia inter ſimplicem loquelam,& iuramentum,& votum ſolenne,& ſimplex , cum ipſe ſolum reſpiciat voluntatẽ.Reſpõdetur cõiter,quod hoc verũ eſt qñ ad hoc,quod tranſgreſſor mortaliter peccet,ſ.quod in vtroq; voto tranſgreſſio eſt peccatũ mortale:tñ nõ eſt æquale peccatum mortale:iõ in hoc bñ differunt qñ ad Deum. Sed adhuc põt addi alterum,in quo magis differunt reſpectu Dei, ſc. quod votum ſolenne obligat ad ſempiternam obſeruationem:& ſi aliquis contrarium faciat cõtrahendo matrimoniũ, vel alias,ſemper reducetur ad obſeruantiam voti ex neceſſitate iuris:ſi aũt votum fuerit ſimplex non cogeretur manere in voto.Sed dicetur,qꝺ hoc eſt reſpectu iuris humani,ſed nõ qñ ad Deum.Dicendũ eſt, quod ẽt eſt qñ ad Deum, quia ille,qui ſimpliciter vouit,& poſtea matrimonium contraxit , quãquã peccauit contrahendo,tñ ſi poſtea pœniteat, quia voluit votũ ſecurus eſt.Sed ille,qui ſolenniter vouit,ẽtſi doleat,quod cõtraxit,nunquã erit ſecurus,qñ ad Deum,donec dimittat vxorem,& redeat ad obſeruationem voti. Et ſic quamquam non induxit per ius naturale , nec per aliquam legem ſuam poſitã differentiam obligationis voti ſimplicis,&ſolẽnis,quia tñ iura humana conuenientiſſime hoc ſtatuerunt in fauorem cultus diuini, Deus acceptauit iſtam oblationem inductã de iure:ſi tñ ſolum eſſet de iure humano iſta oblatio, & non qñ ad Deũ,ſi aliquis ſolennizaret votum,& poſtea contraheret,nemine ſciente,quod ſolennizaſſet votum,ita vt non poſſet per iudicem eccleſiaſticum compelli, vt rediret ad obſeruantiam voti,facta pnã de hoc,quod fregiſſet votum,maneret ſecurus apud Deum,ſicut in voto ſimplici,ſed falſum eſt: magis ergo obligat apud Deum votũ ſolenne, quam ſimplex. Sed arguetur,quia extra qui cler.vel vo.c.rurſus,dicitur quod apud Deũ nihil magis obligat votum ſolenne, quam ſimplex. Reſpondetur,quod intelligitur,quod Deus non dedit aliquam legem naturalem in cordib. noſtris, vel aliquam poſitiuam in ſacra ſcriptura,per quam magis obligaret votum ſolenne,quã ſimplex.Et hoc quia quamquam de iure naturali,& diuino ſit votum,& voti oblatio:tñ ſolennizatio ab eccleſia introducta eſt, vt patet in c.vnico,de voto , & voti redemp.in 6. Quia tñ poſtea eccleſiæ conſtitutio determinauit in hoc diſtinguens obligationem vtriuſq; voti,& Deus acceptat hoc tanquam recte factum,obligatio iſta eſt apud Deum.Ad ſecundam rationem reſpondendum eſt verũ eſſe , licet in hoc magis poſſet diſtingui,ſed ad præſens non curatur.Et cum arguitur de ſolennitate,quod non conueniat omnib. votis. Dicendum quod iſtud prouenit ex conſuetudine eccleſiæ , quæ ſolum voluit ſolennizare votũ in his duob. caſib.& prouenit iſta conſuetudo ex vſu humano:non.n. conſueuit adhiberi ſolennitas alicui rei, niſi qñ aliquis totaliter ſe mancipat illi, inchoans nouum ſtatum,vt dictum eſt,&cita cum quis vouet aliqua particularia opera,ſicut aliquam peregrinationem , vel aliquod ſpeciale ieiunium,tali voto non congruit ſolennitas , ſed illi voto , quo aliquis ſe totaliter ſubiicit diuino miniſterio,vel famulatui:in quo cum voto quaſi vniuerſali multa particularia opera comprehenduntur. Ad tertiam rõnem,quod votum ſolenne idem eſt,quod publicum, ſed multa vota fiũt in publico præter iſta duo&c. Rñdetur cõiter,quod vota ex hoc,quod ſunt in publico poſſunt habere quãdam ſolennitatem humanam: non aũt ſolennitatem ſpiritualem,&diuinam,ſicut hñt vota præmiſſa religionis,& ſacri ordinis ẽtſi coram paucis fiant: iõ aliud dicitur eſſe votum publicum,& aliud ſolenne. Alio modo dici põt, quod quamq̃ multa alia vota præter iſta in publico fieri poſſint:tñ non hñt efficaciam iſtorum duorum ad impediendum matrimonium contrahendum, & dirimendum iam cõtractum:iõ iſta duo proprie vocantur ſolennia, vt patet in ca. vnico,de voto,& voti redemp.in 6.

B

C

D

E

F

Solẽnitas quid

Solennitas multiplex.

Votum ſolennizantur per ſuſceptionem ordinis.

Sic tenet S. Th.2.2 q.88.ar 7.

Votum ſimplex & ſolẽne differant.

Ad 1. rationẽ

Ad 3. ſolutio S. Tho. vbi ſupra

Quæ & quot ſunt vota,quæ ſolennizantur,& quæ vocantur ab eccleſia ſolennia.

QVÆSTIO LX.

QVæritur amplius circa votorum ſolennitatem,quæ ſunt vota,quæ ſolennizantur. Rñdum,quod ſolennitas ſecũdum ſuam originem importat quandam cæremoniã, vel apparatum circa ipſam rẽ,quæ fit,& ſic dicuntur in eccleſia quędam feſta ſolennia,& quædam non,quia quædã magis honorantur,quã alia in apparatione eccleſiæ,& in veſtib.miniſtrorum,&in doctrina canendi aliiſq; cæremoniis.Sunt aũt alia feſta,quæ in his valde minora ſunt. Iſta aũt ſolennitas conuenit oĩ actui,quia nõ eſt aliquis actus, de quo nõ poſſimus dicere, quod fiat ſolenniter,vel ſine ſolennitate,vt aliquis dicitur comedere ſolenniter,alius legere ſolenniter,vel indui,loqui,& ambulare,& ſic de cæteris. Non tñ eadẽ ſolennitas in his oĩb. ſed cuilibet actui conuenit ſolennitas ſecũdum naturã ſuam,

A

sicut alia est solenitas in comedendo. s. apparatio mensæ, multitudo ministrorum, & varietas ferculorum, & alia est solennitas induendi. s. in varietate, pretiositate, atq; fulgore vestiū, & sic de cæteris. Votum autem ex hac parte accepit solennitatem. sc. quod fiat cum quibusdam cæremoniis conferentibus ad honorem, vel firmitatem, aut sanctitatem voti, & sic cum votum sit quædam promissio causans obligationem, quia obligatio illa sit certior, vel magis valida solennitas quædam est. Et quantum ad hoc quod aliquod votum fiat in conspectu multorum, vt omnes illi fidem perhibeant de voto emisso, & non possit retrocedere vouens solennitas quædam est. Et quantum ad hoc, quod aliquis apud seipsum solum voueat, facit votum esse simplex. Vnde dato quod aliquis voueat sacrum ordinem se susceperurum, vel intraturum religionē, siue actualiter profiteatur religionem: si tamen apud seipsum solum hoc faciat, non dicetur votum soleñizatum, ita vt possint dirimere matrimonium postea contractum. Est etiā alius modus solennizandi, quia cum votū sit promissio facta Deo, potest interuenire aliquis, qui suscipiat votū illud loco Dei, tanquam eius procurator, & hoc modo in votis solennib. fit promissio in manibus prælatorum, vt cum aliquis religionē vouet in manibus prælati promittit vota religionis: vota autem simplicia non sunt in manu alicuius. Item ad sanctificationem istorum votorum pertinet, quod aliquæ benedictiones fiant super vouentes, & hoc obseruatur in votis solennibus, quod conferuntur aliquæ benedictiones, vt ait Diony. 2. ca. ecclesiasticæ hierar. in voto autem simplici nihil tale fit. multa quoque similia fieri possunt, quæ ad solennizationem votorum pertinēt. Et quantum ad istum modum omnia vota poterant solennizari, quia in quolibet omnes istę cæremoniæ, vel plures aliæ poterant adhiberi. Ecclesia tamen voluit accipere strictius votum esse solennizatum, vel non. Dicit enim beatus Tho. de Aquino, quod solennitas non adhibetur cuilibet actioni, sed solum illi per quam aliquis se mancipat ad aliquem actum pro semper: ponens exemplum de noua militia, & de matrimonio, quando nouiter consummatur, q̄a ista sunt ad semper. Etiam in istis inchoatur nouus status, & propter hoc dixit, quod sola susceptio sacri ordinis, & professio religionis solennizant votum. Sed adhuc istud non sufficit, quia potest aliquis vouere peregrinationem perpetuam, vel semper pugnare contra infideles, & hoc etiam in manib. prælati poterit vouere: tamen adhuc non sunt ista vota solennia secundum modum ecclesiæ, Ideo dicendum, quod ecclesia solum vnum votum solennizat, quamquam omnia solennizari potuissent. s. votum continētiæ, & istud dicitur esse solennizatum quantum ad hunc effectum, quia est impedire matrimonium contrahendum, & dirimere iam contractum, vt quia aliquando adhibitis quibusdam cæremoniis in voto continentiæ matrimonium impeditur contrahendum, & dirimitur iam contractum. Interdum autem solum impeditur matrimonium contrahendum: ideo aliquando votum continentiæ dicitur solennizatum, & aliquando non: habito autē hoc fundamēto. s. quod solenne votum dicatur respectu matrimonii dirimēdi cum contractū est, impossibile est, quod aliq votum sit solenne, nisi votum continentiæ, quia nullum votum repugnat matrimonio, nisi continentiæ: ideo quamq̄ aliquis vouеat peregrinationem perpetuam, vel temporalē, & militiam contra infideles, orationem, ieiunium, &c. & ista fiant in manibus prælati cum quibuscunq; cæremoniis non dicuntur vota esse solennia, quia non habent aliquam efficaciam contra matrimonium. sc. quia nec impediunt matrimonium contrahendum, nec dirimunt iam contractum. Vnicū est igitur votum solenne.

B

Opinio S. Tho.

Vnicū est votū solen s. continē tiæ.

C

Quibus modis votum solennizatur. Et an votum continentiæ siue simplex sit, siue solenne, dirimat matrimonium contractum, & impediat contrahendum.

QVÆSTIO LXI.

QVæretur vlterius quibus modis votum solennizetur. Respondeo, quia de hoc fuerunt opiniones apud antiquos, de quo scribit Io. glossator decretorum 27. q. 1. super ca. 1. scribit etiam Bernardus extra qui clerici, vel vo. super c. rursus. scribit etiam Host. in summa. eo. titu. ponuntur aūt aliqui modi solennizandi votum continentiæ. Primus est per susceptionem sacri ordinis 32. di. c. placuit, & 28. di. diaconi. Item fit hoc secundo per professionem, vel susceptionem vestis, q̄ tantum profitentib. dari consueuit, & per introitum religionis, & anni lapsum, vt patet extra de regu. c. statuimus. Et maxime si cum aliis religiosis incipiat cantare, & oblationem facere in ecclesia. 22. qu. 1. c. vidua, & 27. di. c. quod interrogasti. Et extra de regu. c. porrectum. Tertio modo fit cum per professionem deuouet se alicui religioni in manu abbatis, vel abbatissæ, vel alicuius monachi ad hoc destinati, vt patet extra de regu. c. statuimus, & extra qui cleri. vel vo. c. consuluit, &c. in fine. Item solennizatur votum, si aliquis voueat super altare quamuis in domo sua remaneat, erit votum solenne, vt patet extra qui cler. vel vo. c. meminimus, & c. consuluit, & c. insinuante, & ne aliquid istorum possit negari, quando fœminæ vouentes manent in domibus suis, debet de hoc confici publica scriptura, in qua confiteantur fœminæ vouentes se velle viuere religiose. 27. q. 1. omnes fœminæ. & 20. qu. 1. c. vidua. Vota autem taliter emissa impediunt matrimonium cōtrahendum, & dirimunt iam contractum. 27. q. 1. c. 1. & quasi per totum. Alias autem votum continentiæ factum quamuis coram multis fiat, non dicitur esse solenne, & tale votum solum impedit matrimonium contrahendum: tamen si fiat tenet extra qui cle. vel vo. c. consuluit, & c. veniens, & post istud votum continentiæ cum quis dicit voueo continentiam, ecclesia dabit licentiam contrahendi cum non interuenerunt, q̄ dicta sunt, extra qui cle. vel vo. c. veniens. Ista autem est opinio communis apud doctores antiquos soleñiores, & est hodie approbata per iura noua.

D

r. opin. cōis, q̄ est hodie approbata.

E

Huguitius autem dixit, quod votum continentię siue simplex sit, siue solenne dirimit matrimonium contractū, & impedit contrahendum, quia apud Deum non magis obligat, q̄ solenne. Solennitates autem non sunt de substantia voti, sed signa & probationes si votum in dubium reuocetur. De hoc extra qui cle. vel vo. c. rursus. Dicit etiam Huguitius, quod refert an votum sit de præsenti, vel de futuro: de præsenti, vt si dicat: voueo continentiam perpetuam, & tunc impedit contrahendum, & dirimit iam contractum: de futuro, vt si dicat lapso anno, vel post mortem vxoris meæ perpetuam vouebo continentiam, & istud non est votum proprie, quia nihil tūc vouetur, sed asseritur quod vouebitur. Idē est siquis diceret: promitto quod intrabo religionem, vel profitebor illā, quia non profitetur aliquid, & de isto dicebat quod impedit contrahendum, sed non dirimit iam contractum. Ista autem opinio iam correcta est. Alii dixerunt, quod votum continentię, siue simplex, siue solenne impedit matrimonium contrahi, sed non dirimit contractum, quia eadem ratione, qua solenne dirimeret, simplex etiam dirimeret cum solennitates non sint de substantia, sicut dixit Huguitius, sed constitutio ecclesiæ dirimit. & hoc verum est, quia cum sit solennitas introducta ab ecclesia, & non de iure naturali, vel diuino oblatio specialis, quæ est in voto solenni solum erit ex constitutione. Ioan. dixit, quod nullum votum est solenne, nisi cum quis se deuouet alicui religioni, extra qui cle. vel vouen. cap. insinuante. Nec est differentia inter simplex votum, & solenne, nisi inquantum potest ecclesiæ constare de voto. Vnde si diceret coram tota ecclesia, voueo continentiam, nisi aliquid de prædictis interueniat, & postea contrahat, tenet matrimonium. Dubia autem istarum opinionum sunt declarata hodie per c. vnicum De voto, & voti redemptione, in sexto, vbi dicitur, quod in solis duobus casibus votum solenne est, ad hoc, vt dirimat matrimonium contractum. s. in sumptione ordinis sacri, vel in professione religionis alicuius approbatæ. Ordo enim non impedit, nisi sit sacer, quem clerici in minoribus cōiugati sunt extra de clericis coniug. c. 1. de religionibus. Etiam requiritur, quod sint approbatę: nam si aliquis profiteatur religionem non approbatam, & postea contrahat matrimonium tenet. Sed dices quid si tempore, quo profitebatur credebat religionem illam esse approbatam, cum non esset. Dicendum, quod etiam tenebit matrimonium. Idem est de ordinato in sacris si ordinetur ab illo, quem credebat esse episcopum, sed non erat. s. quia nunquam fuit factus episcopus, vel quia renunciauerat. Hoc tenet Bartholomæus Brixien. & Io. An. in glo. super alle. ca. Et cum dicitur quod per professionem dirimitur matrimonium postea cōtractum, est idem

F

intelligendum in omnib. casibus, quos supr. posuimus de solenizatione voti, quia oēs illi reducuntur ad professionem. s. quia hñr illi tanquam professi. Alio modo etiamsi solennizaretur votum sine professione: si quis cum maior esset sponte, & sciens recepit habitum professorum, vbi est distinctus ab habitu nouitiorum in c. is qui monasterium, & c. constitutionem, de regular. in 6. vel cum aliquis ferret per annum habitum indistinctum religiosorum, vt patet eo. tit. c. 1.

An sponsalia de præsenti dirimantur per successionem sacri ordinis, sicut per ingressum religionis, cum vtroq; modo solennizetur votum.

Qvæstio LXII.

Qværetur autem quia dicebatur, q̄ votum solennizatur per ingressum religionis & ordinis sacri susceptionem, an sicut sponsalia de præsenti dirimuntur per ingressum religionis, sic dirimantur per ordinem sacrum. De ingressu religionis patet extra de conuer. coniu. c. verum, & 27. q. 2. c. desponsatam. Et dicet aliquis quod sic, quia ista duo pacificantur ad solennizandum votum continentiæ, vt in cap. 1. de voto, & voti redemp. in 6. ergo per vtrunq; dissoluuntur sponsalia. Item ingressus religionis dirimit sponsalia contracta propter excellentiam vitæ. sc. quia perfectior status est religionis, quā matrimonii, sed sic est de sacro ordine, quod status perfectior est in ordinatis, quam in coniugatis: ergo poterunt dirimi sponsalia per sacrum ordinem susceptum. Respondendum est, quod sponsalia de p̄senti non possunt dirimi, nisi per ingressum religionis, susceptio autem sacri ordinis nihil agit: ideo quamquam aliquis suscipiat sacrum ordinem, qui despōsatus est cogetur consummare matrimonium: nisi forte postea voluerit religionem profiteri, quia istud etiā sine aliquo ordine sacro sufficiebat ad dirimendum sponsalia. Et dato q̄ aliquis consensu sponsæ suæ susciperet sacrum ordinem, nisi introierit religionem adhuc non soluerentur sponsalia. Causa huius est, quia sponsalia de præsenti semper manent, nisi cū ecclesia propter aliquem specialem Dei cultum voluit separari. Hoc autem solum concedit in ingressu religionis: ergo sumptio sacri ordinis non sufficit. Causa huius est, quia licet status sacri ordinis in clericis sæcularibus sit perfectior, quā status coniugatorum: tamen ecclesia noluit, quod matrimonium dissolui possit, nisi pro maximo bono: istud autem solum est in religione, in qua reperitur status perfectissimus.

Cum autē arguebatur, quod ingressus religionis, & sumptio sacri ordinis æquiparantur. Respondendum est, quod nō æquiparantur simpliciter, sed solum quantum ad hoc, quod est solennizare votum, quia per vtrunque solennizatur, sed non quantum ad dirimendum sponsalia de præsenti. Causa primi est, quia matrimonium impeditur contrahendum, & dirimitur iam contractum per votum continentiæ, quando inuiolabile est. Sed sic est tam in sacri ordinis susceptione, q̄ in religionis ingressu, quia vtrobique vouetur castitas, & solennizatur votum, ideo in hoc nihil differunt. Cum autem dicebatur, quod sponsalia de p̄senti dirimuntur per ingressum religionis eo, quod ibi est status perfectior, sed sic est in sacro ordine. Respondendum est, q̄ non conceditur infringi sponsalia de præsenti per ingressum religionis solum, quia religio perfectior est matrimonio, sed quia est status perfectissimus, in quo quis se totaliter Deo exhibet renunciando rebus suis, & voluntati suæ: alioquin per quodlibet votum cōtinentiæ simplicis, etiam si quis non voueat intrare religionē, nec accipere sacrum ordinem, sed solum continere in sæculo manens dissolueretur matrimonium, quod absurdum est. De sacro ordine sic est, quia licet status eius sit p̄fectior statu matrimonii: tamen non est perfectissimus, ideo ecclesia non cōcessit infringi sponsalia in vtroq;. Istam quæstionem mouet. Io. An. in c. vnico de voto, & voti redem. & hoc tenet.

An vouens continentiam voto simplici, & quærat an possit contrahere contra hoc, an debet sibi responderi, vel tacere.

Qvæstio LXIII.

Qværetur vlterius si aliquis vouerit continentiam in voto simplici, & quærat an possit licite contrahere matrimonium, quid sibi debet responderi. Dicunt aliqui, quod respondebitur, quod non potest eo, quod mortaliter peccat infringendo votum: cum respectu Dei tantum dicatur obligare votum simplex, sicut soleñe, extra qui cle. vel vo. c. rursus. Dicit Host. in summa. ti. de voto, & voti redem. quod non est respondendum, quia aut respondebitur, quod nō, aut quod sic: si dicitur quod non, mētimur, & peccatum est. 22. q. 2. primū, & c. omne genus. si tñ detur quod potest datur ei occasio cōtrahendi, & per contrahēs mortaliter peccandi in contrahēdo, & sic respondens videtur peccare. arg. extra de homici. c. sicut dignum. §. qui vero respondet ergo Host. quod tacendū est. 22. q. 2. c. ne quis, & hoc dicit secundum quosdam. Sed tūc arguetur, quod Papa peccaret magis mortaliter, quando fecit constitutionem, quod q̄ vouisset continentiam non solennizans votum si cōtraheret teneret matrimonium, quia sic maiorem tribuit eis occasionem auctoritatem, & firmitatē. Respondet Host. quod Papa potest dispēsare in his: ideo licet sic constituat non peccat: alii autem cōsulentes non possunt cōstituere. Item dicit, Papa non intendit in isto casu ab initio dispensare. sc. quamquam fecerit constitutionem, quod teneat matrimonium contractum contra votum simplex, non intēdebat permittere, quod contraherent vouentes, nec fauere eis: sed solum q̄ si aliquando cōtraxissent, teneret: qui autem respondet alicui vouenti simpliciter, quod potest cōtrahere, vel quod tenebit contractus, tribuit ei occasionem contrahendi, quia ista à principio sunt: constitutio autem Papæ solum intendebat post contractū matrimonium illud validare.

Sed adhuc aliter responderi potest. s. quod Papa non peccauit ponendo istam constitutionem, quoniam ipse cum præsideat, debet in singulis prouidere de iure: ideo in isto casu aliquid determinari debuit, cum contingeret interdum vouentes continentiam contrahere, sed non debuit statuere, quod omne votum continentiæ impediret contrahendum, & dirimeret post contractum quia erat nimis durum: ideo oportuit quod diffiniret vouentes simpliciter non debere contrahere: si tamen contraxerint, quod teneat matrimonium. In eis autē qui respondent specialiter ad quæstiones vouentiū, secus est: quia ipsi non coguntur respondere. & si respondeant, dabunt occasionem infringendi votum, ideo concludit Hosti. quod nihil debent isti respondere. Aliter autem dicit quod poterūt se habere. s. quod considerēt an illi qui vouerunt possunt cōtinere, vel non, si autem possunt non respōdeant, si non possunt poterunt respōdere quod scriptura dicit matrimonium tenere si fiat. De consilio tamen & consensu ipsorum respōdentium, quod vouentes non contrahent sed continebunt, quia si contraxerint mortaliter peccabunt, & grauiter Deum offendunt: dicit adhuc tamen quod securius est quod ad ista quęsita non respondeamus Sed non multum differt in vtraq; responsione, quia forte magis mouebuntur ad non contrahendum vouentes, si dicatur eis, quod quamquam matrimonium teneat, tamen peccatur mortaliter in contractu, quam si nihil respondeatur, quia in taciturnitate reputatur dolus: ideo modicum differt: sed quod aliquis responderet simpliciter, quod poterant taliter vouentes cōtrahere, & quod teneret matrimonium, occasio ad malum est, & peccatum.

Vtrum quilibet possit votum emittere: vel solum sint sex personæ, quæ non habent ius ad vouendum.

Qvæstio LXIV.

Qværetur vlterius circa votum, quis possit vouere. Et respondendum est q̄ vouere pertinet ad cultū Dei specialē, ideo cuilibet libertas erat ad vouendum: quia tamen votum requirit solutionem, & ad soluendum quædam personæ sunt impotentes de iure: ideo talibus adimitur potestas vouēdi absolute.

A

ſolute. Sunt autem multi, qui non poſſunt libere vouere. ſ. epiſcopus, clericus, monachus impubes, vxor, ſeruus: omnib. autem aliis eſt poteſtas vouendi, his autem non conceditur libere vouere: quia non ſunt ſui iuris: & licet quantum ad Deum omnes ſunt liberi; quia qui ſpiritu Dei aguntur non ſunt ſub lege 19.q.2.c.duæ ſunt. & extra de regularibus. ca.licet. tamen quia in ſolutione præiudicaretur aliis ad quorum iura pertinent iſtæ perſonæ: ideo non conceditur iſtis libera poteſtas vouendi.

An exiſtentes ſub poteſtate aliena poſſint vouere.

QVÆSTIO LXV.

1. Arg. QVæretur vlterius an illi, qui non ſunt ſui iuris ſed ſubditi poteſtati alienæ vouere poſſint. Et arguetur quod ſic quia minus vinculum ſuperatur à maiori, ſed obligatio, qua quis ſubiicitur homini eſt minus vinculum, quam votum, ꝑ quod aliquis obligatur Deo: ergo qui alienæ poteſtati ſubiecti ſunt, non impedientur à voto.

2. Arg. Item filii ſunt in poteſtate patris, ſed tam filii, quam filiæ poſſunt profiteri aliquam religionem ſine patris cõſenſu etiam contra eius voluntatem, vt patet 20.qu.2.c. ſi in qualibet & c.puella: ergo ſubiectio ad poteſtatem alterius non impedit. Item maius eſt facere aliquid, quam promittere illud, ſed

B

3. Arg. religioſi qui ſunt ſub poteſtate prælatorum poſſunt aliqua facere ſine licentia ſuorum prælatorũ, ſicut dicere aliquos pſalmos, vel facere aliquas abſtinentias, idem de filio familias, & de vxore, & ſeruo, quoniam iſti poſſunt orare, ieiunare, & ſimilia facere ſine conſenſu illorum, quibus ſubditi ſunt, ergo

4. Arg. non impediuntur propter ſubiectionem. Item quicunque agit quod de iure facere prohibetur. peccat, ſed nullus cuiuſcunq; conditionis dicitur peccare in vouendo: nec hoc reperitur aliquando ſcriptum: ergo in vouendo nemo prohibebitur. In contrariũ arguitur, quia in hoc c. dicitur de filiis famil. & de vxore, & de ſponſa, quod vota earum nõ tenent, niſi vir, ſponſus, & pater conſenſerint: & hoc quia ſub poteſtate illorum ſunt iſtæ perſonæ, ergo de omnib. aliis perſonis, quæ nõ

Deciſio quæſt. ſunt ſimpliciter ſui iuris idem erit. Reſpon. eſt, quod votũ eſt ꝑmiſſio facta Deo, & pertinet ad latriam; & eſt actus meritorius pertinens ad cõſilium, & legem ſpiritus, ideo nullus debet ab hoc repelli: ideo nec eſt quiſquam, qui ſimpliciter repellatur à voto, Deus tamen per cultum ſuũ voluit præiudicare nobis: ſed ſi omnib. daretur ius vouendi, & ſoluendi, ꝑiudicaretur interdum aliis in ſolutione voti, ideo nõ licet omnib. ſe ſimpliciter obligare. Requirit. n. omne votum ſolutionem ad quam vouens obligatur: nullus tamen poteſt in alterum plus iuris ſtatuere, quam in ſe habeat, ſed aliq̃ ſunt perſonę, q̃ non ſunt ſui iuris ſimpliciter, vel quantũ ad multa: ideo iſti nõ

C

poſſunt ſe voto obligare, quia tunc obligarẽt id quod eſt alterius, ideo quicunq; ſubiecti ſunt alteri ſimpliciter, vel quantũ ad aliquid: quantum ad id in quo ſubiecti ſunt non poſſunt ſe firmiter obligare ſine conſenſu eorum, ad quorum ius pertinent, poterunt tamen ſe obligare quantum ad quædam alia, q̃ ſunt ſui iuris: non eſt enim aliquis, qui non poſſit ſe obligare quantum ad aliquid: nam etiam ſeruus, qui totaliter pertinet ad alterũ cum ſit pecunia domini ſui Exo.21.ca. vel ſit poſſeſſio eius 5.Eth. ſiue homo ſimpliciter alterius 1. Politi. aliq̃d poteſt vouere: nam poterit ſe obligare ad aliquam orationem faciendam ſingulis diebus, in qua non præiudicabitur domino, quia nihil de operibus domini perdetur propter eam ſi iſtud votum de orando non concernat determinatum tẽpus, vel locum. De aliis autem, qui ſunt ſui iuris magis patet, quia illis plura licent, quam ſeruis.

Obiect. Sed obiicietur quod quantum ad votum omnes liberi ſint tam in vouendo, quam in ſoluendo, quia vbi ſpiritus ibi libertas: & qui ſpiritu Dei aguntur, non ſunt ſub lege 19.qu.2. duæ ſunt leges, ſed votum pertinet ad legem ſpiritus, cum per votum ſe applicet quis Deo: magis ergo non poterit impediri

Solut. vllatenus. Dicendum quod lex ſpiritualis facit nobis libertatem non tamen ab obligatione ciuili, vel naturali, ideo quamquam aliquis incitetur ad meliora non debet aliis præiudicare per bonum, quod facere vult: nec lex ſpiritualis hoc intendit, ſed multi ſunt ſubiecti aliis, qui non poſſent ſine eorum præiudicio vota ſoluere, ideo non poſſunt firmiter ſe obligare, & lex ſpiritualis non ſoluit eos ab iſta lege, imo facit quod obediant ei, ſic patet ad Ephe.c.5. vbi iubet Apoſtolus, quod ſerui ſint ſubditi dominis ſuis, ſeruientes eis ex animo, non tanquam hominibus, ſed tanquam Deo, & quod vxores ſint ſubditæ viris, & filii parentibus. & iſtæ ſunt obligationes partim legis naturalis, & partim legis ciuilis, ideo libertas ſpiritus non ſoluit ab iſtis legibus, ſed magis obligat, ideo votum ab eis, qui ſunt iuris alieni non poterit firmum eſſe ſine eorũ conſenſu. Ad rationes in contrarium reſpõdetur, ad primam quando dicebatur quod maius vinculum tollit minus concedatur: & cum dicitur, quod vinculum voti, per quod Deo, quis ſe obligat eſt maius, etiam conceditur, ſed non ſequitur qui alieni iuris ſunt poſſint voto ſe obligare. Nam ſi votum emiſſum ab iſtis teneret, tolleretur obligatio, quæ erat ad dominos ſaltem inquantum votum impleri poſſet, ſed non tenet, ideo nõ eſt ibi maius vinculum, & minus eo, quod Deus non acceptat talia vota, quantum ad obligationem, quia ſub promiſſione Deo facta non cadit, niſi quod eſt virtuoſum cum votum ſit de meliori bono, vt ſupra declaratum eſt. Eſt autem contra virtutem ſi id quod eſt in poteſtate alterius aliquis Deo offerat: ideo non eſt votum perfectum in his, qui non ſunt ſui iuris niſi intelligatur ſub conditione, ſcilic. quia non vouent tale, vel tale ſi illi, quibus ſubſunt non repugnauerint, & tunc ſicut in hominibus qui ſunt totaliter ſui iuris

D

Ad 1. rationem

E

votum conditionale obſeruandum eſt adueniente conditione: ita in illis, qui ſunt alieni iuris obſeruabitur, quando venerit iſta conditio, ſcil. quod non contradicant illi, quib. ſubſunt. Ad ſecundam rationem, cum dicitur quod filii ſunt ſub poteſtate patris, & tamen poſſunt vouere. Reſpõdendum eſt quod aut ſunt maſculi aut fœminæ: ſi maſculi nõ poſſunt vouere dum ſunt in poteſtate patris, niſi religionem. Sed adhuc de hoc diſtinguendũ, q̃ aut iſti ſunt maiores 14. aut minores: ſi maiores poſſunt vouere religionem, & etiam inuitis parentibus profiteri: ſi autem minores ſunt 14. non poterunt ſine conſenſu patrum vouere. & ſi vouerint dato quod ꝑfiteãtur, immediate vt parentibus hoc conſtiterit poterunt eos tollere de monaſterio, vt patet 20.q.2.c. ſi in qualibet: ſi autẽ ſunt fœminæ aut maiores 12. aut minores: ſi minores non poſſunt vouere religionem, & ſi vouerunt atq; acceperunt velum, parentes earum poterunt eas tollere de monaſterio, niſi forte ſub diſſimulatione dimiſerint per annum, & diem ibi manere; ſi autem puellæ ſint maiores 12. inuitis parentibus poteterunt vouere 20.q.2.c.puella. Et quod dicitur de parentibus potentibus infringere votum filiorum, & filiarum educendo eos de monaſterio: intelligi debet etiam de tutoribus, vt patet præal c.puella. Cum autem arguebatur, quod iſti non obſtante patria poteſtate pñt vouere, negandum eſt, ſed eſt quilibet extra patriam poteſtatem anno 14. ad vouendum religionem, & in puellis anno 12. In aliis autem caſib. non exuit quis ita cito patriam poteſtatem. Beatus Tho. de Aquino. & Bonauen. reſpondẽt aliter. ſc. quod ex quo homo venit ad annos pubertatis, ſi ſit liber eſt ſuæ poteſtatis quantum ad ea, quæ pertinent ad perſonam, puta quod obliget ſe religioni per votum, vel quod matrimonium contrahat, nõ eſt autem ſuæ poteſtatis quantum ad diſpenſationem domeſticam. Vnde circa hoc nõ poteſt aliquid vouere, quod ſit ratum niſi de conſenſu patris: ſeruus autem, quia eſt in poteſtate domini tã quam ad perſonales actus, quam etiam ad diſpenſationem rerum non poterit ſe obligare per votum ad religionem, quia per hoc ſubtraheretur ab obſequio domini nec poterit de reb. domini aliquid diſponere in eleemoſynam, vel alias ſine domini conſenſu.

F

Aliare ſpon. S. Tho. 2. 2. q. 88. art. 8.

Ad tertiam rationem, cum dicitur quod maius eſt facere, quam promittere: ſed religioſi poſſunt facere aliquid ſine licentia prælatorum, ergo vouere. reſpõdendum eſt q̃ religioſus ſubditus eſt prælato quantum ad operationes ſuas ſecundum profeſſionem regulæ, & ideo ſi quis ad horam aliquid facere poſſit quando ad alia non occupatur, poteſt ſine licentia prælati aliqua licita tunc facere, quia tamen nullum tempus eſt exceptum, in quo prælatus non poſſit religioſum circa aliquid occupare, nullum votum religioſi eſt firmum, niſi de conſenſu prælati: ſicut vota puerorum, & puellarum exiſtentium in domo paterna nõ ſunt valida ſine aſſenſu patris. Idem de vxore reſpectu viri.

A Ad quartam rationem, cum dicebatur, quod quicunq; facit quod de iure facere non potest, peccat, respondetur, quod vouere non est illicitum alicui, quamquam sit subiectus alteri eo quod per hoc exprimit voluntatem suam de colendo Deum, & quantum in se est obligat se Deo & ad reddendum tenebitur si consentiat ille, cui subiicitur, votum tamen firmũ non est, quousq; ille, cui subiicitur per consensum votum istius firmauerit.

An episcopus possit absolute quæcunq; vouere, & quæ vota episcoporum valeant, & quæ non.

QVÆSTIO LXVI.

QVęretur vlterius, quia dictum est, quod sex personę suprapositæ non habebant ius simpliciter ad vouendum, quomodo quælibet earum prohibeatur, & quid liceat ei vouere. Et primo de Episcopo, non est enim episcopus penitus sui iuris, q a sicut vxor respectu viri est subdita, & vir respectu vxoris quantum ad aliquid est obligatus, & à quibusdam abstinere debet vouendo. sc. q̃ non põt illa vouere sine licentia vxoris, ita cum inter episcopum & Eccles. suam sit matrimonium spirituale: extra de transl. episcop. vel cle. c. inter corporalia. in quibusdam nõ hab bit libertatẽ vouendi, ideo dicẽdum q̃ ep̃s non põt aliquid vouere per quod dissoluatur vinculum inter eum, & Eccles. suam, & si voueat non tenet, sicut non potest vouere religionem, quia ibi cederet episcopatui, nisi ad hoc habuerit auctoritatem Papæ. Extra de regularibus. ca. licet. §. illa semper. & de renunci. c. nisi cum pridem. idem autem intelligendum si aliquo alio modo renunciare vellet episcopatui, præter hoc etiam non potest episcopus aliquid facere, per quod graue præiudicium sequatur Ecclesiæ suæ: & consequenter nec vouere. extra de iureiuran. ca. sicut. & de præcariis ca. 2. vnde non posset emittere votum peregrinationis, per quod oporteret ipsum absentari aliquanto tempore ab Ecclesia sua, nisi de licentia speciali, vel generali Papæ, ut patet extra de voto, & voti redem. ca. magnæ. §. verum ætatis. Sic tenet Innocen. & Henricus in c. scripturæ de voto, & voti redem. & Hosti. in summa isto titul. potest autem episcopus emittere tale votum per quod non fiat præiudicium graue Ecclesiæ suæ, sicut vouere abstinentiam, in quo nihil præiudicatur, & ad eleemosynam temperatam. Ar. 8. q. 1. cap. clemens. & extra de testa. cap. relatum. 2. §. licet autem. immensam autem non potest eleemosynam dare, vel donare, quia sic grauiter præiudicaretur Ecclesiæ. & generaliter episcopus potest vouere quidquid licet ei facere, sed quia votum semper est de meliori bono potest vouere quodlibet, per quod bonæ vitæ exemplum aliis præbeat, quia ad hoc tenetur extra de voto, & voti redem. c. magnæ. §. 1. & de sacra vncti. c. vnico. §. ad exhibendum.

C

Episcopus si vouit peregrinationem dum est episcopus, deinde cedit antequam faciat, an teneatur ad illud.

QVÆSTIO LXVII.

QVæretur vlterius de episcopo si vouit peregrinationem dum erat episcop⁹, & postea cedit episcopatui an tenea tur ad illud votum, si non impleuit dum esset episcopus. Respondendum est, quod aut iste ep̃s emisso voto peregrinationis petiuit licentiam à summo põtifice ad implendum votũ, aut nõ, si petiuit, aut impetrauit, aut denegata est, si fuit denegata, votum irritatum fuit, quia non poterat ipse sine Papæ consensu obligari ad votum peregrinationis, extra de voto, & voti redem. ca. magnæ. §. verum ætatis, ideo per repugnãtiam Papæ non manet iam aliqua obligatio, & sic dato quod cedat episcopatui intrando religionem, vel alias non tenetur ad votum, quia obligatio illius dissoluta est, si autem impetrauit licentiam peregrinandi à Papa, & non peregrinatus est, quamquam forte peccauerit differendo tanto tempore peregrinationem, si tp̃s conueniens habuit dum esset in episcopatu: tñ votum propter hoc non expirat. Sed distinguendum q̃ aut iste cessit episcopatui intrando religionem, vel quia depositus est ex aliquo crimine, vel quia Papa forte concessit licentiam, q̃ cederet non intro eũdo religionem. Si primo modo non tenetur implere votum, quia per ingressum religionis omnia vota tollũtur, cum possint omnia commutari in illam extra de voto. & voti redẽ. c. scripturæ. Si tamen postea prælatus suus in monasterio dederit ei licentiam peregrinandi tutum est, quod peregrinaretur: sed adhuc non obligaretur ad hoc, quia omnia vota per ingressum religionis abolita sunt. De hoc magis. infr. dicetur cum agetur de voto monachorũ. Si autem cessit episcopatui, quia depositus fuit: vel alias ex licentia Papæ non intrando religionem tenebitur ad votum, quia cũ sit sui iuris, & obligatio voti manet, tenebitur adimplere. Si autem iste vouit peregrinari dum erat ep̃s, & nunq̃ significauit hoc Papę: quamquam sine consensu Papæ istud votum non erat firmum quia tñ nunquam repugnauit Papa, cum nescierit, mansit votum sp̃ obligans quantum ad ep̃m: ideo postea non fuit exutus ab onere episcopali & manebit obligatio, sed tunc distinguendum est, vt prius. s. aut intrauit religionem, aut non & dicatur sicut ibi.

D

Si episcopus vouerit ieiunare orare &c. & cesserit episcopatui an teneatur ad illa.

QVÆSTIO LXVIII.

QVæretur vlterius circa vota episcoporũ, si aliq s vouit dare eleemosynã, vel ieiunare, aut orare & similia, dum esset episcopus, an postea si cesserit episcopatui teneatur ad ista vota. Respondendum est, quod aut iste vouit religionem, aut aliquid alterum, si primo modo aut Papa hoc sciuit, aut non, si sciuit, & non repugnauit votum mansit firmum, ideo postq̃ cesserit episcopatui per depositionem, vel per licentiam Papæ alias tenebitur ad ingressum religionis, si autem Papa sciuit, & repugnauit votum irritatum est, quia sine Papæ licentia non p̃t ep̃s introire religionem, nec votum est firmum extra de regularib. c. licet. §. illa sp̃. & de renun. c. missi cum pridem: ideo postquam cesserit episcopatui, non tenebitur intrare religionem, quia votum totaliter euacuatum est dissensu Papæ. Si autem Papa nescivit votum emissum, non potuit irritare per dissensum suum, ideo sp̃ tenuit, & postquam cesserit, qualitercunq; cedat, tenebitur intrare religionem. Si autem iste episcopus vouit orare, vel ieiunare non est distinguẽdum, sicut in superiorib. sc. an Papa sciuerit, vel non, quia in istis episcopus hab et liberam potestatem vouendi, quia solum astringitur ptãs eius quantum ad vota, quæ concernunt dissolutionem vinculi inter episcopum & Ecclesiam suam, & quantum ad illa in quib. paratur graue præiudicium Ecclesię. in his enim non habent liberam potestatem, in cæteris autẽ hẽt: ideo sine consensu Papæ tenet votum, nec Papa põt repugnare. Ideo dicendum quod qñ iste cedit episcopatui, aut intrat religionem, vel manet in sęculo. Si primo modo dissoluitur obligatio voti extra de voto, & voti redem. c. scripturæ. cum tamen ista vota possint honeste seruari in religione. s. oratio & ieiunium, poterit illa seruare, nisi prælatus suus repugnet: si autem manet in sæculo tenebitur ad vota indistincte. Si autem iste episcopus fecit votum de faciendo eleemosynã, vel expendendum aliquid in pias causas, si maneret in episcopatu, erat distinguendum, quia aut istud votum erat de eleemosyna immoderata, per quam læderetur Ecclesia sua, aut erat moderata, si primo modo non tenet votum. s. quod nõ p̃t implere illud in præiudicium Ecclesiæ, si secundo modo, tenet. Ar. 8. q. 1. clemens. & extra de testa. c. relatum. 2. §. licet & hoc tenet Host. in summa tit. de voto, & voti redem. & Henricus e. ti. c. scripturæ. Cũ tamẽ iste episcopus cesserit episcopatui, non est sic distinguendum, quia votum istud de immoderata eleemosyna non obligabat sufficienter in præiudiciũ Ecclesiæ, cum tamen in casu dato cesserit episcopatui nõ paratur præiudicium Ecclesiæ in solutione voti, ideo tenebitur soluere, sed ad hoc distinguendum est, quia aut quando cedit episcopatui intrat religionem, vel non, si intrat, siue eleemosyna, quam iste vouit, sit moderata siue immoderata absolutus est à voto, cum sit generale, quod ingressus religionis omnia alia vota dissoluat. nec solum hoc ex generali conditione aliorum votorum, sed propter aliquid alterum magis speciale, nam in cæteris votis licet non maneat obligatio in profitentibus. aliquam religionem ad obseruandum ea, possunt tamen

E

F

Quid si aliquis vouit dare eleemosynã, & postea trouuit religionem an possit abbas dare licentiã ad implendũ votũ

A

tamen de licentia abbatis complere illa, ſicut dicebatur de ieiunio, & oratione, & interdum ſine licentia abbatis, dum tamen ipſe non repugnet. in hoc tamen voto non eſt ſic, quia non poteſt abbas diſpenſare cum monacho, quod faciat eleemoſynam complendo votum quod emiſit in ſæculo, quia eleemoſyna ſit de proprio licite acquiſito, religioſus tamen nō poteſt habere proprium, & ſi diſpenſaret abbas cum monacho quod faceret eleemoſynam, diſpēſaret cum eo, quod haberet proprium, ſed non poteſt abbas in hoc diſpenſare, nec etiam Papa, extra De ſta. mona. c. cum ad monaſterium. §. nec æſtimet. Et ſi dicas, quod poteſt dare ei licentiam dandi de bonis monaſterii in eleemoſynam tantum quantum ipſe vouit. Adhuc dicendum, quod iſte non implet votum, quia iſta eleemoſyna non datur nomine eius, ſed nomine monaſterij, cum iſte non ſit dominus rei, quam dat ſed procurator. ſi autē iſte non tranſeat ad religionem dicēdum, quod ſiue eleemoſyna eſſet moderata, ſiue immoderata, tenet votum, & ſi habet vnde ſoluat poſt ceſſionem, vel depoſitionē tenetur implere votum ſi autem effectus eſt pauper, faciet quod poterit, & ſi nihil poteſt faciat ſicut. ſupr. declaratum eſt in quæſtione de illo, qui vouit dare pecuniam in eleemoſynam, & poſtea illam perdidit.

B

Epiſcopus vouens ſi mutetur ad aliũ epiſcopatum an teneatur illud implere.

Qvæstio LXIX.

Qværet aliquis quid de epiſcopo, qui tranſlatus eſt ad alium epiſcopatum, vt dum eſſet in primo vouit aliquid, an teneatur illud implere dum fuerit in ſecundo. Reſpondēdum eſt quod quamquam hic ſit mutatus epiſcopatus, tamē non eſt mutatus ſtatus perſonæ, vel dignitas, quia ſemper eſt epiſcopus, ideo ſicut cum erat in primo epiſcopatu non poterat introire religionem, ſine licentia ſummi pōtificis extra de regularib. c. licet, ita cum fuerit in ſecundo non tenebitur intrare religionem ex voto, quod emiſit in primo, niſi ad hoc accedat conſenſus ſummi pontificis, & ſicut in primo non poterat peregrinari ſine conſenſu, vel licentia ſpeciali, vel generali Papæ. extra de voto, & voti redem. c. magnæ. ita ex voto, quod emiſit in illo epiſcopatu, non tenebitur, cum trāſierit ad ſecundum, niſi accedente Papæ conſenſu. De oratione eleemoſyna, ieiunio, & cæteris operibus quæ cadunt ſub voto epiſcopi. Dicēdum, quod ſi fecit votum in primo, tenetur illud obſeruare in ſecundo, niſi eleemoſyna ſit immoderata, quia ſicut non potuit grauare primam Eccleſiam, ita nec ſecundam. Idem autem eſt ſi epiſcopus aſcendat ad maiorem dignitatem, vt ſi efficiatur patriarcha, Cardinalis, vel Papa. eadem. n. horum conditio eſt, quantum ad vouendū præter hoc quod Papa non requirit licentiam alicuius ad vouendum, & implendum vota, ſicut requirunt omnes alij prælati, & tamē non poteſt ipſe grauare immoderate Eccleſias per ſumptus immoderatos, ſicut nec alii prælati.

C

An clerici poſſint vniuerſaliter vouere. Et quæ vota eorum teneant, & quæ non.

Qvæstio LXX.

Qværetur vlterius circa clericos, de quib. dicebatur quod non erant ſimpliciter ſui iuris ad vouendum. Et dicendum quod in quibuſdam poſſunt vouere, in aliis autem nequaquam, vnde non poteſt aliquis clericus indiſtincte vouere, ſed quantum ad hoc refert, quia aut clericus eſt in ſacris, aut non, ſi in ſacris, dum alias ſit ſui iuris, poteſt vouere libere cum minores ordines nihil aſtringant, quia licet clericis in minoribus contrahere, vt patet extra de clericis coniugatis per totum. Si autem ſit in ſacris, aut eſt beneficiatus, aut non, ſi non habet beneficiū poteſt vouere ſicut laicus quodcunque voluerit, ſiue peregrinationem ſiue ieiunium ſiue orationem, & ſimilia, ſi eſt beneficiatus, aut beneficium ſuum requirit aliquam reſidentiam, aut non, ſi nullam requirit, erit idem quod in caſu prædicto, ſi vero requirit aliquam, dicendum, quod aut vult vouere peregrinationem, aut aliquid alterum. De peregrinatione dicendum, quod non poteſt ſine licentia ſui ſuperioris de conſe. di. 5. cap. non oportet. & de voto, & voti redem. ca. magnæ. §. votum. & de renunci. ca. admonet. Si autem velit intrare religionem ſufficit, quod petat licentiam ab epiſcopo, extra de regularib. c. licet. & tunc ſiue obtineat, ſiue non, poterit intrare. Et ſic ſi liberum eſt ſibi vouere religionem, ſine licentia tamen epiſcopi non debet introire, vt in præalle. ca. licet quod intelligitur de beneficiato, vt dixi: nam clericus non beneficiatus poteſt vouere ſicut laicus: ſic tenet Rai. in ſumma. titu. de impedimento voti, & frater Ioa. in ſumma confeſ. & Hoſt. extra. de voto, & voti redem. in ſumma. & Henricus. eo. ti. ſuper. c. ſcripturæ. Quantū vero ad alia vota. vt orationis, ieiunii, & eleemoſynæ: poteſt abſolute clericꝰ beneficiatus vouere, nec exigitur ad votum, vel ſolutionem licentia epiſcopi, quoniam in iſtis liber eſt. Dicunt autem aliqui quod quilibet clericus poteſt votū trāſmarinum ſine prælati licentia emittere, & ſoluere. c. extra. de voto, & voti redem. ca. ex multa. & ca. ſi. licet in hoc non eſt determinatum: quoniam alii intelligunt illa capitula de licētia prælati, vel ſedis Apoſtolicæ. Ar. extra. de cleri. non reſi. ca. fraternitati; & de voto, & voti redem. ca. magnæ. §. verum. & hoc videtur tenere Hoſti.

D

Clerici ſi degradentur, an teneantur complere vota.

Qvæstio LXXI.

E

Qværitur de votis clericorum, ſi degradentur, an debeant complere vota, quæ emiſerunt, dum eſſent in ſtatu clericali. Reſpondendum eſt, quod aut iſti degradati tradūtur immediate curiæ ſeculari puniendi pro delictis ſuis, aut non: ſi primo modo aut ſunt vota perſonalia. ſcilicet, quæ ipſi per ſe debeant complere in ſucceſſione temporis, vt ſi vouerunt in qualibet hebdomada ſemel ieiunare, vel orare in quolibet menſe, vel qualibet die: vel ſunt vota, quæ de rebus expleri debent, ſcil. dando aliquam eleemoſynam: ſi primo modo ſiue ſint vota conditionalia, ſiue abſoluta non poſſunt illa implere, quia per degradationem traduntur curię ſeculari, à qua vltimo ſupplicio afficiuntur: ſi autem ſint vota ſolubilia de rebus vel eleemoſyna: dicendum eſt, quod etiam poſt mortem talis clerici de bonis eius, ſi aliqua manent, ſoluendum eſt votum, quia eo viuente illa bona fuerunt obligata: ſi autem poſt degradationem non traditur curiæ ſeculari, dicendum quod aut fuit votum religionis, aut peregrinationis, aut de aliis rebus. In duobus primis eſt maius dubium, nam ſi manſiſſet iſte clericus in ordine clericali non poterat peregrinari ſine licentia epiſcopi, nec erat firmum votum. Ad religionem etiā requirebatur petitio licentiæ: in cæteris autem nihil; dicendū tamen quod poſtquam fuerit degradatus vel depoſitus non ſubeſt epiſcopo, ſicut clericus, ſed ſicut quilibet alius laicus: ideo ſi votum religionis emiſit, tenetur intrare in illam, nec debet ad hoc petere licentiam ab epiſcopo, quia iam non eſt obligatus ad hoc cum ſit mere laicꝰ, & ſi vouit peregrinationem tenetur illam adimplere ſine aliqua licentia prælati. Niſi forte ante degradationem, vel depoſitionem epiſcopus contradixiſſet ei in voto, quia tunc infringebatur votum de peregrinatione emiſſum, vt non obligaretur poſtea complere. Si autem eſſent alia vota ſicut ieiunia, & orationes, & ſimilia indiſtincte tenetur illa complere, quia votum ſemper tenuit.

F

An monachi poſſint vouere aliquid, vel totaliter prohibeantur ſine prælati licentia vouere.

Qvæstio LXXII.

Qveretur amplius de votis monachorum, quia dicebatur, quod iſti non erant ſui iuris ad vouendum. Et dicendum qꝑ nullum votū monachi validum eſt ſine licētia abbatis, & ſic de aliis religioſis. quamq̄ in hoc diſtinguēdum eſt, quia aut iſtud eſt votum qꝑ poteſt complere intra clauſtrum ſuū non ꝓiudicando reguię ſuæ, nec mandatis ſuperioris: ſicut recitare quotidie aliquos pſal. ex ſupererogatione, vel ieiunare aliqua die: aut eſt tale, per quod cogeretur exire clauſtrum peregrinando. Si primo modo votum tenet reſpectu ipſiꝰ monachi

A nec oportet quod petat licentiam ad obſeruandum illud, nõ eſt tamen totaliter validum, quia ſi prælatus voluerit poterit infringere iubendo contrarium facere, vel aliquid diſparatũ, per quod non poſſit implere votum: nam licet aliquod tempus eſt, in quo non poſſit eum circa aliqua occupare. Sic tenet ſanctus Tho. 2.2.q.88.art.8. in ſolutione tertii argumenti. Si autem ſit votum peregrinationis, vel cuiuſcunque alterius operis pii, per quod monachus cogeretur exire clauſtrum non ſolum non poteſt ſine abbatis licẽtia complere, imo nec debet vouere. Ar. 16.qu.1.c.ſi cupis. & c.placuit. Quamuis dicat ſibi inſpiratum eſſe à Deo: timendum eſt enim ne angelus ſatanæ ſe transformet in angelum lucis. extra ne cleri. vel mona.c.non magnæ operæ. Poteſt tamen monachus vouere de tranſeundo ad aliam religionem ſtrictiorem: & ad dimittendum iſtud votum non requiritur alia licentia abbatis. Ad exeundum tamẽ de clauſtro ad aliam religionem requiritur, quod petat licentiam, licet non obtineat extra de regularibus cap. licet. Item monachus non poteſt vouere votum abſtinẽtiæ ſingularis. ſc. vltra ordinem ſuum, & conſuetudinem monaſterii, nec peregrinationis nec aliquod aliud regulariter in quo. ſ. appareat differens ab aliis eiuſdem conuentus ſine licentia abbatis, & ſi fecerit non debeat obſeruare donec videat, an abbas velit, ne ſit ſcandalum aliis, quib. debet ſe conformare, vel ne detur ei occaſio euagandi. 20.q.4.§.2.&3.& §.verum. ad hoc ar. 41.di. quiſquis.

B

An monachus poſſit tranſire ad aliam religionem indiſtincte.

QVÆSTIO LXXIII.

QVæretur amplius cum monachus vouet tranſire ad aliam religionem an indiſtincte poſſit. Reſpondendum eſt, quod tenetur licẽtiam petere, licet non obtineat extra de regularibus cap. licet. & tunc ſi non apparet quod ipſe moueatur aliquo malo zelo debet ſibi cõcedi, an vero moueatur bono zelo, vel malo, determinatio pertinet ad illum, à quo petitur licentia, & hoc quia non debet permitti in iudicio eius, q tranſire vult, cum interdum ſatanas ſe transformet in angelum lucis. c. præalle. licet.

Sed dices q d ſi ille à quo petitur licentia arbitratur inique? Dicendum quod recurrendum eſt ad ſuperiorem illius ſuperioris: ar. de iure patro. c. nullus. & de conceſſi. præben. c. 2. ſic tenet Hoſt. in ſumma tit. de voto, & voti redem. poſſunt enim interdum religioſi tranſire de vna religione ad alteram ex aliqua cauſa leuitatis. & ſi iſta fuerit cognita etiamſi licentiã petierint reuocari poſſunt de religione, ad quam tranſierunt. 19. q.3.ca. mandamus & c.ſtatuimus. & extra de æta. & quali. c. intelleximus. Præſumitur autem leuitas, ſi aliquis ſic tranſiens non petit licentiam ad trãſeundum, vt patet in præalle. ſic tenet. Hoſti. in ſumma in tit. de regularibus.

Si monachus ante ingreſſum religionis aliquid vouit, an teneatur.

QVÆSTIO LXXIV.

QVæretur vlterius, quid ſi monachus antequam intret religionem aliquid vouit? Reſpondendum quod ſine licẽtia abbatis non debet aliquis exequi. Sic eſt ſententia omniũ iuriſtarũ. Sed ad hoc magis diſtingui poteſt, quod aut iſte vouit in ſęculo aliquid dare in eleemoſynam, vel emiſit aliqua alia vota. ſi primo modo dicendum, quod nec ex licentia abbatis poteſt implere votum nec ſine licentia poteſt implere votum, quia eleemoſyna fit de propriis, & iſte iam non poteſt habere proprium ex diſpenſatione abbatis, vel alicuius alterius, etiam Papæ. extra de ſta. mona. c. cum ad monaſterium. §. vlt. Si autem emiſit alia vota, vt peregrinationis, orationis, ieiunii, & ſimilium: tunc dicendum quod non eſt obligatus illa obſeruare, quoniam per ingreſſum religionis tolluntur omnia vota, cum omnia poſſint commutari in illam. extra de voto. & voti redemptio c. ſcripturæ. Nec eſt neceſſaria aliqua ſatisfactio in monaſterio pro impletione voti, quam omittit cum totum tempus vitæ ſuæ Dei ſeruitio impendat 33. qu. 2. ca. admonere. & de pœni. di. 1. §. his auctoritatibus Hoſti. tamen in ſumma ti. de voto, & voti redemptio. diſtinguit ſicilicet quod iſte, qui intrauit religionem intendebat quando intrauit quod omnia vota commutarentur in religionem, aut non aduertebat ad hoc. Si primo modo ſolutus eſt ſi ſecundo modo debet recurrere ad abbatem, qui poterit diſpenſare, cum illo ne impleat votum, propter iura præall. ſi autem velit adhuc obſeruare votum non petens diſpenſari, petat licentiam ab abbate ſine cuius licentia non debet exequi bona, quæ emiſit in ſæculo. dicit tamen quod tutius iſti agerent, ſi primo quam intrarent religionem implerent votum, & poſtea intrarent: art. extra de voto, & voti redemptio. c. per tuas. Sed in hoc dicendum eſt modicum differre, quia per religionem omnia vota commutantur, ideo ita ſecurum eſt, quod aliquis intret religionem, ſi deſiderat non impleto voto quod emiſit in ſęculo: quam quod ſpectet completionem: nam vota ſunt introducta ad cultum diuinum, cum vouere ſit actus latriæ, ergo illud quod magis cedit in cultum Dei melius eſt obſeruari: ſed ſi aliquis habet votum, quod vſque ad duos annos impleri non poteſt, & ſpectat impletionem vt poſtea intret religionem melius eſt, quod immediate intret religionem, etiamſi poſtea nõ obſeruet votum in monaſterio, quam quod differt vſque ad duos annos, quia magis colet Deum in his duobus annis in religione, quam colere poterit in ſæculo in complendo votum. Niſi forte dicas, quod ſit ſtatus perfectior in ſæculo quam in clauſtro quod falſum eſt: ſi autem immediate introierit clauſtrum in his duobus annis magis colet Deum, quam in expletione voti, ideo acceptabilius erit ei. Item melius eſt ex alia cauſa: quia forte nunc deſiderat inſpiratus à Deo intrare religionem, & in magnitudine temporis efficietur tepidus conuerſus ad delitias huius ſæculi, ſicut dicitur Matth. decimotertio capitu. de illis, qui ſuſcipiunt cum gaudio verbum Dei & tamen temporales ſunt, quia cum venerit aliqua tribulatio deſiſtunt. Et de ſemine, quod cecidit inter ſpinas. ſcilicet, quod aliqui ſuſcipiunt verbum Dei, ſed poſtea à diuitiis & delectationibus huius ſæculi ſuffocatur, & hoc periculum eſt: ideo cum aliquis firmiter aliquid deliberauit, non debet multum morari circa ea, quæ ptinent ad cultum Dei, ne poſtea deſertus à gratia Dei, non impleat, & ſit in culpa, quia cum habuit temp⁹ diſtulit adimplere. Sic etiam Ariſtot. admonet Ethico. libr. 6. ſcil. quod aliquis deliberando circa rem, & iudicando debet multum morari quouſque mature cognoſcat, ſed poſtquam deliberauerit debet velociter adimplere. Item patet hoc ex alia cauſa, quia conſilium nobis eſt quod ab occaſionibus vitiorum caueamus quantum poterimus, ſed maior promptitudo ad vitia eſt homini in ſæculo, quam in clauſtro, ideo ſi aliquis deſiderat religionem citius quam potuerit data opportunitate cõueniens eſt intrare, ne tempore medio habeat in ſæculo occaſionem ad peccandum. De hoc autem quod dicebatur ſupra ſi intrans monaſterium, vult obſeruare vota, quæ emiſit in ſæculo: dicendum quod aut illa ſunt talia, quæ requirunt egreſſum à clauſtro, vt peregrinari, & talia non debent ſine licentia abbatis compleri, ſi autem intra clauſtrum compleri poſſunt: aut ſunt talia, in quibus monachus apparebit diſtinctus ab aliis monachis, & ſi vult comedere cibos ſtrictiores, vel ieiunare frequentius, quam ieiunatur in clauſtro, & ſimilia, quæ neceſſario cognoſcentur ab aliis, & poſſunt eos ſcandalizare: aut ſunt talia, quæ poſſunt fieri ſine prę iudicio regulæ, & ſine ſcandalo alicuius, ita quod fere nemo ſciat. De primis dicendum eſt, quod monachus non debet aliquod exeq ſine licẽtia abbatis: & de his intelligitur opinio Hoſti. in ſumma. tit. de voto, & voti redemptio. & Henrici, & aliorum dicentium quod ſine licentia abbatis nullum votum debet exequi eorum, quæ in ſæculo emiſit: & de hoc intelliguntur iura allegata per eos. Si tamen ſint vota ſecundo modo ſicut facere aliquã orationem ſpiritualẽ quotidie, vel recitare aliquos pſal. quæ non ſcandalizant alios, & fere ſciri non poſſunt: dicendum quod non requiritur licentia abbatis ad explendum iſtud votum, ſi tamen tempore quo monach⁹ iſta facit abbas aliquid iubeat debet monachus omittere obſeruationem voti. Hoc tenet ſanctus Thom. 2. 2. quæſt. 88. artic. octauo in ſolutione tertij argumenti.

C D E F

A

An impuberes possint vouere intrare religionem, & quando possent educi de monasteriis, & de votis eorum, quando tenent, & quando non,

QVÆSTIO LXXV.

QVæretur vlterius de voto impuberis, quia supra dicebatur, quod non erat sui iuris ad vouendum, & primo quæritur, an impuberes possent vouere religionem. Et videtur quod non, quia ad vouendum requiritur voluntas se obligandi, quod non est, nisi in habentib. vsum rationis. & istud deficit in pueris, sicut in furiosis, ergo sicut furiosi amentes non possunt se voto obligare, ita nec pueri poterunt vouere religionem.

Item id quod potest ab aliquo fieri rite non potest ab alio irritari, sed votum religionis emissum à puero, vel puella ante annos pubertatis potest reuocari à parentibus, vel à tutoribus 20.qu.2.c.puella. ergo impuberes non poterunt vouere religionem. Item intrantibus religionem datur annus probationis ante obligationem secundum statutum regulæ beati benedicti, & secundum statutum Iñoc.quarti ad hoc, quod probatio præcedat obligationem voti, ergo pueri, & puellæ non possunt se ad religionem obligare ante añum probationis. In contrarium arguitur, quia id quod non est rite factum, non est validum, etiamsi à nullo reuocetur, sed votum puellæ ante annos pubertatis emissum validum est, si infra annum à parentibus non reuocetur 20.qu.2.c.puella. ergo impuberes religionem vouere possunt. Respondetur ad quæstionem, quia vt supra dictum est votum est duplex. s. simplex, & solenne, & quia solennitas voti in quadã spirituali benedictione, & consecratione consistit, quæ fit per ministrum Ecclesiæ, ideo solennitas voti sub dispensatione Ecclesiæ cadit. Votum autem simplex habet efficaciam ex deliberatione animi, qua quis se obligare intendit. Quod autem talis obligatio robur non habeat, dupliciter potest contingere. Primo modo propter defectum rationis, sicut patet in furiosis, & amentibus, qui se voto non possunt obligare, dum sunt in furia & amentia. Alio modo, qui ille, qui vouit est alterius potestati subiectus, & non potest firmiter obligare quod in alterius potestate est: ista duo concurrunt in pueris ante annos pubertatis, quia patiuntur adhuc rationis defectum, vt in plurimum, & sunt sub potestate parentum naturaliter, vel sub potestate tutorum, qui sunt eis loco parentum, ideo vota impuberum dupliciter non sunt solida. Contingit tamen propter dispositionem naturæ, quæ legibus humanis non subiicitur, quod in aliquibus impuberibus acceleretur vsus rationis: & isti dicuntur secundum iura capaces doli, nec tamen propter hoc eximuntur in aliquo à cura parentum, quæ subiacet legi humanæ respicienti ad id, quod frequentius accidit, ideo dicit sanctus Thomas, quod si puer, vel puella ante annos pubertatis nondum habeat vsum rationis nullo modo se potest ad aliquid voto obligare. Si vero ante annos pubertatis attingit vsum rationis potest quidem quantum in se est obligari, sed votum eius potest irritari per parentes, vel tutores. Devoto autem solenni secus est quia quantumcunque pueri, vel puellæ sint doli capaces ante annos pubertatis, non possunt obligari voto solenni, & hoc propter statutum Ecclesiæ, quod respicit id, quod in pluribus accidit: & propter hoc non fit professio ante annum decimumquartum pueri autem, & puellæ post annos pubertatis possunt se voto obligare alicui religioni, siue voto simplici, siue solenni, & hoc sine consensu parentum. Nec poterunt parentes irritare vota illorum. De puero apparet. vigesima quæst. 2. capit. si in qualibet. De puella apparet ibidem in ca. puella. Dicendum tamen de voto impuberis quod non potest per votum se obligare ad religionem etiamsi ad hoc accedat consensus patris, vel tutorum, vt patet extra: de regularibus. cap. secund. & capit. is qui. de regul. in sexto. ideo licet impuberes voueant religionem, siue cum consensu parentum, vel tutorum, vel sine consensu non tenet votum, ideo licet maneant in monasterio poterunt postea exire ante annos pubertatis, vel immediate cum ad illos peruenerint. Si autem dicatur de aliquo alio voto impuberum. Dicendum, quod non possunt sine patris, vel tutoris licentia obligari, cum illa autem sic. 22. q.2.c.1.& 2.

Vota impuberũ dupliciter non sunt solida.

B

C

Ad rationes in contrarium respondetur ad primam dicẽdum quod voluntas se obligandi deficit in illis, qui non habẽt perfectum vsum rationis, quoniam inuoluntarium vno modo dicitur per ignorantiam iuxta Aristo. 3. Ethic. & quia pueri non habentes vsum rationis completum sunt ignorãtes, nõ habent voluntatem se obligandi nec obligantur, & quia in impuberib. hoc communiter accidit, vota impuberum non tenent, nisi forte sint doli capaces, quia tunc quantum ad eos tenet, licet parentes, vel tutores possint illa irritare reuocantes eos de monasterio ante annum, & diem 20.q.2.c.si in qualibet. & ca. puella. si autem puberes sint, quamquam large vocentur pueri, tamen obligare se possunt.

Ad secundam rationem dicebatur, quod ea, quæ rite fiũt, non possunt ab alio reuocari. Dicendum est, quod vota puerorum & puellarum emissa ante annos pubertatis ingrediẽdo religionem possunt irritari: & hoc quia sunt in potestate illorum pro tempore illo, cum ad ingrediendum religionem censeatur maior puer, qui est 14. annorum, & puella, quæ est 12. & eximuntur à patria potestate quantum ad hoc, quod est speciale, quia quantum ad cætera durat patria potestas maior. tempore. Sic dicit Ioan. glossator decretorum. super ca. si in qualibet 20.q.2. si tamen impuberes maneant per annum, & diem in monasterio, non repugnantibus parentibus, vel tutoribus: & tunc videntur approbare votum eorum, vel religionis ingressum, iam non poterunt reuocare illos de monasterio 20.qu.2.ca.puella: si tamen adhuc post annum, & diem isti sunt impuberes, licet parentes vel tutores nõ possint eos reuocare, poterunt ipsi exire.

D

E

Ad tertiam rationem dicendum, quod votum ad religionem est duplex. s. simplex, & solenne, est enim simplex illud, quo quis se obligat ad ingrediendum religionem. Votum autem solenne est ipsamet professio. De primo voto dicendum, quod non datur annus probationis ad illud, sed ipse præcedit annum probationis. De secundo autẽ intelligitur quod nunquam fit sine anno probationis, nisi forte aliquis maior effectus renunciet priuilegio, & velit profiteri ante annum: alias habebit annum ad deliberandum.

An vota impuberum teneant tempore pubertatis.

QVÆSTIO LXXVI.

QVæretur vlterius de votis impuberum an valeant, quãdo ipsi fuerint facti puberes.

Respondendum est, quod aut ipsi venientes ad pubertatẽ approbant ista vota, quæ fecerunt habentes ea rata: aut non. si non approbent cum à principio non tenuerint non obligabuntur postea implere, quia tunc censentur incipere habere vsum rationis completum: & sunt voluntarii, vel inuoluntarii. Vnde si approbent vota tunc censentur illa nouiter incipere. vel si non approbent censentur nunquam vouisse. vnde licet vouerit aliquid impubes consentiente patre, vel tutore, & postea veniat ad pubertatem, potest illud non habere ratum, & non poterit eum pater, vel tutor compellere ad impletionem, quia non potest compellere ad votum emittendum. ff. de verbo. obli. l. vlti. & in authen. de san. epis. §. interdicimus coll. 9. si autem impubes veniens ad pubertatem confirmet, vel rata habeat vota emissa prius, aut ista sint vota de religionem intrando, vel alia. Si primo modo votum tenet: & inuitis parentibus, vel tutoribus complere poterit illud puer effectus pubes. sic intelligitur extra. de regula. c. significatum. & c. cum te. & c. cum simus. & ca. is qui. eo. ti. li. 6. Si autem sint alia vota emissa ante pubertatem: aut fuerunt cum licentia patris, vel tutoris emissa, vel non: & hoc siue licentia illa sit vera siue interpretatiua. Si primo modo non poterunt parentes, vel tutores retractare votum eius, qui peruenit ad pubertatem quamquam maneat adhuc in potestate parentum, vel curatorum. Et dixi de licentia vera, vel interpretatiua quia aliquando interpretatiua sufficit, quia si puer, vel puella ante annos pubertatis ingrediatur religionem non consulto patre aut tutore, si scientib. his manserit ibi per annum nõ possunt postea eum de monasterio reuocare 20.qu.2. c. puella. & hoc

F

A quia ista est licentia interpretatiua, cum sciant eum in monasterio: & non repetant tempore assignato à iure. Si autem vota impuberum fuerunt emissa totaliter sine licentia parentũ, vel tutorum: si isti peruenientes ad pubertatem ea approbẽt obligant quantum ad ipsos: si autem vota facta post pubertatem interdum tamen possunt reuocari à parentibus, vel curatoribus, in quorum potestate adhuc manent de quo immediate. infr. videbitur.

Puberes, qui sunt sub patris potestate an possint vouere.

QVÆSTIO LXXVII.

QVæretur amplius de voto puberum, qui tamen adhuc sunt in patria potestate, vel sub curatoribus, an possint vouere. Respondendum est, quod aut intelligitur de voto religionis, aut de aliis. De primo dicendum, quod siue patre siue curatore volente, siue inuito vouere potest. extra de regu. c.2. & c.is qui eo.ti.lib.6. Si autem quæratur de aliis votis, aut est tale votũ per q̃ totaliter patria potestas tollitur, aut non. Si primo modo non potest illud emittere, quia non est sui iuris ad similitudinem vxoris, monachi, & serui. extra. de sentẽtia excõ. c. mulieres. & ff. de poli. li. 2. §. 1. quod intelligitur nisi B ad hoc accedat auctoritas patris, quia cum ipse possit eũ emãcipare in p̃iudicium sui poterit ei concedere facere votum, p̃ quod vtatur iure emancipati. Si autem votum hmõi nõ est ad tollendum patriam ptãtem, aut est tale, per q̃ præiudicaretur grauiter patriæ potestati aut non. Si primo modo non põt emittere votum filius sine consensu patris vel si emittat nõ erit firma obligatio, donec pater cõsenserit, ideo non põt q.d quam vouere dare in eleemosynam filius de bonis patris, quia per hoc grauiter p̃iudicaretur patri. Secus autem si habeat peculium castrense, vel quasi castrense, quia poterit de illo vouere, quia proprium est. & ob hoc non poterit filius vouere lõgam peregrinationem sine consensu patris, vel absentiam à domo paterna ad aliquam causam piã pro magno tempore, quia sic indirecte se subtraheret patriæ potestati, cui non debet præiudicare. Hoc verum est, nisi in voto transmarino, vt in cruce signatis ad subsidium terræ sanctæ, quia istud votum potest filius sine patre emittere. extra de voto, & voti redem. c. ex multa. §. q̃ autem. Fallit etiam hoc in causa necessaria, & ineuitabili, vt si filius familias incideret in canonẽ, ita vt absolui non possit, nisi à Papa: etiam inuito patre poterit vouere ire ad sedem apostolicam. extra. de sententia excommunica. c. relatum. alia autem sunt, in quib. nullum, vel paucum paratur præiudicium patriæ potestati. & in his sine licentia patris potest filius vouere, vt orare, ieiunare, vigilare, aut similia facere: quod intelligitur tã in filio quam in filia. sic tenẽt omnes docto. iuristæ. In hoc autem est maior libertas vouendi in C nouo testamento, quam in veteri: quia in veteri dum esset filius, vel filia sub patria potestate, siue esset pubes siue impubes, non poterat emittere aliquod votum validum sine consensu patris: & si emitteret, poterat postea per patrem reuocari in illa die, in qua pater sciuisset, vt patet in hoc c. Nuncaũt multa licent filiisfamilias vouere, q̃ non possunt infringere parentes etiã non requisito eorum consensu. quod autem dicebatur de oratione, & ieiunio, & vigiliis, & similib. operibus piis, q̃ possint filii illa vouere: intelligendum est cum ista sint moderata. Si autem immoderata sint ita vt verisimiliter præsumatur, q̃ aliqua ægritudo inde secutura sit, vel aliqua amẽtia, sed directe ista non repugnent patriæ potestati: tamen potest pater illa retractare, quia per accidens multum repugnãt patriæ potestati filio incidente in ægritudinem. Cũ vero moderata sint, nihil repugnant, ideo pater non reuocabit.

An filius familias in annis pubertatis possit vouere dare eleemosynã de peculio profectitio: & quid potest de aduentitio: & quid de castrense, vel quasi.

QVÆSTIO LXXVIII.

Peculiũ filiifamilias triplex.

QVæretur vlterius an filius familias in añis pubertatis possit vouere dare eleemosynam de peculio profectitio.

Pro quo considerandum est quod peculiũ filiifamilias potest esse triplex. Primum est castrense, vel quasi, secundum est profectitium, tertium est aduẽtitium. Primum dicitur peculium, quod filius familias militando acquirit, & inde dicitur castrense. i. in castris acquisitum. Etiam vocatur quasi castrense, quod filius familias taliter ex causa sua, & sine re patris acquirit, vt pecunia acquisita in docendo, in causidicando, & similib. Secundum est peculium profectitium, & dicitur esse illud, quod filius acquirit per industriam suã in re patris, quod alias prouenturum non erat, vt si pater commendet filio aliquam rem disponendam, sicut in negotiationibus, & filius ex industria superlucretur, vocabitur illud profectitium, quia de re patris proficiscitur. Tertium est peculium aduentitium, & istud est, quod aliquis donat filiofamilias ex causa patris. s. aliquis diligit patrem huius filiifamilias, & propter hoc aliquid confert isti quod non esset collaturus, nisi propter patrẽ. Dicitur aduentitium ab adueniendo, quia ab extrinseco venit & non proficiscitur de re patris. Secus autem siquis donet filiofamilias, propter seipsum non considerando patrem, quia istud ad peculium quasi castrense pertinet. Idem si donetur ei propter aliquem alterum, & non propter patrem, quia tunc non poterit vocari aduentitium. De primo peculio, s. castrensi, vel quasi, habet filius familias liberam administrationem, ideo potest vouere, & donare, quia proprium est nec pertinet ad patrem. De secundo scilicet profectitio, videtur quod non possit vouere, vel sine voto eleemosynam dare, quia alienum est, & quodammodo cõmittitur furtum. ff. de furt. l. si pignore. §. 1. & ff. de pœnis. l. respiciendum. §. furta. est enim ista res quasi totaliter patris. Nam de re patris proficiscitur cum vocetur lucrum profectitium: & si dicatur quod ex militia filii prouenit, non sequitur ex hoc quod possit filius eam libere administrare, quia tenetur industrie, & diligenter res patris tractare, dum adhuc est sub patria potestate, nec aliqua pars illius lucri propter hoc ei debetur tanquam mercenario: ideo quod accipitur inde tanquam furtum est, & talis eleemosyna Deo non placet 14. qu. 5. eleemosyna. Dicendum, quod in hoc est considerandа qualitas personæ patris, & filij, & industria filii ad lucrum profectitium, & quantitas eleemosynæ, & secundum hoc potest reddere aliquam eleemosynam, nisi pater expresse contradicat. Idem autem intelligendum est de vxore, & mercenario porrigenti modicam eleemosynam indigenti: ar. ad hoc ff. de dona. l. filius §. 1. & 2. ff. de le. 3. l. si filię. ista autem est consuetudo laudabilis, quod personæ istæ aliquid dare possint: ar. ad hoc. extra. de dona. c. cæterum. & de testa. c. relatum. 2. §. 1. de hoc etiam Hosti. in sum. titu. de pœni. & remi. in §. quib. & qualiter sub. §. quid de facientibus eleemosynam. De tertio autem lucro: scilic. de aduentitio. Dicendum quasi de profectitio: habet tamen maiorem libertatem filiusfamilias in aduentitio, quam in profectitio, quia cum profectitium de re patris proficiscatur, magis pertinet ad patrem, & consequenter minus ad filiumfamilias, ideo licet F non possit filiusfamilias libere vouere de aduentitio, sicut de castrensi, vel quasi, potest tamen liberius vouere, quam de profectitio.

An filij teneantur obseruare vota quæ fecerunt, cum essent in potestate paterna cum facti sunt sui iuris.

QVÆSTIO LXXIX.

QVæretur vlterius de votis filiorumfamil. quando deuenerint ad hoc quod sint totaliter sui iuris, an debeant obseruare vota, quę emiserunt cum essent in potestate patria. Respondendum est, quod aut isti erant infra pubertatem, aut supra: si infra iam declaratum est, si supra pubertatem, aut vouerunt religionem, aut aliquid alterum. Si primo modo: dicendum, quod si non compleuerint dum erant sub patria potestate tenentur implere indistincte dum illam exuerint: & hoc quia votum istud tenuit, siue pater repugnaret siue non. Si autem esset aliud votum, aut erat de illis, quæ non tenebant sine consensu patris, sicut votum per quod eximeretur filius à patria potestate, vel per quod pararetur graue præiudicium patri, aut de his, per quæ non paratur præiudicium, vt ieiunare, orare, & similia. Si secundo modo dicendum quod tenetur complere illa postquam fuerit sui iuris si primo non impleuit, quia ista vota simpliciter tenuerunt

cum

D

E *Arguitur, q̃ nõ de q̃ fecãtio*

cum pater non posset repugnare. Si autem primo modo: vt si filius voueret longam peregrinationem, per quam præiudicaretur patri, aut vouisset eleemosynam, quam facere nō poterat de reb. patris: dicendum quod aut pater sciuit ista vota, aut non. Si non sciuit nunquam potuit repugnare, ideo licet in præiudicium eius vota non tenerent, tamen in præiudiciū vouentis tenuerunt, quia erat in añis discretionis: cum ergo nunq̄ retractata fuerunt, tenebitur illa obseruare, cum venerit ad tēpus, in quo sit sui iuris. Si autem pater sciuit vota, aut repugnauit illis, aut non, si non repugnauit, approbauit ea: ideo tenebitur filius familias, complere, cum fuerit sui iuris. Si autem repugnauit illis, irritauit ea, cum illa non possint esse sine consensu patris, ideo non manet aliqua obligatio. Exemplum, vt si vouerit filius familias longam peregrinationem, vel magnam immorationem circa aliquod opus pium abstrahendo se à reliquis operationib. nam si pater repugnauit isti voto, non tenebitur illud implere, dum fuerit sui iuris. In aliis autem casib. tenetur. secus est in voto transmarino: quia si istud emiserit filius dum est in patria potestate, siue pater repugnet, siue non, tenet votum. extra. de voto, & voti redem. c. ex multa. ideo si non impleuit istud, cum esset sub patre, tenetur postea implere.

A

B

An vxor possit aliquid vouere sine licentia viri: & de votis mulierum, & meretricum.

QVÆSTIO LXXX.

QVæretur amplius de voto vxoris, quæ dicebatur esse non sui iuris ad vouendum, an possit sine cōsensu viri aliquid vouere. Respondendum est, quod aut est ista mulier despōsata, sed nondum tradita, aut est tradita consummato matrimonio. Si primo modo aut agitur de voto religionis, aut de aliis: si primo modo dicendum, quod potest viro inconsulto introire religionem etiam repugnante. extra de conuer. coniu. cap. verum. & quasi per totum. Idem est de viro quantum ad hæc. Si autem quæratur de aliis votis, aut sunt talia, quæ debent continuari etiam postquam matrimonium fuerit cōsummatum, aut quæ possunt breuiter finiri ante consummationem. Si primo modo vir poterit illa retractare, & licet nō retractet tempore despōsationis poterit retractare consummato matrimonio. Si autem sunt talia, quæ possint finire breuiter ante consummationem matrimonii, aut illa sunt talia quæ possint præiudicare viro, & statui matrimonij vt si sint immoderata ieiunia, aut vigiliæ, vel similes labores, per quos indisponitur mulier ad concipiendum, & nutriendum, & obsequia viro postea præstanda, & verisimiliter incurrere potest in aliquam ægritudinem, vel sunt talia, per quæ non præiudicatur. Si primo modo non poterit sponsa ista vouere, scilicet, quod non tenet votum sine consensu viri, ita quod si ipse repugnauerit infringetur. Si autem sint talia, quæ non præiudicant statui futuro, vt quod sponsa oret interdum, vel quod mediocriter ieiunet, non poterit sponsus retractare. Sed dicetur: nunquid potest sponsa vouere eleemosynam? Respondetur, quod aut vouet eam cum intentione implendi, quando fuerit in domo viri. vel quando fuerit in domo patris. Si primo modo, dicendum est de isto voto, sicut de votis, quæ emittit mulier in domo viri. scilicet, quod si sit eleemosyna magna, non poterit eam vouere sine viro, vel si vouerit, non poterit complere votum viro nesciente, alioquin peccat, nisi credat virum verisimiliter permissurum: & hoc quia præiudicat viro administrando res, quæ solum sunt sub administratione viri. In parua autem eleemosyna posset vouere mulier, & soluere non consulto: dum tamen vir non contradicat sibi. Si autem contradicat, vel si verisimiliter credit eum contradicturum, quamuis non contradicat peccabit in faciendo qualemcunque eleemosynam nisi forte habeat aliqua bona dotalia, & fructus eorum: si enim hæc acquirat non impeditis obsequiis, quæ præstanda sunt viro poterit de illis eleemosynam facere, nec tamen poterit simpliciter illa tribuere, nihil reseruans ad sustentationem oneris matrimonii. Si autem puella desponsata vouit eleemosynam ea intentione, vt in domo paterna illam solueret, non teneret votum, nisi patre consentiente, quia in puellis non distinguitur peculium castrense vel quasi sicut in filiisfamilias, si tamen puella administraret aliquam rem patris, & ex industria sua in illa superlucraretur, esset peculium illud quasi profectitium. & de illo posset aliquid in eleemosynam dare, alias autem non posset. Generaliter tamen dicendum, quod puella desponsata non potest aliquid vouere, quod sit contra statum matrimonii, nisi forte voueat religionem. Si tamen velit vouere continentiam & quod maneat in sæculo, vel quod coniungatur viro, & tamen quod non reddat debitum, & sic de aliis, ad quæ teneatur viro, non tenet votum, nisi vir illud confirmauerit.

C

D

Vxor consummato matrimonio an possit vouere.

QVÆSTIO LXXXI.

QVæretur vlterius de voto vxoris post consummatum matrimonium. Et tunc aut est votum de continentia obseruanda, vel sunt alia vota. De primo dicendum, quod nō potest vxor vouere continentiam perpetuam, vel temporalē, nisi vir consenserit. sed hoc stat dupliciter, quia aut istud votū est de continentia obseruanda per ingressum religionis: aut de continentia, quæ seruatur in sæculo. Si autem primō modo non potest vxor vouere continentiam sine viri auctoritate, nec vir sine auctoritate vxoris, quia quantum ad hoc pares sunt, nec etiam sufficit, quod vir det licentiam vxori introeūdi religionem, sed etiam quod ambo introeant, nisi forte, qui manet in sæculo sit talis, quod nullo modo de eo suspitio haberi possit propter magnitudinem ætatis, & tunc etiam vouere debet continentiam, licet in sæculo maneat, nec poterit postea copulari alteri, in tātum quod si copulatur, non tenet matrimonium. Potest tamen aliquando vir transire ad religionem vxore inuita, vt si adulterata est, & est adulteriū notorium iuris, vel facti, non. n. poterit tunc ipsa repetere eum, quia licet in sęculo manerent poterat vir procurare diuortiū, fœmina tamen non poterit tunc inuito viro introire monasterium, vel quomodocunq; vouere castitatem. extra. de conuer. coniuga. c. constitutus. & c. veniens. & de diuor. c. significasti. Si autem quæratur de voto continentiæ quod potest emitti in sæculo. dicendum, q̄ non potest vxor sine consensu viri vouere continentiam temporalem, & perpetuam. nec etiam vir sine consensu vxoris, quia quantum ad hoc æquales sunt prima ad Corin. c. 7. s. vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier: mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir. Ideo Apostolus ibidem admonet, ne vir, & vxor fraudent se debito ad inuicem, nisi interdum, vt orationi simul vacent. Rursus autem redeuntes ad coniugale opus, ne tenet eos satanas. Hic tamen non requiritur, sicut in voto continentiæ in ingressu religionis, quia licet vir concedat fœminæ licētiam vouendi castitatē non cogitur vouere ipse, & è contrario de ipsa si tribuat ei licentiam vouendi. Si tamen vir cōcesserit fœminæ licē iam vouendi in perpetuum, vel ad tempus, peccat postea si petat debitum pro tempore illo, & vxor non tenetur reddere. S. autem vxor sine licentia viri, vel vir sine licentia vxoris voueat castitatem perpetuam, vel temporalem, non tenet. Nam si vouerit castitatem, & introierit monasteriū potest reuocari, si sine alterius licentia egit. ambo autem poterunt vouere continentiam simul manentes in sæculo temporaliter, vel in perpetuum 33. quæstione quinta capit. quod Deo. & extra de conuer. coniu. capit. chariſſimus. Aliqui autem volunt, quod in vouendo castitatem vir sit superior vxore, sed falsum est, quia Apostolus iudicat eos ad paria in opere coniugali. De voto tamen castitatis, quod emisit mulier temporaliter, vel in æternum consentiente viro, quamquam postea non teneretur ei reddere debitum propter licentiam, quam tribuit: tamen si vir instanter petierit, quasi cogens p-mittitur, quod reddat. & hoc propter pacem matrimonii. Alioquin vir cum potentior sit nocere possit, peccat tamen vir cogendo vxorem infringere votum cum prius cōsenserit 33. quæstione quinta capitulo noluit. Idem autem intelligunt quidam de vxore respectu viri, scilicet, quod si ipsa concessit viro licentiam vouendi, & postea petat debitum, quod tenetur vir reddere, sed non est eadem causa. allegāt tamen, quod vir, & vxor ad paria iudicantur 33. quæstione prima capitulo siquis vxorem prima quæstione prima capitulo præcepit, & hoc tenet Bar. brixi. & quidam alii. Sed non videtur valde ra-

E

F

A

tionabile: nam licet vir, & vxor ad paria iudicantur, ita quod vterque agat ius petendi debitum, tamen quando alter eorũ concedit alteri licentiam vouendi continentiam per aliquod tempus priuat de iure suo, ideo non potest rationabiliter postea petere & in hoc ad paria iudicantur, quia nemo eorum petere poterit, postquam licentiam concessit, Ecclesia tamen interdum consensit quædam fieri ne maiora mala sequantur absoluens mulierem à voto si vir concessa licentia postea debitum petierit, & non quidem absoluit simpliciter, ita quod ipsa petere possit, sed quod possit reddere, ne sequatur magna discordia cõiugum, & quia vir potest facere istam discordiam cum sit potentior, fuit rationabile, quod concederetur hoc vxori petente viro: non tamen viro petente vxore, quia ipsa cum sit viribus inferior non potest discordiam concitare inferendo aliqua mala viro.

An aliquis coniugatorum possit vouere non reddere debitum, vel non petere.

QVÆSTIO LXXXII.

QVæretur quidam de redditione debiti, & petitione: an aliquis coniugum possit vouere non reddere debitum, vel non petere. De primo manifestum est, quod nullus coniugum potest vouere non reddere sine alterius licentia, quia alias priuaret eum iure suo: si tamen vouerit obligatur, quantum ad seipsum ita quod non exigat debitum: & tamen cogitur reddere altero petente. De secũdo autem. s. an possit aliquis vouere non petere, dubium est: quidam enim dicunt quod sic, quia quilibet coniugum quantum ad hoc est sui iuris, ideo potest renunciare iuri suo per votum. Alii autem dicunt, quod neuter eorum potest vouere de non petendo sine alterius consensu, quia in hoc aliquo modo præiudicaret alteri: nam vno eorum nunquam petente matrimonium onerosum alteri redderetur: quia oportebat eum semper cum rubore debitum petere. Prima tamen positio est cõior, sed secunda est aliquo modo rationabilior. Nam sicut alter coniugum grauat alium si ei debitum reddere nolit: ita grauat si eum ad semper petendum cogat cum rubore, sed hoc manifestum est quod si ex parte fœminæ emittatur tolerabilius est: quoniam non solum non grauat virum imo absoluit eum à grauamine: quoniam alias poterat interdum debitum petere, quando vir ad hoc ineptus esset. si autem votum istud emittatur ex parte viri est matrimonium onerosum vxori, qa cogetur vxor cum rubore petere, vel nunquam recipere: ideo nõ videtur esse rationabile quod vir hoc voueat, in vxore autem rationabile est.

B

An vxor possit vouere peregrinationem.

C

QVÆSTIO LXXXIII.

QVæretur vlterius de voto peregrinationis an liceat vxori illud vouere. & dicendum quod aut est votum transmarinum, aut alterius peregrinationis. De secũdo dicitur, quod nec viro, nec vxori licet istud vouere sine alterius consensũ. art. 27. q 2. c. si tu. & 33. q. 5. cap. quod Deo. huius ratio est: quia indirecte præiudicatur alteri coniugum ex alterius discessu, cum priuetur debito, quod petere poterat. Sed hoc intelligendum est de peregrinatione, quæ est magni temporis: nã de peregrinatione breui, vt duorum vel trium dierum non videtur, quod vir debeat ab vxore petere licentiam: quia paruum grauamẽ in hoc videtur, vel nullum. De fœmina autem secus esset, quia nec ad paruam peregrinationem, nec ad distantem licitum est sibi sine licentia viri implere, & vouere cum fœmina sit subdita viro penitus quantum ad domesticã gubernationem, & in omnibus sit inferior præterquam in eis, quæ directe, vel indirecte concernunt debitum coniugale. Si autem de voto transmarino quæratur: aut quæritur de viro an emittere possit, vel de vxore. Si de viro quæratur, dicendum quod potest vouere, & exequi præter voluntatem vxoris, vxor tamen admonenda est attentius, vt consentiat. Extra de voto & voti redem. c. ex multa. §. quod autem. Si autem non vult remanere sine viro vir complebit votum, & ipsa sequetur virum suum peregrinantem. eo. tit. ca. quod super his. Si autem de vxore quæratur, an possit votum transmarinum emittere videtur quod possit, quia non ad imparia iudicantur. In contrarium dicetur, quia vir est caput vxoris prima ad Corinth. cap. 11. Respondet Host. in sum. ti. de voto, & voti redem. quod mulier potest emittere votum istud etiam viro inuito, sed an possit eo inuito explere dubium est: & distinguit an mulier sit suspecta vel infamata vel nimis iuuenis, aut nihil horum habet. Si primo modo non debet votum personaliter exequi: nam si ipsa velit ire sine viro suspecta est, quia mulier fragilis est. Quid ergo dicendum? Respondetur quod debet redimere votum. Qualiter autem fiat redemptio voti, infra dicetur. Causa redemptionis est, quia ista mulier tam ad eundum, quam ad bellandum inhabilis est. de hoc extra. de voto, & voti redempt. ca. quod super his. § rursus. Si autem nihil de superioribus habet: sed est antiqua & matrona, & bonæ famæ non redimat votum, sed eat: potissime si possit secum ducere multos bellatores, quia tunc eadem causa est, quæ in viro, scilicet, in subsidium terræ sanctę. Sed quid si vir vouet votum transmarinum, & vxor non potest sequi virum, quia habet aliquod impedimentum legitimum: & de eius continentia timetur, si maneat. Consulendum est viro, quod non voueat, nec accipiat crucem, vxore dimissa: secus si ipsa voluntarie proponat continere, & sequatur virum suum: vel si maneat, & nõ sit suspitio. Dicit enim Albertus in 3. sent. dist. 28. quod si timeretur probabiliter periculum vxoris futurum, melius faciet vir non peregrinari, etiam in peregrinatione terræ sanctæ, quam quod vadat. Hoc idem tenet Beat. Thom. de Aquino in eodem loco. Cuius ratio est: quia necessaria non debent prætermitti propter ea, quæ voluntaria sunt. Imminet autem viro necessario vxoris curã agere, quia est caput illius 1. Corinth. capit. 11. & 33. qu. 5. c. caput. sed crucem accipere est spontaneum. ergo magis est vxori consulendum.

D

Meretrix an possit vouere, & soluere votum transmarinum.

QVÆSTIO LXXXIV.

QVæretur de meretrice, quam multi sequitur possint propter amorem, & irent ad bellandum trans mare, an vouere possit: & soluere debeat votum transmarinum. Causa enim huius voti est defensio terræ sanctæ, quæ olim fuit, cui nimis fauorabile erat subuenire. Vnde cũ in aliis peregrinationibus etiam si valde breuiores essent, non liceret viro præter vxoris consensum peregrinari & è contrario: hic autem vtrique licet, vt supra declaratum est. Etiam videretur quod meretrici permittendum esset, quia illa secum posset habere multos bellatores. Respondendum est quod non licet ei illucire, nisi corrigatur: nec etiam recipientur bellatores, qui hoc modo eam sequuntur amore corrupto: ar. extra. de voto, & voti redem. c. quod super his. in fi. Et simile est de voto meretricis, sicut de oblatione eius: nõ. n. recipitur oblatio illius, vt patet extra de deci. c. ex transmissa. ibi in Glo. & sic habetur Deut. 23. c. quod merces prostibuli, & pretium canis nõ sunt recipienda: ergo nec votum, quia abominabile est. hoc tenet Host. in summa in tit. de voto, & voti redem. & Henric. eo. tit. in c. scripturæ.

E

An liceat vxori sine consensu viri vouere, ieiunare, orare, &c.

QVÆSTIO LXXXV.

QVæretur vlterius de aliis votis vxoris, scilicet, an liceat vxori sine consensu viri orare, ieiunare, eleemosynam facere & similia, quæ opera pia sunt. Respondendum est secus esse in eleemosyna, & secus in aliis: nam de aliis dicẽdum, quod licet vxori vouere, & reddere etiam viro inconsulto, dũ tamen vir non repugnet. Si vero repugnauerit siue oratio siue ieiunium sit, siue alterum opus pium, quod tamen non sit eleemosyna, infringetur votum: & non tenebitur mulier vlterius ad hoc: imo si post viri prohibitionem ista obseruare voluerit, iam peccat: quia viro obedire tenetur: sed in hoc attendere debet vxor, vt discrete voueat: scilicet ne talia sint vota, per quæ impediantur obsequia impendenda

F

viro,

A

viro, vtpote si ipsa voueret quotidie ire ad omnes horas canonicas: quia sic multum de famulatu viro subtraheret. Vel si voueret quotidie ire, vel multoties ad visitãdum infirmos: in quo eodem modo impedirentur obsequia præstanda: talia enim vota indiscreta sunt in muliere cõiugata: quamquam essent honesta, & deuota in vidua: eodem modo caueat ne sint talia, per quæ sequatur præiudicium matrimonio: vt in ieiuniis immoderatis, & vigiliis. Attendat quoque vir in repugnandis votis vxoris: quia si illa sunt vota rationabilia, per quę nihil impeditur de obsequiis eius, nec repugnatur statui matrimoniali, & vxor vacat rei domesticæ quantum satis est ad sustentationem oneris matrimonii, non debet talia vota infringere: quia si irritauerit apud Deum reus est, quia diminuit cultum Dei. repugnat etiam charitati: quoniam charitas non prohibet aliquem bene agere prima Corinth. cap. 13. sed iste prohibet bene agere eum, qui potest, sine causa. Si autem vota vxoris sint aliqualiter irrationabilia, vt quomodocunque vir grauetur, poterit ea iuste retractare, nec in hoc quidquam demeretur. Si autem votum vxoris sit de eleemosyna danda: aut est de parua eleemosyna, aut de magna, quæ magnitudo consideranda est secundum facultates viri: si magna fuerit non potest vxor sine viro vouere, & si vouerit non debet soluere, alioquin peccat, quasi furtum accipiens vsurpans rem quæ ad alterius administrationem pertinet. Si autem sit eleemosyna parua quamquam sanius esset quod fœmina consuleret virum, tamen si credit eum verisimiliter concessurũ potest vouere, & complere eo inconsulto. Fundamentum huius est ex duobus: primo ex laudabili consuetudine, quoniam sic est inolitum quod fœmina posset eleemosynam dare de rebus paruis, vel etiam alias donare rem paruam. Idem de filiofamilias. De hoc ff. de dona. l. filius. & ff. de leg. 3. l. si filiæ. ar. extra de dona. c. cæterum. & de testa. c. relatum. 2. Consuetudines autem obseruandæ sunt: maxime cum sunt multum laudabiles. Aliud fundamentum huius est ex dispensatione rerum domesticarum: nam Arist. 7. Ethic. ponit comparationẽ œconomiarum ad politias: & sicut in politiis sunt aliquæ speciæ bonæ, & aliæ prauæ: ita & in œconomiis. Dicit enim quod apud Persas, & Barbaros vxor accipitur vt ancilla, & principatus totaliter est apud virum, ita vt nec in minimis ei disponere liceat: sed sit sicut seruus emptitius: & de isto principatu dicit quod est tyrannicus, & errat. Dicit etiam quod aliæ gentes sunt, apud quas si fœmina est ditior viro & hæres instituta à patre ipsa principatur, & iste principatus est pessimus: quia ibi nihil iubet vir, sed omnia iubet fœmina. & vocat principatus oligarchicus: quia ibi qui ditiores sunt principantur. est autem oligarchia principatus pecuniosorum, quando qui ditiores sunt principantur in vrbe. De hoc tertio & quarto Politi. Cõcludit autem philosophus quod principatus œconomicus solum est conueniens, quando est aristocraticus, id est, secundum virtutis differentiam, scil. quod ille qui virtuosior est maiorem partem accipiat regiminis, qui vero minus virtuosus accipiat minorem partem. & accipitur virtus solum pro virtute dispositiua ad regendum, & quia viri naturaliter excellunt fœminas in prudentia, maior pars regiminis domestici viro tradita est: fœminis autem, quia sunt minores in prudentia & constantia cõsilii minor pars tradita est. Nec tamen prorsus à dispositione domestica excluse sunt: sed sic circa minima licet eis disponere. Sic est cõferendo paruam eleemosynam, vel alias donando. Si autem vir voluerit penitus interdicere vxori domesticam dispositionem, ita vt ei nihil dare liceat, quamquam iura hoc concesserint, tamen grauat eam: potissimum si ipsa circa rem familiarem solicita, & industria est.

Vxor an possit dare eleemosynam.

B

C

Vxor an post mortem viri teneatur soluere vota, quæ fecit, eo viuente.

QVÆSTIO LXXXVI.

QVæretur vlterius de votis vxoris, quæ emisit viuente viro: an teneatur illa obseruare, eo defuncto. Et respondẽdum est quod ad obseruandum aliqua vota, vel ad nouiter emittendum ea, liberior est vidua quam coniugata: quia vidua tam secundum vetus, quam secundum nouum testamentum est sui iuris. De veteri apparet hic: nam de coniugata dicitur, quod vota eius irritari possunt per virum. De vidua autem dicitur, quod vidua & repudiata quidquid vouerint reddent. De nouo testamento patet ad Rom. 7. & prima ad Corinth. 7. cap. quod mortuo viro mulier est soluta à lege viri: Impedimentum tamen vouendi in coniugata erat propter hoc, quia ipsa erat subiecta viro, & mortuo viro non est subiecta illi: ergo liberior erit ad vouendum, & ad obseruandum vota quam viuente viro. Respondendum autem ad quæstionem, quod vota illa, quæ emisit vxor viuente viro, aut tenuerunt simpliciter, aut tenuerunt respectu eius solum: aut nullo modo tenuerunt. Apparent membra ista, quia vxor viuẽte viro potest interdum vouere continentiam temporalem, vel perpetuam viro consentiente, & forte quia ambo vouerunt. Idem si vouit ieiunare qualibet hebdomada aliqua die vel orare, & vir non repugnauit, quia non sciuit, vel forte sciẽs consensit: tenuit enim tunc simpliciter, & sic de omnibus aliis. Alia autem sunt vota, quæ nullo modo tenuerunt, vt si mulier emitteret votum de dando eleemosynam, & vir sciẽs repugnasset, vel vouit ieiunare, & sic de cæteris. Alia sunt vota, quæ tenuerunt respectu vxoris, sed non respectu viri, vt si ipsa viro nesciente, nec consentiente, emisit votum continẽtiæ: nam quantum ad seipsam obligata fuit, & ob hoc nõ potuit petere debitum, viuente viro, licet posset reddere, vt supra dictum est. Si dicatur de votis, quæ non tenuerunt, viuẽte viro, dicendum est, quod non compellitur vxor postea illo defuncto ea reddere, quia iam non manet aliqua obligatio, cum viuente viro extincta fuerit, siue hoc sit de ieiunio, siue de oratione, siue de cæteris, vt si vouit dare eleemosynã magnam viro nesciente, & postea cum cognouit vir repugnauit, irritatum est votum: ideo postea cum fuerit mulier vidua nõ obligabitur ad illud. Idem si vouit ieiunia, & vir sciens repugnauit: nam siue incœperit obseruare votum, siue nondum, postquam vir repugnauerit votum irritatur: ideo postea non obligat cum nullum sit. Si autem sint vota, quæ viro veniente totaliter obligauerunt adhuc magis poterunt conseruari, & firmius obligabunt mortuo viro, quia viuente illo poterant retractari. Cum vero mortuus fuerit, quia mulier est sui iuris, nemo potest retractare ea: ideo tenetur obseruare: vt si voueat ieiunium, vel orationem, aut similia, quæ vir cognoscens non irritauit. Si autem sint vota, quæ viro viuente partim tenuerunt, & partim non: debet ea totaliter obseruare vxor post mortem viri, quia iam nemo est propter cuius præiudicium efficiantur vota inualida quantum ad aliquid: vtpote si mulier nesciente viro vouit continere: si vir non consentiat ipsa cogitur reddere debitum: sed non potest petere: & sic votum in præiudicium viri non tenet, sed contra ipsam tenet, ideo postquam vir obierit cum ipsa sit penitus sui iuris, tenebitur obseruare continẽtiam totaliter, siue in æternum, siue pro tempore illo, in quo viro viuente, vouit obseruare, nec poterit contrahere: quia iam aget contra votum. Idem si vouit intrare religionem, & vir sciens non permisit, defuncto viro tenebitur. De continentia autem, quam vir & vxor simul emittunt manentes in seculo, magis est manifestum, quod vxor teneatur post mortem viri illam obseruare, quia votum illud totaliter tenuit: & sic de cæteris votis iudicandum.

D

E

F

An serui possint aliquid vouere sine dominorum consensu.

QVÆSTIO LXXXVII.

QVæritur vlterius de seruis, qui erant ad vouendum impotentes cum non essent sui iuris, an aliquid vouere possint. Respondetur, quod regulariter serui nihil vouere possunt, quia nihil habent in potestate sua: dico autem hoc quantum ad hoc quod sint vota firma. Nam solum ad vouendum seruus potens est, sed executio voti pendet ex potestate alterius: & quia seruus est homo simpliciter alterius, iuxta Arist. 1. Polit. nihil suiipsius est: ideo non habet aliquid de quo libere vouere possit, quod intelligatur de illis in quibus præiudicatur domino. Nam in cæteris potest vouere sicut potest vouere facere orationem, si illa non impediat ad obsequia Domini: vt si non voueat orare in loco determi-

A nato,vel in tempore determinato, quia per hoc posset impediri executio mandatorum domini: cum tamen non determinatur locus,nec tempus faciendo omnia,quę dominus iubet poterit solui votum de orando, præcipue si oratio modica est:& sic nullus est,qui non possit vouere aliquid quãtumcunque sit iuris alterius, quia non possumus tantum alicui temporaliter obligari, quin maneat nobis aliquid quo Deo obligari possimus.

An seruus possit vouere religionem.

QVÆSTIO LXXXVIII.

QVæretur amplius an seruus possit vouere religionem. Et dicet aliquis quod sic, quia obsequium perpetuum in votis recipitur loco obsequii temporalis.extra. de voto,& voti redem.c.scripturæ.eodem modo maius recipietur loco minoris,sicut patet in commutationibus votorum:sed obsequium perpetuum Dei est maius,quam obsequium debitum alicui homini: ergo poterit seruus per ingressum religionis liberari à seruitute domini: quia maior est seruitus Dei, & omnis obligatio recipit commutationem cum religione.Respondendum est,quod votum est actus cultus Diuini: Deus
B autem non vult per cultum suum alicui præiudicari, sed maxime præiudicaretur, si serui possent exuere seruitutem per ingressum religionis: ergo non licet eis sine domini consensu introire:alioquin dominus reducet de monasterio seruum profitentem.De hoc 54. dist.cap. si seruo. & ar. extra de sent. excom.c.mulieres. Cum autem arguitur quod minus obsequium recipit commutationem in maius,& omnia in religionem. Dicendum quod intelligitur de obsequiis,quorum omnia Deo præstanda sunt,quia ibi religio maximum est:ideo omnia possunt commutari in illam:secus autem si vnum obsequium sit præstandum Deo, & alterum homini, quia tunc non est locus commutationi,cum præiudicaretur vni eorum ita etiam est in obligatione serui ad dominum suum, ideo illa non potest commutari in aliam maiorem obligationem respectu Dei.

Si seruus ingressus est religionem professus ante tempus an debeat extrahi.

QVÆSTIO LXXXIX.

QVæret aliquis, quid si seruus ingressus monasterium professus est ante temp⁹,per quod spectari debebat de quo 18.qu. 2.siquis incognitus. nunquid debet inde extrahi, vel manebit in professione. Respondendum est, quod aut ille seruus erat cognitus monachis quod esset seruus, & receperunt eum ad professionem, aut non erat cognita conditio
C serui.Si secundo modo seruus dixit se esse liberum, & per falsos testes probauit se liberum nisi dominus ipsum de gratia dimittere voluerit habitu quem furtiue recepit spoliabitur: &tanquam indignus domino redd&tur sicut de seruo,qui domino nesciente ordinatur ad sacros,quoniã ille redditur domino,& non ministrat in aliquo ordine. extra de serui.nõ ordi.cap.de seruorum.monasterium autem non habuit hic aliquam culpam,quia fuit probabilis ignorantia: ideo ad nihil tenebitur.Si vero monachi cognouerunt serui conditionem: & non obstante hoc receperunt in culpa sunt:ideo non poterit seruus educi de monasterio: sed satisfaciet monasterium domino:ar.54.dist.ca.si seruus. Ista est sententia Host.in summa tit.de voto,& voti.redem.& in tit.de regul.

An seruus possit vouere religionem vel alia vota.

QVÆSTIO XC.

QVæretur amplius an seruus possit emittere votum religionis, vel alia vota præter religionem: & satis videtur differentia in his,quia religio totaliter abstrahit seruum à iur⁹ domini: alia autem vota nequaquam. Sed respondendum est, quod aut quæritur de voto peregrinandi,aut de cę teris.Si de primo dicendum,quod non potest emittere inuito domino,vel saltem non potest ipsum exequi,siue sit transmarinum,siue alias.& hoc nisi peregrinatio sit necessaria, sicut si seruus incidit in canonem cogetur ire ad sedem apostolicam absoluendus.extra de sententia excom. cap. relatũ. nec poterit tunc dominus impedire seruum, ne eat prætextu obsequiorum perdendorum:quia maior est obligatio iuris,quæ concernit bonum publicum, quam obligatio priuata ad dominum: nec debet dominus dicere se grauari in hoc:quia sicut cum dominus emit seruum,eum emit mortalem,&si breuiter moriatur dominus perdit pecuniam,sed non conqueritur,quia sciebat eum esse mortalem: ita cum emit seruũ sciebat eum esse potentem peccare, & legi subiectum, vt si peccaret per eam puniretur: ideo si seruus propter crimen occideretur,non habet ius conquerendi dominus, quia à principio sciebat se talem emere seruum,qui ista pati posset: alioquin dissoluerentur omnia iura, & daretur locus criminibus cum serui impune delinquere possent,quia erat contra iustũ, & bonum,& statum publicum:ideo etiã serui subiici debuerunt legi quamquam domini in hoc videantur grauari. Si aũt dicatur de aliis votis,vt ieiunio, & oratione, & aliis operibus piis,dicendum q⁹ aut per illa grauatur dñs,& tunc non potest vouere,vel si vouerit non poterit soluere,sicut per ieiunia seruus efficitur debilior ad operationem:ideo nõ tenet votum, si dominus repugnat.per orationem etiam, si cõcernat tempus,& locum,præiudicabitur domino:ideo non poterit cõpleri votum:poterit tamẽ dñs repugnare cuicunq; voto serui, siue rationabili siue irrationabili,quia vtitur iure suo:tamẽ est dicendum sicut de votis vxoris respectu viri:sc.quod si ista sunt talia,per quæ aliqualiter derogatur domino potest ea infringere præter conscientiam.Si autem nullo modo impediunt operas domino præstandas, peccat dominus prohibendo votum serui.

An seruus factus liber teneatur ad vota quæ egit in seruitute.

QVÆSTIO XCI.

QVæretur vlterius,quid si seruus exeat in libertatem an teneatur obseruare vota, quæ egit dum esset in seruitute. Respondendum est, quod sicut supra fuit dictum dominus potest reuocare votum serui,siue præiudicet sibi,siue non:ideo considerandum quod aut vota fuerunt irritata tempore seruitutis,aut non. Si primo modo,non obligatur ad obseruationem: quia nullum vinculum manet: si secundo modo obligatur.Pro quo sciendum,quod cum seruus emisit votum aut dominus aliquando sciuit,aut non.si nunquam sciuit nũquam potuit retractare: ideo vota valuerunt respectu serui, qui erat ætatis discretæ, & habebat voluntatem se obligandi: & sic siue religionem vouerit,siue aliquid alterum votum tenuit & seruabitur,imo nunc votum firmatur per hoc, quod exit seruitutem:quia ante semper poterat Domin⁹ repugnare,& infringere. Si autem istud votum cognitum est à domino,aut repugnauit,aut non. si non repugnauit tenet votum, quia per hoc consentit. si autem repugnauit, aut erat tale votum,ad quod se obligabat seruus postquam exiret seruitutẽ, vt si diceret voueo intrare religionem, vel ieiunare cum fuero factus liber: aut erat votum, ad cuius solutionem se obligare volebat dum maneret in seruitute.Si primo modo repugnantia domini non irritat votum serui, quia pro tẽpore illo, quo solutio fieri debet nõ est seruus obligatus Domino,ideo eo inuito poterit se obligare. Si autem dicas, quod quamquã solutio sit post extinctam seruitutem: tñ emissio voti est tpe seruitutis,ideo hanc poterit reuocare,vel irritare dñs.Dicendum quod dominus habet potestatem super seruum, quantũ ad id in quo põt ei famulari,ideo põt irritare quidquid seruus fecerit,quod tollat vel diminuat famulatum præstãdum: emissio autem voti,& obligatio ad soluendum non præiudicant obsequiis præstandis, sed solum solutio voti: ideo non poterit Dominus irritare votum quantum ad emissionem, s. faciendo quod non teneat.Si autem votum complendum sit tempore seruitutis repugnantia Domini irritat votum: quia obligatio illa est ad solutionem, sed tempore seruitutis solutio est impossibilis Domino inuito: ergo obligatio est inutilis,imo nulla: quia de re impossibili pactum, vel obligatio nulla oriri potest: ergo Dominus irritabit obligationem per repugnantiam suam, & tunc quando venerit seruus ad liber-

tatem

A

tatem non tenebitur explere votum, quia non habet aliquas vires cum perierit.

An vota possint fieri cum conditionibus. Et quæ conditiones possunt apponi in votis: & an cum Deo possit committi simonia, vt dixit Innocentius.

QVÆSTIO XCII.

QVæret aliquis de votis, an possint poni conditiones in illis, & si ponantur, an teneant vota: vt si aliquis dicat voueo peregrinationem vel ieiunium, si Deus contulerit mihi tale, vel tale bonum, scilicet si filius meus liberabitur ab ista infirmitate, offeram Domino agrum meum, vel domum. Op. Inn Dicit autem Innocentius quod istud votum videtur esse illicitũ, quia intendit à Deo vel ab aliquo sancto emere sanitatem, quod esset simonia. 1.q.1.c.qui studet: liberaliter ergo quisque offerre debet, & postea precibus, vel quouis alio modo supplicare potest 1.q.1.c.iudices & q.2.c1. quam pio. & 38.dist.ca. caue. Dicit etiam idem Innocentius quod propter hoc non sunt simpliciter conditiones reprobandæ in votis, nisi simoniacæ essent, qualis est prædicta: vel alias turpis fuerit, art. ex c. allegatis. & extra de iureiuran. c. peruenit. Aliaop. Alii autem dicunt huiusmodi vota esse licita, nec est simonia, sed offert Deo iste B vouens contritionem cordis sui, vel aliam deuotionem ex causa iusta, etiam sub conditione, siue in dicendo, siue etiam in faciendo, quia quidquid homo dat, vel facit pro Deo, non facit de suo, sed de eo, quod est Dei: quia quidquid homo habet, à Deo habet. extra de deci. c. tua nobis. Istud autem, quod Op. Hë. videtur tenere Hosti. & Innocen. honestius iudicatur. Dicit tamen Henricus extra de voto, & voti redempt. cap. scripturæ quod ista positio vltima non est reprobanda: immo credit quod tale votum licite emittatur. art. 28. q. 1. §. ex his. nec obstat quod dicit Innoc. hoc esse simoniacum, quia semper inter Deum & hominem nulla pactio intercedit, sine qua expresse non committitur simonia, vt 1.q.1.cap. quam pio. & si de mente tali agatur vix est homo, qui pro Deo aliquid faciat, quin ab eo remunerationem spectet. Hanc sententiam Hostien. & Archid. reputant veriorem. Cum Deo enim dicunt non committi simoniam, & eadem est positio communis theologorum. Ad ãsti onem de mente auctor. Quæ cõ ditiones possunt apponi votis. Respondendum ad quæstionem istam, quod nemo dubitat in votis posse poni conditiones, quoniam sacra scriptura plena est votis conditionatis. Sed dubium est de conditionibus, quæ possunt apponi. Et dicendum est, quod in voto non potest poni turpis conditio: vt si aliquis dixerit se vouere aliquid si dederit ei vxorem alterius: ideo istud votum non tenet. Idem si conditio sit qualitercunque iniqua importans mortale peccatum: nam voluntas istius est solum se obligare sub illa conditione: sed Deus non acceptat conditionem turpem, ergo non acceptabit istam obligationem. Item in voto reiicitur conditio impossibilis: & licet respectu Dei sint omnia possibilia, tamen aliqua sunt respectu nostri per causas naturæ impossibilia, & si talia apposuerimus in votis non tenẽt. C vt si quis dicat vouo Deo hoc, vel illud si fecerit istam domum meam esse de auro. Aliæ autem sunt conditiones indifferentes, & istæ debent haberi pro non adiectis, & complebitur votum dum tamen votum sit de re non indifferenti: quia tũc etiam non teneret votum, quod debet esse de meliori bono, vt supra declaratum est. Aliæ autem sunt conditiones honestæ largo modo accipiendo honestatem, non solum pro eo quod est actus virtutis, vel pertinens ad virtutem, sed etiam pro eo, quod cum virtute haberi potest. De primo, vt si aliquis dicat: voueo Deo peregrinari ad talem ecclesiam, si concesserit mihi quod deuote possim orare: vel si tribuerit vires ad repugnandum libidini. De secundo, vt si quis dixerit: voueo ieiunare per vnum diem si Deus sanauerit me ab hac ægritudine, vel si dederit, vt possim habere ordines sacros, aut si tradiderit hostes in manus meas, vel si multiplicauerit fructus agrorum meorum: ista enim non pertinent ad actum virtutis: sunt tamen talia, quæ haberi possunt cum virtute, & respectu vitæ humanę habent aliquod pondus: Indifferentia pure non sunt huiusmodi, quia illa non sunt actus alicuius virtutis, nec æstimantur ad homine habere aliquod bonum: immo nec habent, quia respectu humanæ nihil conferunt.

Nunc autem ad quæstionem respondendum, quod in casu proposito, scilicet si filius meus sanatus fuerit voueo Deo vnum pallium, vel ire in peregrinationem, tenet votum & est illicitum. simile patet de voto Iacob. Genes. 28. cap. scilicet, si dederit mihi Dominus panem ad vescendum, & vestes ad induendum, reuersusque prospere fuero in domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum: & cunctorum quæ dederis mihi decimas offeram tibi. vbi sunt omnia quæ in casu proposito. Nam dicendo si filius meus sanatus fuerit, voueo dare pallium est aliqua simonia, quia intendo sanitatem à Deo emere: ita erit cum dicitur: si Deus dederit mihi panem ad vescendũ, & custoderit me in via. Quia hic pactio est, & aliquid datur pro beneficio, quod à Deo recipere petimus. Simile patet supra capit. 21. vbi dicitur quod Israel se obligauit voto dicens: Si tradideris populum istum in manus meas delebo vrbes eius, & sic factum est & Deus acceptauit votum: ergo licitum erat. Nam dicitur ibi: Exaudiuit Dominus Israel, &c. si tamen male vouissent non exaudiret Deus illos, quia scimus, quod peccatores Deus non exaudit Ioann. 9. capitu. & Anna mater Samuelis dixit: si dederis famulæ tuæ sexum virilem, dabo eum Domino cunctis diebus vitæ eius. primo Regum capit. primo. Item si vota ista sunt illicita, in quibus apponuntur istæ conditiones: aut sunt illicita, quia est illicitum apponi cõditionem cum videatur esse pactio, vel sunt illicita, quia conditiones in se sunt turpes. Si primo modo non solum istud votum esset illicitum, immo etiam omnia vota, quæ sunt cum conditione, quia in omnibus interuenit pactio: sed hoc falsum est: nam scriptura concedit vota ista tanquam licita, etiam ipsemet Innocentius & omnes alii doctores. Si dicatur secundo modo manifestum est, quod ista conditio non est turpis: quia filium meum sanare non est turpe, sed valde honestum, & desiderabile: ergo teuebit istud votum. Item si argueretur, quod votum istud non tenet, quia simoniacum, vt dicit Innocent. & assereremus esse simoniacum, quia ibi promittitur aliquid si Deus benefecerit nobis, diceremus omnia vota esse simoniaca, quando cum conditione emittuntur: & hoc ex duobus, primo quia ibi aliquid datur pro altero: secundo quia interuenit pactum, quod adhuc magis pertinet ad simoniam: sed hoc falsum est, quia non dicimus vota ista simoniaca: ergo nec istud, quod propositum est. Item patet adhuc magis istud in terminis, quia simile votum emisit Ionas cum esset in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctib. dicens: Si liberaueris me de loco isto offeram tibi holocausta, vt patet Ionæ 2. capit. Ego autem in voce laudis immolabo tibi, & quæcunque voui reddam pro salute mea Domino. Non est tamen dicendum quod iste propheta voueret illicitum, maxime cum immediate sequatur quod exaudiuit Dominus Ionam, scilicet quod præcepit pisci, vt euomeret eum in aridam, & factum est. Sed forte dices, quod votum istud non fuit conditionale, quia non apparet in litera, quod posuerit conditionem. Respon. est, ꝙ nihil differt quia licet concedamus illud non fuisse conditionale saltem fuit modale, cum dicatur ibi: Quæcunque voui reddam pro salute mea. ideo necesse est vt dicatur quod ille vouebat, vt liberaretur inde: & tunc stat inconueniens, quia quantum ad committendum simoniam, nihil differt, si aliquis dicat: ego dabo tibi mille, si dederis mihi beneficium Ecclesiasticum: vel ego do tibi ista mille, vt des mihi beneficium: ergo si esset simonia in voto conditionali, erit quoque in modali: sed in isto voto Ionæ, quod saltem dicetur modale non fuit simonia, quia licite emissum est: ergo non fuisset simonia etiamsi emitteretur cum conditione. Cũ autem dicebat Innocent. quod votum istud erat simoniacum. Respondebat Henricus quod non erat simonia, quia inter Deum, & hominem nulla pactio intercedit, sine qua expressa non committeretur simonia. vt 2.q.1.cap. quam pio. Sed ista responsio non tenet, quia etiãsi intercideritpactũ inter Deũ & hominẽ vouentem nõ esset simonia: vt si homo diceret Deo: ego dabo tibi pallium, si sanaueris filium meum: & Deus diceret: ego sanabo filium tuum, si dederis pallium: vel alio modo, si homo proponeret quod daret pallium, & Deus sanaret filium eius: & Deus acceptans istam conditionem diceret: ego sanabo filium tuum. Similia enim sunt in sacra scriptura: nam Exod. cap. 19. dicitur quomodo Deus iniuit pactũ cum Iudæis, scilicet quod ipse acciperet eos in populum peculiarem curando de illis specialiter in benefaciendo, & quod ipsi custodirent mandata eius. Iudæi autem acceptauerunt istam conditionem, vt patet ibidem: & tamen quando postea

D

E

F

De voto Ionæ ab fuerit cõditionale.

Ad rationem Innoc. respõsio Henrici

A

Iudæi colebant Deum non erant ſimoniaci, quia Deus non incitauit eos ad ſimoniam. Similis modus fœderis habetur Deuter. capit.29.vbi iterum Moyſes ex parte Dei pepigit fœdus cum Iudæis:non ergo tenet ſolutio. Sed dicendum quod non poteſt cum Deo committi ſimonia,ſiue conditionaliter, ſiue ſub modo aliquid faciamus,ſiue interpoſito pacto vtrinque, ſiue non. Et ratio diuerſitatis eſt,quia ſimonia eſt, cum ſpiritualia proprie vel improprie venduntur: & hoc quia venalia non ſunt. Iſtud autem eſt reſpectu miniſtrorum Eccleſiæ,qui non ſunt Domini rerum ſacrarum,ſicut ſacramentorum:nec iurium eccleſiaſticorum,ſicut beneficiorum:ſed ſũt miniſtri, & etiam Papa reſpectu horum eſt miniſter, & non Dominus : maxime reſpectu ſacramentorum : ideo non poſſunt diſpenſare res iſtas, niſi eo modo, quo eis conſtitutum eſt,ſc.gratis dantes, & non ponentes in illis aliquam æſtimationem. Deus autem eſt Dominus omnium rerum ſpiritualium, ideo poteſt diſponere de illis ad libitum : ideo etiamſi diceremus Deum eſſe ſubiectum legi, quod eſt impoſſibile, tamen adhuc non eſt ſimoniacus, quando fieret cum eo pactum ſuper rebus ſpiritualibus, quia ipſe ſimpliciter eſt Dominus rerumideo poteſt illis vti ad placitum. Item non eſt ſimonia cumDeo,ſed cum miniſtris,quia ideo dicitur ſimonia, quando aliquid datur pro rebus ſpiritualibus, quia illud poteſt mouere animum dantis ad dandam rem ſpiritualem. Si tamen nullo modo id, quod datur poteſt mouere conferentis animum ad conferendum ſpirituale bonum, & ſic veriſimile erat,non eſſet ſimonia.Sic patet extra de ſimo.capit. & ſi

B

ex feruore.vbi dicitur quod parua bona,vt vinum,& electuarium,& ſimilia,quæ veriſimiliter non poſſunt mouere mentem collatoris, non inducunt ſimoniam, ſed ſic eſt reſpectu Dei, quod ipſe propter omnia promiſſa noſtra non moueretur,quoniam omnia bona noſtra ei proficere nequeunt,cum eis non egeat Pſalm. 15. ideo ipſe non confert nobis aliquid propter bona,quæ promittimus,ſed ex immenſa ſua benignitate,acceptat tamen promiſſiones noſtras, non quidem tanquam ei vtiles, ſed quia nos per illas meliores efficiamur, ſicut ſupra declaratum eſt in quæſtione an expediens ſit vouere. Sed obiicietur, quod quamquam ex parte Dei non ſit ſimonia, quia non mouetur propter promiſſa noſtra, tamen erit ſimonia ex parte noſtri, cum ei aliquid promittimus ſolum,vt conſequamur ab eo aliquod ſpirituale bonum: ſic enim eſt ſi aliquis parua dona epiſcopo impendat, quæ veriſimiliter non poſſent mouere animum epiſcopi ad conferendum huic aliquid ſpirituale, nec etiam mouent: ſed poſtea epiſcopus ex alia cauſa confert huic eccleſiaſticum beneficiũ, quamquam ipſe non ſit ſimoniacus. Si tamen iſte,qui contulit dona ideo contulit vt moueret animum epiſcopi,ſimoniacus eſt,nec poteſt beneficium ſic obtentum ſecure poſſidere.

C

Dicendum autem quod non eſt ſimile,quia nos quãdo vouemus aliquidDeo,vt nobis bonum faciat,quamquam pro hoc tribuamus,tamen ſcimus quodDeus non mutabitur propter iſta,ſed ex benignitate ſua conferet,ſi conferre voluerit: ideo magis nos iſta faciamus,vt ei placeamus, quam vt eum ad cõferendum moueamus : cum ſciamus talem motum animi in Deo eſſe impoſſibilem.Secus autem eſt in eo,qui aliquid contulit prælato volens ſic obtinere eccleſiaſticum beneficium, quia iſte ea intentione dedit, vt collator moueretur, & dato interdum non moueatur ex his,tamen moueri poterat : ideo affectio corrupta inſit aliquid conferentibus : nam directe, vel indirecte ſpiritualia emere volunt, ideo in iſtis eſt ſimonia,cum Deo autem nequaquam. Quod autem allegatur per Inno. de cap. quam pio. 1.quæſt.2.non eſt ſimile:quia ibi dicitur de Giezi quod peccauit,quia pro ſanitate diuinitus collata petiit ſibi dari veſtes: quod tenet in miniſtris , quia Deus eauſauit iſtam ſanitatem: Eliſeus autem fuit miniſter illius,ideo quod peteret aliquid pro illa vendendo id quod erat Dei, & Deus gratis contulerat,peccatum erat:ſi tamen Deus dixiſſet Naaman Syro, qui curatus eſt à lepra, quia ego curaui ne facias hoc vel illud, nemo diceret eſſe modicum ſimoniæ: nam ſimilia multoties Deus fecit inter Iudæos , cum conferret eis bona,& diceret poſtea quod pro illis bonis collatis colerent eum,vt patet tam in libris Moyſi, quam in libris hiſtorialibus veteris teſtamenti. Nullum ergo votum poteſt eſſe ſimoniacum, nec illicitum propter conditionem appoſitam, niſi conditio in ſeipſa ſit mala. Patet ergo ex prædictis,quod vota poſſunt fieri cum conditione , & quæ conditiones recipiuntur,vel reprobantur à votis.

D

An vouens intrare religionem,& ſtans per annum, & exit, an ſatisfaciat voto,vel teneatur ſemper manere.

QVÆSTIO XCIII.

QVæretur vlterius ſi aliquis vouit intrare religionem, & intrat: & in anno probationis egredietur, an compleat votum,vel ſi tenetur ſemper manere. Et videtur primo quod teneatur ibi ſemper manere, quia melius eſt religionem non ingredi, quam poſt ingreſſum exire : ſic patet ſecunda Petri. capit.2.Melius erat illis viam veritatis non cognoſcere,quam poſt agnitam retroire:& Lucæ cap.11.dicitur: Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro aptus eſt regno Dei: ſed ille, qui voto ſe obligat ad religionis ingreſſum tenetur ingredi,ergo tenetur ibi perpetuo permanere. Item nihil agere,& inutiliter agere æquiparantur. de regu. iur. in 6.in regula.nihil inutile. ſed introire religionem,& egredi eſt inutiliter ingredi:ergo idem erit quod non ingredi:ſed iſte,qui vouit ingredi religionem infringit votum ſi non ingrediatur:ergo ſi ingrediatur & exeat,infringit votum. Item quilibet debet vitare id,ex quo ſcandalum ſequitur, & aliis datur malum exemplum,ſed ex hoc quod aliquis poſt religionis ingreſſum egredietur,& ad ſæculum redit, malum exemplum, & ſcandalum aliis generatur, qui retrahuntur ab ingreſſu & prouocantur ad exitum:ergo videtur,quod iſte vouens tenetur manerein perpetuum in religione. Item votum religionis eſt, in perpetuum , & propter hoc præfertur aliis votis, & poſſunt alia communicari in ipſum extra de vo.& voti redem. cap. ſcripturæ. hoc tamen non eſſet, ſi aliquis voto religionis emiſſo,ingrederetur religionem,& poſtea egrederetur:ergo videtur quod teneatur manere ibi perpetuo. Item qui vouit religionem obligauit ſe Deo ad aliquem cultum,cum votum non ſit irriſorium, vel de nihilo: ſed qui ingredietur religionem, & immediate exit, nihil Deo impendit: ergo violauit votum.

In contrarium arguitur, quod non obligetur ibi ſemper manere, quia votum profeſſionis, quod eſt ſolenne propter hoc,quod obligat hominem ad manendum perpetuo in religione prꝫexigit annũ probationis,ſed ad votum ſimplex,quo aliquis ſe obligat ad religionis ingreſſum non præcedit annus probationis, nec exigitur: ergo videtur quod hoc modo vouens non tenetur perpetuo manere in religione. Reſpondendum ad quæſtionem, quod obligatio ex voto non cauſatur ex lege,ſed ex voluntate:ideo ex ea legem accipit,ſcilicet, quod taliter obligetur aliquis qualiter voluerit à principio ſe obligare,& ad tanta. Pro hoc autem conſiderandum quod vouens intrare religionem, ſicut varie poteſt velle ſe obligare,ita varie obligabitur:nam huiuſmodi vouent, aut non ſolum intendit ſe obligare ad ingreſſum religionis, ſed etiam ad perpetuo manendum ibi,ita quod quando voueat habeat determinatam iſtam intentionem,& tunc ad implendum votum tenetur manere in perpetuum in monaſterio : alias infringit votum, nec prodeſt ſibi annus probationis, qui conceditur à iure communi:quia iſte eſt pro eis,qui habent libertatem in introeundo, & manendo : qui autem huiuſmodi eſt cogitur manere:ſi tamen in anno probationis, vel ante factã profeſſionem iſte egrediatur,& contrahat,tenebit matrimonium quamquam peccat mortaliter:hoc eſt quia votum non eſt ſolennizatum:ideo licet impediat contrahendum,non dirimit iam contractum:extra.qui cler. vel vouen. capit. rurſus. aut quando vouit intendebat ſe obligare ad religionis ingreſſum cauſa experiendi,cum libertate remanendi, vel exeundi, ſcilicet quod voueat intrare religionem:& tũc intendat,quod non vult permanere in ea in perpetuum determinate: quia ſi videri t ſibi expedire manebit,ſin autem egredietur : & tunc manifeſtum eſt, quod iſte complet votum etiamſi exeat in anno probationis : & huic proficit annus probationis inductus à iure:autiſte, quando vouit introire religionem nihil cogitauit de permanendo vel exeundo:ſed ſolum vouit intrare:& tunc videtur iſte obligari ad ingreſſum religionis ſecundum formam iuris communis, quæ eſt vt ingredientibus detur annus probationis,ideo non tenebitur perpetuomanere,

E

F

nec

Respon. aucto Simonia non poteſt cõmitti cũ Deo.

Obiect.

Solutio.

Arg. 1.

Secũdo.

Tertio.

Quarto

Quinto

Ad q̃ſtionem

nec infringet votum exeundo. ista est sententia sancti Thomæ 2.2.q.vlti.articu.4. Aliter autem distinguit Henricus extra.de vo.& voti redemp.ca.per tuas.& est distinctio Ascen. in summa, scilicet quod qui vouit intrare religionem, aut actualiter proponit in religione permanere, ita tamen quod propositum illud non cadit sub voto, sed ipsum comitatur: aut vouet & proponit experiri religionem: vt si placuerit ei, maneat ibi, & si displicuerit, exeat: aut de nullo eorum actualiter cogitauit, sed solum vouit intrare religionem existimans quod bonum sibi esset: aut dum vouebat intrare, habebat actualiter propositum exeundi postquam intraret. Si primo modo vouit: aut tunc quando intrat habet propositum absolute exeundi, & nunquam dandi operam, vt mutetur propositum istud, aut non. Si primo modo intrans non implet votum suum secundum iudicium Dei. In his autem, quæ Deo offeruntur Deus magis respicit intentionem, quam factum. Tertio modo intrans votum implet, licet postea egrediatur, quia non habet absolute nec ex malignitate propositum exeundi, sed magis ex infirmitate. Idem autem debet iudicari de tertio modo. Si autem vouit quarto modo, scilicet, quod dum vouet, habet actualiter propositum exeundi potest tripliciter intelligi. Vno modo quod iste, qui vouet intrare ita vouit intrare, vt exeat. Alio modo potest intelligi, quod iste vouit introitum & exitum. Tertio modo quod iste solummodo vouit introitum, & tamen tunc, quando vouet, habet actualiter propositum exeundi. De quolibet istorum modorum dicit Ascen. & Henricus quod vouens peccat, & non tenet votum, quia est temerarium, vt patet intuenti: ergo vouēs intrare religionem eo modo quo tenet votum, non implet illud, si ingrediatur cum proposito exeundi, & non dandi operam, vt mutetur illud propositum: & ista distinctio satis conuenit sententiæ S. Thomæ, quam supra posuimus.

A *Alia respon. Henric.*

B

Ad 1. vēnem.

Ad rationes autem in contrarium respondendum. Ad primam quando dicebatur quod melius est viam Domini non cognoscere, quam post agnitam retroire. Dicendum quod verum est, si aliquis intraret religionem, & esset certus, quod non maneret in ea: melius esset non intrare, vt quando intrat cum proposito exeundi: cum tamen non habet tale propositum, sed intrat, vt experiatur: & si visa fuerit expediens religio, quod maneat: sin aūt quod exeat: vel cum intrat religionē non habens aliquod propositum speciale manendi vel exeūdi: sed intrat quia videtur sibi esse bonum, licet postea exeat, melius est intrare & postea exire, quam nunquam intrare: quia per hoc quod intrat, disponitur aliquis ad manendum ibi perpetuo: si autem nunquam intraret, nunquam posset ibi manere. Quod autem dicebat B. Petrus intelligitur de via Domini, quæ est sub necessitate, sicut est fides Catholica, quia melius fuisset alicui, quod nunquam ad Christum fuisset conuersus, quam quod conuerteretur, & postea rediret ad infidelitatem. Cum autem est via Domini voluntaria, sicut est in

C

voto religionis antequam sit solennizatum, melius est quod aliquis ingrediatur, dato quod postea exeat quam quod nunquam introierit: & cum arguitur Lucæ cap. 9 Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei.

Quid est mittere manum ad ad aratrum.

Dicendum quod mittere manum ad aratrum est, quando aliquis se totaliter disposuit ad aliquā rem, & postea retrocedit. Si tamen dispositio est imperfecta non iudicatur ex hoc ineptus ad regnum Dei: est autem dispositio totalis, quando aliquis per votum ad remanendum totaliter se obligaret, & tunc non liceret respicere retro: nam etiam si aliquis hoc vellet, nō permitteretur: quia per votum solennizatum non potest aliquis redire ad sæculum: qui tamen vouit solum intrare religionem, & habet adhuc libertatem exeundi, vel manendi, nō dicitur misisse manum ad aratrum: ergo quamquam respiciat retro, non est ineptus regno Dei.

Ad 2.

Ad secundam rationem cū dicebatur, quod non intrare, & inutiliter intrare æquiparantur, concedendum est. Cum autem dicitur quod intrans & exiens inutiliter intrat: distinguendum, quia aut habuit intentionem obligandi se ad manendum ibi in perpetuū, quando vouit, aut non. Si primo modo, & postea exeat inutilis est ingressus: & tunc dicendum quod æquiparantur non ingredi, & ingredi & immediate exire, quia vtroque modo votum infringitur. Si secundo modo, scilicet, quod non habuit intētionem se obligandi ad manendum in perpetuum in religione, siue quia proposuit ingredi, vt experiretur: siue quia nihil proposuit: sed solum ingressus: quamquam postea exeat non est ingressus inutilis, quia cum ingredietur quis habet volūtatem colendi Deum specialiter, quam non haberet, si non ingrederetur: etiam quia disponit se ingrediens ad manendum in perpetuum in religione nisi forte videat esse non expediens: qui autem non ingreditur non se disponit ad hoc: ergo melius est ingredi, quamquam non permaneatur ibi quam nunquam ingredi.

D

Ad 3.

Ad tertiam rationem quando dicebatur, quod quilibet debet euitare id, ex quo sequitur scandalum. Respondendum quod si quis ingressus est religionem solenn: zato voto, & postea exeat, scandalum generat: & hoc nemini permittitur: quia etiam si quis exeat compelletur redire. Si tamen aliquis ingrediatur religionem, & nondum solennizato voto exeat, non est scandalum, quia iste vtitur iure suo. est autem concessus annus probationis cuilibet ad experiendum de religione, vt videat, an sibi conueniat: quod autem ante tempus illud quis egrediatur, quia forte vidit, quod sibi non expediebat, non est scandalum, nec malum exemplum: & si aliquis scandalizetur, non erit hoc scandalum actiuum ex parte eius, qui scandalizat: sed scandalum passiuum, scilicet quod quis vult scandalizari, & ab hoc scandalo nemo potest cauere, cum non sit ex parte sua, sed ex parte patientis: potissimum autem cum ille, qui egreditur habet causam rationabilem egrediendi, scilicet, infirmitatem, debilitatem, aut aliquid huiusmodi.

Ad 4.

Ad quartam rationem cum dicitur quod votum religionis est perpetuum, concedendum est postquā solennizatum est, quia est inducta obligatio ex iure Ecclesiæ. Si tamen votum de religione sit simplex, non est perpetuum: nisi forte voluerit aliquis se obligare ad perpetuo manendum, vt in primo modo distinctionis supra datæ: sed in duobus modis sequentibus non est perpetum: est tamen hoc generale quod quicunque vouerit intrare religionem, ita quod illud votum sit obligatorium ad intrandum, tenetur intrare sine proposito exeundi: non quidem quod habeat propositum non exeundi, quia hoc non requiritur, sed saltem quod non habeat propositum exeundi cum intrauerit, quia in isto secundo modo non satisfacit voto, & tenetur mutare propositum de exeundo: postea autem si viderit expediens in anno probationis poterit exire, vel manere, nisi à principio intendisset se obligare ad semper manendum.

E

Ad 5.

Ad quintam rationem cum dicitur quod ille, qui vouit intrare religionem obligauit se Deo ad aliquem cultum, concedendum est: & cum dicitur quod intrans, & immediate exiens non impendit aliquem cultum. Respondendum quod aut vouit cum intentione obligandi se ad semper manendum, & iste si exeat non impendit Deo cultum, ad quem se obligauit: ideo fractor est voti: si autem vouit intrare religionem cum proposito experiendi, an conueniret ei vel non, & sic maneret vel egrederetur: vel si intrauit sine aliquo determinato proposito solum intrans, quia religio bona erat, etiamsi iste exeat impendit Deo aliquem cultum. Nam intrando monasterium cum voluntate manendi ibi, si sibi conueniens fuerit impendit Deo cultum, quia sicut manere in religione in æternum est aliquis Dei cultus, ita quod aliquis disponat se ad manendum ibi dispositione immediata est cultus Dei: sed quod aliquis ingrediatur religionem, dum tamen non ingrediatur cum proposito exeundi, est dispositio immediata ad manendum in religione in perpetuum: ergo cultus aliquis Deo exhibetur, & sic completur votum.

F

*Respon. Innoc. a Quod religiosus vt hic dicitur possit fieri episcopus intelligitur primo cum necessitate ecclesiæ & à Papa compulsus. Se**

* *cundo in religiosis qui non vouent paupertatem seu habere reditus in communi: & ista præsumitur intentio cap. 1.18. quæst. 7. quia tunc episcopi & canonici viuebant in communi. & sic episcopus non faciebat contra votum quia nihil habebat in particulari. De aliis autem religiosis post quam vouens paupertatem tam in communi quam particulari vsque ad mortem: tibi excogitandum relinquo. Vidimus tamen ætate nostra episcopum religiosum de ordine mendicantium, qui ob gehennæ metum episcopatui cessit & ad claustra monasterii reuersus est nolens ab aliquo episcopus vocari dicebat enim vir ille doctissimus tempore prælaturæ in mortali peccato vixisse.*

A

An vouens intrare religionem possit susçipere episcopatum voto omisso.

QVÆSTIO XCIIII.

QVæretur vlterius si aliquis voueat intrare religionem, & antequam intret eligatur in episcopum, an teneatur intrare religionem vel omisso voto possit susçipere episcopatum. Dicet aliquis quod non obligabitur intrare religionem, sed potest susçipere episcopatum: quia facilius est. Quod aliquis nondum monachus efficiatur episcopus, quam postquã fuerit monachus: sed postquam aliquis est religiosus potest dimittere religionem, & accipere episcopatum 18. q. 1. c. 1. ergo à fortiori poterit antequam intret. Respondetur secundum Innoc. & Henricum, & alios, quod iste tenetur complere votum ingrediendo monasterium nõ curando de electione. Si autem electores in perseuerauerint poterit exire, & accipere episcopatum. Ratio autem Innoc. est hæc: quia ex quo esset episcopus, nisi resignauerit episcopatui non posset fieri monachus, vel canonicus regularis extra de renuncia. ca. post translationem. sed si primo fiat religiosus bene poterit postea fieri episcopus: & sic consuletur ei, quod votum suum impleat
B cum, & postea episcopatum suum habere possit, & sic vtrumque perficet. Item secundum Host. ideo consulitur sibi perficere votum, vt in prælatura sit perfectior: nam & religio addit quendam gradum, & aliqua seculari prælato licent, quæ non licerent religioso. extra. de vi. & hone. cle. c. clerici. & de regula. c. consuluisti. Aliter dicit Ascen. quod diuersitas est in istis: quia si sic vouens acceptaret episcopatum non intrans religionem, esset transgressor voti, ideo erat in peccato mortali: & electio talis est irritanda, quia ad sacrorum administrationem eligitur à quorum perceptione tempore electionis est priuatus, sed professus primo in religione, & postea episcopatum recipiens non defraudat religionem, quia ab ea non recedit: oportet enim eum habitum eius portare. extra de vi. & hone. cler. c. clerici. non debet etiam à primo proposito diuertere. 16. q. 1 c. de Monachis: & hoc quantum ad ea, quæ sunt de substantia monachatus. Dicendum autem præter hæc quod taliter vouens debet introire primo religionem non curando, an postea accipiat episcopatum, vel non: quia cum istud votum fuerit licitum tenetur iste explere illud: ad accipiendum autem episcopatum non tenetur, quamquam electus sit. ideo curandum sit de his, quæ sunt per se, & necessaria. Cum autem arguebatur quod maius est aliquem extrahi de monachatu ad hoc quod efficiatur episcopus, quam quod nondum monachus assumatur in episcopum, concedendum
C est quod hoc maius est quantum ad ius, sc. quod à maiori strictione abstrahatur ille, qui erat in monachatu & sumitur in episcopum: quam ille, qui nondum erat monachus, quamquam vouisset introire monasterium: tamen quantum ad istum, qui eligitur, non est maius. Nam ille, qui est in monasterio non est obligatus alicui voto, quod nondum compleuerit. nam erat obligatus ad obseruantiam regularem, & quotidie illam complet: qui autem vouit, sed nondum introiuit monasterium, tenetur obligatus aliquo voto, quod nondum expleuit totaliter, vel in parte: ideo iste si assumat episcopatũ est fractor voti: qui autem in monasterio iam est, nullum votum frangit.

An conueniens est quod aliqui obligentur ad introitum religionis per votum.

QVÆSTIO XCV.

QVæretur vlterius an conueniens est quod aliqui obligentur ad ingrediendum religionem per votum. Et videtur quod non, quia per professionem obligatur quis voto ad religionem: sed ante professionem conceditur annus probationis secundum regulam B. Benedicti, & secundum ius commune, quod etiam prohibuit aliquos astringi ad religionem ante completum annum probationis: ergo multo minus existens in seculo ad religionem per votum obligari. Item dicit B. Greg. in registro, & habetur in decretis dist. 48. quod Iudæi non vi, sed libera voluntate, vt conuertantur, suaderi debent sed implere id, quod vouetur, necessitas est: ergo non sunt aliqui obligandi per votum ad religionis ingressum. Item nullus debet alteri præbere occasionem ruinæ, alioquin tenebitur ad restitutionem. Exod. cap. 21. si quis aperuerit cisternam, ceciderit que bos vel asinus in eam, dominus cisternæ reddet precium iumentorum. Idem etiam de iniur. & dam. da. cap. si quis. sed ex hoc quod aliquis obligatur ad religionem per votũ, frequenter quidam cadunt in desperationem, & alia peccata: ergo non sunt ad religionem voto obligandi. In contrarium videtur, quia dicitur Psalm. 75. vouete & reddite Domino. vbi dicit glossa quod quædam sunt propria vota singulorum: vt castitas virginitas & huiusmodi. Ad hæc ergo vouenda nos inuitat sacra scriptura. Sed talia sunt vota religionis: ergo melius est, quod aliquis se voto obliget ad ingressum religionis, quam quod non se obliget. Item opus quod fit cum voto magis meritorium est quam quod fit sine voto, vt supra declaratum est in quadam quæstione, scilic. an magis meritorium sit agere ex voto, quam sine voto: sed intrare religionem est opus bonum: ergo magis meritorium est, quod voueat aliquis intrare, quam quod non voueat. Ad quæstionem respondendum quod bonũ est, quod aliquis voueat intrare religionem: nã intrare religionem secundum se est bonũ opus, & supererogationis. De talibus autem est votum, vt supra declaratum fuit: ergo bonum est vouere: & non solum est bonũ: sed etiam melius est vouere intrare quam intrare sine voto, cum quodlibet opus bonum melius sit, quando fit cum voto, quam sine voto. Item quando voluntas est magis parata ad aliquid faciendum cæteris paribus est ipsum opus magis meritorium: sed per votum voluntas nostra magis paratur ad bonum, quia firmat se in proposito, cum sit votum ad firmãdũmentem, vt patet supra ex dictis: ergo melius erit religionem vouere intrare quam sine voto intrare. Ad rationes in contrarium respondetur. Ad primam dicendum quod votum est duplex, quo quis obligat se ad religionem, scilic. votum simplex, & solenne. Dicitur votum solenne ipsa professio, quam emittit monachus, vel quicunque frater, in quavouet ea, quæ consuetum est voueri in qualibet religione: & ad tale votum debet præcedere annus probationis. Et isto modo procedit argumentum, quia per istud votum fit aliquis firmiter monachus, ita quod non liceat sibi postea egredi redeundo ad sæculum. Aliud est votum simplex, quod non fit aliquis monachus, sed solum est obligatus ad ingressum religionis, & postea potest adhuc egredi, nisi forte voluisset se obligare ad sem per manendum in religione: & ante istud non præcedit annus probationis. Ad secundam rationem quando dicitur quod Iudæi non sunt inuoluntarie trahendi ad Christum ergo nec monachi ad professionem. Dicendum quod intelligitur illa auctoritas Gregorii de violentia absoluta, quæ excludit omne voluntarium, & tollit omne meritum. Non est autem talis necessitas, quæ causatur ex voto ad introeundum religionem: sed est necessitas ex fine, scilicet, quod postquam aliquis vouit intrare religionem, nisi introierit, non potest consequi salutem, quia est fractor voti: talis autem necessitas ad bonum opus non est vitanda: quinimmo vt dicit August. ad Armentarinum, & Paulinum: fœlix est necessitas, quæ ad meliora compellit. Ad tertiam rationem cum dicitur, quod nullus debet alteri præbere occasionem ruinæ. Dicendum quod vouere ingressum religionis est quædam confirmatio voluntatis ad meliora, scilicet, ad ingrediendum religionem, ideo quantum est ex se non datur per hoc vouenti occasio ruinæ, sed magis subtrahitur, cum confirmetur per votum magis in bono. Quod autem transgressor voti grauius ruat, quam qui non vouit, non derogat bonitati voti: sicut non derogat voto baptismi quod aliquis post illud grauius peccet, quam si non fuisset baptizatus: & tamen melius fuit, baptizari, & vouere in baptismo, quam non vouere.

D

E

Ad 1. rationẽ

F

Ad 2.

Ad 3.

A

An vouens teneatur immediate adimplere votum, vel possit differre,

QVÆSTIO XCVI.

QVæretur amplius de impletione votorum, an teneatur aliquis implere votum immediate vt vouit, sed vsque ad quantum tempus. Respondetur quod obligatio voti dicitur esse voluntaria: nam qui vouet, ante votum nullo modo erat obligatus, & per votum causauit obligationem: non poterit ergo maior obligatio causari in vouente, quam ipse voluerit se obligare. Et sicut non potest obligari quis ad plura soluenda quam vouerit, ita nec poterit obligari ad soluendū illa alio modo, quam vouit nec ante quam vouit. Ideo pro hoc considerandum quod votorum quædam sunt, quæ non obligant. Alia vero, quę obligant. Prima autem sunt: quia emittuntur à personis non potentibus se obligare: vel quia fiunt de rebus, quæ non cadunt sub voto: & sic de aliis causis: & quantum ad ista non est solutio. Alia vota obligant, sed ista dupliciter. quia quædam sunt, quæ à principio non obligant, sed postea obligant, sicut sunt vota impuberum, vel furiosorum, quia si impuberes, vel furiosi aliquid voueant, tunc non est votum solidum propter defectum consensus, sed cum peruenerint impuberes ad pubertatem, & furiosi ad lucida interualla firmantur vota emissa, vel simpliciter, vel quantum ad eos: dico autem simpliciter: vtpote si cōtingat alicui venīēti ad pubertatem esse totaliter sui iuris, & idem de furioso cum habuit lucida interualia, quia tunc vota tenebunt simpliciter: si autem non simpliciter sui iuris saltem tenebunt vota quantum ad ipsos, cum habuerint voluntatem se obligandi, nisi ille sub cuius potestate sunt postea reuocauerit. De voto autem isto, quod à principio non obligat, sed postea: etiam non est inquirendum tempore illo, quo non obligat: quia sicut votum absolute non tenet: ita nec obligatio ad soluendū in tali, vel tali tempore: sed quando sunt vota, quæ immediate obligant, cum emissa sunt, est de eorum solutione inquirendum. Et respondendum, quod omnia vota, quæ fiunt ab aliquo, qui est sui iuris, & de re licita, & sic de aliis conditionibus voti immediate obligant vouentem: non quidem ad soluendum immediate, sed quod immediate sit obligatus, vt aliquādo soluat. Fallit autem hoc in voto religionis, quod post triduum ab emissione sua obligat. extra de regularibus. capit. ad nostram. vbi dicitur, quod si ille, qui susceperit habitum & professus est ante triduum reiicit illum non videtur obligatus ad religionem, ex quo apparet, quod si plurib. quam tribus diebus tenuisset habitum post professionem obligaretur ad manendum. esset tamen obligatio ad manendum si votum ante triduum tenuisset, ergo non erat validum ante illos tres dies. Istud tamen patitur fallentiam in multis, de quibus docto. super cap. illud ad nostram. De solutione ergo votorum, quæ immediate obligant, dicendum, quod aut vota emissa sunt conditionaliter, aut sine conditione. Si primo modo non est obligatio ad soluendum ante completionem conditionis, cum non fuerit intentio vouentis prius se obligare. Quod patet, quia alias posset soluere votum, & deinde non impletur conditio, quod est contra intentionem vouentis, qui voluit se obligare solum sub conditione: si autem vota non sunt conditionalia, aut in eis determinatur tempus solutionis, aut non: nam in quibusdam votis exprimitur tempus dicendo: voueo Deo talem rem pro tali tempore, & tunc tenetur pro illo tempore soluere: quia sic se obligauit, sic dicitur Deut. 23. cap. quod semel egressum est de labiis tuis obseruabis, & facies, sicut promisisti domino Deo tuo: propria enim voluntate & ore locutus es. Si autem non expressum est tempus in voto, aut vouens habuit voluntatem obligandi se ad aliquod certum tempus, aut non: si enim habuit voluntatem obligandi se ad certum tempus, quamquam hoc in voto expressum non fuerit, tenebitur in tempore illo soluere ex eadem ratione, quæ supra ponebatur: si autem de nullo horum cogitauit, sed solum voluit se obligare ad soluendum secundum iura humana esset obligatio ad immediate soluendum, quia qui se obligat sine temporis præfinitione, ad immediate tenetur. Secundum Deum autem non est tantus rigor: debet tamen iste, qui vouit, citius quam commode potuerit, soluere: sic dicitur Deuter. 23. capit. cum votum voueris domino Deo tuo, nō tardabis reddere, quia requiret illud dominus Deus tuus, & si moratus fueris reputabitur tibi in peccatum. Ad hoc tamen, scilicet, vsque ad quantum tempus obligetur, debet attendi conditio vouentis, scilicet, vt in tempore tali, vel tali commode soluere possit. & istud tempus datur ad arbitrium boni viri: sic enim tenet sanctus Thom. 2. 2. quæst. 88. artic. 3. & Guil. super Ray. in summa ti. de voto, & vo. redempt. & frater Ioann. in summa confes. hoc ti. verbi gratia aliquis vouit dare magnam pecuniam ad redemptionem captiuorum, vel alias, & non præfixit tempus, & si forte daret immediate læderetur nimis in facultatibus suis, vt quia forte oporteret eū distrahere aliquid de rebus suis infra precium rationabile, & tunc arbitrandum est, quod soluat in tempore illo, in quo sic non lædatur. Idem si aliquis vouit introire religionem non præfinito tempore, & habet parentes pauperes, quia sine eo vix poterunt viuere, non tenetur immediate ad completionem voti: si tamen verisimiliter timet quod ex aliquali dilatione impedietur completio voti debet omnia relinquere, & illud implere. sic tenet sanctus Thom 2. 2. quæst. vltima artic. 6. & frater Ioan. in summa confes. sic autem circa vota cætera per arbitrium boni viri inspiciendum erit.

B

Votorū aliud obligat aliud non.

C

Vota, q̄ fiunt ab aliquo sui iuris & de re licita immediate obligāt.

Resolut

D

An quis possit exequi votum suum per alterum.

QVÆSTIO XCVII.

QVæretur vlterius an aliquis possit votum suum exequi per alterum. Ad quod respondendum, quod aut consistit votum in datione pecuniarum, vel alicuius rei conuertibilis in pecuniam, sicut vouere eleemosynam, vel dare domum aut agrum ad aliquam causam piam: aut consistit in aliis rebus. Si primo modo dicendum, quod nihil differt, an aliquis votum suum exequatur per se, vel alius loco eius: dum tamen nomine eius agat, scilicet, propter hoc, quod iste obligatus erat: & hoc siue istud votum compleatur de pecunia vouentis, siue alius, qui complet de pecunia sua, illud soluat. Ratio huius est, quia in votis realibus non attenditur actio personæ, vel industria eius: sed quantitas rei: huiusmodi autem est hic. Si autem sint alia vota, vt ieiunium, eleemosyna, oratio, peregrinatio, religio &, similia. Dicendum quod aut illa sunt propter fauorem alicuius, aut solum cedunt ad cultum Dei. Pro quo intelligendum, quod omne votum Deo fit & ad cultum eius; tamen quædam sunt quæ solum ad cultum Dei proficiunt, vt quod aliquis voueat castitatem, vel voueat orare, quæ soli Deo tribuuntur. Alia autem sunt, quæ licet sint ad cultum Dei, tamen etiam sunt ad quandam vtilitatem proximorum, vt si quis voueret Deo, quod iret ad subsidium terræ sanctæ, vel voueret pugnare cōtra infideles in fauorem alicuius gentis. Ista enim vota, & similia, quæ sunt de præstando subsidium, vel obsequium aliquibus personis, quamquam non sint, sicut vota pure realia: tamen aliquo modo considerantur in eis ipsum, quod fit. Ideo ista interdum poterunt per alios impendi, quam per vouentes, & nomine ipsorum vouentium. Alia sunt vota, quæ solum cedebant in cultum Dei, vt orare, religionem intrare, & similia, de quorum quibusdam manifestum est, quod nullo modo possint per alios compleri, sed per ipsos vouentes: si enim quis vouerit continentiam perpetuam, vel temporalem non potest per alterum exequi, scilicet, quod alius contineat, & ipse non: & alius nomine eius contineat, quia istud votum solum est propter bonitatem ipsius vouentis. Cum ergo ipse non continuerit, sed alius pro eo, nihil agitur. Item si aliquis vouerit introire religionem, non poterit compleri votum per alterum, ita quod alius ingrediatur religionem pro eo, & ipse maneat in sæculo: & generaliter omne votum, quod solum dicit aliquem actum interiorem nostrum, vel habitudinem, & non aliquid quod extra nos sit, vt aliquis labor corporalis, vel erogatio alicuius rei, non potest compleri per alterum, ideo si quis voueat silentium per aliquod tempus per seipsum complere tenetur. Idem si voueat omnem iniuriam remittere, & sic de cæteris, quæ solum dicunt habitudinem nostram, vel actum, interiorem: Ideo si interdum aliquis non poterit ista per se complere, non obligabitur inducere alios ad faciendum pro eo: Immo nec proficit vllatenus ad

E

F

Si quis noluerit abstinere ab actu vel nereo non pōt per alterū exercere.

A

Tanta est obligatio ordinati vel beneficiati ad recitandū quanta est vouentis, & adhuc maior.

solutionem voti. De oratione autem & ieiunio, quæ sunt opera exteriora aliqualiter est maior difficultas, sed de oratione satis videtur, quod aliquis non possit suum votum facere per alterum compleri, quia tanta est obligatio ordinati in sacris, vel beneficiati ad recitandum horas canonicas, sicut est cuiuscunque vouentis orare, quia prima est obligatio simpliciter ex necessitate à lege inducta: secunda est spontaneè causata: & tamen cum aliquis non valet per se horas canonicas recitare, vt ægritudine detentus, vel alia occupatione, non tenetur alium dare, qui pro eo recitet: ergo nec vouens orare in casu, in quo ipse non potest orare non tenebitur dare alium orantem pro se, nec explebit votū nāvotū necessario obligat: si ergo votum de orando posset per alterū compleri obligaretur vouens dare alterum, qui pro se oraret, sed non obligatur, vt patet de necessitate recitandi horas canonicas, quæ est maior, quam necessitas voti: ergo non poterit dare alium pro se orantem ad explendum votum. Item quandocunque in aliquo actu principaliter intenditur personæ industria, vel habitudo: non potest id quod fieri debet, per alium expleri, quam per eum, qui obligatus est, vel fieri iubetur. Si autem principaliter attenditur ipse actus, licet ille, qui iubetur, vel qui promisit, non faciat, poterit alius adimplere, sicut dicebatur de eleemosyna: sed in oratione sic est, quod attenditur personæ habitudo principaliter, ideo non sufficiet vnus pro alio. Patet hoc, quia si alicui iniungatur in pœnitentia', quod oret: si orauerit antequam reincidat in peccatū satisfacit: si vero postquam reinciderit non satisfaciat, sed tenetur iterum orare cū fuerit in pœnitentia, vt est determinatio omnium. De eleemosyna autem & peregrinatione non sic: quia siue fiat ab existente in vera pœnitentia, siue non, satisfactoria est: ergo in oratione non attenditur ipsum quod fit, sed habitudo personæ, & consequenter non poterit vnus pro altero satisfacere. Non est autem sensus, quod si vnus pro alio oret, vel ieiunet, non proficiat aliquid illi, sed quod non videtur ille solutus ab obligatione, qua tenebatur ad recitandum, vel ad ieiunandū si alius pro eo ista faciat, quia ista sunt munera personalia. De ieiunio autem id quod de oratione videbitur dicēdum, quod vouens ieiunare non possit per alterum explere, quod videtur, quia ieiunium principaliter est ad macerationem carnis, & vt passiones nobis subditæ sint. Cum ergo aliquis ista vouet, obligat se ad faciendum Deo sacrificium de corpore suo macerando illud, & reducendo illud in obsequium Christi iuxta dictum Apostoli ad Roma. 12. cap. obsecro vos, vt exhibeatis corpora vestra hostiam Deo viuentem sanctam, atque placentem: rationabile sit obsequium vestrum. Ideo quod aliquis faciat per alterum expleri ieiunium non est complere, quod promisit, cum fructum illum, quem principaliter intendebat in voto non inducat, scilicet, macerationem corporis, & reductionem in obsequium Christi: ideo siquis vouerit ieiunare, & impeditus ægritudine non valeat, non tenetur dare alium ieiunantem, immo nec expedit, vt illum det. Circa hoc grauius quidam errant, qui cum acceperint in pœnitentia ieiunia, quod ieiunent aliquibus diebus, vel flagellent carnem suam certis temporibus, ne ipsi in hoc grauentur pecunias aliis erogant, vt pro eis ista impleant, de quibus manifestum est, quod nequaquam expleant pœnitentiam sibi iniunctam, & hoc siue sint potentes hoc facere, siue non: quamquam debet præsupponi eos esse potentes, quia alioquin sacerdos non deberet talia in pœnitentia iniungere. Manent autem nunc vota de peregrinando, & de præstando aliqua obsequia, & in his dicendum quod cum ista attendantur principaliter ex parte actus, quamquam multum ibi referat personæ dispositio, dicendum quod interdum possunt per alterum explere. Sed est regula generalis, quod quandocunque aliquis per seipsum potest votum explere non debet per aliū explere, & si vellet per alterum, non soluitur votum. extra. De voto, & voti redemptio. c. magnæ. §. 1. & non solum hoc, immo etiam dicitur, quod siquis non possit vtiliter explere votum suum, dum tamen aliquo modo possit per seipsum explere, vt siquis vouit peregrinationem, & efficitur impotens ad ambulandum per se, melius est, quod ipse ab alio portatus peregrinetur, quam quod alius nomine eius vadat in peregrinationem. Vnde Inno. Hostien. & alii Doctores dicunt, quod si aliquis vouisset votum transmarinum, etiamsi inutiliter exequi posset, vt quia est claudus, vel mutilatus, per se exequi deberet, & tunc si vouisset illum peregrinari non ad subsidium terræ sanctæ, sed ad deuotionem, per se sufficienter ibat, nec referebat eum esse claudum, vel non claudum, quia vtroque modo posset deuote videre terram sanctam: & idē videtur de aliis peregrinationib. quæ cōiter fiunt propter deuotionem, & non ad subsidium, vt ire ad sanctum Iacobū, vel ad limina Apostolorum, & sic de aliis, quia hic non est præstandum aliquod subsidium cum non sit pugna cōtra hostes, sicut in terra sancta, ideo in votis huiusmodi ex sola deuotione factis, nihil aut modicum videtur proficere, si aliquo facto impotente ad reddendum votum alius pro eo peregrinetur, ideo debet votum illud commutari, vel redimi, scilicet, quod expensæ, quæ consumendæ erant in peregrinatione commutantur in alios vsus pios. De modo autem redemptionis, & commutationis votorum infra dicetur. Secus autem si quis voueret ire ad sanctum Iacobum, vel ad aliam ecclesiam, & dare ibi aliquid pro fabrica ecclesiæ, vel dare aliquid pauperibus eiusdem loci, & tunc ipso impedito, & nequaquam ire potente, licet non teneatur mittere alium peregrinantem pro se, tamen tenetur mittere summam pecuniæ illuc quam vouerat. De voto tamen transmarino eius, qui non potest vtiliter complere, vt si est claudus admittitur compensatio, vel redēptio voti, siue propter deuotionem, siue in subsidium vouerit: extra de voto, & vo. redemptio. cap. magnæ. & sic tenet Innocentius & Hostiensis. Siaūt nullo modo pōt aliquis exequi votum per seipsum vtiliter, vel inutiliter, tūc aut est impedit9 impedimēto perpetuo, aut tēporali, si perpetuo, aut quæritur nūquid possit implere votū per aliū, aut teneatur ad hoc: si primo modo dicendum, quod potest, vt patet extra. De vo. & vo. redemp. cap. licet. & 13. quæst. 2. animæ. & 26. quæst. 6. capit. siquis. Si secundo modo, dicendum quod aut postquam votum emisit impedimentum superuenit, aut tempore, quo votum emisit, erat impeditus, quod solum intelligo de peregrinatione in terram sanctam, quia de aliis dico, vt supra, & tūc differt in primo casu horum inter eos, qui vouent pro subsidio terræ sanctæ, & eos, qui pro deuotione, quia primi in mortis articulo, vel alio impedimento detenti tenentur aliis committere completionem voti. extra de voto, & vo. redemp. capit. licet. immo quod plus est, si isti non commiserint aliis, hæredes eorum compellentur, vt ipsi votum compleant eius, cui successerunt, vel expensas, & subsidium, quod testator facturus erat, ipsi faciant. Nam quis vouisse intelligitur terræ sanctæ subsidium, siue per se, siue per alium faciendum: vnde ad illud cōpellendi sunt hęredes, tamen ex voto nulla obligatio nascitur ff. de politi. l. 2. in princip. & nulla promissio facta ciuitati obligat. ff. eod. titu. l. pactum. Fortius autem promissio facta Deo in subsidium terræ sanctæ. Si autem vouens ire in terram sanctam iusto impedimento, & perpetuo impediatur personaliter ire: videtur dicendum, quod possit, & debet fieri commutatio. extra de vo. & vo. redemp. cap. magnæ. Si autem ille, qui vouit tempore, quo vouit, erat impeditus tali impedimento, quod verisimiliter credebatur esse perpetuum, videtur vouere ea intentione, vt redimat, alioquin votum esset illusorium. Secus autem de illo, qui quando vouit erat impeditus impedimento temporali, quia tunc datur ei dilatio, vsque quo cesset impedimentum. extra. De voto, & vo. redempt. capit. super his.

B

An votum de ieiunio possit per alterū cōpleri.

C

Si alicui imponatur pœnitentia quod se flagellet aut similia non est per illum complendum. Quando aliquis potest votum transmarinū per alterum explere.

D

E

F

An hæredes teneantur complere vota testatorum, & etiam debita.

QVÆSTIO XCVIII.

QVæretur vlterius, an hæredes teneantur complere vota eorum, quibus succedunt.

Respondendum quod aut ista vota sunt talia, quæ expleri non possunt per alios, non potente explere illo, qui vouit: aut sunt talia, quæ possunt per alium expleri. Si primo modo dicendum, quod non tenentur hæredes complere, quia completio sua non proficeret defuncto quantum ad hoc, quod solueretur à voto, sicut si vouerit quis intrare religionem, & nō expleuerit, nō tenebitur aliquis de hęredibus suis explere intrando religionem. Idem si vouerit continentiam, non tenebitur aliquis pro eo continere: sic de oratione, & de ieiunio & similibus actibus, qui proprie pertinent ad personas,

in

A

in quibus magis attenditur persona quam res, quæ fit. Si autem sint alia vota, per quæ acquiritur interesse alicui alteri, sicut est in voto de faciendo eleemosynã, & de subsidio terræ sanctæ, quia in his alicui prouenit vtilitas, ad quã iam est obligatus vouens, & principaliter, ibi attenditur ipsum, quod fit, quam habitudo personæ facientis, & talia poterant per alios expleri, vt in præcedenti quæst. declaratum est. Ideo dicendum, quod si testator vouisset aliquam peregrinationem, quę erat solum ad deuotionem, non tenebuntur hæredes implere votum, nisi forte testator iussisset, quod hæredes sui complerent illud votum, quia tunc complebunt, non quidem ex iuribus voti, sed ex iuribus mandati, cum voluntas testatoris in omnibus seruanda sit. Item si forte votum sic fuisset emissum: voueo ire ad talem Ecclesiam peregrinando, & tantum dare pro fabrica, vel pro ministris Ecclesiæ, quia tunc licet nõ teneãtur hæredes peregrinare, tenebuntur dare eleemosynã illi Ecclesiæ, vel ministris. Si aũt esset votũ in subsidium terræ sanctæ, tenebuntur hæredes complere illud per seipsos, vel per alios, aut dando tantum in subsidium terræ, quantum expensurus erat vouens, vt patet extra. De voto, & voti redem. cap. licet. Idem est, si quis vouerit in subsidium alicuius terræ Christianorum pugnare contra infideles, quia tunc hæredes sui tenebuntur ad faciendum id, quod facturus erat vouens, vel ad præstandas expensas. Si autem testator vouisset

B

dare eleemosynam, vel quomodocunque erogare aliquid in causas pias, inquantum facultates testatoris suppetunt, tenebuntur hæredes. Sed quid si votum transmarinum, quod vouit testator, sit conuertendum in expensas erogandas pro subsidio terræ illius, & non sufficiant facultates testatoris ad soluendum illas expensas, vel si vouisset aliquam eleemosynam dare, ad quam facultates iam non sufficiunt? Dicendum quod aut hæres adiit hæreditatem, aut non: si primo modo tenetur adimplere, si vires hæreditatis sufficiunt. Si vero non adiit, non tenetur, quia nec hæres est, nisi forte sponte promiserit, & tunc in omni casu intellexit personam suam obligare, adimplere debet non solum propter promissionem factam à testatore, sed magis propter suam. Si tamen tanquam hæres promittebat expectans hæreditatem adire, postea tamen abstinuit mutato consilio, non tenebitur, ar. extra de elect. c. per venerabilem. §. fin. Sed quicunq; hæreditatem istam adierit, obligatur. ar. extra de solut. capit. 1. & de vsũ. cap. tua. Si autem quis adierit hæreditatem non suppetentibus viribus ad suppletionem voti. Dicendum est, quod quidam casus sunt, in quibus hæres postquam adiit hæreditatem tenetur ad omnia debita testatoris, etiamsi non suppetant facultates. Alij autem sunt, in quibus solum tenentur inquantum ad eum peruenerit, & hoc factis quibusdam protestationibus, & cæremoniis iuris. Et tunc dicendum est, quod de completione voti, aut loqueremur in foro cõscientiæ, aut secundum rigorem humani iuris. Primo modo nunquam tenetur hæres complere votum testatoris supra facultates eius, siue hæreditatem adierit, siue non. & adita hæreditate, siue protestationes aliquas fecerit, & cæremonias iuris siue non, quia Deus ista non respicit; sed sunt introducta de iure humano. Si autem loquamur secundum rigorem iuris, dicetur quod si testator fecisset aliquod votum de dando eleemosynam alicui Ecclesiæ, vel monasterio, vel alicui personæ certæ, & hæres adiisset hæreditatem, non facta aliqua cæremonia, vel protestatione ad hoc, quod solum teneatur ad ea, quæ ad ipsum peruenerunt, tenebitur ad omnia vota, & consequenter ad istud votum, ita quod illi, quibus ista eleemosyna danda erat, poterunt petere ab hæredibus. De hoc Hostiens. in summa tit. de vo. & vo. redempt. & Henricus eo. tit. super cap. licet.

An hæres teneatur satisfacere ad omnia debita testatorum si nõ suppetant facultates.

C

An intrans religionem non obseruantium, si reducatur ad obseruantiam, teneatur stare, vel possit exire.

QVÆSTIO XCIX.

QVæretur amplius de voto religionis: siquis videns aliquod monasteriũ, cuius monachi splendide comedunt & bona indumenta habent, & in similibus sunt satis soluri, & ipse cogitat hanc regulam bene posse tolerare, quia hic forte melius sibi erit, quam in sæculo, & voueat intrare religionem illam, vel intrat & profiteatur, & postea accidit, quod monasterium illud reformatur reducendo ad obseruationem regulæ, ita vt fiat modus viuendi austerior, & ille, qui vouit, videt se non posse tolerare hanc austeritatem, an poterit exire monasterium, si professus est, vel si poterit non introire, si nondum introiuit.

D

Quod dicitur de monachis clare constat quod intelligendũ de monialib.

Dicet aliquis, quod videtur, quod possit quodcunq; horũ, sc. vel non introire, vel exire postquam introierit, quoniã votum accipit vim obligandi ex voluntate, ideo non obligabitur magis aliquis, quam velit se obligare: sed iste à principio introiuit, quia vidit modum viuendi satis esse leuem, & sibi tolerabilem, & si existimasset futurum esse modum, qui postea introductus est, facta correctione monasterii, non vouisset: ideo videtur, quod solum obligatus fuerit ad illud, quod tunc obseruabatur, quia ad illud solum voluit se obligare: ergo, adueniente maiori strictione, poterit resilire.

Item iste poterat à principio cogi nõ ad totum votum. 32. quæst. 1. cap. integritas. ita nunc poterat non cogi ad augmentum eius, quod tunc non erat, quando vouit. Item non potest repugnare, quod solum se obligaret quis ad obseruandum id, quod tunc obseruabant illi monachi: nam & ipsum votũ potest diuidi, scil. quod aliquis potest se obligare ad solam continentiam, vel ad solam obedientiam, vel ad solam carentiam proprietatis. 33. quæst. 5. cap. Deo pari. & 33. distin. cap. quamquam. & 19. quæst. 2. §. è contra Paulus.

E

Authoris opinio.

Respondendum est ad quæstionem, quod aut iste vouit introire in religionem illam, & nondum introiuit, quando corrigitur monasterium, & reducitur ad seruationem regularem, vel iam professus fuerat. Si primo modo dicendum, quod iste tenetur introire, & habet annũ probationis indultum à iure, in quo potest exire si viderit sibi non expedire religionem illam: debet tamen introire non cum voluntate exeundi: nam si intendit exire, quando ingreditur non complet votum si postea exeat, sed semper tenetur reus voti violati. Sed licet videatur sibi dura illa religio, & aliquo modo repugnet menti suæ ibi manere, debet tamen quantum poterit pugnare secum, vt saltẽ, quando ingressus fuerit, non habeat intentionem determinatam exeundi, & si hoc modo faciat, dato quod postea egrediatur, compleuit votum, quia illud votum simplex non obligauit eum ad manendum perpetuo in religione, sed ad introeundum in illam. Nisi forte quando iste vouit intrare religionem illam, habuerit voluntatem obligandi se ad manendum ibi perpetuo, quia tunc non complet votum, nisi ibi semper manserit. De hoc sup. declaratum est in quadam quæst. s. an vouens intrare religionem, & postea exiens compleat votum. Si aũt iste iam introierat monasteriũ, aut erat professus, aut non. Si nõ erat professus, poterit egredi quandocunq; voluerit, nisi forte cum vouit intrare habuisset intentionem obligandi se ad semper ibi manendum. Si autem iste professus esset, cogebatur ibi semper manere in obseruantia regulari, quamquam à principio non fuisset sic. Et ratio huius est, quia licet vita dissoluta monachorum mouerit istum ad introeundum in monasterium: tamen ipse vouit substantialia regulæ, & sic tenebitur ad obseruantiam. Secus autem si non vouisset, sed solum quod sic viueret, vt illi viuebant, quia tunc non teneretur ad ampliora: sed non fuit sic votum, cum ipse vouerit substantialia illius regulæ, & cum nihil exciperet, obligatus est ad totam obseruantiam regularem. 49. distin. cap. si Romanorum. ff. de offic. præfect. vrb. l. 1. & etiamsi iste monachus vouẽdo regulam expressisset, quod sic vellet viuere, vt tunc illi monachi viuebant: habetur pro non expresso, quia est contra substantiam ordinis ar. extra de condi. appos. cap. vltimo. non potest iste reuerti vltra ad sæculum. Sed est tunc dubium, an iste cogatur remanere in eodem monasterio, & distinguendum, quod aut iste erat iuris peritus. s. vir prouidus & intelligẽs quomodo obligaretur, siue erat idiota, & non tantum intelligens. Si primo modo dicendum, quod cogitur tenere regulam, quia videtur ad eam se obligasse, nec debuit certiorari: quia ipse intelligebat, vel intelligere poterat quid erat ad quod se obligabat. Si autem erat simplex, & idiota, aut fuit ei regula lecta, & explanata ante professionem, aut non. Si primo modo idem est, ac si fuisset peritus. s. quod tenebitur ad illam regulam. In auctoritate, quomodo opor. Episcopos. §. igitur ordinandus col. 1. Si vero

F

A dixerit, quod nolebat se obligare ad arctiorem vitam ducendam, quam ibi duceretur, tempore quo ingressus est: poterit ad laxiorem vitam transire. Si autem lecta regula, & explanata nihil dixit, debet cogi ad manendum ibi, quamquam existimauerit semper esse se permãsurum in vita illa soluta. Nec etiam prodest, si dicat se dolo inductum ad hoc, scil. quia monachi aliter viuebant, & spes talis vitæ duxit eum ad monasterium. & ratio est, quia per istum modum non efficitur conditio sua deterior. extra de conuer. coniu. cap. dudum. & cap. ex parte. & de regula. cap. consulti. Hoc tenet Hostiens. & Ray. in summa.

Ad rationes in contrarium: ad primam quando dicebatur, quod vouens non se obligat magis quam vult se obligare cum votum accipiat vires à voluntate, sed iste non habuit voluntatem obligãdi se ad maiora. Dicendum, quod iste habuit voluntatem se obligandi, quamquam implicite, & actualiter se obligauit: nam voluit profiteri, & in professione vouit obseruantiam regularem, ideo obligauit se ad totam regulam. Quod autẽ intentio sua fuerit viuere in illa vita soluta, quam viuebant tunc monachi, & nollet strictius viuere, nihil iuuat cum contrarium monstrauerit in actu se obligandi ad maiora. Et hoc est, sicut in protestantibus, quia protestatio releuat protestantem: si tamen agat contrarium actum protestationi non releuatur. Ad aliam rationem, cum dicitur, quod B à principio possit non cogi ad totum votum: ergo postea poterit non cogi ad maiora, quam intellexerit. Dicendum verũ esse, quia iste à principio poterat vouere solam continentiam, vel aliquid alterum quod pertineret ad regularem obseruationem solum, & ad illud obligaretur: si tamẽ sic vouisset, non esset monachus, quia substantia monachatus, vel cuiuscunque religionis exigit omnia ista tria substantialia vota, sed iste cum professionem fecit, vouit omnia, quæ vouebant alij monachi, licet haberet intentionem manendi in illa vita soluta: ideo obligatus est ad religionem. Ad tertiam rationem cum dicebatur, quod aliquis potest obligare se separatim ad seruandam continentiam, vel solum ad carentiam proprietatis. Respondendum est, quod illud intelligitur, quando non sunt illa vota ad monachatũ, & sic intelligitur cap. quod Deo pari. 33. q. 5. scil. de coniugatis, qui existentes in propria domo vouent continentiam obseruare, & tamen isti non mutant statum, nec transeunt ad monachatum, & sic est de quolibet aliorum votorum, si solitarium emittatur. Iste autem, de quo dicitur, vouit omnia alia tria per professionem regularem, vel obligauit se per votum ad manendum in tali monasterio, in quo tacite obligabatur ad totam professionem regularem, licet nondum profiteretur: ideo non poterit manere in vita illa soluta, quam à principio habuit.

An coniugatus consummato matrimonio possit vouere accipere ordinem sacrum, & an paretur per hoc aliquod præiudicium vxori. C

QVÆSTIO C.

Clerici Ecclesiæ orientalis & occidẽtalis quo cõueniũt, & quo differunt.

QVæretur vlterius, quid si aliquis coniugatus consummato matrimonio voueat accipere sacrum ordinem, & accipiat vxore sciẽte, & nõ contradicente, nunquid paratur ei aliquod præiudicium? Respondendum est, quod quantum ad hoc non est idem de clericis Ecclesiæ orientalis. s. de clericis Græcis, qui non consenserunt obligari ad continentiam ordinatos in sacris, & secus de clericis Ecclesiæ occidentalis, qui in hoc consenserunt. Et sciendum, quod isti clerici conueniunt in duobus, & differunt in aliis duobus. Primum, in quo conueniunt est, quia tam apud clericos Ecclesiæ orientalis, quam occidentalis clerici in minoribus cõtrahere possunt 32. distinctio. capit. si quis. Secundo conueniunt, quia nec clerici Ecclesiæ orientalis, nec occidentalis, postquam sunt in sacris possunt contrahere matrimonium, vt dicit constitutio Synodi in orientali Ecclesia celebratæ. 32. cap. si quis eorum. & 31. & distin. cap. in cœna. & 84. distinct. cap. cum in præterito. Nam clerici Græcorum, siue ante sacros ordines assumptos habuerint aliquam vxorem, siue non, contrahere postea non poterunt. Nam si ante habuissent vxores, & postea contraherent, essent bigami: in Ecclesia tamen nunquam permissa fuit bigamia in Ecclesia, cum dixerit Apostolus, quod oportet Episcopum esse vnius vxoris virum. & sic intelligitur de omnibus ordinatis. Si autem ante sacrum ordinem nullas vxores habuerint, postea non accipiunt, quia apud eos sic constitutum est, vt patet in præalleg. c. Differunt autem in aliis duobus clerici Ecclesiæ orientalis, & occidentalis. Primum est, quia in orientali Ecclesia promouentur clerici, & non promittunt continentiam. 31. distin. cap. quoniam. clerici autem occidentalis Ecclesiæ nunquam promouentur ad sacros ordines, nisi promissa primo continentia tacite, vel expresse. 28. dist. cap. nullum. 31. dist. capit. ante triennium. & extra De clericis coniu. cap. cum olim. Secundum, in quo differunt, est, quia clerici Ecclesiæ orientalis postquam promoti sunt ad sacros ordines possunt vti matrimonio prius contracto. 31. dist. cap. in cœna. clerici autem occidentalis non possunt vti aliquo matrimonio prius contracto, vel postea contrahendo cum fuerint in sacris. extra de clericis coniuga. cap. 1. 2. & 3.

His præsuppositis respondetur ad quæstionem, quod aut iste, de quo quærebatur, est clericus Ecclesiæ orientalis, aut occidentalis: si Ecclesiæ occidentalis, aut fecit se ordinari vxore inuita, vel ignorante, aut ea sciente & nõ repugnante. Si primo modo nullum paratur præiudiciũ vxori, quia licet vir non possit debitum petere, quia ordinatus est: tamen cum vxor petierit, tenetur reddere. 38. dist. cap. diaconi. & 37. q. 2. c. multorum. Si autem iste coniugatus fecit se ordinari, vxore sciente, & non repugnante, si repugnare poterat, paratur ei duplex præiudicium. Primũ est, quia oportebit istam viuente viro semper continere, cum non possit petere debitum, quia visa est dare ei licentiam, cum sciret eum vouere & ordinari, & non repugnauit, & tamen si dedisset licentiam, non poterat petere debitum. Secundum præiudiciũ est, quia mortuo viro non poterit illa contrahere cum altero, & si contraxerit, non tenebit matrimonium secundum quosdam, quia videtur in persona viri votum solennizasse. ar. 30. q. 4. cap. 1. & vlt. & extra de cognatis spirit. c. Martinus Bertam. Alij autem dicunt, quod non potest contrahere matrimonium mortuo viro impediente voto simplici, quod videtur emisisse permittendo, quod vir promoueretur ad sacros ordines, & si cõtraxerit, non tenet matrimonium ex vi constitutionis Ecclesiæ. Sic tenet Ray. 38. dist. cap. quia sunt culpæ. Sed in hoc non differt, quia siue dicatur hoc induci propter votum solenne, siue propter constitutionem Ecclesiæ, nullatenus poterit ista mulier contrahere mortuo viro, & si contraxerit, non tenet, sicut si ipsa solennizasset votum castitatis. Si autem iste, qui vouet, & ordinatur, sit in Ecclesia orientali, aut vxore sciente fit, & consentiente, aut nõ. Si primo modo nullum paratur ei præiudicium, sicut dicebatur de clerico Ecclesiæ occidentalis. Si autem ipsa sciente. & consentiente, dixit Huguitius, quod etiam nullum præiudiciũ paratur, cum clerici Ecclesiæ orientalis possint vti matrimonio contracto ante sacrum ordinẽ. Dicendum tamẽ, quod paratur aliquod præiudicium, & est duplex. Primum est, quia ipso viuente tempore, quo ministraturus est per vicem suam in sacris non poterit ei commisceri. Nam sacerdotes Græcorum tunc abstinẽt ab vxoribus, sicut fiebat in veteri testamento, & vxores non habent ius petendi debitum ab illis. 31. dist. c. quoniam. Secundum præiudicium est, quod ipso mortuo nõ poterit cum alio contrahere, vt patet e. c. & causa huius est, quia cũ ipsa permiserit eum ordinari renunciauit iuri suo, & visa est simul solennizare votum cum viro. Licuit tamen ei vti matrimonio viuente viro, quia hoc etiam licebat viro ex consuetudine Ecclesiæ orientalis: si tamen ipsa non consensisset eum ordinari non potuisset: nam etiam ad tempus orare, & abstinere ab opere coniugali, non poterat sine eius licentia. 1. ad Corint. c. 7. & 34. q. 4. c. Apostolus. in vtroque igitur tam in orientali, quam occidentali clerico ordinato præiudicium causatur vxori.

Si quis emisit plura vota, quorum quædam repugnant aliis, an omnia teneatur implere, vel quæ eorum. D

QVÆSTIO CI.

QVæretur vlterius, quid si aliquis plura vota emisit, an debeat omnia illa complere, vel aliquod eorum solum. Respondendum est, quod aut ista vota omnia sunt simul compa-

A

compatibilia, aut non: si omnia simul compatiuntur, omnia debent expleri, cum quolibet eorum firmiter obliget. Si autem non sunt compatibilia erit impossibile ipsi vouenti omnia obseruare: ideo tunc oportebit aliquod eorum, vel omnia irritari, aut commutari. Pro quo sciendum, quod vota sunt incompatibilia dupliciter, sc. quod aut vnum alteri repugnat directe, aut per accidens se impediunt. Primus modus est, si actus vnius est contrarius alteri, vt si quis vouit qualibet hebdomada dum viueret facere aliquam eleemosynam, & postea vouit introire religionem. Ista duo non se compatiuntur, quia qui est in religione non potest dare eleemosynam, cum eleemosyna fiat de proprio licite retẽto. Monachi tamen non possunt aliquid proprium retinere etiam ex dispensatione Papæ. extra. De statu mon. c. cum ad monasteriũ. Simile etiam est, si quis vouerit religionem, & rursus vouerit contrahere cũ tali, vel tali muliere. Secundo modo vota sunt incompatibilia, quia indirecte sibi repugnãt propter aliquam circumstantiam, vt si forte duo vota sint, quæ in eodem tempore expleri debent, quia oportebit alterum eorum cessare, vel tot sunt, quod non sufficit tempus homini ad illam complendum. Quocunq; autem istorũ modorum nec esse est alterum eorum, vel omnia cessare, quia efficietur solutio impossibilis ex natura rei: impossibilium tamen nulla est obligatio. Ideo dicendum, quod respiciendum est in his, quod sit melius. sc. de incõpassibilibus, & illud debet seruari, alterum autem debet commutari, vel redimi, & ista commutatio, vel redemptio fiet ad arbitrium prælati, qui circa ista præest, vt patet extra. De vo. & vo. redempt. c. de peregrinationis. istud tenet S. Thom. 4. sententiarum, & Ascen. tit. de voto & vo. redemptio. & Henricus eod. tit. cap. 1.

Vota esse incõpassibilia dupliciter.

B

An vota possint commutari, dispensari, & redimi.

QVÆSTIO CII.

QVæretur vlterius circa votorum commutationem, dispensationem, & redemptionem, an ista fieri possint, & quid differat inter hæc. Quantum ad primum videtur, quod non possit fieri aliquid horum. Et primo de dispensari, quia minus est commutari votum, quam in eo dispensari: sed non potest votum commutari, quia dicitur Leuit. cap. 27. animal, quod potest immolari Domino, si quis vouerit, sanctũ erit, & mutari non poterit melius malo, nec peius bono, ergo multo minus poterit dispensari in voto. Item in his, quæ sunt de lege naturæ, & in præceptis diuinis non potest per hominem dispẽsari, & præcipue in præceptis primæ tabulæ, q̃ ordinantur ad Dei dilectionem, sed implere votũ est de lege naturæ, & est præceptũ legis diuinæ pertinens ad præcepta primæ tabulæ, cũ sit actus latriæ: ergo nõ poterit dispensari in voto. Itẽ obligatio voti fundatur super fidelitatẽ, quam homo debet Deo, vt dictum est supra, sed in hac nullus homo potest dispensare. s. absoluendo nos à fidelitate, qua Deo tenemur: ergo nullus poterit dispensare in voto. Item patet, quod non possit votum commutari, quia Deus vetuit in veteri testamento Leui. c. 27. scil. quod si quis voueret Domino animal, quod poterat immolari, non posset illud immutare, dando aliud animal. ergo in votis non poterit fieri commutatio. Fiebat interdum in veteri testamento, si illud quod debebat dari, non erat Domino acceptabile: sicut primogenitũ asini non erat immolatitium, ideo quamquam Deo deberetur, nõ dabatur in seipso, sed commutabatur oue: Exo. c. 13. & extra. De vo. & vo. redempt. c. magnæ. Sed vota, quæ non emittimus, si tenent sunt licita, & à Domino acceptantur: ergo non poterunt immutari. si autem essent illicita, sicut asinus, qui dicebatur esse animal immundum, vel nõ immolatitium, non commutantur: immo nullo modo tenent. Confirmantur autem prædicta, quia commutatio, vel redemptio in votis noui testamenti venit ex similitudine votorum veteris testamẽti, sic patet extra. de vo. & vo. redemp. c. magnæ. vbi Papa volẽs probare, quod posset fieri commutatio, & redẽptio in votis noui testamenti induxit similitudinem de votis veteris testamẽti. Item patet, quod non possit fieri redemptio votorũ, quia vota acipiunt obligationem ex voluntate, sicut ergo ex voto obligatur aliquis ad faciendum aliquid, ita quod iam non liceat ei desistere quamquam prius esset liber, ita cum aliquis obligauerit se ad faciendum aliquid per votum cogetur illud facere, & non poterit aliquid alterum loco illius agere. sed in commutatione, & redemptione votorũ semper fit aliud quã id, quod vouetur ergo non licet fieri commutationem, vel redemptionem votorum. Item probatur, quia votum in veteri testamento vel obligatio non redimebatur, nisi quando id quod obligatũ erat non acceptabatur à Deo: sed vota nostra si licita sunt semper acceptantur à Deo, ergo nunquam poterit aliquod de illis redimi. de illicitis autẽ nihil interest, quia illa non tenent: ideo nec dispensatur in illis, nec redimũtur nec commutantur. Maior patet, quia primogenitus hominis erat obligatus Deo ex toto Israel, quia tamẽ primogeniti de 12. tribubus non acceptabantur à Deo, cum contaminati fuissent idololatria, sed soli Leuitę. qui mũdi erant, vt declaratum est supra c. 3. iubebat Deus, quod primogeniti hominum redimerentur, & darentur pro quolibet quinque sicli. supra cap. 3. & 18. Item patet de animalibus brutis: nam de primogenitis animalium mundorum iussit, vt non reciperetur pro eis redemptio vel commutatio: si tamen essent primogenita immunda redimerentur sup. c. 18. & Leuit. 27. c. In contrarium videtur, quia maioris firmitatis apparet esse id, quod procedit ex communi voluntate, quam quod est ex singulari volũtate alicuius personæ, sed in lege, quæ habet robur ex communi voluntate potest per hominem dispensari, ergo magis poterit de voto. Item patet, quia Ecclesia consueuit dispensare in quibusdã votis, & alia commutare, & alia redimere, sed Ecclesia non errat in his, ergo licitũ est dispensari. Item Papa dicit esse licitum vota commutari, & redimi probãs auctoritate veteris testamenti. extra. de voto & vo. redempt. c. magnæ. ergo licitum est. Respondendum est ad quæstionem, quod dispensatio, cõmutatio, & redemptio in votis licita sunt. Dispensatio autem votorum est intelligenda ad modum dispensationis, quæ fit in obseruãtia alicuius legis: lex n. ponitur respiciendo ad illud, quod est bonum in pluribus, sed quia cõtingit huiusmodi in aliquo casũ non esse bonum, oportuit per aliquem determinari in illo particulari casu legem non esse seruandam, & hoc proprie est dispensare in lege. Nam dispensatio videtur importare quandam distributionem, vel applicationem commensuratam alicuius communicationis ad ea, quæ sub ipsa continentur, & per istum modum dicitur aliquis dispensare cibũ familiæ dans ei quantum oportet, qui in familia illa sunt secundum habitudinẽ ad cibum distribuibilem, & sic est Dñs super legem vidẽs interdũ legem quantum ad aliquid non concordare subditis, dispensat in illa, i. facit illam alio modo applicari subditis. s. quod nõ intelligatur in casu illo, in quo ante intelligebatur. In votis autem sic est, quia ille, qui vouet, quodammodo sibi statuit legem obligãs se ad aliquid, ad quod non erat obligatus, & quia votum est de meliori bono, vt sup. declaratum est, sed contingit interdũ, quod malum eueniat ex obseruatione boni promissi, licet vt in pluribus bonum sit, vel quod causetur ex voto aliquod impedimentum maioris boni, quod est contra rationem eius, quod cadit sub voto: ideo necesse est, quod determinetur in tali casu votum non esse seruandum, & siquidem absolute determinetur aliquid votum non esse seruandum, dicitur esse dispensatio voti, ita q̃ loco illius voti nihil aliud iniungatur seruandum: velut si aliquis vouisset continentiã perpetuam, vel tẽporalem, & Papa absolueret eum ab isto voto, nihil iniungẽs erat dispẽsatio, & ista nõ pertinet ad quẽlibet, sed ad magnam potestatẽ, sicut absoluere à peccatis nulla iniuncta pœnitẽtia non pertinet ad quemlibet, licet hoc Christus aliquando fecerit. Si autem aliquis absoluatur à voto emisso, & tamen imponatur ei aliquod loco illius obseruandum, vocatur redemptio voti, vel commutatio, sed minus est vtrumque istorum, quã dispensatio: ideo ista facilius fieri possunt, & à pluribus. Omnia tñ in potestate Ecclesię sunt, & sicut dispensatio non fiebat illicite, quando absoluebatur quis à voto, cum videretur illud vergere in deteriorẽ exitũ, vel quia erat impedimentum maioris boni, ita commutatio & redemptio nõ fiunt iniuste, quia licet vota licita sunt, tamen interdum alicui est impossibile complere omnia vota, vt quia forte emisit multa, & sunt inter se incompatibilia: tunc n. necesse est aliquod illorũ commutari, vt dicebatur in quæstione præcedenti: alioquin peius fiet. scil. quia aliquod de votis non complebitur. Item interdum fit alicui impossibile implere votum ex debilitate,

D

Dispẽsatio quid sit.

E

F

Dispẽsatio voti quid.

Redemptio voti quid.

A

vel impedimentis plurimis, ſicut ſi quis vouit ieiunare, & eſt æger languore perpetuo: vel ſi vouit dare eleemoſynã, & factus eſt impotens præ paupertate, vel ſi vouit peregrinationem, & nec per ſe ambulare poteſt, nec ab alio duci. Cum ergo iſta fiant impoſſibilia, oportuit, vel quod penitus omitterentur, vel quod commutarentur, & redimerentur. Hoc autem abundauit ad maiorem cultum Dei: nam cum fit redemptio, vel commutatio voti, impenditur aliquis cultus Deo, qui aliàs impendendus non erat, vtpote in caſibus ſuprapoſitis. ſc. quando votum redditur impoſſibile ad complendum, niſi commutetur, vel redimatur. Ad rationes in contrarium reſpondendum. Ad primam cum dicebatur, quod facilius eſt commutari votum, q̃ diſpenſari, concedendũ eſt, & ratio eſt, quia cũ proprie diſpenſatur, abſoluitur quis à voto, & nihil oneris ei imponitur. Cum vero fit redemptio, vel cõmutatio, imponitur aliquid. & qñ dicebatur vltra, quod votũ non poterat commutari, vt patet de animalibus immolatitiis, quæ Domino vouebantur, ergo nec poterat diſpenſari. Reſpondendum, quod in votis de offerendo talia animalia reputabantur diuino cultui mancipata per ſolam emiſſionem voti, ideo non poterant commutari, ſicut nunc non poſſet commutari, ſi quis vouiſſet dare Eccleſiæ calicem, & dediſſet, & ille conſecratus eſſet ſemel in vſus Eccleſiæ, quamquam vouens vellet dare meliorem, vt redderetur ſibi ille nullatenus reciperetur compenſatio. Secus autem ſi vouiſſet argentum, & dediſſet, & antequam fieret inde aliquod vas Eccleſiaſticum, vellet dare maiorem ſummam pecuniæ, vel quantitatem argenti, vt redderetur ſibi illud, poſſet recuperare. Res autem aliæ per ſolum votum non cenſentur tantum Domino applicitæ, ideo poterunt commutari vel redimi. Ad ſecundum argumentum cum dicebatur, quod nõ poterat diſpenſari contra ius naturale, & diuinum per hominem, ſed vouere eſt ſub iure naturali, & diuino. Reſpondetur communiter, quod ſicut ex iure naturali, & præcepto diuino tenetur homo implere votum, ita etiam tenetur ex eiſdem obedire ſuperiorum legi, vel mandato, & tamen cum diſpenſatur in aliqua lege humana, non fit, vt legi humanæ non obediatur, quod eſt contra legẽ naturæ & mandatum diuinum: ſed fit ex hoc, ꝙ illud, quod prius erat lex, fit in hoc caſu non lex: ita & auctoritate ſuperioris diſpẽſantis fit, vt hoc quod continetur ſub voto, non contineatur inquantum determinatur in hoc caſu non eſſe congruam materiam voti, & ideo cum prælatus Eccleſiæ diſpenſet in voto, non diſpenſat in præcepto iuris naturalis vel diuini, ſed determinat illud, quod cadebat ſub obligatione deliberationis humanæ, quæ non potuit omnia circumſpicere, iam non cadere.

B

Ad 2. Solutio S. Thomæ.

Solutio auctoris.

C

Aliter dici poteſt, quod prælati diſpenſantes in voto nihil faciunt contra ius naturale, vel legem diuinam de vouendo, quia non vetant homines vouere, nec etiam dicunt vota quęcunque emiſſa eſſe nullius obligationis, ſed ſolum limitant actus humanos, quod non eſt contra legem de vouẽdo, ideo multum adiuuat, quia ſi vota eſſent diſpẽſabilia, vel commutabilia, interdum venirent in peiorem exitum, quod eſt contra cultum Dei. Vota tamen fiunt ad colendum Deum: ideo quod abſoluatur quis in tali voto per diſpenſationem, vel commutetur in melius, valde proficit ad cultum Dei: ideo non eſt contra intentionem legis naturalis vel diuinæ, ſed magis adiuuat & ſupplet id, quod deficit iſtis legibus propter eſſe multum vniuerſales, & interdum egent determinatione, ſic autem eſt in quibuſdam aliis legibus naturalibus, vel iure gentium, quod naturale eſt. nam reddere depoſitum de iure naturali eſt, & nullus poteſt diſpenſare, quin reddatur depoſitum: limitant tamen hoc legislatores ad aliquos caſus. ſcil. quod ſi quis depoſuerit gladium penes alium, & efficiatur furioſus, non reddatur ei gladius, cum fuerit in furore. Idem ſi efficiatur hoſtis patriæ: nam tunc redundaret redditio depoſiti in damnum publicum. Sic autem de votis: interdum enim redundaret in damnum vouentis, & in offenſam Dei, ideo debuit tunc eſſe poteſtas ad limitandum illa ad certum caſum, vel totaliter ad illa tollendum, quod eſt abſoluere, vel commutare, aut diſpenſare. Hoc autem eſt cum diſpenſatio, commutatio, & redemptio fiunt ex aliqua cauſa rationabili, quia tunc determinatur lex, & ſtant ſupradicta: ſecus autem ſi ſine vlla cauſa diſpenſatur, vel commutatur votũ, quia tunc non eſt tutus apud Deũ ille, qui diſpenſationem recipit. Ad tertium argumentum cum dicebatur, quod in voto attenditur fidelitas in reddendo Deo, quod promiſſum eſt, ſed ab eo nullus abſoluit. Reſpondendum eſt, quod nullus poteſt diſpenſare, quod non obſeruetur Deo fidelitas, ſed diſpenſat determinando, quid eſt illud, in quo obſeruari debet: nam Deus non vult quod obſeruentur propter fidelitatem ipſius ea, quæ ei diſplicent, vt ſi quis vouiſſet id, cuius ſolutio poſtea induceret peccatum mortale, vel quod ſeruentur ea, quæ penitus ſunt inutilia, quia in hoc non impenditur ei aliquis honor, ſed ſic eſt in votis, quod interdum accidit, quod redeant illa in offenſam Dei, aut in aliquid inutile, ſi ſoluantur, ideo conueniens fuit, vt tunc diſpenſaretur ſuper eorum obſeruationes. Ad quartam rationem reſpondendum, quod nõ vetatur ſimpliciter commutatio voti, ſed ſolum in rebus illis, quæ iam eſſent Deo applicitæ, ſic enim erat ſi quis vouiſſet animal mundum, quia immediate per hoc erat Deo applicitum, tanquam ſi immolaretur: ſi tamen quis vouiſſet animal, quod non licebat immolari, poterat fieri commutatio, vel redemptio Leuit. cap. 27. Et hoc erat, quia animalia illa non erant Deo immediate applicita, ſicut immolatitia. Ad quintam rationem, cum arguebatur, quod non poſſit fieri redemptio in votis: quia ſicut quis obligat ſe ad faciendum per votum, & non licet ei iam non facere, ita ſe obligat voluntarie ad id, quod promiſit, ita vt non poſſit facere alterum: concedendum eſt vtrumque, quod vouens ex ſeipſo ad vtrumque obligatur, ideo ipſe non poteſt circa aliquid eorum tollere obligationem: non enim primo modo, ſc. faciendo, quod ad nihil ſit obligatus, quod erat diſpenſare: nec ſecundo modo faciendo, quod ſit obligatus ad aliud, & non ad id, quod vouit, quod eſt commutare, vel redimere. Sed iſta ſpectant ad poteſtatem alicuius prælati, qui circa vtrumque põt, ſiue diſpenſando, ſiue commutando, cum cauſa rationabilis ſubſit, vt patet extra. De voto, & voti redempt. cap. 1. Ad ſextam rationem, cum arguitur, quod commutatio fiebat in veteri teſtamento, quando id, quod vouebatur, non erat Domino acceptabile, ergo quandocunq, eſſet acceptabile, nunquam debebat commutari, ergo cum votum apud nos fuerit licitum, non commutabitur. Dicendum, quod maior eſt falſa, quia in veteri teſtamẽto omne votum, ſiue redimebatur, ſiue commutabatur, licitum erat, ſicut nunc ſunt vota noſtra. Et cum dicitur de animali non immolatitio, quod erat illicitum falſum eſt, quia licet eſſet ad immolandum illicitum, tamẽ non erat illicitum ſimpliciter ad vouendum, quia in ſe vel alio reddi poterat. Si enim illicita eſſent iſta animalia, non iuſſiſſet ſibi Deus iſta reddi, ſed ſine voto erant Iudæi obligati pro primogenitis animalium non immolatitiorum ad reddendum illa Domino, vt patet ſupra cap. 3. & 18. & Exod. 13. Deus tamen nollet habere obligationem ſuper aliquam rem illicitam. Patet hoc de oblatione meretricis, & de pretio canis, quia iuſſit Deus, ne redderentur ſibi Deut. c. 23. ideo ſi quis voueret Deo aliquid horum in veteri teſtamento, non tenebat votum, nec erat ſoluendum, nec commutandum, aut redimendum, ſicut cum nunc fiunt vota ſimpliciter illicita, ſed iubebantur in veteri teſtamento quædam commutari, & redimi, ergo licita erant. Cauſa tamen commutationis in quibuſdam erat, quod Deo erant magis acceptabilia alia, quam illa: ideo faciebat dari alia pro ipſis, vt ſi quis voueret animal non immolatitium, quia animalia erant ad immolationem, licet illud animal ſecundum ſe licitum eſſet, quia aliquo modo poterat cedere in cultum Dei, tamen ad immolandum totaliter erat illicitum. Ideo Deus iubebat dari loco illius pecuniam, quæ erat magis acceptabilis ad conuertendum in vſus ſacerdotum, & cultum Dei. Ita enim eſt in votis in nouo teſtamento, quia ſi aliqua ſunt, quæ nullo modo vergunt in peiorem exitum, ſcil. in offenſam Dei, vel damnum vouentis, aut impedimentum maioris boni, & ſimilia, & faciliter ſolui poſſunt, non diſpenſatur in eis, nec commutantur, aut redimuntur: ſed ſunt ſicut animalia immolatitia quæ vouebantur. Si quis autem prælatorum diſpenſet in his, quamquam poteſtas Eccleſiæ contemnenda non ſit, tamen non eſt tutus ille, cum quo diſpenſatur, quia nulla cauſa ſubeſt, quare non reddat Domino quod promiſit. Cum vero redeunt vota in peiorem exitum, vel impediunt maiora bona, commutantur in alia bona, quæ magis Deo grata ſint, & iſta ſunt, ſicut animalia, quæ non erant immolatitia, &

D

An cũ diſpenſatur in voto diſpẽſetur contra fidelitatem debitã Deo.

E

F

Nunquã diſpẽſatio eſt facienda, niſi cũ neceſſitate.

Diſpẽſatio Papæ in voto nulla eſt ſine cauſa q. ſeq.

vouebant-

A

Ad probationẽ maioris.

vouebantur, quoniam illa redimebantur, vel commutabantur.

Ad probationem maioris, cum dicebatur, quod votum in veteri testamento, vel obligatio non redimebatur, nisi id, quod reddi debebat, esset illicitum, vel immundum, vt patet de primogenitis 12. tribuum. Respondendum est negando antecedens, quoniam redemptio in veteri testamento fiebat de rebus licitis Deo obligatis, & huiusmodi erant primogeniti 12. tribuum, qui si illiciti essent, Deus noluisset illos sibi obligari, sicut nolebat fieri sibi oblationẽ, aut votum de pretio canis, vel mercede prostibuli. Nec valet, cũ dicitur, quod primogeniti de 12. tribubus non poterant applicari ad diuina ministeria, sicut Leuitę, ergo erant illiciti ad reddendum Domino: nam licet ad hoc essent inhabiles, quia Deus eos inhabilitauerat, tamen ad alia erant habiles, sc. vt daretur pro eis pretium. Nec simpliciter Deus illos abiecerat tanquam illicitos, sicut pretium canis, & mercedem prostibuli, cum iussit quod sibi sanctificarentur Exo. 23. & 22. cap. Ideo sic erit in nouo testamento, quod aliqua vota erunt licita, & tamen poterunt redimi vel commutari, vt dentur pro eis aliqua, quæ magis grata Deo sunt.

Dispensatio, commutatio, & redemptio votorum quomodo differunt: Et qualiter conueniant ista diuersis votis.

B

QVÆSTIO CIII.

QVæretur vlterius de dispensatione, commutatione, & redemptione votorũ quid inter ea differat. nam multoties de his fit mentio extra. de voto, & voti redem. cap. 1. & magnę. & quasi per totum.

Respondendum est, quod ista non semper dicuntur vniformiter: ipsa enim secundum se aliquam differentiam habent, sed interdum accipiuntur pro eodem, vt patet extra. de voto, & voti redem. capit. de peregrinatione. vbi dicitur de commutatione votorum & redemptione, & subditur ibi, quomodo potest fieri dispensatio commutando votum in aliquid alterum, vel redimendo illud, ergo non differt dispensatio ab istis: proprie tamen possunt ista accipi tanquam differentia, & sic aliquo modo innuitur extra De voto, & voti redempt. cap. magnæ. vbi Papa vult inducere, quod in votis noui testamenti possit fieri dispensatio, vel commutatio, aut redemptio inducens per similitudinem votorum & præceptorum veteris testamenti.

In quo considerandum est, quod vota nostra recipere poterant limitationem dispensando, commutando, vel redimendo, & hoc secundum dictamen rationis, quæ est in nobis ius naturale, quia nisi hoc fieret, interdum militarent contra cultum Dei, quod est magnum inconueniens, & supra declaratum est. Assumitur tamen in his exemplum ex veteri testamento, vt firmius ista fiant. Reperiuntur autem hæc in veteri testamento circa obligationes, siue votiuas, siue non votiuas, scilicet quod aliquid voueretur Deo, quod nequaquam commutaretur, vel redimeretur, sicut animalia immolatitia. Alia autem erant ei debita ex voto, quæ non debebant in seipsis solui, sed dabatur redemptio pro illis, vt cum quis voueret animal, quod non esset licitum immolari, debebat illud præsentari sacerdoti, & quantum ille statuisset reddendum esse pro animali, tantum reddebatur Leuit. 27. cap. Alia autem erant, quæ Domino erant interdum debita sine voto, & non reddebantur in seipsis, sed commutabantur, vt patet in commutatione primogeniti asini, quando commutabatur oue. Exo. 13. & 34. Differentia autem erat inter ista duo: quoniam redemptio fiebat quandocunque pecuniæ dabantur pro animali, quia redemptio ab emptione dicitur. Emptio autem non fit proprie sine pretio. Cum vero intercidit pretium emptio est. Et sic erat primo modo, cum quis vouebat animal non immolatitium, & postea sacerdos constituebat quantum pro illo dandum esset. Commutatio vero erat, quando nullum pretium dabatur, sed animal pro animali, vt ouis dabatur pro primogenito asini: ad primum modum pertinebat redemptio primogenitorum 12. tribuum Israel, quoniam pro quolibet dabantur quinque sicli, supra cap. 3. & 18.

C

D

Quod commutabatur poterat etiã redimi.

Sciendum etiam, quod id, quod semel cadebat sub commutatione poterat cadere postea sub redemptione, sicut fuit de primogenitis 12. tribuum Israel: quia cum à principio essent obligati, Deus fecit illos commutari accipiendo pro eis omnes Leuitas, scil. singulos Leuitas pro singulis primogenitis, sed quia fuerunt 73. de numero primogenitorũ Israel, qui excreuerunt ad numerum omnium Leuitarum, iussit Deus in his fieri redemptionem, sc. quod darentur pro singulis quinque sicli supra capit. 3. Sic autem factum est semper postea, quod non commutarentur, sed redimerentur, quia nullus erat, pro quo commutari possent, cum omnes Leuitæ iam essent obligati Domino.

Vota in nouo testamento possunt dispesari seu commutari.

Nunc autem circa nouum testamentum considerandum est, quod ista reperiuntur in votis. Quædam enim sunt, quæ si Domino voueantur, non possunt in aliquid alterum commutari. Sic enim est de voto solenni professionis: quoniam alia sunt minora vota, ideo possunt commutari: istud autem nullum habet maius, nec æquale, ideo non commutabitur. Sic declarabitur magis infra. s. an votum castitatis sit dispensabile. Et propter hoc sunt alia vota, in quibus nequaquã potest dispensari, nec commutari, aut redimi, sicut sunt vota necessitatis, quæ emittuntur in baptismo. sc. de tenendo fidem, & seruando legem: ideo ista proprie similantur animalibus immolatitiis, quæ cum vouerentur, non poterant commutari, aut redimi. Alia autem sunt vota in nouo testamento, quæ non habent tantam firmitatem, sed possunt definere obligare. Istud autem potest fieri tripliciter: primo modo, quod aliquis absoluatur à voto, ita quod dicatur nequaquam obligari, & tamen non imponatur aliquid pro voto. Alio modo potest absolui quis à voto, & quod aliquid ei imponatur, & istud est dupliciter, quia aut imponetur ei soluere aliquam pecuniam, vel facere aliquod alterũ opus pium. Primus modus horum trium dicitur dispensatio: secũdus est redemptio: tertius est computatio. Primus modus est maioris potestatis, eo quod simpliciter tollitur obligatio non imposita alia: duo autem secundi modi sunt minoris, quia non tollitur simpliciter onus, nec minuitur: sed mutatur. Primum tamen ad hoc, quod rationabiliter fiat non debet fieri, nisi quando votum vergit in peiorem exitum, vtpote si quis vouit aliquid quod à principio erat licitum, postea autem obseruatio illius est illicita inducens peccatum mortale, debet absolui ab obligatione illa, & non debet aliquid sibi imponi. Causa est, quia cum se iste obligauit, intẽdit se ad hoc solum obligare, postea autem tollitur ista obligatio non in fauorem ipsius, sed Dei, scil. ne fiat aliquid contra cultum Dei, ideo non videtur rationabile, quod aliquid isti imponatur. si autem tolleretur obligatio in fauorem fouentis, vtpote quia erat sibi difficile solui, & actus ille semper manebat licitus, non erat rationabile, quod tolleretur simpliciter obligatio, sed imponeretur alia pro ea, quæ tollebatur. Fit etiam rationabiliter dispensatio, quando solutio voti est impedimentum maioris boni: nam tunc si vouẽs vult aliud maius bonũ subire, ad quod impeditus est per votum, licitum est, quod absoluatur à voto, & non imponatur sibi aliquid, vt si quis emisisset votum simplex de continendo in perpetuum, & si propter eius matrimonium si contraheret, induceretur magna pax in Ecclesia, vel multi infideles conuerterentur ad Christum, rationabile erat, vt fieret dispensatio in voto, non alligando istum ad soluendum aliquid alterum.

E

3

Dispẽsatio fieri quãdo possit.

F

Secundum autem, scilicet redemptio voti dicitur esse, quando datur pecunia pro voto. sc. vt si quis vouisset peregrinari, vel ieiunare, & ad hoc efficeretur impotens, & esset sibi grauissimum nimis: poterat ei imponi, quod daret certam eleemosynam loco ieiuniorum, vel peregrinationis, & istud erat redimere.

Tertium autem, scilicet commutatio est quandocunque votum alicui fit impossibile vel durum, & tamen licitum, & datur ei loco illius aliud opus pium, quod non sit erogare eleemosynam, vtpote orare, vel ieiunare, aut vigilare, si vouisset peregrinari, & commode facere non posset.

Considerandum autem circa hæc, quod dispensatio cum fit totaliter ablatio obligationis requirit maiorem causam, si autem fiat sine vlla causa, vel sine rationabili, quamquam non negemus prælatos Ecclesię posse dispensare maxime Papam: dicimus tamen eos irrationabiliter agere, & peccare, si

A de hoc eis constat, quia potestas non est eis data ad destructionem, sed ad ædificationem, vt patet 2.ad Corin.c.10. Ipsi etiam, cum quibus dispensatur, non sunt tuti apud Deum, sed debent explere votum suum, potissimum si ipsi istam dispensationem procurauerint.

De redemptione autem, & commutatione dicendum est, quod etiam sine causa fieri non debent. Nam si quis vouit peregrinari, & potest commode illud agere nullo existente impedimento non debet fieri redemptio, aut commutatio, sed soluendum est id, quod determinate vouebatur: si quis autem commutet, non recte agit, & ille etiam, qui commutationem recipit. Solum enim ista introducta sunt propter necessitatem, scil. quando vota impleri non poterant, vel non commode, sicut patet extra. de voto, & voti redemptio. vbi quidam Episcopus emisit votum transmarinum, quod Papa commutat, quia Episcopus ille erat valde senex, & non posset sine graui dispendio peregrinari. Etiam quia oues destitutæ essent cura pastorali, quod inconueniens erat, & ex aliis causis ibi expressis.

Cum autem sine causa fit commutatio, aut redemptio votorum fit contra intentionem iuris, ideo non caret culpa agens, & recipiens.

B *Vota quando, & qualiter commutanda sunt, aut redimenda. Et quæ obseruanda sunt ad hoc, quod ista conuenienter fiant.*

QVÆSTIO CIV.

QVæretur vlterius de modo commutationis votorum, & redemptionis, & quæ debeant attendi in his. Et primo quæritur, quando vota commutanda, vel quando redimenda sunt.

Respondendum est, quod in commutatione, dispensatione, & redemptione votorum est vnum commune, scil. quod ista fieri non possint, aut aliquid eorum sine causa: alioquin tam qui agit, quam qui recipit non est tutus, vt supra dictum est: differunt tamen hæc, quia dispensatio non debet fieri in rebus illis, in quibus commutatio, & redemptio, sed solum fieri debet dispensatio, quando solutio voti vergit in deteriorem exitum, scil. in offensam Dei, vel ad impedimentum maioris boni, quia tunc est soluendus vouens non manente aliqua obligatione, nec imposita.

Si autem votum semper manet licitum, nec impedit à maiori bono, sed solum est graue ipsi vouenti soluere, debet tolli illa obligatio, ne tamen tollatur cultus diuinus, ad quem iste obligatus erat, debet imponi ei aliquid alterum. De redemptione autem, & commutatione, non sic patet differentia, scil. quando vnum vel alterum imponendum sit: si enim
C differrent, sicut dispensatio ab eis differt, peteret manifesta responsio, sed parum differunt, quia siue commutatio, siue redemptio erit commutatio, cum in vtroq; aliquid detur pro priori voto, solum autem differt, quia in redemptione datur pecunia, in commutatione autem alia opera pia. Fiunt etiam commutatio, & redemptio ex eadem causa, scil. quando quis non potest obseruare votum sine magno labore, vt supra dictum est. Iura autem non faciunt differentiam magnam, an votum commutetur vel redimatur: ideo dicendum, quod sicut ex potestate eius, qui præsidet, dependet commutatio, vel redemptio: ita ex eius prudentia dependet quid horũ iniungere debeat, nam diligenter attendere debet ille, qui præsidet quando commutat, vel redimi facit votum, causam huius commutationis, vt patet extra. de voto, & voti redempt. cap.1. Ideo etiam diligẽter attendet qualiter commutandum sit, sc. an commutetur in orationem, vel ieiunium, vel alia opera pia, quæ non sint erogatio pecuniæ. Et tunc dicitur proprie commutatio, vel an debeat iniungere eleemosynam faciendam, & tunc vocabitur redemptio. Quid autem horum iniungi debeat considerari potest ex qualitate personæ, & ex causa, pro qua fit ista commutatio, nam in quibusdam melius est iniungi eleemosynam, in aliis vero melius est iniungi orationem, vel alia opera. Quid autem conueniat non potest determinari in vniuersali, sed dato casu ipse, qui commutat, vel redimit, poterit iudicare, quid melius, honestius, & expedientius sit.

D *Quando fit commutatio in votis, quid debeat pro quo commutari. Et qualiter fit commutatio in voto transmarino.*

QVÆSTIO CV.

QVæretur vlterius de modo commutationis, & redemptionis votorum qualiter iniungi debeant. Respondendum est, quod aut iniungitur hoc in voto peregrinationis, aut in aliis: vtpote pro oratione, vel ieiunio, aut aliis operibus, quæ cadunt sub voto. Secundo modo dicendum, quod si aliquis vouerit ieiunare, & propter languorem efficiatur impotens ad ieiunium, scil. quia iam incurrit languorem, vel quia forte timetur probabiliter, quod incurret si conetur explere ieiunia, quę vouit, & tunc debet imponi ei alterũ opus pium, scil. vel quod det eleemosynam, vel quod oret, vel quod peregrinetur. Idem autem si quis vouit nimis orare, aut vigilare & efficitur impotẽs, vel timetur defectus capitis, vtpote quia est complexionis siccæ, & adustæ, & potest faciliter incurrere in amentiam, si est nimis attentus orationi, vel vigiliis. Nullum autem grauius damnum est, quam hominẽ prudentem fieri stultum, vel amentem, ideo debet votum istud commutari in aliquid alterum, sicut in peregrinationem, vel debet redimi eleemosynis. Similiter autẽ si quis vouerit dare eleemosynam qualibet hebdomada, vel quolibet anno in certa E
quantitate, & ad hoc impotens efficiatur, debet sibi commutari in orationem, vel ieiunium, aut aliquid alterum. Si autem sit votum peregrinationis, siue sit peregrinatio transmarina siue quæcunque alia, debet fieri hoc modo redemptio, vt tantum detur in eleemosynam, quantum esset quis consumpturus in itinere. Pro labore autem, quem habiturus erat in itinere debet ieiunare, vel vigilare, aut orare, vel similiter facere, quæ laborem illum æquiparare valeant. Sic patet extra. de voto, & voti redempt. cap. magnæ. Si tamen aliquis peregrinaturus esset in terram sanctam, & deberet redimere votum, vtilius erat, quod expensas, quas facturus erat in itinere, mitteret in terram illam, quam quod expenderet in alios pios vsus, sic enim iubetur in prælleg. cap.

De aliis autem peregrinationibus non refert, an mittantur expensæ in locum illum, ad quem quis peregrinaturus erat, vel quod erogentur in alias pias causas, secundum arbitrium prælati commutantis. Est autem inspicienda in voto transmarino vouentis intentio, sc. vtrum intenderit peregrinari, vel bellare. In primo casu si aliquis habilis est ad pugnandum, non debet redimere votum, si autem in secundo casu, i. est inhabilis vouens ad pugnãdum, quamquam sit habilis ad eundum, redimet votum, nisi sit in consilio excellens, vel secũ ducere possit alios pugnatores, cũ primus consilio, secundus opere per alios pugnare posset. extra. de voto, & voti redemptio. cap. quod super his, & cap. ex multa. Sic tenet Hostien. in summa eod. tit. hoc autem est verum, nisi iste, qui inhabilis esset ad pugnandum, sit agricola, vel artifex, qui ibi sit vtilis, quamquam multi talium necessarij non sint in terra illa: nec olim fuerunt, cum caperetur à Christianis propter breuitatem possessionum, & paucitatem habitantium. extra. de voto, & voti redemptio. cap. quod super his. F

Considerandum est etiam circa eos, qui impediti sunt ire, an sit impedimentum perpetuum, vel temporale, si perpetuum, redimendum est votum, si temporale, expectandum est, quousque ille, qui vouit non habeat impedimentum, vt patet extra. de voto, & voti redempt. cap. quod super his. Hęc autem absoluta sunt in laicis. In clericis autem vouentibus considerari debet, an illi officiũ prædicationis, vel seruitium alicuius magni viri euntis in terram illam habeant, vel si possunt secum ducere multos bellatores: isto enim modo vtilis est talis vouens, ideo non redimet votum. extra. de voto, & voti redempt. cap. ex multa, & cap. postulasti. Alioquin autem per seipsos clerici in sacris pugnare non debent. distin. 50. c. clericum. Nisi forte spiritualiter pugnarent armis suis, quæ sunt orationes, & lachrymæ. 23. quæst. 8. §. 1. alioquin, licet isti possint ducere secum multos bellatores, permittitur eis redemptio voti, si forte sint senes nimis, & non possint tolerare laborem itineris, vt patet de Episcopo illo, vt patet extra de voto, & voti redemptio. cap. magnæ. Et extra. de renunciatio. cap. nisi cum pridem.

A *Circa votum transmarinũ*

Considerandum etiam est, quod quanquam votum transmarinũ sit magni fauoris, quia multa conceduntur in eo, quæ non conceduntur in aliis prælleg. tit. cap. ex multa. Si tamen ex absentia vnius personæ vouentis immineret periculum alicuius regionis, vel terrę, debebat expletio voti differri, quousque cessaret periculum illud, & reputaretur hoc tanquam impedimentum temporale, vel debebat votum commutari, ne reputaretur huiusmodi transgressor voti, si auctoritate sedis Apostolicæ distulerit adimplere, vel nondum impleuit prælleg. tit. cap. non est.

Considerandum etiam circa huius voti redemptionẽ, vel commutationem an ille, qui vouit, fecit hoc deliberato animo, vel ex leuitate iuuenili, nam in hoc secundo casu remittendum est votum recepta competenti redemptione prę alle. tit. cap. venientis.

Considerandum etiam generaliter circa commutationem vel redemptionem omniũ votorum, quæ causa mouerit vouentem, & quæ sit qualitas vouentis, & secundũ hæc iudicare poterit prælatus, an conueniens sit cõmutari, vel redimi votum, an non: & in quid commutari debeat prælleg. tit. cap. 1. causa namq; mouens ad vouendum considerari debet, quia ipsa nimis agit ad facilius, vel difficilius commutandum, nam si cessat causa voti, quanquam votum semper obliget, tamen facilius commutabitur, vel præmittetur redemptio, velut si quis vouisset ire in terrã sanctam, & moueretur ad hoc, quia erat ibi aliquis vir sanctus, vt eum visitaret. Si autem postea
B inde recederet facilius reciperetur redemptio in voto, quam alias prælleg. cap. magnæ, in fine. & sic de causis aliorum votorum. Qualitas etiam vouẽtis ad hoc nimis agit, nam secundum hanc iudicari potest, an debet votum mutari, vel non, vt si quis vouit ieiunare, & robustus est, non debet votum commutari, si autem debilis, vel facilis ad incurrendum ægritudinem commutari potest. Etiam dato, quod commutari debeat, ex qualitate vouentis iudicari poterit in quid debeat commutari, nam si pauper est, & vouit ieiunare, non debet cõmutari in eleemosynam ieiunium suum, sed in aliquid alterum, & sic de quolibet secundum dispositionem suam.

An vota per quemlibet dispensari, commutari, vel redimi possint.

QVÆSTIO CVI.

QVæretur vlterius, circa dispensationem, commutationem, & redemptionem votorum, per quem fieri debeat, scilic. an possit quilibet hoc facere, vel solum debet facere prælatus. Et videtur, quod non requiratur auctoritas prælati, quia aliquis potest intrare religionem, sine auctoritate alicuius prælati, sed per introitum religionis absoluitur quis à votis in sæculo factis, etiamsi sit votum terræ Sanctæ, vel quodcunque. extra. de voto, & voti redemptio. cap. scripturæ. ergo
C non requiritur auctoritas prælati ad dispensandum, vel commutandum.

Item dispensatio voti in hoc consistere videtur, quod determinatur in quo casu votum non sit seruandũ, sed si prælatus male determinat, non videtur vouens esse solutus à voto, quia prælatus non potest dispensare contra præceptum diuinum de implendo votum. Similiter siquis propria auctoritate determinet, in quo casu votum suum non sit tenendum, non videtur voto teneri, nec obligat in casu in quo habet peiorem exitum, ergo dispensatio prælati non proficiet, & poterit quilibet in voto suo dispensare.

Item si dispensare in voto pertinet ad potestatẽ prælatorũ, pari ratione pertineret ad omnes, sed non dicitur, quod omnes prælati possent dispensare in votis, & illi qui possunt in aliquibus, non possunt in omnibus, ergo non pertinet ad prælatum. In contrarium arguitur, quia extra. de voto, & voti redemptio. cap. 1. dicitur, quod commutatio, vel redemptio votorum facienda ad auctoritatem eius, qui præsidet, pertinet, scilic. ad Episcopum: ergo videtur, quod non pertinet ad eos, qui nõ sunt prælati. Item sicut lex obligat ad aliquid faciendũ, ita & votum, sed lex habens præceptũ necessitatis, vel prohibitionem non potest recipere dispensationem, nisi per superiorem: ergo votum etiam non recipiet dispensationem, nisi per prę latum. Respondendum est, quod votum est promissio facta Deo, secundum quod supra declaratum fuit, promissio autem fit in fauorem illius, propter quem fit, oportet igitur, quod quandocunque aliquid Deo promittitur consideretur, an gratum illi sit, vt sic soluatur. Considerari autem, an sit gratum, quod promittitur, vel non, nõ pertinet ad eum, qui promittit, sed ad illum cui fit promissio propter ipsum. Dispensare ergo in voto, vel commutare, aut facere redimi, quod est propter inueniri id, quod Deo gratum est, non pertinebit ad vouentem, & sic vouens non poterit dispensare in voto suo, vel commutare illud propria auctoritate, sed ad Deum, cui fit. Deus autem nobis non loquitur, vt dicat, quid sibi magis gratum est, ideo recurrendum est ad illum, qui vices illius gerit: isti autem sunt prælati, ideo necesse est, vt ad illos pertinebat dispensatio: ipsi enim in persona Dei determinabunt, quid sit Deo acceptum, sic ait Apostolus 2. ad Corint. c. 2. scilicet. Nam & ego propter vos donaui in persona Christi. Et dicitur signanter propter vos, quia omnis dispensatio fieri debeat à prælato ad honorem Christi, in cuius persona dispensat, & ad vtilitatem Ecclesiæ, quæ est corpus eius. Propter hoc autem Ecclesia instituit, vt ad prælatos pertineret commutatio, & redemptio votorum extra, de voto, & voti redemptio, capit. 1.

Ad rationes in contrariũ. Ad primam respondendum est, quod in voto religionis est speciale, nam alia vota, vel sunt ad paucum tempus, vel si sunt ad totam vitam erunt respectu aliquorum actuum determinatorum, & non simpliciter: in religione autem è contrario est, quoniam ipsa ligat hominem ad omne tempus, etiam ligat simpliciter: ita quod homo nullatenus est sui iuris, ideo præponderat religio omnibus votis, quia manifestum est, quod non potest esse aliquod votum tanti oneris, sicut religio, & ob hoc Ecclesia determinauit, quod quicunq; introiret religionem, esset absolutus ab aliis votis, quia commutauit obsequium tempore in perpetuum, extra de voto, & voti redemptio. capit. scripturæ. cum dicitur: Reus fracti voti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam religionis obseruantiam commutauit. Cum autem introierit religionem, non tenetur adimplere aliquod de votis præteritis, scilicet, de ieiuniis orationibus & similibus, quæ existens in sæculo fecit, quia religionem ingrediens moritur priori vitæ, & etiam singulares obseruantiæ religioni non competunt, & religionis onus satis hominẽ grauat, vt alia superaddere non oporteat.

Ad secundam rationem, cum dicitur, quod votum dispensari consistit in hoc, quod determinatur ad casum, in quo debet obseruari.

Respondetur, quod quidam dixerũt, quod prælati possunt in votis pro libito dispensare, quia in quolibet voto includitur conditionaliter voluntas prælati superioris, sicut est in iuramentis. Patet extra, de iureiur. cap. venientes. Et sicut dicebatur supra, quod in votis filiorum, & seruorum intelligitur semper, si pater voluerit, vel Dominus, & si noluerint, ꝙ remittantur: & sic dicunt, quod subditus sine omni remorsu conscientiæ posset votum prætermittere, quandocunq; sibi à prælato diceretur, siue cum causa, siue sine causa.

Sed ista positio non stat, quia initur in similitudine prælati ad dominum, sed nõ est similitudo, quia seruus est totaliter domini sui: subditi autem non sunt totaliter ipsius prælati, quia prælatus non habet omnimoda potestatem super subditos, sed solum spiritualem, cum non sit dominus, sed procurator, ideo sicut procurator non potest facere pro libito suo, sed quidquid ei iniunctum fuerit, ita & prælatus nõ potest quidquid voluerit, sed quidquid Deus iusserit, cuius vicarius est, vel quidquid rationabiliter creditur ei posse placere, cum potestas prælatorum non sit in destructionem, sed in ædificationem, 2 ad Corinth. capit. 10. Vnde prælatus non potest præcipere ea, quæ secundum se Deo displicent, scilicet, peccata, nec potest prohibere ea, quæ secundum se Deo placent, scilicet virtutis opera, ideo potest homo absolute ea vouere non spectando auctoritatem prælati. Pertinet tamen ad prælatum determinare, quid sit magis virtuosum, & magis acceptum Deo, vt secundum hoc possit commutare votum, vel facere redimi: ideo in manifestis dispensatio prælati non excusaret à culpa, vt puta si prælatus dispensaret cum aliquo super voto, de ingressu religionis nulla apparenti causa huius dispensationis. Si autem esset causa apparens, per quam saltẽ

D *Dispensatio voti non pertinet ad vouentem, sed ad prælatum.*

E

Opinio, ꝙ prælatus pro libito potest dispensare vota.

A

in dubium verteretur, an esset melius dispensari, quam non dispensari, iudicio prælati dispensantis, vel commutantis stari deberet, vel saltem posset: nullus tamen vouens iudicio sui ipsius stare debet in dispensando in voto, vel redimendo, aut commutando, quia ipse non gerit vicem Dei, sed prelatus, nisi in casu, in quo illud quod vouebatur esset manifeste illicitū, & non posset opportune ad superiorem recurri, & tunc non vocabatur dispensatio, nec commutatio, quæ ex aliqua potestate procedere deberet, sed euitatio mali consequeretur implendo votum.

Ad tertiam rationem cum dicebatur, quod si dispensare in voto pertineret ad prælatos, eadem ratione pertineret ad omnes prælatos, negandum est, nam quanquam prælati multi sint, non habent omnes æqualitatem potestatis. Ratio huius est, quia prælati habent potestatem secundum quod gerunt vices Christi, sed non gerunt omnes æqualiter vices illius: ergo nec omnes poterunt æqualia: summus enim Pontifex plenarie gerit vicem Christi, cum ipse vocatus sit in plenitudine potestatis. Alii autem in partem solicitudinis, & ob hoc summus Pōtifex habet potestatem dispensandi in omnibus quæcunque dispensabilia sunt. Alii autem prælati inferiores habent potestatem dispensandi in quibusdam minoribus, quæ magis assidua sunt, in quibus non poterat semper commode consuli sedes Apostolica.

B

An Papa possit in omnibus votis dispensare, & de quatuor opinionibus circa hoc, & in quibus possunt dispensare Episcopi, & Archiepiscopi, & Cardinales, & in quibus non.

QVÆSTIO CVII.

QVæretur vlterius cum dictum sit, quod prælati soli debēt dispensare in votis, vel commutare illa, aut facere redimi quæritur, ad quos prælatos ista pertineant.

Respondendum est, quod accipiendo prælatos pro omnibus, qui in Ecclesia aliquo modo præsunt, non potest pertinere ista potestas ad omnes, nam presbyteri curati prælati sunt, cum committatur eis custodia animarum, tamen ipsi non habent potestatem dispensandi, aut aliquid horum faciendi, & sic de multis aliis prælatis paruis. Et quia sunt multi prælati in Ecclesia, quorum primus est Papa, de ipso primo quæritur, an possit in votis dispensare. Et ad hoc ratis videtur, quod sic: nam ipse dicit se posse dispensare, & commutare in votis extra. De voto, & voti redemptione per totum. Item ad Episcopum pertinet dispensare in votis: ergo Papa magis poterit dispensare. Antecedens patet titul. prælleg. capit. 1, consequentia patet, quia maioris potestatis est Papa, quam Episcopus, ergo poterit dispensare in omnibus, in quibus Episcopus. Respondendum est, quod circa potestatem Papæ in dispensando, & aliorum sunt quatuor opiniones. Prima est,

C

1. Opinio.

quod etiam Papa in votis dispensare non potest, scilic. in nullo voto, quia redditio voti est de iure naturali, vel diuino, ideo contra hoc non potest Papa venire. 25. quæstion. 1. cap. sunt quidam. & hanc opinionem tenuit Hugui. Et multi alii cum eo. Si autem opponatur eis de commutatione, & redemptione voti, quam facit Papa, vt patet extra. de voto, & voti redemptio. per totum. Respondent, quod ibi non est dispensatio voti, sed declaratio iuris, nam cum quis vouet peregrinari, vel abstinere, & sic de cæteris subintelligitur, si commode potest ar. extra, de iureiurand. cap. Quinta vallis, & cap. veniens. declarationem autem iuris Papæ concedunt, sed votorum dispensationem nequaquam.

2. Opinio.

Secunda opinio, circa hoc fuit, quod Papa potest dispensare in omnibus voluntariis votis, excepto voto continentiæ. Dicitur autem de voluntariis, quia quædam sunt vota necessitatis, sicut illa, quæ pollicemur in baptismo, & de his nullus dubitat, quod nullo modo dispensabilia sint per hominem.

3. Opinio.

Tertia opinio circa hoc idem tenet, quod secunda quantum ad votum continentiæ, scilicet, quod Papa non posset in eo dispensare: ad alia vero distinguunt, scil. vtrum vouens, vel iurans simpliciter, & determinate promiserit non excludendo, vel includendo auctoritatem Papæ, nec de ipsa forte cogitando, aut determinate vouit respiciendo ad auctoritatem Papæ. Si primo modo potest Papa dispensare, quia talia vota vaga, & indeterminata interpretationem recipiunt. Si autem determinate aliquis vouit, sc. intendens complere votum, nisi Papa cum eo dispensaret, planum est, q; tunc Papa dispensare poterit: simile. extra. De condi. appos. cap. super eo. & cap. veniens. Si autem intendebat expresse se obligare in omnem euentum etiamsi Papa secum dispensaret, aut erat licitum id, quod vouit, aut non. Si primo modo non est tutum contra venire, etiamsi Papa dispenset, si autem votum erat de illicitis, nullo modo tenetur adimplere dispensante Papa, quia etiamsi Papa non dispensaret, dum tamen constaret votum vergere in malum exitum, non debebat obseruari, non teneatur quilibet vitare peccatum.

D

4. Opinio. Hostiē.

Quarta opinio circa hoc fuit, q; Papa de plenitudine potestatis dispensare potest in omni voto, quod à principio voluntarium fuit. Peccat tamen si sine causa dispensat, nec ei obediendum est, si manifeste appareat, quod est contra voluntatem Dei. In aliis autē obediendum est ei, in voto autem necessario nullo modo dispēsare potest, quia necessaria sunt ea, quæ pertinent ad fidem, & ad legem diuinam, quæ determinata sunt ad bonum, & Deus illa determinauit, ideo non potest Papa limitare, quod aliquando obseruanda sint, & aliquando non. Secundum istam vltimam opinionem potest Papa dispensare cum vouente castitatem solenniter, siue per ingressum religionis, siue per susceptionem sacri ordinis. Istam opinionem vltimam tenet Host. in summa. tit. de voto & voti redemptio. De hoc autem magis infra declarabitur.

E

Minores prælati in quibus votis dispensare possunt.

QVÆSTIO CVIII.

QVæretur vlterius de minoribus prælatis, quomodo & in quibus dispensare possint. In quo de Papa præsupponendum est, quod ipse dispensare possit in omnibus votis voluntariis, & commutare illa, & facere redimi, siue sint ieiunia, siue orationes, siue peregrinationes, solum manente dubio de continentia. Sub Papa autem sunt alii minores prælati, vt Archiepiscopi, Episcopi, & similes, & isti omnes si habebant plebes, possunt dispensare in votis. Dico autem, si habeant plebes, quia Cardinales maiores sunt Episcopis, tamen non possunt dispensare cum non habeant subditos. Episcopi autem & Archiepiscopi non habent. Et de his regulariter dicendum est, quod Episcopi, & omnes maiores Episcopis dispensare possunt in votis suorum suffraganeorum præterquam in voto continentiæ, de quo etiam dubitatur, an possint dispensare in voto transmarino, cuius dispensatio pertinet ad sedem apostolicam. extra. de voto, & voti redemptio. c. ex multa. ideo de mandato eius remittitur, vel differtur, vel redimitur, & ipse de hoc interpretatur, vt patet, extra. de voto, & voti redempt. capit. venientis, & capit. non est. Idem autem est in voto crucis, scilicet, siquis vouit ire ad aliquem locum ad pugnandum, contra quē Papa crucem indulget: nam istud videtur æquale voto transmarino, cum votum transmarinum sit de cruce signatis, & solus Papa ista fieri iubet. extra. De hæreticis. cap. excommunicamus. Sic tenet Host. in summa tit. de voto & voti redemptio. In his enim non potest dispensare Episcopus facere redimi, vel commutari. In reliquis autem regulariter potest. Sic patet extra, de voto, & voti redemptio. capi. 1. vbi dicitur, quod in votis peregrinationis ieiuniorum, & similium ad eum, qui præsidet commutandi, vel dispensandi auctoritas pertinet, scilicet, ad diocœsanum. De aliis autem minoribus prælatis, sicut de Decanis, Archidiaconis, & similibus, licet habeant curam animarum, dicendū est, quod non possunt in aliquo voto dispensare, aut commutare vel facere redimi, nisi forte habeant hoc ex speciali priuilegio sedis Apostolicæ, vt patet extra, de officio Archid. capit. vlt. & de excessione Prælator. c. accedentibus. Item patet, quia auctoritas dispensandi, commutandi, & faciendi redimi solis Episcopis commissa est, extra, de voto & voti redemptio. cap. 1. Alii autem non habent directe iurisdictionem, sicut Episcopi. Idem tenet Hostien. in summa tit. de voto, & voti redemptio. & Henricus eodem titulo, capitulo primo.

Epi, & Archiepiscopi possunt dispensare in votis præterquā in voto cōtinētiæ.

Votum crucis quid.

F

Vtrum Papa possit dispensare in voto continentiæ solennizato. Et an possit dispensare cum monacho simpliciter super voto obedientiæ & paupertatis, & de positione theologorum, & iuristarum circa hoc, & de duabus rationibus Ioannis Calderini.

QVÆSTIO CIX.

QVæretur vlterius, circa votum cõtinentiæ, an Papa posset in illo dispensare, vel illud commutare.

Arguitur. 1.

Et videtur quod sic, quia vna ratio dispensandi in voto est, si sit impeditiuum melioris boni, vt supra dictum est, sed interdum votum continentiæ, siue sit solennizatum, siue non, potest impedire maius bonum, ergo in illo poterit dispensari. Antecedens patet, quia bonum commune est diuinius bono vnius hominis, vt patet primo Ethicorum. Potest tamen per continentiam alicuius impediri bonum totius multitudinis, vtpote si aliquando per contractum matrimonii aliquarum personarum, quæ continentiam vouerunt posset pax totius patriæ procuratori, vel multi ad Christum conuerterentur.

Secũdo.

Item sicut potest dispensari in actu maioris virtutis, ita potest dispensari in actu minoris virtutis, sed latria est nobilior, virtus, quam castitas, & dispensatur in actu illius, ergo poterit dispensare in castitate. Patet hoc, quia si quis voueat Deo aliquem actum latriæ, vt puta offerre sacrificium, vel orare, ergo poterit dispensari, si quis vouerit obseruare continentiam.

B

Tertio.

Item sicut votum abstinenitæ obseruatum potest vergere in periculum personæ, ita & votum continentiæ, sed in voto abstinentiæ corporalis si vergat in periculum corporale vouentis potest fieri dispensatio, ergo pari ratione potest dispensari in voto continentiæ.

Quarto

Item sicut sub perfectione religionis, in qua solennizatur votum continentiæ, ita etiam votum paupertatis, & obedientiæ, sed in voto paupertatis, & obedientiæ potest dispensari, sicut patet in illis, qui post religionis professionem ad episcopatum assumuntur: ergo poterit pari ratione in voto continentiæ dispensari.

In oppositum.

Item ista tria vota, scilicet, continentiæ, obedientiæ, & paupertatis sunt æqualiter annexa regulæ monachali, sed potest in duobus eorum dispensari, vt probatum est, ergo etiam in tertio, scilicet, circa continentiam. In contrarium arguitur, quod non possit dispensari, quoniam dispensatio in votis fit, quando ipsa vota incipiunt esse illicita, vel maioris boni impedientia, sed non potest esse continere illicitum, nec impeditiuum maioris boni, cum ipsum continere censeatur maximum bonum, iuxta illud Eccles. 26. capit. scilicet, omnis ponderatio non est condigna animæ continentis, ergo non poterit dispensari circa continentiã. Item extra, de statu monach. in capit. cum ad monasterium, in fine dicitur, quod abdicatio proprietatis, & custodia castitatis adeo sunt annexa regulæ monachali, quod etiam summus Pontifex non possit in his licentiam indulgere: ergo non poterit dispensari circa castitatem.

C

1. Opin. theologorũ & S. Tho. secunda secundæ qu. 88. arti. 12. in 4 sent. sentit oppositum.

Respondendum est, quod circa istam quæstionem multi diuerse opinantur. B. Thomas de Aquino, & Albertus, & communiter theologi tenent, quod non possit dispensari, & ad hoc conantur inducere rationes. Dicunt enim, quod in voto continentiæ solennizato, sicut fit per professionem, tria possunt considerari. Primo quidem materia voti, & ipsa continentia. Secundo perpetuitas voti, scilic. quia cum quis profitetur religionem astringit se ad perpetuam obseruantiam castitatis. Tertio attenditur solennitas voti, quæ fit per professionem, de qua supra dictum est. Dicunt autem quidam, quod votum solenne continentiæ est indispensabile propter primum, scilic. propter continentiam, quæ non recipit condignam dispensationem, vt patet ex auctoritate inducta, scil. omnis ponderatio non est condigna animæ continentis. Rationem autem huius assignant quidam, quia per continentiã homo triumphat de domestico inimico, vel quia per continentiam homo perfecte conformatur Christo secundum puritatem animæ & corporis.

Prima ratio quorundã, quare continentia non recipit cõdignam recompensationem.

Sed istud non videtur sufficere, quia bona animæ vtputa contemplatio, & oratio sunt multum meliora bonis corporis, & magis nos Deo conformant, & tamen potest dispensari in voto orationis, vel contemplationis, ideo non videtur esse ratio, quare non possit dispensari in voto continentiæ si respiciatur absolute ad ipsam continentiæ dignitatem: potissimum cum Apostolus 1. ad Corinth. capit. 7. ad continentiam nos inuitet propter contemplationem, dicens, quod mulier innupta cogitat, quæ Dei sunt, mulier autem nupta cogitat quæ sunt viri: finis autem melior est semper his, quæ ad finem. si ergo potest dispensari circa orationem, & contemplationem, quæ sunt finis: poterit magis dispensari de continentia, quæ est ad finem.

Item quia si propter ipsam continentiæ dignitatẽ non possit dispensari in isto voto, nihil magis dispensaretur in voto simplici quã solenni, quia vtrobiq; est dignitas continentiæ, sed de voto simplici non est dubium quin possit dispensari in illo, nam etiam sine dispensatione poterit quis infringere votum contrahendo matrimonium, & tenebit matrimonium. extra qui clerici, vel vouen. cap. rursus. & in voto solenni non tenebit, ergo non fit propter dignitatem continentiæ.

Alii autem assignant rationem huius ex perpetuitate voti, & vniuersalitate. Dicunt enim, quod votum continentiæ non potest prætermitti, nisi per illud, quod est omnino contrariũ, quod nunquam licet in aliquo voto.

Sed hoc est manifeste falsum, quia sicut in carnali copula est contrariũ continentiæ, ita comedere carnes, vel bibere vinum est contrariũ abstinentiæ, in talibus autem dispensatur, ergo etiam in huiusmodi votis potest dispensari, ideo non potest ex hoc statui causa.

D

E

2. Positio iuristarum modernorum.

Et sic quibusdam videtur, quod in voto continentiæ possit dispensari propter aliquã communem vtilitatem, vel necessitatem, vt patet in exemplo proposito, scil. si aliquis rex infidelis offerret se cum populo suo ad fidem, si daretur ei in vxorẽ aliqua monialis, vel si non possent aliqua regna cessaret à bellis, nisi per contractum matrimonii inter aliquos, qui vouerunt castitatem solenniter.

Opin. auct. & iuristarum antiquorũ

Sed cum decretalis cum ad monasteriũ. extra de statu monach. dicat non posse Papam dispensare circa custodiam castitatis, & abdicationem proprietatis cum monacho, ideo aliter videtur dicendum, scil. quod sic habetur Leuit. capit. vlt. illud quod semel sanctificatum est Domino, non potest in alios vsus commutari. Vnde non potest facere aliquis Ecclesiæ prælatus, vt illud quod sanctificatum est, sanctificationem amittat etiam in rebus inanimatis, vtpote quod calix consecratus desinat esse consecratus, si maneat integer, vnde multo minus poterit facere aliquis prælatus, vt homo Deo consecratus quandiu viuat consecratus esse desistat, solennitas autem consistit in quadam consecratione, seu benedictione, vt dictum est. Ideo non potest fieri per aliquẽ Ecclesiæ prælatum, quod ille, qui votum solenne emisit, desistat ab eo, ad quod est consecratus, vtpote quod ille, qui est sacerdos non sit sacerdos, licet possit prælatos ob aliquam causam executionem ordinis inhibere, & simili ratione Papa non potest facere, quod ille, qui est professus religionem, non sit religiosus.

F

An continentia sit essentialiter annexa monacho vel presbytero.

Est ergo considerandum, an cõtinentia sit essentialiter annexa ei, ad quod votum solennizatur, quia si non est ei essentialiter annexa, potest manere solennitas consecrationis sine debito continentiæ, quod non potest contingere si sit essentialiter annexum ei, ad quod votum solennizatur, non est autem essentialiter annexum debitum continentiæ ordini sacro, sed ex statuto Ecclesiæ: vnde videtur, quod per Ecclesiam possit dispensari in voto continentiæ solennizando per susceptionem sacri ordinis. Est autem debitum continentiæ essentiale statui religionis, per quam homo abrenunciat sæculo totaliter, & Dei seruitio mancipatur, quod non potest simul stare cum matrimonio, in quo incumbit necessitas procurandæ vxoris, & prolis, & familiæ, & aliorum ad hoc requisitorum. Vnde Apostolus 1. ad Corinth. cap. 7. dicit, quod qui est cum vxore, solicitus est quæ sunt mundi, & quomodo placeat vxori, & diuisus est. Nomen autem monachi ab vnitate sumitur per oppositum ad diuisionem prædictam. Ideo in voto continentiæ solennizato per professionem religionis non potest per Ecclesiam dispensari, & rationem assignat decretalis prælegata cum ad monasterium, quia castitas est annexa ordini monachali. Istud tenet Beatus Thomas

A

de Aquino, & Albertus, & Bonauent. & communiter plures theologi. Idem etiam tenet Bernardus, tenet de voto, & voti, redemptio. capitulo. primo, & de ſtatu monach. capit. cum ad monaſterium. Idem doctor. antiquit. ſcilicet, Ioan. Ala. Tan. Gro. & cæteri.

Alia opinio q̃ coincidit cum ſecũda.

Alii autem doctores noui, ſcilicet, Innocent. & Hoſtienſ. & Ioann. Andreas, Ioannes Calderin. Franciſcus, & cæteri in duobus præalleg. cap. tenent, quod Papa poſſit diſpenſare in voto continentiæ ſolennizato, ſcilicet, quod monachus acciſpiat vxorem, quia dicunt ad hoc poſſe eſſe cauſam rationabilem, vt patet in exemplo ſupra dato de conuerſione infidelium ad fidem, & de pacificatione regnorum, idem autem dicit Innocent. Dicit etiam circa votum paupertatis, ſcili. quod Papa poſſit diſpenſare, vt ſi aliquis monachus propter bonum concordiæ efficeretur rex, ſicut in caſu ſupra dato ille haberet regnum, quod eſt habere proprium, & ſiquis dicat, quod rex non acquirit ſibi: ſed regno, non obſtat, quia cum habeat ſucceſſores filios ſuos, non poteſt tolli quin habeat proprium, quia nemo relinquit hæredem, niſi in eis, quæ ſui iuris ſunt. Ad illud autem capit. cum ad monaſterium reſpondent, quod intelligitur, quod Papa non poteſt diſpenſare, id eſt, non expedit, quod diſpenſet, vel non poteſt, id eſt, non eſt honeſtum, & tamen abſolute accipiendo poteſt.

Duæ rationes Ioann. Calder.

B

Item Ioannes Calderin. dicit, quod vel Papa non poteſt in aliquo voto diſpenſare, vel poteſt etiam in voto continentiæ, ſed prima pars eſt falſa: ergo poterit in voto continentiæ. Probatur iſta diſiunctiua, quia votum continentiæ eſt efficacius aliis votis, quando ſolennizatum eſt, ſed ſolennitas eſt introducta ex Eccleſiæ ſtatuto, ergo poterit Eccleſia diſpenſare in illa.

Item dicit, quod aut tota Eccleſia errat (quod eſt abſurdũ) aut ſummus Pontifex poteſt diſpenſare in voto continentiæ ſolennizato. quod probat, quia Papa per conſtitutionem ſuam facere potuit, quod ſi aliquis vouens continentiam ſimpliciter poſtea contraxerit teneat matrimonium ext. qui clerici. vel vouen. c. rurſus. ergo quod potuit per modum conſtitutionis, poterit per modum diſpenſationis. Nec obſtat, ſi ſint diuerſa vota, quia apud Deum æqualiter obligat votum ſimplex, & ſolenne: ſolennitas autem ex conſtitutione Eccleſiæ introducta eſt, extra de voto & voti redemptio. cap. vnico, in ſexto. Iſtas duas rationes inducit etiam Franciſcus de Zabarellis. extra de voto, & voti redemptio. capit. 1. & dicit, quod propter iſtas non poterit ſtare opinio B. Thomæ de Aquino, & aliorum theologorum.

Ad rationes iſtorum Ad primam.

Sed adhuc rationes iſtæ non multum militant: immo nihil contra beatum Thomam & nos: & expoſitio doctorum ad cap. illud, cum autem ad monaſterium multum eſt aliena. Ad primam rationem Ioann. Calder. reſponderi poteſt, cum dicit, quod aut Papa non poteſt diſpenſare in aliquo voto, aut poteſt in voto continentiæ falſa eſt iſta diſiunctiua: quædam namque diſpenſabilia, & quædam indiſpenſabilia ſunt: nemo enim dubitat, quod Papa in quibuſdam diſpenſare poteſt, & tamen manifeſtum eſt, quod non poteſt diſpenſare in votis, quæ emittimus in baptiſmo, ſcilicet, de tenendo fidem, & ſeruando legem euangelicam. Similiter ergo in voto continentiæ diſpenſare non poteſt, quia eſt factum neceſſitatis: non quidem per ſe, ſed quia eſt annexum regulæ monachali. Et cũ dicitur, quod iſta vis obligandi eſt in voto continentiæ ſolennizato propter ſolennitatem eius ſolum, cum non ſit in voto ſimplici continentiæ. ſed ſolennitas eſt de ſtatuto Eccleſiæ: ergo poterit Papa diſpenſare circa obligationem illius. Concedendum eſt ſolennitatem eſſe introductam ab Eccleſia, vt patet extra, De voto, & voti redemptio. capit. vnico in ſexto. ideo ea, quæ ex ſola Eccleſiæ ſolennitate habent vires diſpenſabilia ſunt. Vnde propter hoc quanquam ſolennizetur votum continentiæ per ſuſceptionem ſacri ordinis, vt patet prę allegato capit. tamen poteſt diſpenſare Papa cum aliquo ordinato in ſacris, quod habeat vxorem: nam quod ſacerdotes contineant non eſt ex natura, vel ſubſtantia ordinis, quin potius è contrario, quia à principio ſecundum præceptum Apoſtoli poterant tamen presbyteri, quam diaconi, & ſubdiaconi contrahere, ſiue vti matrimonio contracto ante ſuſceptionem ſacri ordinis, vt patet ad Titum. capit. 1. poſtea autem Eccleſia ordinauit, quod ordinati in ſacris continerent, & quod qui coniugatus eſſet, non poſſet ordinari in ſacris, &

C

Papa poteſt diſpenſare cũ presbytero, vt accipiat vxorem.

quod in ſumptione ordinis tacite, vel expreſſe continentia voueretur. 28. diſtinctio. cap. nullum. & 31. diſtinct. capit. ante triennium, & extra de cler. coniuga. cap. cum olim. Et propter hoc clerici Eccleſiæ orientalis non promittunt continentiam tacite, nec expreſſe in ſumptione ſacri ordinis, quia non conſenſerunt à principio in conſtitutione Eccleſiæ circa 31. diſtin. cap. quoniam. ideo nemo dubitare debet, quin Papa poſſet, cum quolibet presbytero diſpenſare, quod accipiat vxorem, vel miniſtret in ſacris, quia ex ſola Eccleſiæ conſtitutione hoc factum eſt. Cum autem dicunt plurimi doctores canoniſtarum, quod obligatio ad continentiam in profeſſis prouenit ex ſolennitate Eccleſiæ, errant, quoniam non factum eſt per aliquam conſtitutionem Eccleſiæ, ſed prouenit ex ſubſtantia regulæ monachalis: in ſubſtantialibus autem Papa non poterit diſpenſare, quia includit contradictionem, quod aliquis ſit talis qualis denominatur, & careat ſubſtantia rei, quæ eum talem fecit, ſcilicet, aliquis eſt albus, includit autem contradictionem, quod ſine albedine ſit albus, cum per albedinem quis albus ſit: ita monachum eſſe oportet, quod aliquid includat ſubſtantialiter, id eſt, quod habeat aliquid ſubſtantialiter requiſitum ad hoc, quod ſit monachus, quia quælibet res habet aliquid ſubſtantiale ſibi, ſed nullum alterum eſt ſubſtantiale monacho, per quod differat à non monachis, niſi per obligationem ad continentiam, & abdicationem proprii, & obedientiæ, ergo non poterit Papa diſpenſare faciendo, quod aliquis ſit monachus, & careat aliquo iſtorum. Iſtam rationem aſſignat manifeſte Papa in allegato capitulo. cum ad monaſterium. vbi cum dicitur, quod ſummus Pontifex non poteſt ſuper continentia, & paupertate licentiam indulgere, & ſubditur cauſa: non dicitur ibi hoc eſſe, quia votum ſolennizatum eſt, ſed quia iſta annexa ſunt regulæ monachali: ordini autem ſacro non eſt annexa continentia, ideo poteſt diſpenſare in presbyteris ſecularibus, & non in religioſis, vt ſupra dictum eſt. Occaſio autem errandi iuriſtis eſt, quia vident, quod votum ſimplex continentiæ non dirimit matrimonium contractum: votum autem ſolenne dirimit, putant ergo obligationem voti eſſe ex ſolennitate eius. Sed falſum eſt, quoniam potius ex ſubſtantia religionis.

D

Quare in ſubſtantialibus regula Papa non poteſt diſpenſare. Vide ſupra notata. q. 94. nam c. cum ad monaſterium &c. iura loquũtur in religioſis ordinum ãtiquorũ, qui tunc erãt, qui oẽs habent reditus in cõmuni *

* *& ſimiliter Epiſcopi tunc habebant bona in cõmuni, & viuebant regulariter in clauſtro cum canonicis. nam tunc mendicantes non erant, ſed poſtea inceperunt anno Domini 1217 & alium modum nouum profitendi inuenerunt iurando & profitendo ſolenniter ſe nunquam habituros reditus. nec proprietat. nec eccleſias parochiales in communi, nec in particulari, vt patet in regulis eorum, vt Thomas, Bernardinus, & alii, epiſcopatus recipere noluerunt, quia non poſſe hoc fieri credebant, ſtante eorum voto, & regul. ar. c. quorundam. de elect. lib. 6. vide qua notaui. ſupr. q. 57. & 94.*

Sed tunc dicetur, quod adhuc ſtabit argumentum, ſcilicet, quod ſi iſta obligatio, non fit propter ſolennitatem voti, ſed ex ſubſtantia religionis, cum quis vouerit religionem, quia iſta tria vouet tantum obligabitur quantum ſi profiteatur ſolenniter, quia ſolum differunt iſta vota per ſolenne, & non ſolenne. Sed manifeſtum eſt, quod in voto ſimplici de religione poteſt diſpenſari, & ſiquis poſtea contrahat tenet matrimonium. extra qui clerici, vel vouen. cap. rurſus. & non tenebit in voto ſolenni. eodem tit. ca. inſinuante. ergo non fit, quia annexum eſt religioni obſeruare continentiam, ſed propter ſolennitatem voti.

F

Reſpondendum eſt, vt ſupra, quod ſolennitas nihil confert ad iſtam indiſpenſabilitatem, ſed ſolum ſubſtantia religionis, & cum dicitur, ergo tantum obligabit votum ſimplex de intrando religionem, ſicut votum ſolenne, non valet conſequentia. Ratio diuerſitatis eſt, quia cum quis ſimpliciter vouet, non vouet religionem, id eſt, non vouet aliquid eorũ, quæ ſunt in religione, ſed vouet, quod intrabit religionem, nec eſt obligatus per iſtud votum, niſi ad intrandum religionem, niſi forte vouiſſet intrare, & perpetuo manere, aut quãquam non expreſſiſſet hoc in voto, habuiſſet tamen intentionem obligandi ſe ad hoc: & iſtud eſt ſpeciale: ſi tamen ſolum voueat intrare religionem non obligatur, niſi ad intrandum, & cum introierit iam expleuit votum: poteritque exire quandocunque voluerit infra annum probationis indultum à iure, & ſic per iſtud votum non efficitur aliquis monachus, nec debet proprie vocari monachus, per profeſſionem autẽ religionis efficitur aliquis monachus, quia ibi non vouet quis quod intret religionem, ſed quod maneat in obſeruantia illa

in perpe-

A

in perpetuum. Etiam ibi expresse vouet ea, quæ substantialia religioni, scilic. continentiam, paupertatem, & obedientiam: ideo postquam professio facta est, votum est indispensabile. Prius autem erat dispensabile, imo sine dispensatione poterat licite infringi, vt siquis voueret religionem, & ingrederetur monasterium, atque postea exiret, vt supra dictum est. Votum autem per professionem est indispensabile, non quidem, quia solenne est, sed quia per illud efficitur aliquis monachus, & quia substantiale monachatui est esse obligatum ad continentiam, impossibile est, quod dispensetur in voto, scilicet, quod aliquis sit monachus, & non esset obligatus ad continentiam. Vnde si posset esse professio non solennis, non minus obligaret, nec ideo tantum obligat, quia solennis est, sed ideo solennis est, vel ab Ecclesia solennis vocatur, quia tantę obligationis est, scil. vt impediat matrimonium contrahendum, & dirimat iam contractum extra de voto, & voti redemptio. c. vnico, in sexto.

Ad secundam rationem Ioann. Calderin. quando dicebat, quod aut tota Ecclesia errat, aut Papa poterit dispensare in voto continentiæ solennizato. Respondetur, quod est falsa ista disiunctiua, & quando probat, scilicet, quia summus Pontifex potest dispensare in voto simplici, ergo poterit dispensare in voto continentiæ solennizato per professionem, negatur consequentia. Et dicendum, quod manifestum est Papam posse dispensare in voto simplici de continentia, quia votum continentię secundum se non est indispensabile cum alia maiora bona sint dispensabilia, quæ cadunt sub voto, sed est indispensabile, quando est annexum alicui substantialiter, quia includit contradictionem fieri ibi dispensationem, vt supra dictum est. Votum autem simplex de continendo, non habet substantialem annexionem ad aliquē ordinem, vel ad religionem, cum per votum simpliciter emissum, non efficiatur aliquis religiosus: ergo est dispensabile.

B

Cum autem dicit Ioan. Cald. quod Papa potuit per constitutionem suam facere, ꝙ votum simplex non dirimeret matrimonium contractū, ergo ita potest facere per dispensationem suam de voto solenni concedendū est. Et quādo dicitur vltra, ergo poterit dispensari super continentiam religiosi, negatur consequentia, quia non est obligatio maxima cōtinentiæ in religiosis ex solennitate voti, vt dictum est, sed quia est substantialiter annexa regulæ monachali.

In quo considerandum est, quod aliqui falluntur existimātes speciale esse in continentia monachali, quod sit indispensabilis. Sed falsum est, quia omnia tria vota, scilicet, obedientiæ, castitatis, & paupertatis sunt indispensabilia, quia sunt annexa substantialiter regulæ monachali in capit. præalleg. cum ad monasterium, in fine.

Si autem aliquis obiiciet, quod duo istorum sunt dispensabilia, scil. paupertas & obedientia, nam cum aliquis religiosus assumitur in Episcopum eximitur ab obedientia, quia iam nemo in ordine suo ei quidquā iubet: etiam eximitur à paupertate, qua potest administrare, & administrat bona ecclesiastica, & habet reditus proprios, atque potest de eis donare, quæ non pertinent ad obseruationem paupertatis.

C

Respondendum est, quod per promotionem monachi in Episcopum, non absoluitur à paupertate & obedientia, quam vouet, sicut nec absoluitur à continentia. Et patet, quia iste est obligatus religioni: ergo est obligatus ad tria vota substantialia, nam impossibile est aliquem esse monachum, & nō habere substantialia monachi. Quod autem iste sit obligatus religioni patet, quia obligatur habitum portare religionis, & non diuertere à primo proposito, id est, ab eis, quæ sunt de substantia monachatus 16. quæst. prima, de monachis, iuncta gloss. ibi. Et cum dicitur, quod absoluitur ab obedientia, quādo Episcopus est, negandū est, quia quanquam tunc non teneatur obedire alicui prælato ordinis sui, tamen non sequitur ex hoc, quod non habeat votum obedientiæ, quo ligetur. Sic patet si aliquis sit religiosus, & efficiatur prælatus totius ordinis, ille nulli tunc obedit, nec obligatur obedire. Et tamen manifestum est, quod iste non est exemptus à voto obedientiæ, quanquam per accidens tunc nulli obediat, quia nullum habet prælatum superiorē in ordine suo. Si tamen iste deponat illam præposituram in ordine succedente alio: manifestū est, quod obligatus est obedire, sicut cæteri monachi, ergo ante hoc quanquam nulli obediret, obligatus erat ad votum obedientię, seu nulli obediebat, quia non habebat prælatum, nunc autem obedit, quia habet. Sic etiam est de monacho, qui assumitur in Episcopum: non enim liberatur à voto obedientiæ, sed Papa faciet, quod illi qui prius erant sui superiores non sint, & sic eximit eum ab illo, vel ab isto prælato, sed non eximit eum simpliciter à voto obedientiæ. Quod patet, quia si iste monachus deponatur ab episcopatu, vel ex licentia Papæ illum relinquat. Manifestum est, quod obligabitur manere in religione, vt prius, & obedire prælatis ordinis sui. Si autem fuisset iste simpliciter absolutus à voto obedientiæ, quanquam deponeretur, vel resignaret episcopatui, non teneretur obligatus religioni, quia non poterat incipere noua obligatio, nisi per votum nouiter emissum: ibi tamen nullum est, ideo mansit votum à principio factum. Item quando arguebatur de dispensatione super proprietate in monacho assumpto in Episcopum.

D

Respondetur, quod ille non habet proprium, quia Episcopus non est dominus rerum ecclesiasticarum, sed procurator, & administrator, ideo non potest de eis libere testari: posset tamen libere, & ad plenum de omnibus rebus testari, si dominus esset, & non solum est hoc in moriente, sed etiam in viuente, quia Episcopus viuens non potest donare in immensum, de rebus acquisitis intuitu dignitatis: procurationē autem, vel administrationē rerum potest monachus habere assumptus in Episcopum, quanquā non possit habere proprietatem, nec in hoc conceditur ei aliquid magnum, quia etiam in religione poterit constitui procurator, vel administrator bonorum monasterii, sicut sunt prælati, qui etiam quædam donare possunt, quia administratores sunt, ergo religiosus assumptus in Episcopum non absoluitur à voto paupertatis aliquatenus, & sic manēt ista tria vota substantialia religioni penitus indispensabilia. Item cum doctores exponunt capit. illud, cum ad monasterium, quod Papa non possit indulgere licentiam super proprietate, & continentia, id est, quod non sit honestum, vel quod non sit expediens, multum aliena, & distorta est expositio cum litera illa non induceretur ad propositum suum, si sic intelligeretur. Nam ibi intendit Papa probare, quod nequaquam potest abbas, cum monacho dispensare super habenda proprietate, & super continentia.

E

Et arguit ad hoc, quia obseruatio castitatis, & abdicatio proprietatis adeo sunt annexa regulæ monachali, quod etiam summus Pontifex, non potest in his licentiam indulgere. Si autem accipiatur non potest, id est, non est honestum, non est efficax argumentum, quia quanquam non sit honestum Papæ facere hoc, non sequitur, quod nullo modo posset illud facere Abbas. Sequeretur tamen si intelligatur, quod summus Pontifex non potest dispensare, quia tunc à fortiori nullatenus poterit Abbas: ergo debet sic intelligi, vt iacet. Item dato, quod non diceretur istud, manifestum est, quod Papa nō possit dispensare, quia ista tria vota sunt substantialia religioni: ergo impossibile est, quod aliquis sit religiosus, quin habeat ista: sequeretur tamen si fieret dispensatio cum existente monacho: ideo indispensabilia sunt. Sciendum autem, quod Hostien. & alii doctores canonistæ, vt communiter inducunt multa iura ad probandum, quod super continentia non possit dispensari, & cum isti teneant oppositum, respondent ad illa iura, sed quia illa iura nihil agunt pro ista positione nec in contrarium facile est responderi ad illa, tanquam impertinentia, ideo nec nos illa pro ista parte inducimus: quæ autem illa sunt, patet per Hostien. in summa tit. de voto, & voti redempt. Satis ergo manet pro hac parte, quod nullo modo votum continentiæ sit dispensabile etiam, nec per Papam. Sed satis videtur difficile in casibus supra datis, quod Papa non possit dispensare, vtpote si multa terra infidelium conuerteretur ad Christum per talem dispensationem, vel magna regna pacificarentur, ideo beatus Thomas de Aquino ex hac causa solum tenet in 4. distin. 38. quod probabile est posse dispensare. Et respondet ad argumenta in oppositum, quanquam in summa teneat contrarium. Intentio autem sua, magis videtur declarata in summa. Ideo satis videtur dicendum inter istas opiniones, quod summus Pontifex nullo modo potest dispensare cum monacho, vel moniali, super continentia, si velit, quod meneant in religione, quia includit contradictionem, quod aliquis sit monachus, & non sit obligatus ad ista tria. Papa autem non potest facere id, quod

F

S. Tho. indiuersis locis sibiipsi contrarius est sed temerē est, quod v. timo scripsit

includit

A includit contradictionem, imo nec est possibile per aliquam potentiam. Si autem Papa velit absoluere monachum penitus à monachatu, ita quod nullo modo maneat monachus poterit dispensare super continentia, imo super omnibus votis, & sic poterit prouideri casibus præpositis, scil. si per absolutionem alicuius monachi, vel monachæ à voto continentiæ multi cõuerterentur ad Christum, vel pacificarentur magnædiscordiæ regnorum, quæ alias nequaquam tolli possent quod Papa faciat istum non esse monachum, vel monialem, & sic erit absolutus à votis omnibus. Istam solutionem tenet Glo. extra, de statu monach. c. cum ad monasterium, sc. quod Papa potest facere de monacho non monachũ: & tamen non poterit facere, quod monachus existens, monachus non sit obligatus ad continentiam, vel paupertatem, & istud videtur esse rationabile, quia non includit contradictionem, quod aliquis absoluatur penitus à monachatu, sed includit contradictionem, absolui ab aliquo trium votorum, & non absolui à monachatu.

Papa potest facere de monacho non monachum.

Opinio tuta.

Ista opinio multũ pia est propter casus allegatos: magis tamen videtur esse fundamentalis opinio aliorum, sc. quod Papa nequaquã possit dispensare in voto continentiæ, & hoc nõ solum, quod aliquis existens monachus sit absolutus à votis, quia hoc manifestum est: sed etiam, q̃ nullo modo Papa possit dispensare, quod monachus non sit monachus, vel qualitercunq; absoluere ab aliquo voto istorum, & propter conuersionem multorum ad fidem, vel pacem multorum regnorum non poterit aliquis monachus, vel monialis absolui à voto continentiæ: non quidem, quod non esset honestum si fieri possit, sed quia per hominem est impossibile.

Hanc opin. tenet Vgutius, & antiqui iuristæ, & San. Thom.

B *2.2.q. 88. licet in 4. sentent. dist. 38. aliter dicat.*

Ad rationes in contrarium respondetur. Ad primam cum obiiciebatur de cõuersione infidelium procuranda, vel pace: Respondetur, q̃ periculis rerum humanarũ est obuiandum per res humanas, non autẽ per hoc, quod res diuinæ conuertantur in vsum humanum, professi autem religionem mortui sunt mundo, & viuunt Deo, vnde non sunt reuocandi ad vitam humanam occasione cuiuscunque euentus.

Ad secundam rationem, cum dicebatur, quod potest dispensari in actu latriæ, quæ est maior virtus: ergo potest in actu continentiæ. Dicendum est, quod in ipsa continentia absolute dispensari potest ne obseruetur etiam cum ipsa pertinet ad latriam, scil. per votum, quod est actus latriæ dispensari potest si illud votum sit simplex, siue sit de temporali continentia, siue perpetua, quando tamen votum solennizatum est per professionem, non potest in illo dispensari, quia iam incipit pertinere ad substantialia religionis, in quibus non potest fieri dispensatio ex causis supra assignatis.

Ad tertiam rationem, cum dicebatur, q̃ potest dispensari in voto abstinentiæ si vergat in periculum: ergo etiam in voto continentiæ. Respondendum, q̃ cibus, à quo est abstinentia directe ordinatur ad conseruationẽ personæ, ideo abstinẽtia cibi directe potest vergere in periculũ personę: ideo ex hac

C ratione recepit votum abstinentiæ dispensationem, sed coitus non ordinatur directe ad conseruationem personæ, sed ad conseruationem speciei. vnde abstinentia à coitu non vergit directe in periculum personæ, sed si per accidens ex ea aliquod periculum personale accidat, potest aliter subueniri, sc. per abstinentiam à cibis, vel alia corporalia remedia: & dato, quod verisimiliter aliquis breuiter morietur, si à coitu similiter abstineat, non debet cum eo dispensari super voto continentiæ, vt non moriatur, sed potius debet mori ne votum infringatur, nam in quibusdam aliis virtutibus actus est, quod aliquis se exponat ad mortem non dubiam, sicut est in fortitudine, per quam martyres se exponebant ad mortem, & moriebantur: hoc patet extra, de pœnitent. & remiss. c. cum infirmitas. cum dicitur: Cæterum cum anima sit multo pretiosior corpore sub anathematis interminatione prohibemus, ne quis medicorum pro corporali salute aliquid ægro suadeat, quod in animæ periculum conuertatur. ideo peccat medicus si forte videns, quod aliquis æger sanari non potest, nisi experiatur illicitam libidinem, consulat ei, quod vacet illi, & sic de aliis illicitis, quæ fieri possent ad sanitatem habendam.

Ad quartam rationem, quando dicebatur, quod sicut ad perfectionem religionis, in qua solennizatur votum pertinet continentia, ita & paupertas, & obedientia, sed ab istis soluitur monachus per sumptionem episcopatus, ergo & à continentia absolui potest, negetur antecedens: non enim absoluitur ab aliquo de tribus votis substantialibus religioni, nec absolui potest. D

Cum vero dicitur de paupertate dicendum, q̃ non soluitur ab illa, quia quanquam ab episcopatu possit administrare bona temporalia, tamen non est dominus, sed procurator.

De obedientia autem dicendum, quod non absoluitur ab illa, quanquam nulli obediat in religione, sed solum facit Papa, quod isti, qui prius erant prælati huius monachi assumpti in Episcopum, postea non sint prælati, & sic non habebit cui obediat: manet tamen semper obligatus ad votum obedientiæ, quia si relinquat aliquo modo episcopatum, vel deponatur, cogitur ad obedientiam seruandam quam vouerat, non tamen cõgeretur si non maneret votum, quod emissum fuerat, de quo magis supra declaratum est.

An liceat aliquando non implere votum, & in quibus casibus licet.

QVÆSTIO CX.

QVæretur vlterius, an à voto aliquando recedi liceat non implendo illud. Respondendum est, quod votum inducit obligationem, & res antequam voueatur, est totaliter libera. Cum vero votum emittitur, necessitatur ad vnam partem contradictionis, scilicet, dandum, vel non dandum: faciendum, vel non faciendum, extra. de voto, & voti redempt. c. licet, & 17. quæst. 1. capit. 1. Hoc autem verum est in votis, quæ simpliciter emittuntur, secus autem de illis, quæ cum conditione, quia illa nunquam obligant, nisi adueniente conditione, debet tamen ille, qui conditionaliter vouit, se talem custodire, vt veniente conditione votum implere possit, si autem contrarium agat, peccat, licet non sit proprie transgressor, vt si quis vouit seruare continentiam perpetuam, si Deus ei tale, vel tale dederit, non debet contrahere quousque videatur an impleri possit conditio: nam si contraheret etiamsi postea conditio impleretur, non posset seruari votum, quia matrimonium tenebat, & sic de omnibus aliis votis, scilicet, quod nullus actus contrarius fiat voto, quousque sciatur, an conditio impleri possit. Cum vero cognitum fuerit, quod impleri non potest, licite poterit, qui vouit, facere quid voluerit, hoc autem generale est. Sunt tamen aliqui casus, in quibus potest recedi à voto. Primus est, si commutetur in melius vt si quis omisso aliquo voto loco illius voluit religioné profiteri. extra. de voto, & voti redemt. cap. scripturæ: nam tunc soluitur ab omnibus votis. Et in isto casu non est necessaria auctoritas superioris ad commutandum votum in melius, quia manifeste religio est sanctior omnibus aliis votis, sed fit commutatio auctoritate iuris. In quibusdam autem receditur à voto auctoritate superioris, interdum Episcopi, & interdum Papæ, de quo supra declaratum est. Secundus casus est, si votum non sit consummatum, dicitur autem consummari votum in deliberata promissione, & tunc est aliquis obligatus. Si autem quis solũ inquirat, an expediat ei vouere, nihil vltra agens, non est obligatus, vel si proponat continere, non est obligatus ad continentiam. extra. de voto, & voti redempt. cap. literaturam, & 17. quæst. 1. cap. Gonsaldus. Ista autem non vocantur proprie vota, sed vota inchoata, quia non est ibi id, quod perficit votum. Tertius casus est, si votum fuit conditionale, & conditio deficit 32. quæst. 8. cap. non solum, & hoc intelligitur, siue conditio sit specialis, & expressa, siue sit generalis, & tacita. De prima. extra, de condit. appo. cap. verum, & cap. de illis, & cap. super eo. & de iureiuran. cap. 3. Secunda conditio, quæ est generalis est, vt si quis dicat, faciam hoc, si vixero, vel si potero. Quartus casus est, vbi vouens non habet liberam potestatem vouendi, sicut dicebatur supra de sex generibus personarum, scilicet, de Episcopo, clerico, monacho, impubere, seruo, & vxore, qui non sunt sui iuris. Et quantum ad illa, in quibus non sunt sui iuris, si votum emiserint, & ille ad cuius iura pertinent retractauerit, licite possunt recedere à voto. Quintus casus est, quando auctoritate superioris, impletio voti ex causa differtur, vel commutatur, aut redimitur, quia non est dicendus voti transgressor, qui auctoritate sedis Apostolicæ illud distulit adimplere extra de voto, & voti redemptio. capit. non est. & capit. licet. Sextus casus est, quando

In quibus casibus potest recedi à voto.

E

F

A

est, quando votum est illicitum ex natura sua, vt si res, quæ vouetur sit secundum se illicita, de quo magis, supra declaratum est. Septimus casus secundum quosdam est, si causa, propter quam votum emissum est, cessat. extra, de voto, & voti redemptio. capit. magnæ, in fine, sed hoc non tenet in voto religionis, quod etiam ex causa falsa non vitiatur. extra, de conuer. coniuga. capit. ex parte 2. §. 1. in fine, & capit. dudum, sic tenet Gof. Non tamen est dicendum, quod cessante causa cesset votum, sed quod facilius admittitur redemptio, vel recompensatio, & hoc probat cap. allegatum magnæ in fine, vbi Papa se dicit inductum specialiter ad commutandum votum, quia cessante causa facilius cessare potuit effectus. In omnibus autem aliis casibus votum generaliter seruandum est, cum obligauerit solide, nec sine peccato ab illo recedi potest. De votis autem latissima inquisitio est, quæ ad multa alia extendi possit, sed ex dictis patet modus respondendi in cæteris ideo sufficiant quæ dicta sunt.

CAPVT XXXI.

LOcutusq; est Dominus ad Moysen, dicens: Vlciscere prius filios Israel de Madianitis, & sic colligeris ad populum tuum. Statimq; Moyses: armate, inquit, ex vobis viros ad pugnam, qui possint vltionem Domini expetere de Madianitis: mille viri de singulis tribubus eligantur ex Israel, qui mittantur ad bellum. Dederuntque millenos de singulis tribubus, id est, duodecim millia expeditorum ad pugnam, quos misit Moyses cum Phinees filio Eleazari sacerdotis, vasaque sancta, & tubas ad clangendum tradidit ei.

B

Phinees in prælio occidit Madianitas.

Locutus est. In præcedentibus posita fuit bellandi contra Madianitas admonitio, scilicet, in capitu. 25. hic autem quibusdam interpositis subditur eius executio. Et diuiditur in tres partes. Primo ponitur apparatus pugnæ. Secundo obtentus victoriæ. Tertio diuisio prædæ. Secunda ibi. *Cumque pugnassent.* Tertia ibi. *Egressi sunt.* Vel secundum alios ibi. *Dixitque Dominus ad Moysen.*

Quomodo se habeant quæ sequuntur ad præcedentia.

QVÆSTIO I.

CIrca primum quæritur, an ista, quæ dicuntur hic habeant se in ordine consequenti ad præcedentia, vel sit aliqua recapitulatio, aut anticipatio. Respondendum, quod non potest hic cognosci, an ordo sit mutatus, vel recte se habens, quia hæc, quæ supra narrabantur erant præceptiua, ea autem, quæ habentur hic pertinent ad rerum gestarum historiam, & ista duo non coniunguntur tanquam partes vnius rei, ita vt inter illa cognosci possit ordo, cognosceretur autem si essent omnia historica, cum hæc habeant aliquid secundum, quod interdum scitur ordo mutatus. Satis tamen dicendum est rationabiliter, quod hic sit ordo rectus: nam nunquam recedendum est ab ordine scripturæ sine aliqua necessitate, sed nihil est, quod inferat hic anticipationem esse, vel recapitulationē ergo dicendum est esse ordinem rectum.

C

Sed arguet aliquis, qui supra 25. cap. dicitur de bello contra Madianitas agendo, hic autem dicitur, quomodo pugnatum fuerit, ideo ista, quæ intermedia sunt, videntur posita per ordinis mutationem,

Respondendum est, non sequi ex hoc, quoniam potuit à Domino iuberi pugna contra Madianitas, & quod Moyses nō immediate exequeretur, sed interiecto quodā tempore, & in illo fuissent data præcepta, quæ habentur hic. Huius signum est, quia cum positum fuerit, supra cap. 25. præceptum de pugnando contra Madianitas hic repetitur, si tamen nihil intercidisset non fieret repetitio, sed posito præcepto immediate sequeretur executio, & istud est rationabiliter dictum. Siquis tamen velit, quod ista, quæ supra dicta sunt à capitulo vigesimoquinto, vsque nunc non intercederint inter præceptum de pugna contra Madianitas, & tempus, quo pugnatum est, de quo hic, sed à Moyse per mutationem ordinis interposita sunt, non multum insistimus. Et tunc dicere poterit, quod cum repetitur hic præceptum de pugnando contra Madian non repetitur, quasi tempus aliquod, vel res gestæ intercederint inter præceptum de pugnando, & pugnam, sed quia legislator aliquid interposuit mutato ordine, & sic fit mutatio in scriptura sepius.

D

Locutus est Dominus ad Moysen. Ista litera potest dupliciter exponi secundum duos modos continuationis superioris.

Sic dicatur primo modo, scilicet, quod post mandatum de pugnando contra Madianitas, non fuit immediate secuta pugna, dicemus, quod quanquam Deus iussisset Israelitis, quod pugnarent contra Madianitas, supra capit. vigesimoquinto, tamen non determinauit eis tempus, ideo non ausi fuerunt pugnare, quousque Deus determinauit eis tempus, & modum, & hoc fuit per locutionem factam ad Moysen, de qua hic. Simile fuit de bello contra Amalechitas, iussit enim Deus Israelitis, quod delerent nomen Amalech de sub cœlo, Deuter. capit. vigesimoquinto. & tamen non pugnauerunt contra Amalechitas, quousque Deus specialiter pugnari iussit tempore Saulis regis, 1. Regum capit. 15. Tenendo secundum modum continuationis est sensus, quod immediate, vt Deus admonuit Israelitas pugnare contra Madian, de quo supra capitulo vigesimoquinto, ipsi pugnauerunt, ideo ista locutio Domini ad Moysen de pugnando, quæ habetur hic, non erit distincta ab illa, quæ habetur supra capit. 25. sed repetitur hic propter interpositionem aliorum, quæ habentur à cap. 25. vsque huc.

E

Qualiter Deus locutus est Moysi.

QVÆSTIO II.

QVæret aliquis, de locutione ista, qualiter fuerit Deus locutus Moysi. Respondēdum, quod multipliciter loqui poterat. Primo modo, si aliquis angelus in assumpta effigie appareret Moysi, & loqueretur ei hæc. Secundo modo, si angelus in assumpto corpore loqueretur Moysi, & vox eius audiretur, sed nulla corporis videretur effigies, sicut fuit in datione legis, Deuter. cap. 4. cum totus populus audiuit voces, sed nullam figuram vidit, vel cum loquebatur angelus de columna nubis ad ostium tabernaculi, de quo supra ca. 12. & istæ duæ sunt locutiones reales. Tertio modo poterat fieri locutio imaginaria, scilic. in somniis. Nam multa reuelantur Prophetis in somnio, supra capit. 12. & tunc videtur Prophetæ, quod aliquid audit, vel aliquid videt, sicut nobis videtur in somniis nostris, tamen nihil horum est, quia occupata anima per soporem nihil per organa percipere potest, sed solū est ibi quædam immutatio phantastica, quam Deus facit, vel angeli eius species nouas causando, vel antiquitas nouiter componendo & isto modo Prophetæ certissimas veritates iudicant, sicut si aliquid in vigilia audirent.

F

Quarto modo poterat Deus loqui Moysi immutando intellectum eius, scilicet, eleuando ad intelligendum aliqua supernaturalia, vt ea, quæ habentur hic, scilicet, quod Deus vellet pugnare Israelitas contra Madian, & in ista immutatione intellectus non fit aliqua mutatio in sensibus. Potest autem istud fieri dupliciter, sc. quod rapiatur quis in ecstasim, vel sine raptu. De his omnibus modis magis declaratum est supra ca. 12. Quis autem modorum istorum fuerit, patere non potest, quilibet enim horum satis erat conueniens.

In quo loco locutus est Deus Moysi ista.

QVÆSTIO III.

QVæretur vlterius, in quo loco Deus ista Moysi locutus fuerit. Respondendum est, quod ista quæstio præsupponit determinationem præcedentis: nam non inquiritur vbi Deus locutus fuerit, nisi cum locutio realis est in voce, sicut fit duobus primis modis, & tunc reperiuntur aliqua loca, in quibus Deus consuetus esset loqui Moysi. Ideo dicendum, quod aut fuit ista locutio aliquo duorum primorum modorum, aut aliquo duorum secundorum. Si in primis

A

dicendum, quod aliqua loca erant ſpecialia, in quibus Deus loquebatur Moyſi, ſcilicet, intra Sancta ſanctorum ſuper propitiatorium inter Cherubim, Exodi cap.25. & ſupra 7. & columna nubis ad oſtium tabernaculi, ſupra cap.12. vel columna extra tabernaculum, quam mouebat angelus in via, Exodi ca. 14. ſimile, Exodi cap.20. & Deut. 5. Si autem fuerit locutio aliquo duorum ſecundorum modorum, non eſt inquirendus aliquis locus ſpecialis, in quo iſta fierent, quia ſcriptura nihil tale determinat, ſed vbicunque conuenienter fieri poterat. Tenendo autem, quod fuit facta locutio aliquo duorum primorum modorum, dicendū eſt, quod poterat fieri intra Sancta ſanctorum, vel ad oſtium tabernaculi, vel in columna nubis alias, & iſti tres modi vſitati erant, vt ſupra dictum fuit, ſed præter hos poterant eſſe alii, quia vbicunque vellet Deus, poterat angelus aſſumere corpus aereum, & loqui, vel apparere Moyſi.

Dicet autem aliquis, quod quanquā multi modi poſſibiles eſſent ad hoc, tamen credendū eſt, aut ſaltem veriſimilius eſt, quod fuerit iſta locutio ſuper propitiatoriū, quam in aliquo alio loco, eo quod Moyſes ſolitus erat introire in Sancta ſanctorum ad inquirendum de dubiis, vt patet ſupra cap.7.

Reſpondendum eſt, quod nullo modo eſt veriſimile, quod iſta locutio fuerit facta intra ſancta ſanctorum, quia Moyſes nunquam ingrediebatur illuc, niſi cum vellet quærere de aliquo dubio, vt colligitur ſupra cap.7. nunc autem ipſe nolebat quærere, ſed Deus ei locutus eſt, ideo magis videtur, quod fuerit in aliquo aliorum locorum, ſcil. in columna nubis ad oſtium tabernaculi, vel alibi.

B

Vlciſcere filios Iſrael prius. Id eſt, antequam moriaris da filiis Iſrael vindictam. Suſceperant enim magnam offenſam Iſraelitæ à Madianitis, cum deceperint eos ducendo fœminas in caſtra Iſrael, & inducendo populum ad fornicationem, & idolatriam, propter quæ ſecuta eſt plaga magna ſuper Iſrael, ſupra ca.25. de hoc habituri erant Iſraelitæ vltionem, ſi delerent gentem Madian. Et dicitur: vlciſcere, non quod Moyſes expeteret iſtam vltionem tanquā vir pugnator per ſe ipſum occidens Madianitas, ſicut occidit Propheta Samuel regem Amalec, 1. Reg. 15. cap. cum Moyſes non iuerit ad bellum, etiam non vltus eſt Iſrael, tanquam dux, quia non fuit ipſe dux belli, ſed Ioſue, vt patet in litera, hoc tamen ad ducem pertinet, cui aſcribuntur omnia facta in bellis, quia ipſe eſt principiū motiuum, & regulatiuum omnium aliorum, operatio autem reducitur in principale agens, vel mouens, Moyſes tamen vltus eſt filios Iſrael de Madianitis, quia ipſe ordinauit qui irent ad bellum, & elegit ducem belli, vt patet hic, ideo licet Ioſue eſſet dux belli immediatus, tamen magis fuit dux Moyſes, qui ordinauit ipſum Ioſue, & totum populum, qualiter ſe deberent habere ad bellum, vt patet hic, ideo ipſi attribuitur vindicta, tanquam principali, & dicitur hic: Prius, id eſt, antequā moriaris, quaſi dicat, licet poſſet vindicta expeti de Madianitis poſt mortem tuam ab alio duce, tamen volo, quod ante mortem tuam hoc fiat. Fuit enim valde conueniens, ſcil. quod iſta vindicta haberetur tempore Moyſi, & quod per ipſum Ioſue, quia Ioſue conſtitutus erat in ducem poſt mortem Moyſi, ſupra ca.27. ideo, vt populus confideret, quod ipſe poſſet ſubiicere hoſtes Iudæis expediebat, vt viuente Moyſe proſpere aliqua bella conficeret: nam ſicut viuente Moyſe loqui debebat Ioſue ad populum, & danda erat ei quædam pars gloriæ Moyſi, ſupra cap.27. ſcilicet, vt poſtea populus honoraret eum, ita viuente Moyſe pugnare debuit Ioſue contra hoſtes, & proſpere bella finire, vt populus aſſueſceret ei confidere. Rabbi Salomon dicit, quod Deus mandauerat Moyſi per ſe ire contra Madianitas ad pugnam, ſed non iuit mittens bellatores, vt patet infra, & dicit, quod Moyſes dixit Deo: Dñe, non videtur mihi iuſtum, vt contra illos pugnem, inter quos nutritus ſum, ſcilicet, quia fuerat conuerſatus inter Madianitas, & ibi duxerat vxorem, Exodi cap.2. Sed iſta ridicula ſunt, nec eſt veriſimile, quod Moyſes repugnaſſet verbis Domini maxime, quia iſta excuſatio nulla erat, quia etiam Moyſes inter Ægyptios magis nutritus eſt, & à filia regis adoptatus eſt, ſed Ægyptium virum ibi occidit, vt patet Exodi capitu.2. etiam ſuper Ægyptios decem plagas peſſimas induxit, vt patet à capitulo ſeptimo Exodi, vſque ad 12. Item ſicut Moyſes de populo Iſrael per ſe, & adiutorio Leuitarum occidit 23. millia hominū, quia peccauerant in vitulum, Exodi 32. ita occideret Madianitas, qui peccauerant contra Deum Iſrael. Ideo à fortiori, quia ſi iura propinquiſſimæ conſanguinitatis non excuſabant bellum contra peccatores, multo minus excuſarent illud contritio, & conuerſatio. Patet hoc Exodi 32. ca. cum dicitur: Ponat vir gladium ſuper fœmore ſuo, & occidat vnuſquiſq; fratrem ſuum, & de hoc laudantur nimis, quod propter Deum occiderint proximos ſuos, Deut. 33. cap. ſcilicet, qui dixit patri ſuo, & matri ſuæ, neſcio vos, & fratribus ſuis, ignoro illos, & neſcierunt filios ſuos. Fundamentum autem Rabbi Salom. erat, quia dicitur hic: Vlciſcere filios Iſrael, quod ad Moyſen dirigitur, ergo ipſe pugnaturus erat. Sed intelligendum eſt, vt ſupra diximus, ſcil. quod ipſe inberet aliis pugnare, & ordinaret qui irent ad bellum.

D

De Madianitis. Iubet Deus vindictam haberi de Madianitis, quia offenderant Iudæos nimis, ſupra c. 25. Sed dicetur quare non petitur vindicta de Moabitis, cum ipſi miſerint virgines ſuas ad caſtra Hebræorum, & rex Balac, qui iſta fieri iubebat erat rex Moabitarum, ſupra cap. 22. Dicendum eſt, quod ad hoc fuit reſponſum, ſupra ca.25. *Et ſic colligeris ad populum tuum.* Id eſt, immediate, vt feceris iſtam vindictam, morieris, & ibis ad populum tuum, ſcilicet, ad ſanctos, qui ſunt in ſinu Abrahæ. Et dicitur, colligi, id eſt, coniungi, quia qui moritur coniungitur aliis, qui mortui ſunt. Poteſt autem accipi hic populus pro omnibus mortuis: nam ſicut viuentes ſunt vnus populus, ita omnes mortui ſunt, alius populus, & qui moritur aggregatur ad populum ſuum, id eſt, ad omnes alios mortuos. Alio modo accipitur ad populum tuum, id eſt, ad ſanctos viros, qui ſunt in ſinu Abrahæ, nam ante paſſionem Chriſti ibi erant omnes ſancti, qui deceſſerant ſine culpa, & ſine onere alicuius ſatisfactionis explendæ, vel qui in purgatorio exiſtentes inexpletam ſatisfactionem in ſæculo expleuerant, & poſtea in ſinum Abrahæ tranſibant. Et iſte modus eſt conuenientior, quia in ſacra Scriptura reperitur hoc dictum de viris ſanctis, & de aliis nunquam. Dicitur autem, & ſic colligeris, id eſt, immediate morieris. Vel, & ſic colligeris, id eſt, faciendo iſtud morieris, quaſi dicat, non poteris mori antequam habeas iſtam vindictam de Madianitis. Forte enim volebat Deus, quod Moyſes videret iſtam iucunditatem, vt ſicut in plaga populi pro peccato, ad quod induxerunt Madianitæ triſtatus eſt, ſic gauderet in punitione eorum iuſta, quia lætabitur iuſtus, cum viderit vindictam, & lauabit manus ſuas in ſanguine peccatoris. Pſalm. 57. & ſic monſtrata eſt terra promiſſionis Moyſi ad gaudium ſuum ante mortem, vt habet Deuter. 34. capitulo, vel forte factum eſt hoc, vt viuente Moyſe vltio expeteretur per manum Ioſue, vt ſic populus aſſueſceret ad confidendum, quando mortuo Moyſe ipſe efficeretur dux populi,

E

Statimq; Moyſes. Id eſt, immediate poſt præceptum Domini Moyſes fecit, quod ſequitur, ſcil. diſpoſuit viros ad bellum. In quo apparet verus amor ſubditorum, & perfectio maxima paſtoris, magis enim populi ſalutem, quam propriam diligebat, quia mors ſua dilatabatur, vſque ad conſummationem illius belli, ſi autem ſalutem ſuam nimis dilexiſſet, dilataſſet illā pugnam, & diutius viueret.

F

Armate, inquit, ex vobis viros ad pugnam. Id eſt, Moyſes, inquit, immediate ſupple ad populum, armate viros ex vobis, id eſt, date viros armatos ad pugnam.

Qui poſſint vltionē Domini expetere de Madianitis. Id eſt, iſti viri debent eſſe fortes ad pugnandum electi ex toto Iſrael. Sic patet, quia dicitur immediate, quod de qualibet tribu eligebantur mille viri.

Vltionem Domini expetere. Vocatur vltio Domini dupliciter. Vno modo, quia Deus iſtam vltionem conceſſurus erat, ſcil. quod Iſraelitæ non potuiſſent vlciſci de Madianitis, niſi Deus adiuuiſſet eos ad vltionem, potiſſime cum eſſent pauci, ſcilicet, duodecim millia virorum, & pugnabant contra totam gentem Madian, maxime autem, quia iſtud bellum, ita proſpere geſtum eſt, quod manifeſtum eſt illud à Deo ſpecialiter fuiſſe factum, ſcilicet, quia cum Iſraelitæ occidiſſent omnes Madianitas, & deleuiſſent terram eorum, nullus omnino de Iſraelitis bello corruit, vt patet infra in litera, ſicut ergo dicuntur eſſe quædam bella Domini, quia ab ipſo ſpecialiter fiunt, Exodi 14. cap. cum dicitur, Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Vel quia miraculoſe geſta ſunt, ſicut innuitur ſupra vigeſimo primo capitu. vbi quidam vocatur liber bello

C

Vindicta contra Madianitas cōueniēter facta eſt per Moyſen.

Opinio Rabbi Sal. refellitur.

Vltio Domini dicitur dupliciter hic.

A

ber bellorum Domini, ita vltio Dei dici potest illa, quæ à Deo specialiter fit, & sic ista facta est. Vel dicitur vltio Domini, id est, quod hic vindicabatur iniuria facta Deo. Vltio enim pro iniuria, vel pro damno datur, ideo ad illum pertinet, qui iniuriam, vel damnum passus est. Dicitur autem vltio Dei, quia ipsi offensa facta fuerat. Et hoc dupliciter, vno modo, quia Madianitæ voluerunt Deum concitare ad iram contra Israelitas, & diminuere cultum eius inducentes Israelitas ad idololatriam, & fornicationem, supra cap. 25. in quibus Deus nimis offenditur.

Alio modo potest intelligi, quod erat vltio Dei, quia fuerat ei illata iniuria, non quidem directe, sed quia Iudæis inflicta est, & ipsi erant populus peculiaris Dei, Exodi 19. & Deuter. capitulo septimo, omnis iniuria, vel damnum datum Iudæis videbatur inflictum Deo, sicut iniuria irrogata alicui de familia alterius redundat in principem familiæ. Et isto modo dicitur accipere in hostes eos, qui sunt hostes Iudæorum, & accipit in amicos eos, qui benefaciebant Iudæis, Exodi 23. cap. cum dicitur, quod si audieris vocem eius, & feceris omnia, quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te.

An de qualibet tribu iuerint 3. millia virorũ ad bellum.

Mille viri de singulis tribubus eligantur. Hic ponitur modus accipiendi bellatores, erant enim Madianitæ multi, scil. tota vna gens habens quinq; reges, vt patet infra, ideo videretur Iudæis, quod totus populus illuc ire debebat. Deus autem voluit, quod pauci irent, vt manifestaretur, quod magis erat victoria à Deo, quam ex hominibus, voluit tamen istos viros esse electos, ne essent pauidi corde, & facerent pauere corda aliorum Israelitarum si fugerent de bello, Deuter. capit. vigesimo. Nec dicitur, quod isti eligantur, ita quod sint tales viri, qui quanquam pauci sunt, tamen in virtute pugnæ sint maiores omnibus Madianitis, sed dicitur hoc, vt essent isti viri electi, ne essent corde pauidi, quanquam bellum non esset conficiendũ viribus eorum: sic factum est in bello Gedeonis contra Madianitas: nam cum accepisset 32. millia virorum recesserunt 22. millia facta quadam electione inter eos, scilic. quod formidolosi, & timidi reuerterentur, manserunt autem 10. millia, & adhuc de illis Deus elegit solum 300. viros, Iudic. capit. septimo. Sed manifestum est, quod illa electio non erat, vt essent illi viri valde strenui, & possent facere bellum, quia illi nõ pugnauerunt, sed tenuerunt manibus suis tubas, & amphoras, & lucernas, vt patet præalleg. capit. Rabbi Salomon dicit, quod erant tria millia virorũ de qualibet tribu: & hoc ponit quia in litera hebraica triplicatur iste numerus mille: sc. mille de qualibet tribu, mille de qualibet tribu: & iterum. Et si obiiciatur contra eum, quod solum 12. millia virorum pugnauerunt, vt patet immediate in litera, respondet quod duodecim millia erant ad pugnandum, & duodecim millia ad orandum, & duodecim millia ad custodiendas sarcinas bellatorum, sed nemo cogit eum ad hoc. Etiam non est istud verisimile, scilic. quod tot viri manerent ad custodiendas sarcinas, quo: ibant ad bellum.

C

Item de orantibus non est verisimile, non enim oportuit separari duodecim millia virorum, sed magis reliquus populus orabat, vt cuncta prospere euenirent bellatoribus. Item si debuissent aliqui specialiter ad orandum separari, isti debuissent esse Leuitæ, vel sacerdotes, quia ipsi erant ministri Dei segregati à cæteris, supra capit. primo, & hoc ad faciendum sacrificia, & cætera, quæ pertinebant ad diuinum cultum, & ipsi pro populo orabant, scilicet, sacerdotes in sacrificiis suis, Leuit. cap. 5. 12. & 14. & per totum, sed ipsi non separati sunt, quia solum iubetur hic, quod essent de tribubus Israel, ergo non fuerunt separati aliqui ad orandum. Item si fuissent aliqui de Israelitis ad orandum separati sufficiebat, vt iste fuisset Moyses cum iste esset sanctior toto populo, & Deo magis acceptus, supra capit. 12. & sic non expediebat aliquos de cæteris separari. Sic fuit in bello contra Amalechitas: nam cum pugnaret Iosue contra Amalec: Moyses existens in vertice montis orabat, & vincebat Israel Amalechitas, Exodi decimo septimo capitulo. Sed etiam nunc non legitur, quod ipse specialiter orasset, ergo non fuerunt aliqui de Israelitis separati ad orandum.

Item non potest stare ista expositio, quia repugnat literæ, quia infra distinguitur præda inter eos, qui pugnauerunt, & reliquam multitudinem, ergo præter pugnãtes nulli alii iuerunt ad bellum, nec separati sunt ad orandum, aut ad custodiendum sarcinas, sed computantur nomine multitudinis, solum ergo erant 12. millia virorum de 12. tribubus. Fundamentum autem Rabbi Salomon procedit ex replicatione literæ, quia consuetum est in litera Hebraica, vt bis, vel pluries ponatur eadem dictio pro simplici re, vt patet frequenter in isto libro, & in Leuitico, quia vbi nos dicimus: Vir, frequenter litera Hebraica dicit, vir vir.

D

De singulis tribubus. Id est, de qualibet tribu erant assumendi mille viri, quia bellum erat pro vtilitate publica, & ad vindicandum iniuriam irrogatam toti communitati, ideo de tota communitate debebant aliqui mitti ad expetendum istam iniuriam, sed quælibet tribus erat vna de partibus principalibus totius multitudinis, ergo de qualibet tribu erant mittendi aliqui ad bellum.

An aliquis Leuita iuerit ad bellum.

QVÆSTIO IIII.

QVæretur circa hoc, an de Leuitis aliqui iuerint ad bellum. Respondendum est, quod non missi fuerunt viri, sicut de qualibet alia tribu, quod patet quia præter Leuitas erant duodecim tribus Israel, supra capit. 1. & 2. Sed iubetur, quod mittantur mille viri de qualibet tribu, & fuerunt omnes, qui missi erant 12. millia, vt patet immediate, ergo de Leuitis non fuerunt missi, sicut de aliis tribubus, alioquin essent 13. millia.

E

Item dicitur hic, quod eligerentur mille viri de singulis tribubus Israel, sed Leuitæ non computantur nomine tribuum Israel, ergo non fuerunt missi de eis viri. Patet hoc, supra cap. 1. cum dicitur: Tribum Leui noli numerare, nec ponas summam eorum cum filiis Israel, sed constitue eos super tabernaculum testimonii. Causa autem, quare Leuitæ non ibant ad bellum cum cæteris, nec faciebant cætera, quæ erant publicæ vtilitatis, est quia ipsi fuerunt separati specialiter ad cultum Dei, & non ponebatur numerus eorum cum numero Israelitarum, ideo ipsi semper debebant vacare illi officio. Israelitæ autem mitti debebant ad ea, quæ erant publicæ vtilitatis, nec in hoc grauari poterant Israelitæ tanquam essent Leuitę magis priuilegiati, quia ipsi separati fuerant ad cultum Dei nomine totius multitudinis, vt patet supra capitu. 3. & 8. cum dicitur, quod accepit Deus Leuitas pro omnibus primogenitis totius Israel. Cum ergo semper essent in ministerio totius multitudinis, non grauabatur multitudo, si mitterentur ad similia opera semper viri de duodecim tribubus, & nunquam de Leuitis, velut si aliqua de duodecim tribubus esset semper occupata in negotiis multitudinis, nunquam assignarentur illi officia.

F

Eligantur de Israel. Aliquãdo accipitur Israel stricte pro multitudine 12. tribuum solum, aliquando autem pro tota congregatione, tam duodecim tribuum, quam Leuitarum. De primo patet, vt cum dicimus, quod totus Israel diuidebatur in duodecim tribubus, vel cum dicitur, quod Leuitæ assumebantur pro primogenitis totius Israel, supra capit. 3. & 8. vbi necesse est intelligi de solis duodecim tribubus. Aliquando autem accipitur Israel pro tota congregatione tam duodecim tribuum quam Leuitarum, vt cum sæpe dicitur, quod omnis homo de filiis Israel, faciet hoc, vel illud, vel quod nullus de Israelitis, vel de aduenis faciet tale, vel tale, sicut sæpe habetur in Leuitico, & in hoc libro. Quando autem nomine totius Israel intelligantur Leuitæ, & quando non, declaratum fuit supra cap. 1.

Mittantur ad bellum. Secundum expositionem Rab. Salom. dici debebat, quod omnes missi fuerunt ad bellum, scilic. tria millia de qualibet tribu, sed non omnes pugnabant, sed solum duodecim millia, aliorum autem quidam orabant, & quidam custodiebant sarcinas, sed istud improbatum est. Ideo dicendum, quod solum erant 12. millia virorum missa ad bellum. *Dederunt q; millenos de cunctis tribubus.* Id est, quælibet tribus dedit mille, & sic erant distincti bellatores per millenos, quia millenus est nomen ordinis, scilic. quando plura miliaria sunt ordinata, & sic erat hic, cum quælibet tribus daret mille viros. *Id est, duodecim millia virorum expeditorum.* Declaratiuum est præcedentis, scilicet, quod omnes qui missi fuerunt

A de omnibus tribubus erant ſimul duodecim millia virorum, qui erant expediti ad bellum, id eſt, diſpoſiti, ſcilicet, armati: cum dicatur ſupra: Armate ex vobis viros. Vel dicuntur, expediti ad bellum, id eſt, non habentes aliquid, quod impediret eos pugnare. Et hoc dicitur ad differentiam reliquorum, qui manebant in caſtris: nam quanquam eſſent viri pugnatores cum ſæpe pugnaſſent, tamen non erant expediti ad bellum, quia habebant ſecum filios, & vxores, armenta, & cætera ſupellectilia, quæ impediunt hominem ad bellum. Iſti autem, qui mittebantur, ſcilicet, 12. millia virorum erant expediti, quia nihil ſecum ferebant, niſi arma bellica, relinquentes cætera, quæ ſui iuris erant in caſtris. Et iſto modo cum Moyſes dedit filiis Ruben, & Gad, & dimidiæ tribui Manaſſe terram, quæ erat ante Iordanem, dixit eis, quod expediti pergerent ante fratres ſuos, ſcilicet, quod dimitterent vxores, & filios, & alia, quæ poſſidebant in terra ſua, & ipſi armati ſolum pergerent, vt patet ſequenti capit. De cæteris autem non dicitur, quod expediti pergebant, quia ferebant ſecum vxores, & liberos, & cætera, quæ poſſidebant cum nondum accepiſſent terram: in qua morarentur.

Quos miſit Moyſes. Dicitur eos miſiſſe, quia ipſe erat princeps in caſtris, & ipſe elegit bellatores, atq; miſit ad pugnam. *Cum Phinees filio Eleazari ſacerdotis.* Iſte fuit velut vnus de ducibus belli, & præcipuus. Fuit autem miſſus, quia erat vir ſtrenuus in armis, & zelabat pro Domino, cum ipſe occidiſſet principem tribus Simeon, & Madianitidem coeuntes, atq; auertit iram Dei à populo, ſupra cap. 25. Couenienter autem iſte ad bellum miſſus eſt, quia ipſe fuit, qui maxime zelauerat in peccato facto contra Dominũ, per induſtriam Madianitarum, vt ſupra dictum eſt. Fuit autem miſſus principaliter ad cuſtodiam ſacrorum vaſorum, quæ mittebantur in bellum. Nam dicitur hic, quod vaſa ſancta, & tubas tradidit ei. Sic autem erat in aliis bellis, quod ſacerdotes ibant ad cuſtodiam arcæ fœderis, quæ ferebatur in pugnam, vt patet de duobus filiis Eli ſacerdotis, ſcilicet, Ophni, & Phinees, qui iuerunt ad cuſtodiendum arcam in bello, 1. Regum 4. cap. iuit etiam Phinees ad admonendum cæteros Iſraelitas ad pugnã, quia quandocunque pugnare debebant Iſraelitæ, ibant ſacerdotes aliqui cum illis ad faciendum quaſdã admonitiones coram bellatoribus inſtante pugna, de quibus Deut. capit. 20. ibat etiam Phinees ſacerdos, & alii ſacerdotes cum eo ad clangendum tubis in bello, quia quandocunque Iſraelitæ pugnare deberent contra aliquem gentem iubebat, quod clangerent tubis argenteis, ſupra cap. 10. & tamen in illis ſoli ſacerdotes clangebant, vt patet eod. cap. *Vaſa quoq; ſancta.* Iſta ſecundum Hebræos ſunt arca fœderis, & lamina. Dicit enim Rab. Sal. quod iſta duo ferebantur in adiutorium belli. De arca fœderis patet quid ſit, Exod. c. 25. De lamina aurea dicendum, quod erat quoddã ornamentum Pontificis operiens frontem eius, & perueniens ab aure vſq; ad aurem, de qua declaratum eſt, Exod. c. 28.

Cur arca fœderis, & lamina portabantur in adiutorium belli, opinio Rabbi Salomõ refellitur.

Dicit etiam Rabbi Salom. quod Balaam ariolus, qui ſtabat tunc cum Madianitis, dixit eis: Non poteritis præualere contra populum iſtum niſi armati, & pedeſtres occurramus eis. Fecit ergo, quod magica arte omnes Madianitæ bellarent armati, vt ſic irruerent deſuper in Hebræos faciliter eos occidẽtes, tunc Phinees ponebat laminam in fronte in qua erat nomen Dei tetragrammaton, qua viſa omnes de ſublimi volitantes ſuper facies ſuas cadebant, & ſic à Iudæis leuiter occidebantur. Hoc autem vult Rabbi Salomon, quia ibi dicitur infra in litera noſtra, quod Iſraelitæ occiderunt reges Madian. Dicitur in Hebræo, quod occiderunt eos ſuper interfectos, in quo innuitur, quod ipſi cadebant volantes ſuper alios interfectos. Hoc enim patet Ioſue capitulo decimotertio, cum dicitur: Et Balaam filium Beor ariolum, occiderunt filii Iſrael gladio, cum cæteris interfectis, & in Hebræo dicitur: Super interfectos.

Sed iſtud ridiculum eſt, nec etiam videtur, quod portarent Iſraelitæ ſecum laminam ſacerdotis, quia nunquam legitur, quod ad aliquod bellum portarent. De arca autem legitur, quod portaretur, vt paret in bello facto contra Iericho, vbi luſtrabatur ciuitas, & ferebatur arca coram bellatoribus, Ioſue c. 6. patet etiam in bello contra Philiſthiim, quando duo filii Eli ſacerdotis portauerunt eam illuc, & capta eſt à Philiſthiim, 1. Reg. cap. 4. ducebatur autem arca in bello, vt Deus liberaret Iſraelitas, quia confidebat, quod cum eſſet arca inter illos, faciliter vincerent. Sic patet prælallegato capitulo, cum dicitur: Dixeruntque maiores natu Iſrael, quare percuſſit nos Dominus hodie coram Philiſthiim, afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini, & veniat in medium noſtri, vt ſaluet nos de manu inimicorum noſtrorum. Et ſequitur ibidem, quomodo Iſraelitæ confidentes de victoria clamauerunt nimis, & Philiſthiim ſcientes eſſe arcam Dei in caſtris timuerunt valde. De illa igitur dicendum eſt, quod adducta fuerit in bellum hic, & ipſa vocatur vaſa ſancta, quia multoties in Hebræo ponitur plurale pro ſingulari. Vel vocatur vaſa cum arca non eſſet vnum ſolum, ſed in ſe multa continebat, ſcilicet, propitiatorium, & Cherubim, & virgam Moyſi, & Aaron, quæ fronduerat, & vrnam cum manna, de quibus declaratum eſt Exodi cap. 25.

Item non poteſt ſtare, quod tuliſſet Phinees laminam, & poneret in fronte, quia lamina erat ornamentum pontificale & nullus alius vtebatur eo, niſi Pontifex, Exodi 28. ca. cum eſſent diſtincta ornamenta Pontificis, & minorum ſacerdotũ, vt patet ibidem: ſed Phinees non erat ſummus ſacerdos quouſque moreretur pater eius Eleazarus, ideo non poterat vti lamina pontificali: Eleazarus autem non fuit mortuus vſque ad multos annos poſt ingreſſum in terram Chanaan, vt colligitur Ioſue c. vlt. Ipſe namq; cum Ioſue diuiſit terram illam, vt patet Ioſue 14. capit. ſed nunc nondum ingreſſi erant Iſraelitæ in terram Chanaan, ergo non erat mortuus. Etiam quia dicitur hic, quod poſt pugnam egreſſus eſt Eleazarus ſacerdos obuiam bellatoribus.

Et tubas ad clangendum tradidit ei. Iſtæ ſunt tubæ, quas fecit Moyſes de argento, ad congregandum populum ad conſilia, vel ad mouendum caſtra, & iſta proficiebant ad multos vſus, ſcilicet, ad clangendum in feſtiuitatibus ſuper holocauſtis, & victimis, etiam ad clangendum in bellis, de quibus ſupra capitulo decimo. Iuſſit autem Deus fieri duas, ſed nunc veriſimile eſt, quod eſſent plures. Nam immediate, ſcilicet, in anno ſequenti, poſt hoc ingreſſi fuerunt Iſraelitæ terram Chanaan, & iam habebant tubas plures, quoniam ſeptem tubis clangebatur in luſtratione vrbis Iericho, Ioſue capitulo ſexto, & ſic eſt veriſimile, quod multæ tubæ ferrentur in bellum. Datæ fuerunt autem iſtæ tubæ ad clangendum, quia Deus iuſſit ſemper illas ferri in bellum, dicens, quod recordaretur Iſraelitarum, quando clangerent in illis tubis, & liberaret eos ab hoſtibus, ſupra capitulo decimo. Dicitur autem, tradidit ei, id eſt, Phinees filio Eleazari, quia non debebant tradi alicui de popularibus, nulli enim illorum licebat clangere in illis tubis, cum eſſent vaſa ſacra, ſed ſolis ſacerdotibus, vt patet præalleg. cap.

Cumque pugnaſſent contra Madianitas, atque viciſſent, omnes mares occiderunt, & reges eorum Eui, & Recem, & Sur, & Vr, & Rebe, quinque principes gentis: Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio. Ceperuntque mulieres eorum, & paruulos, omniaque pecora, & cunctam ſupellectilem: quidquid habere poterant depopulati ſunt, tam vrbes quam viculos, & caſtella flamma conſumpſit. Et tulerunt prædam, & vniuerſa, quæ ceperant, tam ex hominibus, quam ex iumentis, & adduxerunt ad Moyſen, & Eleazarum ſacerdotem, & ad omnem multitudinem filiorum Iſrael. Reliqua autem vtenſilia portauerunt ad caſtra in campeſtribus Moab: iuxta Iordanem contra Iericho. Egreſſi ſunt autem Moyſes, & Eleazar ſacerdos, & omnes principes ſynagogæ in occurſum eorum extra caſtra. Iratuſque Moyſes principibus exercitus, tribunis, & centurionibus, qui venerant de bello, ait: Cur fœminas reſeruaſtis? Nonne iſtæ ſunt, quæ deceperunt filios Iſrael ad ſuggeſtionem Balaam, & præuaricari vos fecerunt in Domino ſuper peccato Phogor, vnde, & percuſſus eſt populus? Ergo cunctos interficite, quidquid eſt generis maſculini, etiam in paruulis, & mulieres, quæ nouerunt viros in coitu, iugulate: puellas autem, & omnes fœminas virgines reſeruate vobis, & manete extra caſtra ſeptem diebus. Qui occiderit hominem, vel occiſum tetigerit, luſtrabitur die tertio, & ſeptimo.

Balaã ariolus occiditur.

Sup. 25. Iud. 21.

Captiuæ occiſiones interficiuntur exceptis mulieribus virginibus

A

ptimo. Et de omni præda, siue vestimentum fuerit, siue vas, & aliquid in vtensilia præparatum de caprarum pellibus, & pilis, & ligno expiabitur. Eleazar quoque sacerdos ad viros exercitus, qui pugnauerant, sic locutus est. Hoc est præceptum legis, quod mandauit Dominus Moysi, Aurum, & argentum, & æs, & ferrum, & plumbum, & stannum, & omne, quod potest transire per flammas, igne purgabitur, quidquid autem ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur, & lauabitis vestimenta vestra die septimo, & purificati postea castra intrabitis.

Cumq; pugnassent contra Madianitas. Hic ponitur secundum, scilicet, victoriæ obtentus: nam cum Deus misisset in bellum Iudæos, tanquam ministros suos faciliter concessit eis victoriam, ita vt nullus eorum periret, vt patet infra, pugnauerunt autem contra Madianitas, tam bello campali, quam in vrbibus eorum, cum dicatur infra, quod deleuerunt omnes vrbes & castella. *Atque vicissent.* Scilicet, quod non poterant Madianitæ resistere eis, & vertebantur in fugam faciente Domino. *Omnes mares occiderunt.* Principaliter enim bellum est contra mares, contra fœminas autem nemo pugnat, nisi insanus, & sic faciebant Israelitæ contra omnes gentes, & omnes gentes hoc faciunt inter se. Fallebat autem hoc in Chananæis, nam

B

tam viros, quam fœminas à paruulo, vsque ad senem, iubebat Deus occidi, Deuter. capit. 20. & cum dicitur hic, quod occiderunt omnes mares, intelligitur de masculis, ætatis adultæ, paruulos autem, & omnes fœminas reseruauerunt, vt patet immediate, Moyses tamen postea iussit, vt paruuli occiderentur, & omnes fœminæ, quæ nouerant viros, vt patet infra. *Et reges eorum.* Non solum occisi sunt populares, sed etiam reges, omnes enim peccauerant, ideo omnes occisi sunt, & maxime peccauerant principes, ideo ipsi maxime debuerunt occidi. Ponuntur autem hic quinque reges terræ Madian, qui occisi sunt. Fuit enim diuisa tota illa terra in quinque reges, & isti erant parui reges, ideo aliquando vocantur reges, aliquando principes, & aliquando duces, quod apparet hic, quia infra vocantur isti quinque principes terræ Madian, vocantur autem duces supra cap. 25. & Iosue 13. & isti dicuntur duces reges Sehon, id est, quod erant sub potestate illius, Iosue capit. 13. & hoc, quia erat rex Sehon potens, & tota terra Madian seruiebat ei, sicut declaratum est eodem capitulo, & supra capitu. 22. & inter istos quinque reges nobilior, & potentior erat rex Sur, vt patet supra capitulo. 25. cuius fuit filia Cozbi, quæ occisa fuit à Phinees, cum principe tribus Simeon, de quo eodem capitulo, *Quinque principes gentis.* Id est, isti supra dicti erant quinque principes gentis Madian, quia erat tota terra diuisa per principatus illorum. Vocantur autem isti principes dupliciter. Vno modo, quia omnis rex princeps est,

C

isti autem erant reges terræ Madian, ergo erant principes. Aliter autem possunt vocari principes ad significandum paruitatem principatus eorum, scilicet, quod non erant isti quinque reges magni, sed erant tanquam parui domini, qui alias vocantur reguli, vel duces. Et dicuntur principes gentis, id est, totius gentis Madian, quia nullus alius præter eos dominabatur in terra Madian. *Balaam quoq; filium Beor interfecerunt gladio.* Iste est Balaam, qui iuit ad maledicendum Israelitis ad vocationem regis Moab, & conatus est ter maledicere, sed Deus prohibuit, supra 23. & 24. ca. hunc autem interfecerunt Iudæi cum cæteris Madianitis, quia ipse magis nocuit illis, quam Madianitæ, cum dederit consilium de prostituendis puellis Moabitarum & Madianitarum apud castra Hebræorum, vt sic inducerentur Hebræi ad peccandum, vt patet supr. cap. 24. & hic. Iste autem non fuit de terra Madian, sed de Mesopotamia Syriæ, & de ipso loco fecit eũ vocari Balac rex Moab, Deut. 23. & supra cap. 23. cum dicitur: De Haran adduxit me Balac rex Moabitarum, de montibus orientis. Erat tamẽ tempore belli huius Balaam in terra Madian, ideo interfectus est cum Madianitis. Morabatur autem tunc ibi, quia Madianitæ promiserant honorare eum, vt maneret apud illos, ideo deserta Mesopotamia venit in terram Madian.

Balaã occisus eũ Madianitis

Si autem obiiciatur, quod Balaam cum recessit de terra Moab, non iuit in terram Madian, sed in Mesopotamiam, quia dicitur supra capitulo vigesimo quarto, quod iuit in terram suam.

D

Dicendum est, quod iuit illuc ad disponendũ ibi de rebus suis, sed postea reuersus est, vt moraretur in terra Madian, vt declaratum fuit supra cap. 22. & 23. Dicunt autem Iudæi de isto Balaam, quod audiuit, quod consilio eius multi de Iudæis periissent, ideo veniebat ad Madianitas, vt redderent ei mercedẽ laboris sui, ipsi enim conduxerant eum ducentes in terram Moab, supra capit. 22. sed primum verius est. Non fuit autem mortuus hic Balac rex Moabitarum interistos, quia licet ipse conduxisset Balaam ad maledicendum Israelitis, non erat tempore huius belli in terra Madian, sed in regno suo terræ Moab, contra Moabitas autem non pugnauerunt Iudæi, quia Deus vetuerat Deut. capit. 2. Etiam quia facta ista fraude contra Iudæos solum iussit Deus, quod expeterent vltionem de Madianitis, de Moabitis autem nihil dixit, vt patet supra cap. 25. & hic.

Cæperuntq; mulieres eorum, & paruulos. Id est, apprehenderũt viuentes omnes mulieres terræ Madian, tam adultas, quam paruulas, tam cognitas à viris, quã non cognitas, & omnes duxerunt in castra, vt cederent eis loco prædæ putantes se bene agere. Egerunt enim secundum legẽ omnium gentium pugnantium: nullus enim fœminã occidit in bello. Etiam erat hoc secundum legem Moysi, quia iussum erat, quod quandocunque Iudæi pugnarent contra aliquam gentem, quæ non esset in terra possessionis eorũ, quod si illa gens reciperet pacem oblatam seruiret Iudæis sub tributo, & neminem occiderent. Si autem resisteret eis pugnando debebant occidere oẽs masculos potentes pugnare, fœminas autem, & paruulos seruaturi erant. Si autem pugnarent contra gentẽ aliquam de Chananæis, cuius terram accepturi erant in hereditatem, occidere debebant omnes tam masculos, quam fœminas à puero, vsque ad senem, Deut. capit. 20. hic autem pugnabant Iudæi contra gentem, quæ erat extra terram possessionis eorum nam ipsi nihil accepturi erant de terra Madian, nec acceperunt licet præualuerint contra Madianitas, sed omnia loca eorum igne combusserunt, vt patet infra: ideo iuste videbantur agere, quod reseruarent omnes fœminas. Moyses tamen iratus, dixit eis: Quare fœminas reseruauerant, & iussit iugulari fœminas cognitas à viris. Fuit autem hic speciale propter fraudem factam contra Israel: nam fœminæ Madianitarum, & Moabitarum, descendentes ad castra Hebræorum, induxerunt eos ad idololatriam, & libidinem, & propter hoc Deus misit super eos plagã magnam, supra ca. 24. De paruulis etiam fuit hic speciale, nam iussit eos occidi Moyses, secundũ enim legem communem paruuli reseruandi erant, quia non erant de terra Chanaan, quam Iudæi accepturi erant. Etiam, quia non ponebatur sub anathemate: nam terra, quæ ponebatur sub anathemate totaliter destruebatur, & omnes habitatores eius occidebantur, supra cap. 21. & 1. Reg. 15. cap. iussit tamen Moyses paruulos etiam hic occidi in detestationem magni criminis commissi contra Iudæos, & etiam ne manerent Iudæis postea hostes, non tamen fuerunt penitus deleti omnes Madianitæ, quia post hoc adhuc fuit gens Madian, quæ sæpe pugnauit contra Iudæos, vt patet Iudic. cap. 7. & 8. hoc autem fuit, quia aliqui fugerunt de terra Madian tempore belli, & isti postea redeuntes in terram suam, restituerunt eam in pristinum statum.

Mulieres & pueri cõmuniter non occidũtur in bellis.

E

Omniaq; pecora. Ista acceperunt pro pugnatoribus, & postea diuisa sunt inter pugnatores, & reliquam multitudinẽ manentem in castris, vt patet infra.

Et cunctam supellectilem. Id est, omnia alia mobilia pertinentia ad vsus humanos, & inanimata, quæ appellantur supellectilia: nam duxerunt Israelitæ in castra, quidquid ducere potuerunt, scil. aurum, & argentum, vestes, & omnia metalla, & quidquid aliud erat alicuius valoris, quod duci poterat.

Quidquid habere potuerant depopulati sunt. Depopulari enim destruere est, hic autem accipitur pro prędari, quia Iudæi prędati sunt, quidquid possidebant Madianitæ: omnia autem alia, quæ non potuerunt ducere, combusserunt.

Tam vrbes, quam viculos, & castella flamma consumpsit. Id est, omnia loca terræ Madian combusserunt, Intelliguntur autem omnia loca per ista tria: nam in sacra Scriptura omnis locus munitus vocatur ciuitas, viculi autem dicuntur parua loca non murata, scilicet, rura, castella autem sunt munitiones

F

A

fortes in locis tutissimis, quæ magis sunt ad tutamentum, & confugium tempore belli, quam ad habitationem, fuit autem facta combustio horum, ne venirent aliqui ad habitandum in terra illa propter desolationem illius. Sed hoc non obstante postea habitata fuit ab illis, qui fugerant de bello, & postea populum magnum Madianitarum propagauerunt.

Et tulerunt prædam. Id est, acceperunt Israelitæ, omnia, quæ habere potuerunt in terra Madian, & portauerunt in castra, hoc autem fuit eis præda. *Et vniuersa, quæ ceperant, tam ex hominibus, quam ex iumentis.* Ista est præda, quæ supra dicitur, quę fuit tam in hominibus, quam in iumentis, cum de hominibus reseruauerint omnes paruulos mares, & omnes fœminas cuiuscunq; ætatis. De iumentis autem ceperunt quidquid habere potuerunt. Vocantur autem hic iumenta ea, quę vocantur supra pecora, & ponuntur generaliter ista nomina: nam iumentum designat proprie animalia, quæ non sunt ad cibũ, sed ad humanum adiutorium, sicut asini, equi, & cameli, & ob hoc dicuntur iumenta quasi iuuamenta. Erant tamen præter hæc pecora multa, scil. oues, boues, & capræ. Interdum tamẽ pecora vocantur iumenta, vt patet Exodi cap. 13. cum dicitur, quod sanctificetur Domino omne primogenitum, tam in hominibus, quam in iumentis, & tamen sanctificatio non pertinebat ad iumenta, sed ad pecora, quæ sunt immolatitia. De iumentis autem solus asinus sanctificabatur, non quidem, quod immolaretur, sed commutaretur oue, Exodi capitulo 13. & 34.

Etym. Iumenti.

B

Et adduxerunt ad Moysen. Hocautẽ fecerunt nondum diuisa præda inter se, & hoc propter duo, primo quia forte nesciebant an illi, qui manebant in castris habituri essent aliquid de præda, quia si habituri essent superuacua erat diuisio. Secundo fecerunt hoc, quia dato, quod ipsi solum habituri essent prædam, tamen forte non conuenirent super modo diuisionis: Moyses autem certissime concordaret eos.

Et Eleazarum sacerdotem. Id est, sacerdotẽ magnum. Vocatur enim sacerdos per excellentiam, quia princeps erat omnium aliorum sacerdotum, fuit autem constitutus parum ante hoc in Pontificem moriente patre suo Aaron, anno quadragesimo ab exitu de Ægypto mense quinto, vt patet infra 33. Et ponuntur isti duo, scilic. Moyses & Eleazarus, qui erant principes maximi in toto populo, & ambo iudicabant causas, & coram eis apparebant illi, qui habebant aliqua dubia, vt patet supra cap. 27. & infra 36.

Et ad omnem multitudinem filiorum Israel. Vocatur hic omnis multitudo illa, quæ manebat in castris, & ad hanc multitudinem duxerunt prædam, quia coram illis constituerunt quidquid in bello acceperant.

Reliqua etiam vtensilia portauerunt ad castra. Vocantur vtensilia omnia supellectilia ab vtendo dicta, quia eis homo vtitur ad opportunitates suas. Dicitur autem: Et reliqua vtensilia, quia supra dicebatur, quod duxerunt omnem prædã in castra, deinde specialiter expressum est de hominibus & iumentis, hic autem suppletur de vtensilibus, quia in bello nihil acceptum est, nisi homines, & iumenta, & vtensilia. *In campestribus Moab.* Id est, portauerunt omnia hæc ad castra, quæ erant in campestribus Moab. Cum enim missi fuerunt isti Israelitæ in bellum contra Madian, erant castra fixa in campestribus Moab, & ibi postea illa reperierunt: nam ista erat vltima mansio totius deserti, & in hac fœminæ Moabitarum, & Madianitarum deceperunt Iudæos, supra capit. 25. & non recesserunt de eadem mansione, vsquequo redirent bellatores de terra Madian, immo non recesserunt, vsquequo mortuus est Moyses. Accipiuntur autem hic large campestria Moab: nam infra 33. capit. distinguuntur campestria Moab, & planiora loca Moab, & in vtroque loco castrametati sunt Iudæi. Campestria enim dicuntur loca non multum plana in descensu de montibus terræ Moab versus Iordanem, planiora autem loca Moab dicuntur esse loca humiliora apud Iordanem, hic autem nihil distinguitur, sed generaliter vocantur ista loca campestria Moab. Non erant tamen Iudæi nunc in campestribus Moab, id est, in prima parte, vbi proprie sunt campestria, sed in planioribus locis Moabitarum apud Iordanem, quod patet, quia erant tunc in Belsethim, cum etiam ante hoc fuissent ibi, quãdo deceperunt eos mulieres Moab, & Madian, supra cap. 25. Belsethim tamen erat in planioribus locis Moabitarum, infra 33. capit.

C

Iuxta Iordanem contra Iericho. Id est, ista campestria Moab, vbi erant castra sunt iuxta Iordanem: nam Iordanis labitur per quandam vallẽ, quæ est in extremitatibus terræ Moab, & terræ duorum regum Amorrhæorum ex parte orientali: & ibi est planicies quædam quæ vocatur campestria Moab, vel planiora loca Moabitarum. Dicuntur autem esse ista campestria contra Iericho, quia à fronte respicit Iericho ista campestria Moab. Diuidit enim Iordanis terram Moab & Chanaan: nam terra Moab, & duorum regum Amorrhæorum est ex parte orientali Iordanis, vt patet Iosue capit. 13. terra autem Chanaan est ex parte occidentali, infra 34. cap. & quia in terra ista ciuitas magis orientalis est Iericho in introitu terræ Chanaan communicat terram Moab, & Iericho Iordane intermedio.

D

Egressi sunt autem. Hic ponitur tertium, scil. prædæ diuisio, & diuiditur in partes quatuor, quia primo ponitur fœminarum occisio. Secundo immundarum lustratio. Tertio prædæ diuisio, & primitiarum solutio. Quarto gratuita oblatio. Secunda ibi. *Manete septem diebus.* Tertia ibi. *Dixit quoque.* Quarta ibi. *Cumque accessissent.*

Circa primum dicitur, quod egressi sunt Moyses, & Eleazar sacerdos in occursum bellatorum extra castra.

Quare Moyses, & Eleazarus egressi sunt extra castra in occursũ bellatorum.

E

Dicunt autem Iudæi, quod causa huius egressionis fuit, quia tota multitudo, quæ manserat in castris vidit bellatores venientes cum præda, & voluit eis exire obuiam ad arripiendum prædam: Moyses autem & Eleazarus, & principes multitudinis exierunt priores, vt detinerent multitudinem ne faceret aliquem insultum contra bellatores. Sed hoc nihil est, quia si multitudo, quæ manebat in castris voluisset accipere prædã bellatorum, etiam potuisset accipere enim in castris ideo nihil proficiebat, quod Moyses & Eleazarus egrederentur ad detinendum multitudinem, quia etiamsi tunc eam detinerent, postea in castris multitudo eriperet prædam de manu bellatorum.

Dicendum ergo, quod egressi sunt isti principes ad honorandum bellatores, & cõgratulandum eis, quia prospere gesserant pro tota multitudine, & posuerunt animas suas in manibus suis. Vel forte egressi sunt isti ad loquendum aliquid bellatoribus, scil. quod purificarentur antequam ingrederentur in castra, vel quod diuiderent prædam taliter, aut taliter, quæ omnia dicta sunt eis extra castra, vt patet infra. Et dicitur hic de Moyse & Eleazaro, quod egressi sunt, quia isti erãt pręcipui in toto populo. Etiam quia vterque eorum locutus est ad bellatores: nam Moyses dixit de occisione mulierum, & paruulorum. Eleazarus autem de quadam purificatione, vt patet infra.

Et omnes principes Synagogæ. Id est, omnes principes totius multitudinis, qui manserant in castris, multi enim de principibus iuerant ad bellum, vt patet infra, scilicet, iratusque Moyses principibus exercitus tribunis, & centurionibus, qui venerant de bello, &c. erant autem isti principes viri proceres, qui habebant aliquam excellentiam inter cæteros Iudæos, & per hos regebatur populus, atque vocabantur isti ad consilia.

F

In occursum eorum extra castra. Ad magnum honorẽ ista pertinent, scil. quod omnes principes irent in occursum bellatorum ad congaudendum eis, & vt magis honorarentur bellatores non exiuit in occursum eorum vulgaris, & rustica multitudo, sed principes multitudinis, sic enim apud Romanos fiebat, cum quis reuertebatur de bello prospere gesto, quod dabatur ei triumphus, qui erat magnæ solennitatis.

Iratusque Moyses principibus exercitus. Causa indignationis fuit, quia reseruauerunt fœminas, & paruulos, maxime autem propter fœminas iratus est, vt patet in litera. Et fuit iratus principibus, quia alii bellatores nihil in hoc deliquerant, cum ipsi nihil iuberent, aut facerent, sed exequebantur iussa principum.

Tribunis, & centurionibus, qui venerant de bello. Vocantur tribuni principes super mille, & centuriones principes super centum. Isti enim iuerant ad bellum, quoniam tota gens 12. millium bellatorum diuisa erat per hos, & similes principes. Non enim poterat conuenienter dirigi, si tota gens immediate sub iecta esset vni principi.

An tribuni & centuriones isti fuerint ques elegit Moyses consilio Iethro.

Ex hoc autẽ arguunt aliqui, quod tribuni, & centuriones, quinquagenarii, & decani, quos ordinauit Moyses ad con-

A

filium Iethro in populo manebat vsque ad tempus istud, scilicet in fine anni quadragesimi ab exitu de Ægypto, & hoc quidem verum est, quod iste ordo principatuum durauit in toto deserto, vt declaratum fuit supra capitulo vndecimo. tamen non sequitur ex hoc, quod manserint, quia ista litera non intelligitur de centurionibus, & tribunis, quos constituit Moyses ad consilium Iethro, sed de aliis, qui præpositi fuerunt bellatoribus tempore belli solum, quod patet, quia de omnibus tribubus accepti sunt bellatores mille, & isti erant per electionem, scil. vt assumerentur fortiores, & conuenientiores ad bellum: non contingeret ergo, quod de qualibet tribu acciperentur mille viri, qui essent sub vno tribuno illius tribus: nam non contingeret, quod omnes illi mille viri essent electi ad pugnam, cum frequenter inter mille non electos reperiantur pauci, qui ad pugnam conuenientes sunt, sicut patet de exercitu Gedeonis, qui accepit triginta duo millia virorum ad pugnandum contra Madian, & cum dixisset, si quis formidolosus est, & timidus recedat hinc. recesserunt viginti duo millia, & manserunt solum decem millia, & adhuc de illis decem millibus manserunt, postea soli trecenti, vt patet Iudicum capit. 7. Sic ergo videtur, quod quando Moyses eligeret viros bellatores contra Madian non accepit omnes, quotquot erant sub vno tribuno, vel sub vno centurione, sed eligebat aliquos de existentibus sub quolibet tribuno, vel centurione: postea autem cum collecti essent mille viri de qualibet tribu præficiebatur eis vnus tribunus, & decem centuriones, qui non erant de prioribus tribunis, & centurionibus, sed nouiter instituti. & si contingeret aliquem de prioribus tribunis, vel centurionibus nunc esse tribunum, vel centurionem, non fiebat hoc, quia primo fuerat tribunus, vel centurio, sed quia nunc nouiter institutus erat. Durauit autem iste principatus solum, dum gereretur bellum, & postea rediit principatus, qui primo erat, redeunte quolibet viro ad suum tribunum, centurionem, & decanum: quilibet enim de populo habebat super se istos quatuor principes: nisi ipse de principibus esset, & hoc, quia isti principes erant subordinati, vt declaratum fuit Exod. cap. 18.

B

Cur fœminas reseruastis. Quasi dicat, male feciſtis, debuisse-

C

tis enim illas occidere: intellexit autem hic Moyses solum de fœminis, quæ cognouerant viros: nam ipse postea iussit has solas occidi. Et increpat Moyses istos principes, non quidem quasi egerint contra legem, quia per legem non debebant occidi istæ fœminæ, cum non essent de terra Chanaan: Deut. capit. 20. sed increpat eos quasi agentes contra intentionem Dei, & contra rationem: nam Deus iusserat, quod pugnarent Israelitæ contra Madianitas, quia deceperant eos, & fecerant peccare in Deum suum. sup. cap. 25. vbi dicitur, quod deceperunt eos per idolum Phegor, & Cozbi filiam principis nobilissimi Madian: sed ista deceptio facta est per fœminas: ergo ipsæ debebant etiam occidi.

Nonne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israel? Quasi dicat, nunquid vos nesciebatis, quod ista vindicta expetebatur peccatum, ad quod Madianitæ induxerunt Israelitas? Sed istæ mulieres sunt, quæ induxerunt Israelitas ad peccandum: ergo puniendæ erant. Dicitur autem, quod istæ deceperunt filios Israel, quia aliud agebant, & aliud se agere ostendebant: nam ipsæ solum venerant, vt deciperent filios Israel prouocando eos ad idololatriam, & libidinem: finxerunt tamen se venisse ad vendenda cibaria: & sic faciebant, vt fraudem suam aliquo velamento obumbrarent. Etiã cum inducebant Israelitas ad immolandũ diis suis fingebant se hoc facere ad solatium, & sub spe libidinis; faciebant tamen ad hoc, vt Deus irasceretur illis, cum immolassent diis alienis.

Ad suggestionem Balaam. Quasi dicat, istæ fœminæ non imaginatæ sunt istam fraudem, nec viri Madianitæ, sed Balaam: nam cum non potuisset maledicere Israelitis ad petitionem regis Moab, dixit ei, quod daret consilium quando iret in terram suam: consilium autem fuit istud, quod habetur hic, & sup. c. 25. Idem paret Apocal. c. 2. vbi dicitur, quod Balaam docuit mittere scandalum coram filiis Israel, scil. comedere de immolatitiis, & fornicari, quod versum fuit Iudæis in scandalum, id est, in causam mali.

Et præuaricari fecerunt vos in Deo. Id est, fecerunt, quod peccaretis contra Deum vestrum. Vel præuaricari, id est, transgredi legem, vel pactum: est enim proprie præuaricari, quando ea, quæ promisimus non seruamus, & sic Iudæi pepigerant colere Deum verum, & non habere Deos alienos: & tamen non seruauerunt pactum, cum immolauerint idolo Phegor: ideo præuaricati sunt.

D

Super peccato Phegor. Id est, in peccato idoli Phegor. Fuit autem peccatum, quod Iudæi coluerunt illud Idolum, quod vocatur Phegor, vel alio nomine Beelphegor. Vel est secundum quosdam Phegor nomen montis, & idolum quod colebatur in monte illo vocabatur Baal: dicitur tamen hic idolum Phegor, quia ponitur in genitiuo, scilicet, idolum, quod erat in monte Phegor. *Vnde & percussus est populus.* Et propter istud peccatum percussus fuit populus plaga magna: nam viginti quatuor millia virorum perierunt supra cap. 25. *Ergo cunctos interficite quidquid est generis masculini.* Id est, si aliqui manserunt de masculis Madianitis, qui occisi non sint, occidantur. Cum enim iste populus fecerit istam fraudem contra Iudæos: quamquam non omnes fuerint in consilio hoc: tamen omnes mori debuerunt. *Etiam paruulos.* Id est, etiam occidite paruulos, quasi dicat, si aliqui manserunt de adultis. occidite illos: sin autem saltem paruulos occidite. Istud autẽ fuit contra legem communem, quia in aliis gentibus quamquam pugnarent Iudæi, & vincerent, non poterant occidere paruulos, nisi essent gentes illæ Chananææ. Deut. c. 20. vel essent positæ sub anathemate. Hic autem neutrum erat: fuerunt tamen occisi paruuli propter peccatum patrum ad magnam detestationem istius criminis: aliàs autem vendendi erant in seruos, vel accipiendi à Iudæis, sed non occidendi. *Et mulieres, quæ nouerunt viros in coitu iugulatæ.* Israelitæ enim bellatores nullam de fœminis occiderant, quia lex nõ iubebat, cum non essent de mulieribus terræ Chanaan. Moyses tamen iussit occidi de illis eas, quæ cognitæ erant à viris. Causa autem quare occiderentur fœminæ istæ, erat, quia per ipsas venerat malum. Sed quare magis occidantur illæ, quæ cognouerant viros. Dicunt aliqui, quod volebant Israelitæ punire illas, per quas peccatum venerat in Israel, & istæ erant, quę cognitę fuerant ab Israelitis.

E

Quare iussit Moyses quod occiderẽtur hæ fœminæ, quæ cognouerunt viros.

Sed videtur hoc aliqualiter durum, quia non omnes fœminę Madianitarum, quę cognitæ erant à viris, fuerant cognitę ab Israelitis, aut venerant ad decipiendum eos: ideo non debebant omnes occidi pro hoc scelere. Ideo dicunt quidam, quod causa huius occisionis fuit, ne Israelitæ contaminarentur: nam si mansissent omnes illæ fœminę in potestate Israelitarum, polluerentur cum eis accipiendo eas in vxores, vel concubinas, sed hoc non licebat quantum ad omnes, sed solum quantum ad virgines, vt colligitur Deuteron. cap. 21. ideo occisæ fuerunt omnes fœminæ cognitæ à viris manentibus solis virginibus, & has poterant accipere Iudæi in vxores. Sed ista ratio non stat: nam si propter hoc occisæ fuissent fœminę corruptæ, etiam occidi deberent in omnibus aliis bellis omnes fœminæ corruptæ, quas acciperent Iudæi in præda. Sed falsum est, quia nulla de fœminis corrupta, aut virgo occidi debebat, nisi esset pugna contra populos Chananæorum, Deuteron. capit. 20. Item non stat ista ratio, quia poterant Iudęi vendere omnes fœminas corruptas gentibus alienis, & sic non commiscerentur eis: sic enim faciebant, quando accipiebant in pugna mulieres, quæ non essent de genere Chananæorum, vt patet præallegato capitulo.

F

Sed dicendum, quod causa fuit illa, quæ primo dicebatur, scil. quod volebant Iudęi occidere illas, per quas venerat peccatum in Israel, & quia non poterant distinguere, quæ essent illæ, quæ erant cognitæ à viris Israelitis, vel quæ ab aliis viris occidebant omnes fœminas cognitas à viris, & sic occidebantur ibi omnes, per quas malum venerat in Israel. Istæ fœminæ iugulatæ fuerunt extra castra, scilicet, antequam bellatores introirent in castra, nam quousque purificarentur, manserunt extra castra diebus septem, vt patet infra in littera.

Puellas autem, & omnes fœminas virgines reseruate vobis. Id est, seruate apud vos fęminas virgines. Dicebat hoc Moyses, quia ipse cum aliis principibus populi regressurus erat in castra, viri autem bellatores mansuri erant extra: ibi quoque occidere debebant fœminas cognitas à viris, & seruate virgines: nam etiam virginibus ductis de terra Madian non

licuit ingredi in castra vsque ad septem dies quousque purificati essent bellatores, quia tam ipsæ quam bellatores censebantur immundi ex contactu mortuorum, vel aliàs: & non dicitur hic: reseruate vobis, id est, seruate pro vobis, quia istæ puellæ virgines non solum cesserunt bellatoribus, sed medietas earum data est reliquæ multitudini non pugnanti, vt patet infra, sed dicitur reseruate vobis, id est, seruate apud vos; scil. per illos dies septem, in quibus purificabantur, vt patet infra. Ponuntur autem hic puellæ, & virgines: puellæ enim vocantur illæ, quæ paruæ ætatis sunt, ita vt de eis nullo modo verisimile sit, quod à viris cognitæ essent, & circa istas non fiebat aliqua inquisitio, an essent virgines, sed reseruabantur tanquam manifestæ virgines. Vocantur autem hic virgines illæ, quæ erant adultæ ætatis, ita vt à viris cognosci potuissent: erat tamen dubium an cognitæ essent: & de istis fiebat inquisitio, an essent virgines, & tunc seruabantur, alioquin iugulabantur.

Quomodo mulieres cognoscebantur, quæ essent virgines, & quæ corruptæ, & quot modis cognosci potest, quod aliqua puella sit virgo.

QVÆSTIO V.

QVæret aliquis quomodo Iudæi cognoscebãt, quæ mulieres essent virgines, & quæ corruptæ. Respondendum est, quod multipliciter cognosci poterant tam diuinitus, quam humanitus: dicunt autem quidam Iudei, quod ista cognitio fiebat per arcam foederis. scil. quod præsentabantur omnes fœminæ coram arca, & illæ, quæ erant virgines nihil patiebantur, quæ autem defloratæ erant, confestim cadere cogebantur. Alij autem dicunt, quod cognoscebatur hoc per laminam sacerdotalem, scil. quod ponebatur in fronte sacerdotis, & fiebat id, quod dicebatur de arca. Sed istud secundũ non est conueniens. non n. potuerunt sic cognosci istę fœminæ, quia ista cognitio non fuit facta intra castra, sed extra, & ibi iugulatæ fuerunt fœminæ corruptæ, & reseruatę virgines: ibi tamen non erat aliquis, qui posset lamina vti, cum non esset ibi summus sacerdos, sed filius eius Phinees, qui non poterat vti ornamentis pontificalibus viuente patre suo Eleazaro. Alij dicunt, quod fiebat ista inquisitio in rationali, vel in lapidibus, qui erant super ephod. Nam, vt dicit Iosephus, & declaratum fuit Exo. 28. c. per fulgorem duorum onychinorum, qui erant in ephod, & per fulgorem lapidum rationalis demonstrabatur veritas rerum, de quibus quærebatur. ideo sicut de cæteris ibi poterat inueniri veritas, ita etiam de virginitate si inquireretur. Aliter autem dici potest, quod inquirebatur hoc in rationali: nam illud ad declarandum veritatẽ rerum absconditarum: sic dicitur Exo. c. 28. Portabit in pectore suo iudicium filiorum Israel, id est, Aaron portabit rationale in pectore, per quod iudicabatur de veritatibus rerum, quas inquirebant filij Israel. Et iste erat modus communis inquirendi, vt patet de Dauid: nam cum esset in vrbe Ceila, & timeret quod traderent eum viri vrbis in manus Saul, dixit ad Abiathar sacerdotem: Applica ephod, & tunc quæsiuit Dauid an traderetur in manus Saulis, & responsum est, quod traderetur 1. Reg. c. 23. De modo autem quo inquirebatur in rationali, scil. an inquireretur proposita quæstione in verbis, vel Scriptura in aliqua cedula, & posita in plicatura rationalis, declaratum est Exo. 28. cap. Iste modus erat valdè conueniens ad inquirendas veritates: tamen hic non potuit esse, quia ista inquisitio fiebat extra castra ab ipsis, qui iuerant ad bellum. quod patet, quia dixit Moyses, quod fœminas virgines reseruarent, & cognitas à viris iugularent: ergo ipsi debebant cognoscere, quæ erant virgines, vel quæ cognitæ à viris, sed non poterant ipsi cognoscere hoc in ephod, quia nullus erat inter eos, qui posset vti ephod cum istud esset ornamentum pontificale, & ibi non erat aliquis pontifex: ergo de istis quatuor modis inquirendi veritatem occultam, qui sunt ex parte Dei, nullus poterat stare, nisi primus, de quo dubium est, an fuerit.

Alio modo poterat inquiri veritas puellarũ vel corruptio per tactum vasis genitalis, & hoc modo secundum iura est approbata inquisitio, vt matronæ inquirerent virginitatem, vel habitudinem vasis fœminei. extra de frigi. & male. cap. fraternitatis. quamquam interdum matronæ inquirentes tam in tactu, quam in visu fallantur, quia sæpe manus fallitur, & oculus obstetricum extra de probat. cap. causa matrimonij. & hoc modo potuerunt Iudæi inquirere.

Alio modo potest inquiri virginitas, siue in viro, siue in fœmina per lapidem quendam pretiosum, qui Gagates dicitur: aqua enim huius si bibatur, virginitatem demonstrat: nam qui virgo fuerit, non cogetur vrinare, qui vero non est virgo, immediate cogetur vrinare. De hoc habetur in lib. De proprietatibus rerum in lib. 16. & de hoc loquitur Dioscorides in lapidario suo.

Alio modo potest inquiri virginitas modo medicinali ex aspectu vrinarum, secundum quod dicit Arnaldus de villa noua in quodam libro De embrione, sc. quod vrinæ virginũ lucidæ, & claræ sunt, & quandoque albæ, & quandoque glaucæ. Si vero fuerint aurei coloris, & clare animum coeundi significant. & hoc est verum de incorruptis. Corruptarum autem mulierum vrina turbida est propter fracturam himenis: ideo sperma apparet in fundo vrinæ mulieris corruptæ: & multa alia sunt signa secundum medicos, per quæ satis veraciter cognosci potest, an mulier sit virgo, vel non.

Multi alij modi sunt inquirendi de virginitate, aut defloratione puellarum, quorum aliquo poterant Iudæi vti ad cognoscendum hoc, quod inquirebant: & dato, quod nullum alium haberent, sufficiebat ille, quem ius recipit, scilicet, per tactum matronarum. *Et manete extra castra septem diebus.* Hoc fiebat, vt purificarentur illi, qui immundi erant, quibus non licebat ingredi castra quousque purificarentur. Dicunt autem quidam Iudæi, quod hoc intelligitur de castris deitatis. scil. de Sanctuario, & volunt, quod isti erant immundi per tactum mortuorum, & quia veniebant de bello, volebant intrare in Sanctuarium gratias acturi de victoria, & offerre cupientes dona: ideo Moyses antequam fieret, prohibuit. Et dicunt, quod non vetantur isti ingredi castra multitudinis, aut castra Leuitarum, sed solum castra deitatis, à quibus excludebat immunditia contracta super mortuo.

Sed istud non stat: nam necesse est, quod dicamus istud intelligi de castris multitudinis, quia nulla alia vocantur castra.

Aliqui autem, vt Rabbi Salomon distinguunt triplicia castra, scilicet, multitudinis, Leuitarum, & deitatis. sed ista distinctio nullam habet rationem, aut fundamentum in sacra Scriptura, immo nec potest stare, quia si accipiantur castra aliquando pro castris deitatis, necesse est, quod omnis immunditia repellat à castris: quia nullus homo qualitercunque immundus immittebatur accedere ad altare. Leuit. cap. 11. & 15. nam propter hoc dicuntur aliquæ esse immunditiæ, quia saltem repellunt hominem ab accessu ad Sanctuarium, sed cum agitur de immunditiis, de quibusdam dicitur, quod propter illas erit homo extra castra, & quædam sunt, de quibus nequaquam dicitur, quod erit extra castra: ergo non accipiuntur castra pro castris deitatis, quia alioquin semper diceretur, quod erit homo extra castra cum immundus fuerit. Item patet hoc, quia supra capit. 5. iubebatur, quod fluentes semine, & immundi super mortuo, & leprosi eiiciantur de castris: sed manifestum est de leprosis, quod eiiciuntur de castris multitudinis: ergo idem modus erit de fluentibus semine, & de pollutis super mortuo: sed hic agitur de pollutis super mortuo; ergo isti non debebant recipi in castris multitudinis.

Item patet hoc, quia dicitur prælleg. capit. quod Israelitæ eiecerunt de castris omnem fluentem semine, & immundum super mortuo, & leprosum, sed nullus poterat eiici de castris deitatis, quia nõ potest aliquis eiici de loco, nisi in quo manet, sed in castris deitatis nullus manet, cum solum irent illuc homines ad offerendum, & orandum: ergo nemo poterat eiici inde, sed dicitur de pollutis super mortuo, quod eiecti sunt de castris: ergo intelligitur de castris multitudinis, in quibus manebant, de quo magis declaratum est supra cap. 5. Item patet, quod istud intelligatur de castris multitudinis, quia dicitur supra, quod Moyses, & Eleazarus, & principes Synagogæ egressi sunt in occursum mortuorum extra castra; sed non potest intelligi de castris deitatis; quia non erant omnes isti in castris deitatis, scilicet, in Sanctuario; ideo necesse

A

B *Primus modus inquirendi virginitatẽ.*

2. modus.

3. modus.

4. modus.

C

5. modus. Qũo cognosci-

D *tur naturaliter an mulier sit virgo.* *6. modus.*

7. modus.

E

An immundi super mortuo venientes de bello Madiã prohibiti fuerint intro. re in castra deitatis, vel in castra multitudinis

F

A

ceſſe eſt intelligi de caſtris multitudinis. Dicitur etiam hic, quod iuſſit Moyſes bellatoribus, quod manerent extra caſtra, ſed tunc erant extra caſtra multitudinis; ergo ibi manſerunt & non acceſſerunt in his ſeptem diebus ad reliquam multitudinem tanquam coinquinati: non erant tamen omnes coinquinati: quia iſta immunditia ſeptem dierum erat ex contactu mortuorum; ſed aliqui erant de bellatoribus, qui nec tetigerant mortuos, nec occiderant: manſerunt tamē omnes quouſque illi, qui immundi erant luſtrarentur. Iuſtum eſt autem, quod manerent per ſeptem dies: quia totidem durabat immunditia ſuper mortuo contracta ſup. cap. 19.

Qui occiderit hominem, vel occiſum tetigerit. Hic ponitur à qua immunditia erant luſtrandi iſti, qui pugnauerant, ſcilicet ab immunditia contactus morticini. Multæ autem aliæ immunditiæ ſunt, de quibus Leuit. capit. 11. & vſque ad 18. & ſupra capit. 19. in quarum quibuſdam homines manebant in caſtris: in aliis autem exibant de caſtris: non tamen fit hic mentio niſi de immunditia ſuper mortuo, & hoc quia in bellatoribus iſta manifeſte erat. De aliis autem non patet: ſi tamen aliqua eſſet, deberent obſeruare cæremonias purificationis illius. Et dicitur: Qui occiderit, id eſt, qui iam occidit, & qui tetigerit, id eſt, qui iam tetigit, quia eſt hic præteritum coniunctiui, & non futurum. Nam non datur hic regula pro immunditia contrahenda, ſed pro iam contracta: æquiparantur autem iſta duo quantum ad immunditiam, ſcilicet, tangere mortuum, & occidere. Aliqui enim occidebant, qui non tangebant, vt qui lapide, vel ſagitra à longe percutiebant: & iſti quamquam non contraherent aliquam realem immunditiam, tamen lex cenſebat eos eſſe immundos, ideo vtrique purificabantur. *Luſtrabitur die tertio & ſeptimo.* Id eſt, purificabitur in his diebus. Erat enim regula generalis, quod quicunque tangeret aliquem hominem mortuum, vel introiret in tabernaculum eius, quando erat ibi cadauer; vel tangeret in agro cadauer hominis occiſi, aut per ſe mortui, vel oſſa illius, aut ſepulchrum, erat immundus diebus ſeptem, vt patet ſupra capit. 19. & in iſtis diebus non licebat eis ingredi in caſtra, ſed in die tertio lauabat homo corpus ſuum aſpergendo aquam luſtrationis, & non lauando, & iſta aqua fundebatur ſuper hominem, & veſtes. Iſte ritus fiebat etiam in die ſeptimo, & poſt hoc ad veſperum lauabat homo corpus ſuum, & veſtimenta ſua in aquis viuentibus ſiue aquis luſtrationis: & tunc erat totaliter mundus. Aquæ autem luſtrationis, quæ aſpergebantur, ſunt aquę commixtę cineribus vitulæ rufæ, quę cremabatur pro purificatione totius populi. De huiuſmodi ritu habetur ſupra capit. decimo nono. & iſtud vocatur hic luſtrari, id eſt, purgari: nam verbum luſtro ſignificat purgare, vel circumſpicere, vel illuminare. Hic autem ſolum tangitur de purificatione, quæ fiebat in aquis luſtrationis, quæ in die tertio, & ſeptimo aſpergebantur, & non dicitur de lotione in aquis viuentibus, quæ fiebat in die ſeptimo ad veſperum, quia cum Legislator deſcripſerit complete iſtam cæremoniam ſupra capitu. decimonono. non curauit hic omnia exprimere, ſed infra expreſſit poſt omnes iſtas cæremonias, cum dicitur: & lauabitis veſtimenta veſtra die ſeptimo, & purificati poſtea caſtra intrabitis.

B

Regula generalis immunditiæ tangentis mortuum.

Aqua luſtrationis quæ dicatur.

C

Et de omni præda. Hic ponitur purificatio omnium aliorum, quę contaminata erant: homines enim contaminabantur in contactu mortuorum, & purificabantur ritu ſuprapoſito. Res autem inanimatæ immunditiam incurrebant ex contactu mortuorum. Pro quo ſciendum, quod non incurrebant omnes res immunditiam ex contactu mortuorum, ſed ſolum illæ, quæ pertinebant ad aliquem vſum humanum: inquantum per eas poterat homo effici immundus: vnde animalia, quę non veniebant in vſum humanum, vt fera, & volucres, antequam caperentur ab hominibus, non incurrebant aliquam immunditiam, licet tangerent cadauera. Res autem humanę aliquando incurrebant immunditiam, hoc autem erat non propter ſeipſas, quia immunditia erat quædam irregularitas, ſecundum quam excludebatur quis ab acceſſu, & ingreſſu Sanctuarij, & participatione aliorum ſacrorum: nulla autem res humana poteſt priuari iſta participatione ſacrorum: ergo non incurrunt immunditiam propter ſe, ſed ſecundum quod poſſunt venire, & veniūt in vſum humanum, & poſſunt facere hominem immundum, ſed adhuc non incurrebant omnes res humanę immunditiā ex contactu mortui: nam nullum animal incurrebat immunditiā ex hoc: ideo quando ſupra cap. 19. datur regula de purificatione immunditiæ contractę ſuper mortuo, ſolum dicitur de hominibus, & quibuſdam rebus inanimatis: & ob hoc quando bellatores duxerunt pecora, & iumenta de terra Madian, non debuerunt ea purificare, nec iuſſum eſt, ſicut fuit iuſſum, quod purificarent res inanimatas, ſcilicet veſtes, & matalla, & omnia vtenſilia, vt patet hic. Item non poterant incurrere immunditiam omnes res inanimatæ: nam fontes, flumina, ciſternæ, lacus, & omnes congregationes aquarum non poterant pollui, quamquam tangerentur à morticinis. Leuit. c. 11. ſemina etiam quando ſunt in granis, non poterant pollui, quamquam tangantur à morticinis, niſi forte reſperſa fuerint aqua, vt patet præalleg. cap. omnia autem alia vtenſilia, quæ in vſus humanos veniunt, ſiue metalla, ſiue veſtes, ſiue aliæ res domeſticæ polluuntur ex contactu mortui, vel ſaltem ſi ſint in domo, in qua aliquis eſt mortuus, vt patet ſup. cap. 19. iſta autem purificantur, ſed non omnia. Quædam enim ſunt, quæ cum ſemel polluta fuerint, nunquam ad vſus humanos redire debent, ſed franguntur: ſic eſt de omnibus vaſis fictilibus, & de clibanis, & cytropodibus, vt patet Leuit. cap. 11. aliquæ quoque res incurrunt immunditiam, & nōn purificantur, vt aqua, vel vinum, & reliqui humores ſi fuerint in aliquibus vaſis, & ceciderit interius aliquid morticinum, penitus immunda ſunt, & non poſſunt bibi, vt patet præalleg. capit. ſed effunduntur. ſic quoque ſi in domo alicuius morientis eſſent vaſa non habentia operculum, nec ligaturam, humores, qui ibi eſſent, efficiebantur immundi, & non purificabantur poſtea ſupra cap. 19. Aliæ autem res pertinentes ad vſum humanum, vt veſtes, & quæcunque alia, quamquam incurrerent immunditiam ex contactu mortui, vel quia erant in domo alicuius morientis, poſtea purificabantur, ſicut habetur ſup. c. 19. & patet infra in litera. Iudicantur autem omnes res, quę de præda adductæ ſunt immundæ, quia erant in domibus morientium; & multa ipſorum contigerant ipſos morientes, ſicut veſtes mortuorum, ideo quamquam aliquid eſſet in magnitudine prædæ, quod non eſſet immundum, omnia propter dubium debebant purificari. *Siue veſtimentum fuerit, ſiue vas.* Id eſt, quicquid ſit de præda, ſicut veſtimenta mortūorum, vel vaſa quæcunque aut aurea, vel argentea, vel alia pertinentia ad alios vſus, purificabuntur. De veſtibus autem erat magis manifeſta ratio, quia Iſraelitæ expoliauerant Madianitas mortuos. De his autem veſtibus manifeſtum eſt, quod immunditiam contraxerint, quia non ſolum tetigerunt mortuos: ſed etiam perfuſæ eſſent, vel reſperſæ ſanguine mortuorum. De vaſis autem non erat eadem ratio: erant tamen immunda, quia erant in domibus, in quibus erāt mortui, vel erāt apud ipſos mortuos, & ex hoc cenſet lex contractam eſſe immunditiam. Accipitur autem hic vas generaliter omni contentiuo, vel quod eſt ad aliquam miniſtrationē. Nam ſecundum modum Hebraicum arma vocantur vaſa. ſc. vaſa belli, & inſtrumenta muſica vocantur vaſa, ſcil. vaſa Pſalmi: & ſic intelligitur hic, quod omnia hæc purificarētur. Nam etiam arma accepta de præda Madianitarum purificanda erant, vel quicquid aliud eſſet. Et intelligitur hoc de omnibus rebus duris, ſcilicet quæ non factæ ſunt ex pilis, pellibus, vel lino; quia de iſtis immediate ſubditur. *Et aliquid in vtenſilia præparatum.* Id eſt, etiamſi aliquid fuerit de præda præparatum in vtenſilia, id eſt, ad vſus expiabitur, ſicut prædicta. & hoc ſi fuerit de pellibus caprarum, vel de pilis, vel de lino. Vtenſilia autem vocantur quælibet inſtrumenta præparata ad aliquos vſus; nam ab vſibus denominātur, & poſſunt hic accipi vtenſilia pro ipſis vaſis, vel pro vſu. Primo modo eſt ſenſus, quod ſi erat aliquid de pellibus, pilis, & lino præparatum ad vtenſilia. i. ad faciendum inde vtenſilia, quod purificaretur, & tunc intelligitur, quod ſi lana, vel pili, aut pelles, vel linum erant ad faciēdum inde aliqua ſupellectilia, quamquam nondum eſſet quicquam factum ex illis, purificarentur. Secundo modo intelligitur, quod ſi aliquid erat de pellibus caprarum, & pilis, & lino præparatum in vtenſilia, id eſt, præparatum ad vſus, ſcilicet quod eſſent facta aliqua vtenſilia ex pellibus, vel pilis, & lino, quæ proficerent ad aliquos vſus, debebant expiari. & iſte ſenſus magis conuenit, quia non dicitur hic: ſi fuerint pili, vel pelles, vel linum ad vtenſilia, ita quod nō eſſent facta

Quæ incurrebant immunditiam Legalē, & quæ non.

D

E

F

vtenſi-

A vtenſilia, ſed dicitur: ſi fuerit aliquid de pellibus, & pilis, & lino. ſcil. quod iam ſit factum ex his, purificabitur. Et iſtud eſt ad vtenſilia, id eſt, ad vſus: nam poſtquam iſta fabricata ſunt, vtenſilia ſunt, & non ad vtẽſilia, niſi accipiantur vtenſilia pro vſibus. ſed etiam in hoc nihil differebat, quia ſiue eſſent pelles, pili, & linum, ex quibus nihil factum eſſet, vel eſſet aliquid factum ex his, vtroque modo expiari debebat. *De caprarum pellibus, & pilis, & lino expiabitur.* Id eſt, quicquid fuerit factum de iſtis, & accipiatur de præda, purificabitur. Et cum dicitur de pellibus caprarum, intelliguntur omnes aliæ pelles quorumcunque animalium, & pili quicunque: ſed Scriptura exprimit cauſa exempli in paucis.

Quomodo fiat expiatio.

QVÆSTIO VI.

QVæret aliquis de modo expiationis harum rerum. Et dicendum, quod iſta expiantur dupliciter: quædam per ignem, ſcil. ſi poſſunt tranſire per ignem: alia per aquam, ſicut facta de pilis, vel pellibus, vt patet infra, & iſta expiabantur aſpergendo aquam luſtrationis, ſecundum quod fit in hominibus, ſc. die tertio, & ſeptimo: & ſic erunt rite purificata, vt patet ſupra 19. cap. manebant autem iſta immunda omnibus B iſtis ſeptem diebus, ita quod non liceret alicui homini mundo tangere illa, alioquin pollueretur, ita vt non poſſet accedere ad ſacra.

An paruuli, & fœminæ ducti de præda Madian fuerint purificati aqua luſtrationis.

QVÆSTIO VII.

QVæretur vlterius de paruulis, & fœminis ductis de præda Madian an expiati ſunt iſta aqua luſtrationis. Reſpondendum eſt, quod nullus de paruulis fuit expiatus, quia iuſſit Moyſes occidi paruulos Madianitas, & occiſi ſunt immediate antequam bellatores introirent in caſtra: ergo non fuerunt purificati, quia purificatio ſolum erat reſpectu eorum, qui erant in caſtris. ſcil. vt iſti, qui immundi veniebant non polluerent eos, qui erant in caſtris. De fœminis autem Madianitarum dicendum, quod quædam occiſæ ſunt, & quędam ſeruatæ. De illis, quæ occiſæ ſunt, conſtat, quod non fuerunt purificatæ, ſicut nec paruuli, quia ad nihil opus erat purificari: & iſtud fuit in omnibus fœminis corruptis: virgines autem reſeruatæ fuerunt, & diuiſæ inter bellatores, & reliquam multitudinem, vt patet infra: ideo de iſtis eſt dubium, an purificatæ fuerint.

Et dicet aliquis, quod non fuerunt purificatæ, quia iſta pu- C rificatio erat cæremonia Iudaica ſolum obligans eos, qui erant ſub lege, ſed virgines Madianitarum erant in Gentilitate: ergo non erant purificandæ.

Reſpondendum eſt, quod purificatæ ſunt, & quando dicitur, quod non erant ſub lege, negatur: nam cum iſtæ eſſent captæ in bello, pertinebant totaliter ad ius, & poteſtatem Hebræorum: ideo obligabantur Iudæi facere eas redire ad cultum Iudaicum. Sic patet Exo. cap. 12. cum dicitur, quod ſi quis de Iudæis habuit ſeruos emptitios, ſc. de Gentilibus circumcidat omne maſculinum eorum, & ſic manducabunt de phaſe. Si autem habet mercenarios, non poterit cogere eos ad circumciſionem: ſed iſtæ fœminæ erant tanquam ſerui emptirij, cum captæ eſſent in bello: ideo Iudæi compellebantur illas reducere ad cultum Iudaicum; ſed erat iſta cæremonia Iudaica: ergo debebant purificari: nam qui erat obligatus ad vnam cæremoniam legis, erat obligatus ad omnes, quia non poterat quiſquam obligatus eſſe ad vnam cæremoniam, niſi eſſet obligatus ad legem. Si autem ad legem, ergo ad totam legem. Sic arguit Apoſt. ad Galat. cap. 5. dicens: Teſtificor omni homini circumcidenti ſe, quod debitor ſit vniuerſæ legis faciendæ, id eſt, ſolum ex hoc, quod accepit circumciſionem obligatur ad omnes cæremonias. Item patent prædicta, quia Hebræi poterãt accipere iſtas fœminas in vxores ſecundum regulam datam Deuter. 21. cap. ſed tunc neceſſe eſſet, vt iſtæ obſeruarent omnem ritum Hebræorum: ergo oportebat, vt purificarentur.

Aliquis autem dicet, quod non fuit neceſſe iſtas fœminas D expiari, quia quamquam obligarentur ad expiationem aliàs obſeruationem cæremoniarum, ſi manerent inter Hebræos: tamen poterant Iudæi illas vendere alteri genti: ergo non compellebantur iſtas facere obſeruare cæremonias legales. Nam ſi vendere deberent, non conuerterent eas ad ritum Iudaicum; quia poſtea non poſſent vendere alicui Gentili, cum eſſet dare occaſionem, vt ille, qui ſemel effectus erat Iudæus, rediret ad ritum Gentilium.

Reſpondendum eſt, quod ſi Iudæi immediate, vt venerunt de bello Madian vendidiſſent omnes fœminas, non cogerentur purificare aliquam earum, quia immunditia attendebatur reſpectu Sanctuarij, ſcil. ne pollueretur: & reſpectu eorum, qui erant in caſtris, ſed ſi venderentur iſtæ fœminæ immediate, vt ductæ ſunt de bello, non accederent ad Sanctuarium, nec ad eos, qui manebant in caſtris: ergo nihil proderat purificari. Dicendum tamen quod purificatæ fuerunt, quia iſtæ fœminæ fuerunt introductæ in caſtra, & manſerunt inter Iudæos habitantes cum eis. Quod patet, quia medietas earum data eſt bellatoribus, & medietas reliquæ multitudini, & quædam ex eis datæ ſunt Eleazaro ſacerdoti, ſed ad hoc neceſſe erat, vt purificarentur, quia aliàs inficerent cæteros, cum quibus morarentur in caſtris; ideo ipſæ quoque purificati ſunt eodem ritu, quo Iudæi. Et cum arguebatur quod purificatio eſt cæremonia Iudaica, & ſolum debebat ſeruari in Iudæis, ſed iſtæ puellæ non erant ſubiectæ legi; ergo, &c. Reſpondendum, quod erant ſubiectæ legi: nam eo quod erant capręin bello, obligabantur Iudæi facere, quod ſeruarent cæremonias legis, ſicut dicebatur ſupra de ſeruis emptitiis. *Eleazar quoque ſacerdos.* Supra ponebatur locutio Moyſi de purificatione bellatorum: hic autem ponitur alia cæremonia de eadem purificatione, quam protulit Eleazar, & non eſt intelligendum, quod Eleazar quaſi à ſeipſo iſta dixerit, ſed quia Moyſes iuſſit ei, quod iſta diceret, vt patet verbis eius. ſc. hoc eſt præceptum legis, quod mandauit Dominus Moyſi, quare autem Moyſes aliquid locutus fuerit, & aliquid Eleazar non poteſt penitus patere cauſa. Et ſo te cauſam habet, niſi ſolam voluntatem; quia in multis, quæ indifferentia ſunt ob ſolam voluntatem ſic, vel ſic agimus, vel poteſt dici, quod Moyſes fecit hoc ad honorandum Eleazarum, ſcilicet, quod aliqua præcepta daret Moyſes, & aliqua Eleazarus: dicitur autem hic Eleazar ſacerdos, id eſt, ſacerdos magnus per excellentiam, quia ipſe ſucceſſerat patri ſuo. ſupra cap. 20. *Ad viros exercitus, qui pugnauerant, ſic locutus eſt.* Id eſt, mandatum iſtud de purificatione dirigebatur ad viros bellatores, & hoc quia ipſi facere debebant cæremonias purificationis, cum manerent extra caſtra. Dicunt autem aliqui, quod Eleazarus locutus fuit iſta, quia miniſtratio legis in cæremonialibus magis pertinebat ad ſacerdotem magnum, quam ad Moyſen, cum munditia, vel immunditia principaliter attendatur reſpectu Sanctuarij, cuius cura pertinet ad ſacerdotes: ideo F ſolus Eleazar dare debebat iſta præcepta, & non Moyſes, quia tamen ſacerdotes noui erant, & nondum inſtructi, Moyſes aliquando præcepta dabat. Sed iſta ratio multum ſuperficialis eſt, quia ſicut Eleazarus dedit hic quædam præcepta de purificatione: ita poterit dare ea, quæ dedit Moyſes. *Hoc eſt præceptum legis, quod mandauit Dominus Moyſi,* Prius enim ponit auctoritatem dicti ſui, quam dicat, ſcilicet quod iſtud non eſt ex voluntate ſua factum, ſed ex mandato Dei, & denunciauit Dominus iſtud per Moyſen: ei enim loquebatur, & poſtea Moyſes ad populum, vel ad ſacerdotes.

Aurum, & argentum. Hic ponitur regula de purificatione, quæ non erat eodem modo celebranda in omnibus, ſed quędam purificanda erant per ignem, alia autem per aquam: ſunt enim iſta duo elementa purificatiua omnium immunditiarum: nam propter ſubtilitatem ignis, & viuacitatem caloris omnes impuritates conſumit: nec eſt aliquid quod ita perfecte purificationem faciat. Vnde tota impuritas ſeculi huius in iudicio per ignem purificabitur, vt patet prima Petri cap. 3. & in iſtis elementatis quando aliquid penitus purificari debet, per ignem purificatur, ſi poteſt ignem ſuſtinere. Secundum purificatiuum eſt aqua, quæ ſordes abluit, non quidem conſumendo, ſed abſtergendo. & iſta purificatio minor eſt, quia aqua ſolum tollit ſordes, quæ ſuperficietenus inhærent: *Duo elementa purificatiua.*

& non

A

& non multum radicatæ ſunt: ignis autem quaſcunque tollit. Vnde & aqua vim purificatiuã ab igne ſuſcipit: nam aqua ſi calida ſit, magis purificare poteſt, quam cum frigida eſt, hoc autem quia calor digerit, & ſubtiliat, & facit, quod aqua magis penetrare poſſit, & conſequenter efficacius ſordes tollere. Purificatio ergo ignis eſt efficaciſſima: purificatio autem per aquam ſolum eſt in defectum, ſcilicet, cum non poteſt adhiberi purificatio per ignem, & hoc quia quædam res ignem non tolerant. Et ſic dicitur hic, quod omne quod poteſt tranſire per flammas, igne purgabitur, & quod non poteſt ſuſtinere ignem, luſtrabitur aqua, & quia omnia metalla poſſunt ſuſtinere ignem, dicitur quod aurum & argentum, & omnia metalla igne purgabuntur. *Æs & ferrum.* Æs aliquando eſt nomen generale ad alia metalla, & etiam monetæ vocantur æs, quia fiunt de metallis. ſic dicitur Lucæ 21. cap. quod vidit Chriſtus quandam viduam mittentem in Gazophylacium æra minuta duo, id eſt, duos paruos denarios. Alio modo accipitur æs ſpecialiter pro quodam metallo; & in iſta ſignificatione accipitur hic, cum nominentur ſex metalla, ſeptimum autem metallum, ſcilicet, cuprum ſubticetur hic, quia intelligitur per alia ſex, vel per clauſulam generalem, quæ ſequitur, ſcilicet. Omne quod poteſt tranſire flammas. cuprum autem poteſt ſuſtinere ignem, ſicut cætera metalla.

B

Quare hic ponuntur omnia metalla purganda, & ſeruanda, in deſtructione vero Iericho tantum quatuor.

QVÆSTIO VIII.

QVæret aliquis, quare hic ponuntur omnia metalla purganda per ignem, & ſeruanda, & in deſtructione vrbis Iericho ſolum accipiuntur aurum, argentum, æs, & ferrum: Ioſue c. 6. Reſpondent aliqui, quod ibi etiam reſeruantur omnia metalla, ſed non exprimuntur ſpecialiter cũ intelligãtur per vaſa ænea, quia æs eſt nomẽ generale ad metalla. Sed iſtud non ſtat, quia ibi diſtinguitur æs à ferro, auro, & argento: ſi autem acciperetur generaliter, non diſtingueretur ab aliquo metallo, ſed omnia aſſignaret. Ideo aliter & melius reſpondendum, quod magna diuerſitas eſt inter deſtructionem Iericho, & deſtructionem Madianitarum, quia Iericho conſecrata fuit Deo, & anathematizata hominibus: ita quod nihil liceret accipere eis inde, quod in vſus humanos proueniret, vt patet Ioſ. cap. 6. nam & Achan, qui accepit pallium coccineum, & regulam auream, lapidatus eſt Ioſue cap. 7. ideo illa, quæ diuino cultui applicari non poterant, deſtruebantur totaliter: inter metalla autem ſolũ quatuor applicabantur cultui diuino in vaſis, & ſupellectilibus Sanctuarij. ſcil. aurum, & argentum, æs, & ferrum: ideo iſta quatuor reſeruari debuerunt: patet hoc, quia aurum erat ad faciendum duo Cherubim ſuper aream, & ad faciendum propitiatorium, & ad cooperiendum arcam, & altare thymiamatum per totum, & ad faciendum candelabrum cum omnibus vaſis ſuis: argentum autem erat ad faciendum baſes tabularum, & ad facienda capitella columnarum. De his Exo. 25. & 26. æs erat ad faciendum baſes columnarum atrij, & paxillos, & labrum æneum, & cooperiendum altare holocauſtorum, & ad faciendũ vaſa eius. De his Exo. c. 27. ferrum autem erat ad faciendum inſtrumenta erigendi, & deponendi tabernaculum, vt martellos, forcipes, & ſimilia. Solum ergo iſta quatuor iuſſa ſunt ſeruari in deſtructione Iericho, & fuerunt poſita in theſauris Domini: Ioſue cap. 6. deſtructio autem Madianitarum non fuit Domino conſecrata, ſed facta ad vtilitatem multitudinis Iſrael, ideo omnes greges, & armenta, iumenta, & omnia ſupellectilia, & omne metallum, & puellæ virgines, & generaliter quidquid ad vſum humanum conferre poteſt, conſeruatum eſt præter omnes mares & fœminas cognitas à viro, & apparet differentia, quia in deſtructione Iericho nihil acceperunt Iſraelitæ, ſed omnia poſita ſunt in theſauris Domini. In præda autem Madian omnia prouenerunt popularibus, & ſacerdotibus, præter aurum, quod ipſi ſponte Deo obtulerunt, vt patet infra. *Et omne quod poteſt tranſire flammas.* Id eſt, omne quod igne purificatur, & non conſumitur, aut incineratur, & hoc fit dupliciter, quia quædã tranſeunt per ignem, & eliquantur in eo, ſicut aurum, argentum, ſtannum, cuprum, & plumbum: alia autem tranſeunt per ignem non eliquata, ſed conſumuntur in eis impuritates, ſicut æs, calibs, & ferrum, quocunque autem horum modorum debebat fieri purificatio in igne. Alia autem ſunt, quæ nullo modo ſuſtinent ignẽ, vt veſtes, pelles, lina, & ſimilia. *Igne purgabitur.* Iſta purificatio non eſt cæremonialis, ſed naturalis, quia in ea adimuntur impuritates realiter, in purificatione autem legali non adimuntur impuritates, ſicut in aſperſione aquæ luſtrationis: immo ibi maior cauſatur impuritas, cum illa aqua ſit commixta cineribus vitulæ: iſta tamen purificatio accipitur hic, vt cæremonialis. Cenſentur enim omnia iſta fuiſſe immunda, ideo cum tranſeunt ad Iudæorum vſum, debebant purificari. *Quicquid autem non poteſt ſuſtinere ignem.* Iſta ſunt, quæ in igne poſita in cinerem vertuntur, & fumum emittunt, quod eſt per reſolutionem ipſorum, & ſic eſt generaliter de omnibus, quæ non ſunt metalla, vel non habent conformitatem magnam cum metallis. *Aqua expiationis ſanctificabitur.* Iſta purificatio ponitur in defectum, quia efficaciſſima purificatio eſt in igne: quæ autem non ſuſtinent ignem, poſſunt habere quandam leuem purificationem in aqua, vt dictum eſt. Iſta tamen non purificabantur in aqua per ablutionem, & defricationem, ſed per ſolam aſperſionem aquæ cum cineribus: vnde iſta non erat purificatio naturalis, ſed cæremonialis, quia non erant purificata realiter iſta, ſed ſecundum opinionem legis: & non dicitur, quod purificabuntur in aqua ſimpliciter, quaſi in quacunque aqua lauari poſſent, ſed dicitur de aqua expiationis: iſta enim eſt aqua commixta cineribus vitulæ rufæ. De cæremoniis autem faciendi, & conſeruandi iſtos cineres, patet ſupra cap. 19. Cum vero aliquis homo, vel aliqua ſupellex expiari debebat, ponebatur modicum de cineribus in aliquo vaſe, & ſuperfundebatur aqua ad commixtionem, & tunc in vaſe illo tingebatur hyſſopus, & aſpergebantur ex illa aqua homines immundi: vel vtenſilia ſupra capit. decimonono. Vocatur autem aqua expiationis, quia iſta ſola eſt, quæ expiabat. Nam licet aqua pura naturaliter expiet abſtergens ſordes; lex tamen non iudicabat aliquem purificatum eſſe quouſque aſpergeretur iſta aqua. Vnde ſi quis renuerit aſpergi iſta aqua, manebat iſta immunditia ſua ſuper eum, & peribat de populo ſuo, atque contaminabat Sanctuarium Domini ſupra 19. cap. Et dicitur hic ſanctificabitur, id eſt, mundabitur, quia iſtæ res mundatæ erant, cum aſpergerentur iſta aqua. Sanctificare enim multipliciter accipitur, ſicut ſanctum eſſe: ſanctus enim ſignificant mundum, & firmum, & Deo applicitum, & ſic ſanctificare eſt mundare, confirmare, Deo applicare. De primo patet Leuit. cap. 11. & 20. Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum, id eſt, eſtote mundi, quia ego ſum mundus. De ſecundo ſunt multa exempla, quia frequenter dicitur cum dantur aliqua præcepta: erit hoc ſanctum lege perpetua, id eſt, erit hoc firmum. De tertio patet Exod. capit. 13. Sanctifica mihi omne maſculinum, id eſt, applica ad me. Idem de die ſabbathi Exo. cap. 20. hic autem accipitur ſanctificare in primo modo: aliis modis accipitur ſanctificare, ſed non ſunt ita vſitati. *Et lauabitis veſtimenta veſtra die ſeptimo.* Iſtud intelligitur de lotione, quæ erat in aquis viuentibus: nam illi, qui erant contaminati ſuper mortuo in die tertio, & ſeptimo aſpergebantur aquis luſtrationis, & in fine diei ſeptimi lauabantur in aquis viuentibus, & iſta non erat aſperſio, ſed lotio per defricationem. Differebat autem ab aſperſione aquæ expiationis, quia illa erat cum cineribus, & iſta non. Etiam quia illa erat ad aſpergendum guttatim, & nõ ad abluendum: alia autem erat ad abluendum. Etiam quia aquam luſtrationis non poterat aſpergere ſuper immundum, niſi alius, qui eſſet mundus, poterat tamen ipſe immundus lauare ſeipſum in aquis viuentibus. De hoc patet ſupra cap. 19. & cum dicitur hic, quod lauabunt veſtimenta, etiam intelligendum eſt, quod lauarent corpora, ſic patet prælleg. cap. Legislator tamen non curauit hic exprimere omnem ritum purificationis, cum ſupra expreſſus fuiſſet. De ſupellectilibus dubium eſt, an lauari debuiſſent in aquis viuentibus poſt aſperſionem aquarum luſtrationis, ſicut erat de hominibus, & de veſtibus. Dicendum, quod non, quia ſupra c. 19. vbi ponitur complete iſte ritus, non dicitur, quod lauarentur ſupellectilia, ſed ſolum homines & veſtes. Circa cæremonialia tamen non obligabantur Iudæi plura facere, quam iuſſum erat: immo nec

D

Sanctificare quid ſignificet.

E

F

Quo differenter vtebãtur aquis luſtrationis à viuentibus.

C

debe-

A debebant plura facere. Sic patet Deuter. cap. ſcil. quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quicquam, nec minuas.

Et purificati poſteà caſtra intrabitis. Id eſt, cum feceritis omnia, quæ dicta ſunt de purificatione, intrabitis purificati in caſtra, ſcil. quod per cæremonias iſtas cenſebatur ablata omnis immunditia, & licebat introire iſtis in caſtra, vbi erant alij mundi: ante hoc autem non licebat ingredi in caſtra multitudinis, & multo minus in Sanctuarium: nunc autem ingredi poterant in Sanctuarium ad reddendum grates de victoria obtenta.

Dixit quoque Dominus ad Moyſen: Tollite ſummam eorum, quæ capta ſunt ab homine vſque ad pecus, tu & Eleazar ſacerdos, & omnes principes vulgi: diuidesq; ex æquo prædam inter eos, qui pugnauerunt, egreſſiq; ſunt ad bellum, & inter omnem reliquam multitudinem. Et ſeparabis partem Domino ab his, qui pugnauerunt, & fuerunt in bello, vnam animam de quingentis, tam ex hominibus, quam ex bobus, & aſinis, & ouibus, & dabis eam Eleazaro ſacerdoti, quia primitiæ Domini ſunt. Ex media quoque parte filiorum Iſrael accipies quinquageſimum caput hominum, & boum, & aſinorum, & ouium, cunctorumq; animantium, & dabis ea Leuitis, qui excubant in cuſtodiis tabernaculi Domini. Feceruntque Moyſes, & Eleazar, ſicut præceperat Dominus. Fuit autẽ præda, quam exercitus ceperat, ouium ſexcenta ſeptuaginta quinq; millia, boum ſeptuaginta duo millia, aſinorum ſexaginta millia, & mille animæ hominum ſexus fœminei, quæ non cognouerant viros triginta duo millia. Dataque eſt media pars his, qui in prælio fuerant, ouium trecenta triginta ſeptem millia quingentæ, è quibus in partem Domini ſupputatæ ſunt oues ſexcentæ ſeptuaginta quinque. Et de bobus triginta ſex millibus, boues ſeptuaginta & duo: de aſinis triginta millibus quingentis, aſini ſexaginta vnus. De animabus hominum ſedecim millibus, ceſſerunt in partem Domini triginta duæ animæ. Tradiditque Moyſes numerum primitiarum Domini Eleazaro ſacerdoti, ſicuti fuerat ei imperatum ex media parte filiorum Iſrael, quam ſeparauerat his, qui in prælio fuerant. De media vera parte, quæ contigerat reliquæ multitudini, id eſt, de ouibus trecentis triginta ſeptem millibus quingentis, & de bobus triginta ſex millibus, & de aſinis triginta millibus quingentis, & de hominibus ſedecim millibus, tulit Moyſes quinquageſimum caput, & dedit Leuitis, qui excuſabant in tabernaculo Domini, ſicut præceperat Dominus. Cumque acceſſiſſent principes exercitus ad Moyſen, & tribuni centurionesque dixerunt: Nos ſerui tui recenſuimus numerum pugnatorum, quos habuimus ſub manu noſtra, & ne vnus quidem defuit. Ob hanc cauſam offerimus in donariis Domini ſinguli, quod in præda auri potuimus inuenire periſcelides, & armillas, annulos, & dextralia, ac murænulas, vt deprecetur pro nobis Dominum. Suſceperuntque Moyſes, & Eleazar ſacerdos omne aurum in diuerſis ſpeciebus pondus Sanctuarij ſedecim millia ſeptingentos quinquaginta ſiclos à tribunis & centurionibus. Vnuſquiſq; enim quod in præda rapuerat, ſuum erat. Et ſuſceptum intulerunt in tabernaculum teſtimonij in monimentum filiorum Iſrael coram Domino.

B *Præda maximè deſcribitur.*

C *In bello illo nullus ex Iſraelitis fuit occiſus.*

Dixitque Dominus ad Moyſen. Hic ponitur de præda facta diuiſio, & primitiarum ſolutio. Nam quamquam non iuiſſent omnes ad bellum; tamen omnes de præda aliquid ſuſcipere debebant, & quia in diuidenda præda aliqui grauarentur, aut ſe grauatos putarent, ſi humano iudicio ditimeretur, Deus dedit regulam de modo diuidendi. *Tollite ſummam eorum, quæ capta ſunt.* Erat enim diuidenda præda, ideo oportebat, vt primo ſciretur numerus rerum acceptarum, vt ſic iuſta fieret diſtributio. *Ab homine vſque ad pecus.* Id eſt, tollite ſummam omnium hominum, & pecorum, non ſolum tamen fuerant capti homines, & pecora, ſed etiam aurum, & argentum, & alia metalla, atque ſupellectilia. De his autem nõ dicitur, quod computentur, & ratio eſt, quia in illis non aſſumebatur diſtributio ſecundum numerum, ſed ſecundum valorem: in pecoribus n. & hominibus, quamquam non eſſent omnes æqualis valoris, tamen fiebat diſtributio ſecundum æqualitatẽ numeri: nec in hoc erat diſtributio iniuſta, cum vtriq; parti poſſent dari homines, & pecora magni valoris, & parui valoris: ideo poſſet æqualitas eſſe valoris cum æqualitate numeri. In aliis autem rebus, ſc. ſupellectilibus, & in metallis non poteſt ſic accipi, quia iſta non ſunt ita determinata, vt numerari debeant, quia poſſunt eſſe plura, vel pauciora per ſubtractionẽ, vel diuiſionem continui: ideo non habent nomina diſtincta tanquam ſuppoſita, ſed congregantur tanquam partes, & per congregationem iudicatur æqualitas, vel inæqualitas valoris. Item quia in iſtis eſt magna inæqualitas valoris: erit enim aliqua ſupellex, quæ valet pluſquam mille ſupellectilia: ideo comparatio numeri in his nihil eſt, ſed modus erat, quod quilibet conferret in commune omnia, quæ in bello acceperat, & omnibus collatis fiebat diuiſio.

D *Quare in diuiſione prædæ de ſupellectilibus nõ fuit facta diuiſio, ſicut in reliquis*

Dicet aliquis, quod ſolum ponitur hic de hominibus, & pecoribus, quia alia non ſunt diſtributa inter pugnatores, & reliquam multitudinem, ſed quod quiſque rapuiſſet, ſuum erat, vt patet infra in litera.

Reſpondendum eſt falſum eſſe: nam tunc pecora, & iumenta, & homines non diuiderentur inter pugnantes, & non pugnantes, quia ſoli pugnantes acceperunt prædam, ergo ipſi ſoli acceperi erant eam. Sed falſum eſt: ideo dicendum, quod illud ſolum intelligitur de auro. ſcil. quod omnia alia, quæ capta ſunt in bello, erant communia, & æqualiter diuiſa ſunt inter bellatores: aurum autem nõ eſt diuiſum, ſed quod quiſque accepit hoc ei proueniebat: ideo quando fieri debuit diuiſio prædę inter pugnantes, & non pugnantes, pecora & iumenta, & homines æqualiter diuiſi ſunt. Cætera autem ſupellectilia non diuiſa fuerunt per numerum, ſed ducta ſunt ad collationem, & ibi ſecundum æqualitatem valoris diuiſa ſunt. Aurum autem non fuit ductum ad collationem, ſed quilibet ſibi retinuit quod rapuerat: & poſtea Domino totaliter oblatum eſt, vt patet infra. *Tu & Eleazar ſacerdos, & principes vulgi.* Iſti debebant diuidere prædam, quia erant tanquam iudices populi, & erant viri honorabiles: ideo populus magis confideret de eis, quod fideliter ſummam acciperent atque diuiderent. Vocantur principes vulgi principes multitudinis, & poſſunt iſti accipi pro 12. principibus 12. tribuum, qui erant principes totius vulgi. Vel poſſunt accipi pro principibus, quos conſtituit Moyſes conſilio Iethro, ſcilicet pro tribunis, & centurionibus, decanis, & quinquagenariis, de quibus Exod. 18. cap. Sed dicendum, quod accipitur hic primo modo, quia quando facta eſt computatio totius populi, vel debebat facere aliquid Moyſes cum principibus, ſemper aſſumebat principes 12. tribuum, vt patet ſupra cap. 1. ideo ita acciperet hic ad computandum prædam. Item patet, quia ſi intelligeretur de tribunis, centurionibus, &c. non diceretur, quod Moyſes, & principes vulgi diuiderent prædã, ſed Moyſes, & Iudices vulgi, quia iſti non erant principes, ſed iudices. Item non erat conueniens iudices iſtos aſſumi ad faciendum aliquid cum Moyſe, quia præ multitudine conuenire non poſſunt ad vnum actum, ſicut non poſſet totus populus conuenire ad aliquid vnum, quod patet, quia accipiendo omnes iſtos iudices, eſſent plures quàm 80. millia: nam paulo ante hoc computati fuerant in populo ſexcenta millia virorum, & mille, & ſeptingenti, & 30. ideo oportet, quia haberent iſti ſexcentos, & duos tribunos, & centuriones ſex mille, & 17. & quinquagenarios 12. millia, & 34. & decanos ſexaginta millia, & 183. qui ſunt vltra 80. millia, qui non poſſent conuenire ad aliquem vnum actum, ergo non fuerunt iſti congregati ad diuidendum prædam, & tollendum ſummam illius. Quod autem tanta eſſet multitudo populi apparet in numeratione, quæ fuit facta paulo ante hoc in eodem anno, de qua ſup. 26. cap. ideo accipiuntur hic principes pro 12. principibus 12. tribuum. *Diuidesque ex æquo prædam.* Id eſt, diuides æqualiter: non ſolum ipſe Moyſes diuiſurus erat prædam, ſed etiam alij principes cum eo: & cum dicitur, quod erat æqualis diuiſio inter bellatores, & reliquam multitudinem nõ eſt ſenſus, quod tantum daretur cuilibet de multitudine, quantum cuilibet

Quare Moyſes & Eleazar, & principes populi diuiſerũt prædã.

bella-

A

bellatori, sed quod tantum dabatur toti multitudini manenti in castris, quantum omnibus bellatoribus, & sic non erat diuisio per æqualia respectu personarum, quia bellatores erant 12. millia, vt patet supra in litera: reliqui autem manentes in castris erant quasi sexcenta millia virorum, vt patet supra cap. 26. ideo tantum dabatur vni bellatori, quantum 40. vel quinquaginta viris de illis, qui manserunt in castris. Sed arguetur, quod deberet æqualiter diuidi præda inter euntes ad bellum, & manentes in castris, quia dicitur 1. Reg. 30. æqua pars erit euntis ad bellum, & manentis ad sarcinas, & similiter diuiderent spolia. Ad hoc respõderi potest dupliciter: vno modo, quod lex non erat tempore belli huius, sed incœpit tempore Dauid, quando pugnauit contra Amalechitas. Vnde dicitur prælleg. cap. Et factum est hoc ex illa die, & deinceps constitutum, & præfinitum, & quasi lex in Israel vsq; ad diem hanc: ergo à principio non erat ista lex, alioquin non dubitassent super hoc viri, qui iuerunt cum Dauid. Alio modo & conuenientius respondetur, quod dato, quod ista lex fuisset à principio huius belli contra Madianitas non obligarentur bellatores æqualiter diuidere prædam cum manentibus in castris, quia illa litera intelligitur de euntibus ad bellum, qui tamen postea manserunt ad custodiendas sarcinas bellatorum, & illi aliquo modo dicuntur pugnatores: nam necesse erat, quod aliquis maneret ad custodiendas sarcinas, alioquin possent hostes irruere super sarcinas, & diripere illas sibi. Cum ergo isti sint occupati in rebus bellatorum, debent habere mercedem bellatorum. Item si acciderit, quod bellatores superentur ab hostibus, illi qui sunt in custodia sarcinarum æqualiter erunt in periculo, quoniam hostes poterunt irruere super eos, & necesse est, vt succumbant, vel vt pugnent. hic autem est dissimile, quia isti, qui manserunt in castris, non iuerunt ad pugnam in terram Madian ad custodiendas sarcinas bellatorum, nec accesserunt prope terram illam, & dato, quod isti bellatores perirent, non incumbebat eis aliquod periculum, quia remotissimi erant, ideo non debebant habere æqualem portionem cum bellatoribus, sicut si de regione aliqua irent quidam ad bellum, & alij manerent in vrbibus: manentes non debebant tantum recipere de pugna, sicut euntes ad bellum, vel forte nihil. Hic tamen Deus iussit dari aliquid manentibus in castris: & hoc forte nihil propter bonum pacis, quia qui manserunt in castris, erant plurimi, & si euntes retinuissent sibi totam prædam, irascerentur manentes, facerentque impetum in eis, & tumultuarentur castra. Datum autem est ei aliquid, scilicet, quod quadraginta, vel quinquaginta de manentibus in castris reciperent tantum, sicut vnus de pugnatoribus. Vel potest dici, quod fiebat hoc, quia manentes in castris erant dispositi ad eundum in bellum, sicut illi qui iuerunt: ideo aliquid habere debebant, vel quia licet ipsi mansissent in castris, tamen non

C

erant penitus, sicut qui manent in vrbibus, sed aliquo modo erant in expeditione bellica, ideo aliquid habere debebant, licet non æquale.

An deberent spolia æqualiter diuidi inter bellantes, & non bellantes.

Inter eos, qui pugnauerunt, & egressi sunt ad bellum. Hic est ordo præposterus, quia prius est, quod aliqui irent ad bellum, quam quod pugnarent. hic autem dicitur primo de pugnatoribus, quam de egredientibus ad bellum. iste modus loquendi est vsitatus apud poetas. Sic patet per Virgilium secundo Æneidos.

Moriamur mediaque in arma ruamus.

Prius tamen dicere debuisset ruamus in arma, quam moriamur. Istæ duæ clausulæ, scilicet, qui pugnauerunt, & egressi sunt ad bellum, non ponuntur tanquam distinctæ, quia tunc esset sensus, quod illi, qui manserunt ad custodiendas sarcinas, & non pugnauerant, non deberent habere aliquam partem de præda. Sed falsum est, ideo intelligendum, quod vna clausula istarum nihil addit ad alteram, sed omnes, qui egressi sunt ad bellum, habentur tanquam pugnantes, ideo omnes egredientes ad bellum acceperunt partem. Ponitur etiam alia clausula infra. Et fuerunt in bello: sed etiam ista nihil addit ad præcedentes, quia pro nullo alio accipitur hic fuisse in bello, nisi pro fuisse in numero bellatorum, licet actualiter non pugnassent.

B

Fœmina secundũ

Et inter omnem reliquam multitudinem. Vocatur reliqua multitudo virorum manentium in castris: fœminæ autem non computantur hic, nec assignata fuit eis aliqua pars, quia ipsæ nunquam egrediuntur ad opera bellica, nec sunt conuenientes ad hoc, licet in politia Socratis determinaretur, quod fœminæ egrederentur ad bellum, sicut viri, sumendo parabolam ab animalibus brutis, sed hoc improbat Aristot. 2. Polit. cap. 2. ideo pars illa, quæ prouenit multitudini diuisa est inter solos viros, sed solam inter illos, qui erant potentes ad opera bellica, scilicet, viginti annis, & supra, in qua ætate ascribuntur homines militiæ secundum legem Mosaicam, vt patet supra cap. 1.

D

politiã Socratis debebant ire ad bellum, non autem secundũ Arist.

Et separabis partem Domino. Hic ponitur de primitiis dandis de rebus acquisitis in bello: Deus enim vult, vt gratulemur ei in singulis, in quibus nobis benefacit, sicut condignum est, vt omnibus benefactoribus nostris pro singulis beneficiis gratias impendamus, sed nihil in nobis est, quod Deo auctore non susceperimus: ideo in singulis ei gratias impendere debemus: potissime tamen in eis, quæ maiora sunt, & magis à Deo conferri videntur: huiusmodi est de victoria belli: nam à Deo est, quod vincamus, vel vincamur, & non dependet ex fortitudine bellica, vel ex multitudine bellatorum. Sic patet primo Regum decimoquarto capit. ex verbis Ionathæ ad armigerum suum, non est difficile saluare Domino, vel in multitudine, vel in paucis. & primo Machab. capit. quarto dicit Iudas, facile est concludi multos in manu paucorum, & non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis, & in paucis, quoniam non in multitudine exercitus est victoria belli, sed de cœlo fortitudo est: volebat ergo Deus, quod pro hac victoria, quæ ab ipso collata fuerat, potissimum, quia miraculose collata fuerat, cum nec vnus de Iudæis periisset destructis tot millibus Madianitarum, & desolata terra ei gratiæ fierent, & quia congratulatio, licet in corde præcipua sit, maior apparet, cum aliquid exterius manifestatur in opere, ideo voluit, vt in signo exteriori aliquid sibi fieret, quod denotaret interiorem gratulationem, & hoc fuit, quod daretur aliquid de præda belli Deo, & quia Deus hoc recipere non poterat, nec eo indigebat, fecit, vt ministri eius. scil. sacerdotes hoc reciperent, iubens, quod tam bellatores, quam reliqua multitudo manens in castris aliquid Domino impenderent de præda, & determinatur hic quantum isti impendere deberent, & quia non solum fuerat hic collata victoria, sed etiam miraculose collata est, ipsi qui pugnauerant impenderunt omne aurum, quod acceperant in bello pro thesauris Domini, scil. quia nullus de euntibus ad bellum perierat, vt patet infra.

E

Considerandum autem, quod istud quod separatum est de parte, quæ prouenit bellatoribus, & de parte, quæ prouenit reliquæ multitudini ad dandum Deo non fuit separatum post factam diuisionem per omnes, sed antequam daretur quicquam alicui, scilicet, quod diuisa est præda in duas medietates æquales, & de vna earum, quæ proueniebat toti multitudini, data est quædam portio Deo, reliquum autem diuisum est inter reliquam multitudinem, & sic factũ est de portione, quæ prouenit bellatoribus. Dicitur autem hic, & separabis partem Domino ab his, qui pugnauerunt, id est, de parte, quæ prouenit pugnatoribus, adhuc separabis partem vnam Deo, id est, ad dandum sacerdoti magno loco Dei, quanta autem sit ista pars, immediate patet. *Ab his, qui pugnauerunt, & fuerunt in bello.* Id est, de parte, quæ prouenit pugnatoribus, istæ duę clausulę idem sunt, scilicet, pugnauisse, & fuisse in bello, quia nemo poterat pugnare, nisi sit in bello, existentes autem in bello pugnantes censentur, sed ponitur vtraque ex modo loquendi Hebraico, qui interdum superabundat. *Vnam animam de quingentis.* Id est, de omnibus animabus, quæ proueneriat bellatoribus, dabis partem Domino, & modus erit, quod de quingentis animabus detur vna: accipitur autẽ hic anima pro re animata: nam, siue homo, siue pecora vocantur hic animæ, & hoc, quia homines accepti in bello, & pecora ex medietate prouenerunt bellatoribus, & de his dabat partem Domino, multitudo etiam dabat partem de portione sua, sed dabat de quinquaginta animabus vnam. Causa huius diuersitatis est, quia illi, qui manebant in castris, non pugnauerunt, nec posuerunt animã suam ad mortem, sicut bellatores, ideo rationabile erat, quod plus acciperent bellatores de præda, quam reliqui non pugnantes. Etiam excedebant eos in alio, scilicet, quod tantum susceperant de præda pugnatores, qui erant

F

A

12.millia, ſicut reliqui manentes in caſtris, qui erant quaſi ſexcenta millia. Item pugnatores dabant primitias ſuas ſummo ſacerdoti, reliqua autem multitudo dabat primitias ſuas omnibus Leuitis, vt patet in litera, ſed omnes Leuitæ erant multi: ſacerdos autem magnus etiam cum omnibus aliis ſacerdotibus faciebant paruum numerum, ideo maiores eſſe debebant primitiæ reliquæ multitudinis, quam primitię bellatorum. *Tam ex hominibus, quam ex bobus, & aſinis, & ouibus.* Per hæc intelliguntur omnia pecora quæcunque adducta ſunt de terra Madian, ſi aliqua alia fuiſſent, ſicut capræ, cameli, equi, & ſimilia. Sed ſatis dici poteſt, q; nulla alia fuerunt prętęr hęc, nam cum infra determinatur quantitas primitiarum, tam de parte bellatorum, quam de parte reliquæ multitudinis ſolum ponitur numerus ouium, boum, aſinorum, & hominum, ſi tamen fuiſſent aliqua alia pecora, vel iumenta capta in præda, tangeretur hic de eis, cum tam diligenter ponatur ibi numerus boum, & ouium, ita vt nec vna ouis relinquatur. Ideo dicendum, quod nulla alia pecora fuerunt ducta de terra Madian, ſed ſatis mirabile eſt, quomodo in tota terra Madian nō fuerunt ſaltem duæ capræ, aut vnus equus, vel camelus. *Et dabis eam Eleazaro ſacerdoti.* Id eſt, iſta pars primitiarum cedet Eleazaro, qui eſt ſacerdos magnus, & hoc, quia iſta pars cedebat Domino, ſed Deus non poterat eam recipere, nec indiget

B

ea, ideo aliquis loco eius recepturus erat, nullus autem propinquior erat quam miniſtri eius, & quia ſacerdotes ſunt miniſtri eius principales commiſit eam Eleazaro ſacerdoti.

An ſacerdotes minores acceperint aliquid de iſtis primitiis belli, ſicut Leuitæ, & ſacerdos magnus.

QVÆSTIO IX.

QVæret aliquis circa hoc, an ſacerdotes minores acciperent de iſtis primitiis pugnæ. Et videtur, quod aliquid recipere deberent, quia omnes iſtæ primitiæ, quæ dabantur de parte bellatorum, quam quæ dabantur de parte reliquæ multitudinis proueniebant Deo, ipſe autem tradidit eas miniſtris ſuis; & quia ſacerdotes minores, ita erant miniſtri Dei, ſicut Leuitæ, & ſacerdos magnus, debuit eis aliquid dari de iſta præda. Quod autem daretur ſacerdoti magno patet hic, quod vero daretur reliquis Leuitis apparet infra, ideo neceſſe eſt intelligi, quod etiam daretur ſacerdotibus, ne eſſent peioris conditionis, quam Leuitæ, cum magis miniſtrarent Deo, quam Leuitæ.

In contrarium videtur, quia hic ponitur, quod portio, quę data eſt Domino de parte pugnatorum prouenit Eleazaro, & portio data de parte reliquæ multitudinis prouenit Leuitis, ſed nihil aliud erat de quo primitiæ dari poſſent. Ergo ſacerdotibus minoribus nullæ primitiæ de præda datæ ſunt. Simile autem habetur in ſolutione decimarum, nam Leuitis iubebantur dari omnes decimæ Iſrael. ſummo autem ſacerdoti dari debebat decima de decimis Leuitarum, de quibus ſupra cap. 18. ſacerdotibus autem minoribus nihil dabatur de decimis, vt patet ibidem, ergo ſimiliter nihil erat dandum hic de primitiis prædæ.

C

Ad rationem in contrariū.

Reſpondendum eſt, quod ſacerdotibus minoribus fuit datum aliquid de primitiis prædę, quia non debebant eſſe peioris conditionis, quam Leuitæ, & fuit eis datum aliquid de parte, quæ prouenit Eleazaro ſacerdoti, nam omnes ſacerdotes minores computabantur de domo ſacerdotis magni, potiſſimum nunc, quia erant valde pauci, ideo de parte ſummi ſacerdotis, quæ erat ſatis magna, debebat eis dari. Cum vero arguitur, quod hic dicitur de primitiis ſummi ſacerdotis, & de primitiis Leuitarum, & nihil agitur de primitiis ſacerdotum, ergo nullæ dabantur eis. Reſpondendū eſt, quod quamquam non agatur mentio explicite, tamen ſubintelligitur, ſc. quod daretur eis de primitiis ſummi ſacerdotis. Cum autem confirmatur, quod ſummo ſacerdoti dabantur quædam decimæ, & Leuitis dabantur omnes aliæ, & nullę proueniebant ſacerdotibus minoribus, ergo ſic non proueniebant eis primitiæ hic, non tenet conſequētia, quia ibi aſſignatur eis multa alia iura ſufficientia illis, ideo de decimis nihil eis datū eſt, ſed ſolis Leuitis & ſacerdoti magno, qui non habebant prouentus ſufficientes aliunde: ſed tempore huius belli nondum ſufficiebant ſacerdotes aliqua iura, nec Leuitæ, quia non miniſtrabant Domino, nec habebant Iſraelitæ vnde ſoluerent, cum non colerent terram, nec vacarent laboribus, ideo ſi darentur aliqua iura de præda ſacerdoti magno, & aliqua Leuitis, & nulla darentur ſacerdotibus, grauarentur nimis ipſi nō habentes aliunde aliquos prouentus. Et ſic dicendum, quod data fuit eis aliqua pars, ſcilicet, de hac, quæ data eſt ſacerdoti magno. *Quia primitiæ ſunt Domino.* Iſtud eſt redditiuum cauſæ pro ſuperiori, ſcilicet, quod ideo datæ ſunt iſtæ partes prædæ Eleazaro, quia primitiæ ſunt Domini, id eſt, quædam partes ſeparatæ pro Deo, quaſi dicat, pro victoria conceſſa Iſraelitis, debebat aliquid dari Deo, & iſtud vocatur primitiæ, & quia Deus non ſuſcipit, nec indiget hic primitiis facit eas dari miniſtris ſuis. Eleazarus autem erat princeps ſacerdotum, ideo fecit, quod ei, & reliquis minoribus ſacerdotibus daretur vna pars primitiarum de præda. *Ex media quoque parte filiorum Iſrael.* Hic ponitur portio de præda, quæ data eſt Leuitis de parte, quæ prouenit multitudini manenti in caſtris, & dicitur, ex media parte filiorū Iſrael, id eſt, ex medietate prædæ, quæ prouenit filiis Iſrael. Non accipitur autem hic medietas ſecundum numerum hominum, ſed ſecundum prædæ magnitudinem, vocantur autem filij Iſrael, qui manſerunt in caſtris, non quidē, quod bellatores non eſſent de filiis Iſrael, quia ſemper maior pars populi vocatur populus abſolute, vt cum dicimus, populus facit hoc, vel populus locutus eſt, quaſi alij non ſint de populo, hoc modo etiam reſpectu Leuitarum dicuntur omnes alij eſſe filij Iſrael in populo Iudæorum, quaſi non ſint Leuitæ de filiis Iſrael. *Accipies quinquagesimum caput.* Id eſt, de quinquaginta capitibus accipies vnum, ſcil. de hominibus, vel de pecoribus prouenientibus ſibi accipies de quinquaginta vnū, & iſtud pro Leuitis. Cauſa autem quare de pecoribus, & hominibus prouenientibus toti multitudini dabatur vnum de quinquaginta, & de prouenientibus bellatoribus dabatur vnum de quingentis, ſupra aſſignata eſt.

D

E

Hominum, & boum, & aſinorum, & ouium. Iſta quatuor genera exprimuntur hic fuiſſe accepta in præda, de quorum quolibet deſignatur quot capita fuerint, & quot fuerint data Deo. *Cunctorumque animantium.* Ex hoc dicet aliquis, quod præter homines, boues, oues, & aſinos fuerint aliqua alia animalia tam de pecoribus, quam de iumentis, cum dicatur hic, cunctorumque animantium, quod videtur eſſe additum ad præcedentia, ſemper tamen videtur dicendum id, quod ſupra, ſcilicet, quod nulla alia animalia ducta fuerunt de terra Madian, niſi de illis quatuor generibus, quia cum tam diligenter exprimatur numerus omnium animalium de his quatuor generibus, ita vt nec vnum deficiat, aliquo modo tactum fuiſſet de aliis animalibus, ſed nihil omnino tangitur. Cum vero dicitur hic: Cunctorumq; animantium. Dicendum, quod non ponitur hic additiue, ſed expoſitiue, ſicut interdum in Scriptura multæ clauſulæ ponuntur.

F

Quomodo fuerunt datæ primitiæ Domino de vtenſilibus, & metallis.

QVÆSTIO X.

QVæret aliquis circa prædicta de vtenſilibus, & metallis, quæ accepta ſunt in præda, quomodo fuerint datæ primitiæ Domino, vel quomodo diuiſa fuerint. Ad hoc aliquis reſpondebit negando præſuppoſitum huius quæſtionis, prę-ſupponitur enim, quod vtenſilia, & omnia metalla diuiſa fuerint inter bellatores, & reliquam multitudinem, ſicut homines, & pecora. Sed hoc non apparet, quia ſolum dicitur de diuiſione hominum, & animalium brutorum. Item dicitur, quod non ſtat hoc, quia infra dicitur, vnuſquiſque enim, quod in præda rapuerat, ſuum erat, ergo non fuit facta aliqua diuiſio. ſed hoc non eſt conuenienter dictum, quoniā Deus volebat, quod manentes in caſtris haberent partem de tota præda, ſed in ſupellectilibus, & metallis eſſet magna pars prædæ, ergo etiam de illis portio data fuit manentibus in caſtris. Cum vero arguitur, quod non fuiſſet diuiſa præda ſupellectilium, quia dicitur, vnuſquiſque quod rapuerat, ſuum erat, falſum præſupponitur, quia illud non intelligitur de tota præda, ſed ſolum de auro, vt patet inf. alioquin homines, & pecora nō diuiderentur inter pugnatores, & manētes

in caſtris.

A *Respon. Auct.*

in castris. Ideo satis rationabile est, quod fuerit facta diuisio supellectilium, licet hic subticeatur, & causa subticendi est, quia supra dicebatur de modo diuidendi homines, & iumenta, & hoc erat secundum æqualitatem numeri: in supellectilibus autem non poterat poni conuenienter talis modus diuisionis, sed credendum est, quod alio modo diuiderent, scilicet, ducendo omnia ad collationem, & diuidendo per mediũ secundum æqualitatem valoris. Quod autem aliquid hic subticeatur, necesse est dici, quia oportet, quod aurum, & argentum, & cætera supellectilia diuiderentur, vel inter bellatores solum, vel inter bellatores, & reliquam multitudinem, quod patet, quia aurum, & argentum, & multa genera metallorum, & supellectilium in bello capta sunt, sed de his nihil proueniebat totaliter cuilibet capienti, nisi aurum, vt patet infra: oportet ergo, quod argentum, & cætera metalla, & supellectilia capta diuisa fuerint, sed nihil de hoc exprimitur, ergo necesse est, quod dicatur aliquid subticeri. Vnde rationabile est dici, quod subticeatur diuisio facta supellectilium, & metallorum inter pugnatores, & reliquam multitudinem. Tunc autem stat dubium, de quo quærebatur, scilicet, qualiter fuerint datæ primitiæ Domino de rebus illis. Responderi posset dupliciter, vno modo, quod nullæ primitiæ datæ sunt, quia sufficiens fuit, quod darentur de hominibus, & pecoribus in signum gratiarum pro victoria, ideo de aliis non exprimitur. Alio modo potest intelligi, quod fuerunt datæ primitiæ eo modo, quo de pecoribus, & hominibus, scil. quod de medietate, quæ prouenit bellatoribus, datæ sunt primitiæ Eleazaro, & de medietate prouenienti reliquæ multitudini, datæ sunt primitiæ Leuitis, & sicut dabatur de pecoribus, & de hominibus quinquagesimum caput de parte multitudinis, & quinquagesimum de parte bellatorum, ita daretur hic pars quinquagesima in valore de medietate non pugnatorum, & pars quinquagesima de medietate, quæ prouenit pugnatoribus. *Et dabis ea Leuitis.* Nomine Leuitarum intelliguntur hic soli Leuitæ, qui erant Sacerdotes, scil. Gersonitæ, & Meraritæ, & pars quædam Caathitarum. Nam Leuita dupliciter dicitur, aliquando enim importat nomen progeniei, & aliquando nomen officij. Primo modo omnes, qui sunt de stirpe Leui, siue sint sacerdotes, siue non, vocantur Leuitæ. Secundo modo vocantur Leuitæ illi solum, qui ministrabant in minoribus officiis, scilicet, qui non erant sacerdotes, & isto modo accipitur hic: sunt enim distincta iura sacerdotum & Leuitarum supra 18. cap. postea autem ista iura erant diuidenda inter Leuitas, sed ad secundum æqualitatem, vel secundum dignitatem, non apparet. *Qui excubant in custodiis tabernaculi Domini.* Id est, qui vigilant in custodiendo tabernaculum Domini, in quo denotatur officium Leuitarum, pro quo recipiebant ista stipendia: erant enim Deo debita ista, quæ dabantur, sed quia ipse non indigebat his, dabat ministris suis: si autem Leuitæ non haberent aliquod ministerium, non darentur eis primitiæ istæ. & dicit er hic, quod excubant in custodiis Domini, quia istud est vnum ex officiis Leuitarum, sc. quod cum castra essent fixa, ipsi castra metarentur in circuitu tabernaculi attente custodientes, ne quis de popularibus accederet ad Sanctuarium, aut coniungeret se illis, alioquin oriretur indignatio Dei super populum. Leuitæ etiam deponebant tabernaculum quando deponendum erat, & portabant illud in via, cum mouenda essent castra, & figebant illud erigentes cum castra figerentur. De his supra cap. 1. Dicitur autem hic in custodiis tabernaculi, id est, totius Sanctuarij, quia non solum custodiebant Leuitæ tabernaculum, sed etiam atrium eius, sed accipitur hic large tabernaculum pro Sanctuario. *Feceruntque Moyses, & Eleazar, sicut præceperat Dominus.* Hic ponitur executio prædictorum, scilicet, de summa recipienda, & de facienda diuisione inter pugnatores, & reliquam multitudinem, & hoc fecerunt Eleazar, & Moyses, & non solum ipsi, sed etiam principes vulgi cum eis: sicut enim iussum fuerat, vt patet supra. *Fuit autem præda quam exercitus receperat.* Hic determinatur quantitas prædæ, vt sequatur diuisio inter pugnatores, & non pugnatores. Et ex hoc confirmatur id, quod supra dicebamus, quod in pugna contra Madian nulla animalia fuerunt capta præter homines, oues, boues, & asinos, quia hic dicitur, quod ista fuit præda, quæ sequitur, quasi ista sola esset præda, sed solum ponũtur hic quatuor genera animalium, ergo non fuerunt alia capta, alioquin superflue diceretur, quod ista fuit præda. Ponitur autem hic numerus determinatus boum, ouium, hominum, & asinorum, vt sciatur quantum proueniebat cuilibet parti, & quantum Eleazaro, & quantum Leuitis. *Sexaginta millia, & mille animæ hominum sexus fœminei.* Ponitur hic numerus prædæ quantum ad homines. Et vocantur hic animæ ipsi homines ex modo scripturæ. Et dicitur sexus fœminei, quia quamquam capti sunt homines sexus masculini in præda, tamen non venerunt in diuisionem, scilicet, quod pugnatores acceperunt omnes paruulos, & fœminas ducentes in castra, sed Moyses fecit, quod omnes masculi, siue magni, siue parui iugularentur, ideo nullus de eis hic computatur, sed solæ fœminæ. *Quæ non cognouerunt viros.* Dicitur hoc, quia omnes fœminæ Madianitarum captæ sunt à bellatoribus, & ductæ in castra, sed non fuerunt omnes reseruatæ. Nam iussit Moyses, quod omnes fœminæ, quæ cognouerant viros, iugularentur, solis virginibus reseruatis, & istæ diuisæ sunt inter pugnatores, & reliquam multitudinem, & de his dicitur, quod non nouerunt viros. *Dataque est media pars his, qui in prælio fuerunt.* Id est, medietas totius prædæ, scilicet, de omnibus hominibus, & pecoribus supra computatis in litera data fuit 12. millibus virorum, qui fuerunt in bello, & alia medietas data est reliquæ multitudini. *Ouium 337. millia quingentæ.* Ista est medietas totius prædæ quantum ad oues: erant enim sexcenta septuaginta quinque millia, quarum medietas est 337. millia quingentæ. *Ex quibus in partem Domini supputatæ sunt oues sexcentæ septuaginta quinque.* Id est, de istis ouibus, quæ prouenerunt bellatoribus, venerunt in partem Domini, id est, in partem Eleazari sacerdoti & sacerdotum minorum sexcentæ 75. dicuntur autem prouenisse in partem Domini illa, quę dabantur sacerdotibus, & Leuitis, qui erant ministri Dei, sed de parte, quæ prouenit bellatoribus, dabantur primitiæ Eleazaro, & minoribus sacerdotibus. Prouenerunt autem solum sexcentæ 75. oues, quia de quingentis dabatur vna, vt patet supra, ideo de trecentis millibus ouium datæ sunt sexcentæ, & de 37. millibus, & quingentis datæ sunt 75. *Et de bobus 36. millibus.* Tota præda fuit 72. millium, de quibus medietas prouenit bellatoribus, scilicet, 36. millia boum, & de his dederunt partem, quæ proueniebat Domino, scilicet, boues 72. nam de quingentis dabatur vnus, ideo de 30. millibus darentur 60. & de sex millibus darentur 12. *De asinis 30. millibus quingentis asini 61.* Fuit autem tota præda asinorum 60. millia, & mille, ideo medietas, quæ proueniebat bellatoribus erat 30. millium, & quingentorum asinorum, & cum de quingentis daretur vnus de 30. millibus, & quingentis prouenieb ant 61. *De animabus hominum 16. millibus.* Id est, de puellis virginibus, quæ diuisæ sunt in præda, & istæ fuerunt 32. millia, de quibus proueniebant 16. millia pugnatoribus. *Cesserunt in partem Domini 32. animæ.* Id est, prouenerunt Eleazaro, qui recipiebat istas primitias loco Dei 32. virgines, quia de 16. millibus prouenie bant 32. cum daretur vna virgo de quingentis. *Tradiditque Moyses numerum primitiarum Domini Eleazaro.* Iusserat Deus, quod primitiæ, quæ prouenirent ex parte bellatorum, darentur Eleazaro, & aliæ, quæ prouenie bant ex parte multitudinis darentur Leuitis, ita autem factum est hic, & non est intelligendum, quod fuerint datæ istæ primitiæ Eleazaro, id est, soli Eleazaro, sed etiam sacerdotibus minoribus pars data est, vt supra declaratũ fuit, sed dicuntur datæ Eleazaro istæ primitiæ, quia ipse erat princeps omnium sacerdotum. *Ex media parte filiorum Israel.* Id est, ex medietate prædæ, quę prouenit filiis Israel, id est, pugnatoribus, hic autem accipitur è contrario, quam superius, quia supra vocantur filij Israel tota multitudo, quæ diuidebatur contra bellatores: Hic aũt accipiuntur filij Israel pro bellatoribus. Et necesse est sic dici, quia dicitur hic, quod primitiæ istorum traditæ sunt Eleazaro, sed supra dicebatur, quod primitiæ bellatorum darentur Eleazaro, & primitiæ reliquæ multitudinis darentur Leuitis. Patet etiam ex eo quod sequitur, scilicet. *Quam separauerat his, qui in prælio fuerant.* Id est, ista media pars filiorum Israel fuerat separata pro his, qui in bello fuerunt, sed isti non possunt vocari multitudo, quæ erat in castris: ergo bellatores vocantur hic filij Israel, & in hoc est magna æquiuocatio, & difficultas intelligendi Scripturam. *De media vero parte, quæ contigerat reliquæ multitudini.* Hic ponuntur primitiæ, quæ datæ fuerunt Leuitis de medietate prædæ, quæ prouenit reliquæ

Adquæstionẽ.

B

C

D

E

F

A multitudini, id est, multitudini virorum manenti in castris, & ponuntur hic omnia quatuor genera animalium, de quibus fuit præda, & quantum de quolibet prouenerit non pugnantibus. *Tulit Moyses quinquagesimum caput.* Id est, tam de hominibus, quam de bobus, asinis, & ouibus dedit Moyses Leuitis quinquaginta vnum, & istæ erant maiores primitiæ, quam illæ, quę datæ sunt Eleazaro sacerdoti, scilicet, in decuplo, quia quinquaginta est subdecuplum quingentorum. Et secundum hoc patet, quot asini, quot boues, quot oues, quot homines venerint Leuitis accipiendo in decuplum eorum, quæ prouenerunt Eleazaro sacerdoti. Vnde de 337. millibus quingentis ouibus prouenerunt sex millia septingentæ, & quinquaginta oues. De bobus autem 36. millibus prouenerunt Leuitis septingenti viginti boues. De asinis autem triginta millibus quingentis prouenerunt Leuitis sexcenti, & decem. De virginibus 16. millibus cesserunt Leuitis 320.

Dedit Leuitis, qui excubabant in tabernaculo Domini. Id est, assignauit Moyses istam partem Leuitis minoribus pro eo, quod excubabant in tabernaculo Domini, id est, erant vigilantes, vel attenti ad faciendum omnia ministeria in tabernaculo Domini, quæ pertinebant ad officium eorum, quæ supra assignata sunt. Vel dicitur, quod excubabant in tabernaculo, id est, in circuitu tabernaculi, scilicet, Sanctuarij. Nam Leuitę erant diuisi in quatuor partes, & castrametabãtur ad quatuor latera Sanctuarij, de quo patet supra cap. 3. istud autem erat, ne illi, qui non erant Leuitæ, non accederẽt ad Sanctuarium. *Cumque accessissent.* Hic ponitur gratuita oblatio. Iusserat enim Deus de his, quę in bello acquisita sunt dari primitias sibi, quæ supra datę leguntur. Harum autem solutio erat sub necessitate, quia Deus iusserat; ideo eis solutis adhuc bellatores gratis alia obtulerunt, scilicet, totum aurum, quod in bello acceperant pro mirabili liberatione, quia nec vnus ex bellatoribus defuit. *Principes exercitus.* Multi enim fuerunt principes in exercitu contra Madian. Nam licet esset vnus dux omnium bellatorum, tamen sub eo erant multi principes minores, scilicet, tribuni, centuriones, & alia genera principatuum. *Tribuni, & centuriones dixerunt.* Isti sunt de principibus belli, & non sunt tribuni, & centuriones, qui constituti sunt tanquam iudices per Moysen consilio Iethro, sed sunt alij principes belli, quibus committebantur multi viri regendi. Si autem diuisus esset totus exercitus per tribunos, oportebat, vt essent tribuni 12. in bello, & si per centuriones, oportebat, vt essent 120. & hoc, quia bellatores erant 12. millia. *Nos serui tui recensuimus numerum pugnatorum.* Hic ponitur causa istius oblationis, scilicet, pro admirabili victoria, quia nullus defuit in bello. Dicunt enim, quod recensuerunt. Id est, computauerunt bellatores, qui sub eis fuerunt, & nullus inuentus est defecisse. Dicunt autem. Nos serui tui, quia Moyses erat princeps totius populi, & Propheta Deo acceptissimus in signis atque portentis, ideo omnes timebant eum atque honorabant. *Quos habuimus sub manu nostra.* Id est, in potestate nostra. Isti, qui loquebantur, erant principes belli, & quilibet habebat sub se aliquos viros, scilicet, centuriones habebant centum, & tribuni habebant mille, quorum quilibet curam gerens de suis computauit eos finito bello. *Et ne vnus quidem defuit.* Id est, nullus defecit de pugnatoribus, etiam nec vnus, quod mirabile erat: ideo tanquam pro admirabili specialiter Domino gratias offerebant. *Ob hanc causam offerimus in donaria Domini.* Id est, quia scimus hoc mirabiliter factum, offerimus Deo dona. Donaria enim, & dona idem sunt: dicitur autem aliquis offerre in donaria, id est, offerre aliquid tanquam donum, & sic erat de auro, quod isti obtulerunt. *Singuli quod in præda auri potuimus inuenire.* Id est, totum aurum, quod ex præda habitum est, offerimus. Dubium enim est, an intelligatur de auro, quod prouenit solis principibus, vel de eo quod prouenit toti militiæ. Nam dicitur hic, quod centuriones, & tribuni obtulerunt. Sed dicendum videtur, quod non solum principes, sed omnes bellatores obtulerunt aurum suum, quod patet, quia istud offerebatur pro speciali beneficio, scilicet, quod nullus in bello periit. Sed istud beneficium non solum erat collatum principibus, sed etiam omnibus bellatoribus, ideo videtur, quod omnes obtulerunt. Item patet, quia quod quisque inuenisset de auro in præda suum erat, & non diuidebatur, nec deducebatur ad collationem, vt patet infra, sed non est verisimile, quod ipsi principes per se inuenissent istud aurum, quia ipsi non vacarent prædæ per seipsos, sed alij minores, & quod quisque inuenisset de auro, suum erat, nec dabat inde aliqua iura principibus: ergo principes non potuerunt tantum de auro habere in iure suo de bello, sed videtur, quod fuerit aurũ omnium bellatorum. Principes tamen dicuntur obtulisse, quia forte omnes bellatores videntes miraculum Dei in victoria valde prospera inter se conuenerunt, quod totum aurum in bello acceptum Domino offerrent, & tunc principes collecto auro ab omnibus bellatoribus suis, offerrent illud loco omnium bellatorum.

Periscelides. Hic ponuntur ornamenta, vel vtensilia, quæ de auro erant, & oblata sunt. Et primum est in periscelidibus. Ista enim sunt ornamenta brachiorum, scil. quidam circuli de auro, vel alterius rei, qui circumdantur brachiis, & dicuntur à peri, quod est circum, & chelim, quod est brachiũ, quasi in circuitu brachiorum. Nomen autem hic positum in Hebræo significat ornamenta crurum. Et simile habetur Isai. c. 3. vbi ponuntur ista ornamenta, & multa alia.

Et armillas. Id est, ornamenta circa armos, & forte non sunt in vsu talia ornamenta, cum quotidie mutentur noui cultus, & habitus mulierum, & virorum.

Annulos. Ornamenta manuum sunt, quæ in communi vsu manent. *Ac dextralia.* Ornamenta sunt, quæ in brachiis gestantur, & sunt in brachio dextro, & inde destralia appellantur. *Et murenulas.* Ornamenta sunt circa collum pendentia, quæ in modum cuiusdam piscis, qui murena dicitur, fabricata sunt: vnde Cantic. primo dicitur: Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. In Hebræo habetur hic *Humam.* Id est, clausura. erant ista genera ornamentorum ad tenendum, vel ligandum vestes, ne ab inuicem separentur. Dicit autem Rab. Salom. quod erant quædam clausuræ, quas apponebant viri in membris genitalibus mulierum, ne ab aliis cognoscerentur, facta quadam perforatione, sicut fit ad ponendum in aures, sed turpe est tale cogitare, nec est credendum aliquando tale fuisse. *Vt depreceris pro nobis ad Dominum.* Id est, damus omnia ista ornamenta aurea, vt ores pro nobis ad Deum, scilicet, pro salute nostra. Pro duobus enim offerebant bellatores ista ornamenta aurea, scilicet, ad gratiarum actiones pro victoria miraculose acquisita, cum nullus ex eis defecerit. Etiam, vt oraretur ad Dominum pro eis, vt semper vlterius prospere agerent, principaliter tamen offerebant ad gratiarum actiones. Sic est de holocausto. nam principaliter offertur ad laudem Dei: tamen proficit ad expitiationem pro peccatis Leuit. cap. 1. non tamen dabatur istud aurum Moysi, vel Eleazaro, vt oraret Dominum pro bellatoribus, sicut nunc datur alicui presbytero, vel viro religioso eleemosyna, vt orat pro aliquo, sed cedebat in ius Sanctuarij, vt fierent inde vasa pro Sanctuario, vt patet infra cum dicitur, & susceptum intulerunt in tabernaculum testimonij in monimentum filiorum Israel: offerentes tamen posuerunt Moysi istud onus, vt oraret pro eis ad Dominum, quia ipsi offerebant hoc Deo.

Delirii Rab. Salomonis.

An Moyses teneretur orare pro bellatoribus, cum offerrent aurum Domino.

QVÆSTIO XI.

QVæret aliquis, an cum bellatores taliter offerrent aurum Domino, teneretur Moyses orare pro eis. Respondendum est, quod absolute non tenebatur: nam non potest dici, quod teneretur ex promissione, vel conuentione, quia non promisit Moyses, nec conuenit, quod oraret pro eis. Si autem data pecunia conuenisset cum eis, quod oraret, licet conuentio esset illicita, scilicet, simoniaca, tamen obligabatur orare: hic autem nihil tale interuenit. Etiam non potest dici, quod esset aliqua obligatio, quæ naturaliter oriretur, sicut bene passi naturalirer obligantur ad antidota benefactoribus, quia hic non erat aliquod beneficium collatum Moysi, cum ipse nihil recepisset de auro illo, sed totum transit in thesauros Sanctuarij, vt fierent inde aliqua vasa. Si autem data fuisset ista quantitas auri Moysi in toto, vel in parte, vt oraret Dominũ pro bellatoribus, teneretur orare: tum

quia

A *An cũ datur alicui aliquid Eccleſiæ, vt oretur pro datore, teneantur clerici illius Eccleſiæ orare pro eo, ſiue aliquid de donato ad eos peruenerit ſiue nõ.*

quia naturaliter obligatus erat, tum quia ab offerentibus ſic fuerat expreſſum. Cum tamen non peruenerit ad eum quicquam de eo, quod oblatum eſt, nulla cauſa videbatur quare eſſet obligatus. Sic autem videtur de clericis noſtri temporis, quod ſi aliquid eis in eleemoſynam conferatur, vt orent pro aliquo, tenentur orare pro illo, quod ſi non fecerint, peccant: & ſi determinatum ſit, quid debeat orare, & quando, & quanto tempore, & vbi, & ſic de aliis circumſtantiis, ſi in aliquo horum fiat tranſgreſſio, peccatum eſt. Si autem detur aliquid Eccleſiæ, vt clerici illius Eccleſiæ orent pro iſto, vel illo, aut de illo, quod donatum eſt, prouenit aliquid clericis, aut non: ſi autem prouenit ſiue in totum ſiue ſecundum aliquam partem tenentur clerici orare, vt ſi quis inſtituerit Eccleſiam hæredem, vel ei aliquid legauerit, vt de redditibus illius rei fiant aliqua anniuerſaria, vel debeant dici Miſſæ, & ſimilia, ſiue omnes fructus rei expendantur in hoc, ſiue ſolum quædam portio, & reliquum maneat Eccleſiæ ad fabricam, vel ad vſus ſuos, tenebuntur iſti clerici orare, alioquin peccabunt percipientes aliquos fructus, ſi non orent. Et non ſolum peccabunt in hoc, ſed etiamſi legatum ſit paruum, & imponantur magna onera Eccleſiæ, ſcil. quod dicantur multæ Miſſæ, vel multa anniuerſaria, ſi clerici acceptauerint legata cum oneribus, & poſtea non ſubierint onera in totum, vel in partem peccant, tum quia agunt contra conditionem, vel modum interpoſitum, in quo eſt quaſi quędam vis pacti, & infringentes hoc ſunt, quaſi qui fidem datam violant. Peccant etiam, quia agunt contra naturalem obligationem. Nam eo, quod receperunt beneficium, & recipiunt, obligantur orare pro eo, à quo recipiunt etiam nullo interpoſito modo, vel conditione, ſi autem quis donauerit Eccleſiæ, vel legauerit quicquam, quod penitus vertitur in vſus Eccleſiæ, & nullo modo in totum, vel in partem redit ad vſus clericorum, ipſi non tenentur orare in ſpeciali pro illo donatore, cum ad eos nihil de hoc perueniat, ſed tenẽtur orare in generali, quia ipſi ſuſcipiunt ab Eccleſia ſtipendia ad ſuſtentationem, ſed Eccleſia ditatur per tales donationes, ideo pro huiuſmodi donatoribus orare tenentur clerici illius Eccleſiæ, ſed hoc in generali. Quod verum eſt, niſi donatio fuiſſet facta Eccleſiæ cum conditione, vel modo, quod oraretur taliter, vel taliter pro illo, qui donauit, quia ſi tunc clerici acceptarẽt, tenerentur: cũ tamen aliquid taliter donatur Eccleſiæ cum impoſitione certi oneris, ſcilicet vt dicantur Miſſæ, vel fiant aliqua anniuerſaria, quamquam dicatur, quod illud pertinet ad Eccleſiam, tamen pertinet ad clerum, qui ſubit onera impoſita illi legato, per accidens tamen proficit illa donatio Eccleſiæ: cum diuina miniſteria magis in illa Eccleſia frequententur, quam aliàs frequentanda eſſent propter tales donationes. Dicendum igitur hic, quod Moyſes non tenebatur directe orare Dominum pro iſtis, qui offerebant aurum pro theſauris Domini, quia nihil de illo perueniebat ad ipſum: niſi forte dicatur, quod tenebatur orare, quia ipſe receperat partem primitiarum de præda. Nam erat ipſe de Leuitis, vt patet 1. Parali. cap. 23. & iſti ſuſceperant omnes primitias de præda de medietate, quæ prouenerant multitudini. Oportebat ergo, quod aliquid de iſtis primitiis proueniret Moyſi, & pro illo tenebatur orare, ſed pro iſta donatione auri non tenebatur directe. *Suſceperunt Moyſes, & Eleazar.* Iſti duo ſuſceperunt aurum, quod pertinebat ad Sanctuarium, quia eorum erat cura præcipua de rebus Sanctuarij: Moyſi quidem, quia ipſe erat præpoſitus toti populo, & ſacerdotibus, & ipſe fecerat fabricari tabernaculum, atque per eum Deus omnia loquebatur: ad Eleazarum autem pertinebat, quia Sanctuarium commiſſum erat ſacerdotibus quantum ad omnia miniſteria, quæ intus fiebant ſupra cap. 18. & ibi declaratum eſt, ſed inter ſacerdotes Eleazarus erat ſacerdos magnus, ideo ad eum pertinebat cura de rebus Sanctuarij, ſcil. quomodo conſeruarentur theſauri eius. *Omne aurum in diuerſis ſpeciebus.* Id eſt, totum aurum, quod fuerat in bello acceptum, nam totum illud oblatum eſt Deo, vt patet ſupra, & dicitur in diuerſis ſpeciebus, id eſt, in diuerſis figuris vaſorum, nam omne aurum vnius ſpeciei eſt, ſed quia varie erat figuratum, dicebantur eſſe diuerſæ ſpecies, ſcil. in armillis, annulis, murenulis, dextralibus, & periſcelidibus, vt patet ſupra. *Pondere Sanctuarij 16. millia 750. ſiclos.* Id eſt, totum aurum, quod oblatum eſt, habebat in pondere id, quod dicitur hic, & dicitur pondere Sanctuarij, id eſt, quod iſta ſumma

B

C

D

ſiclorum non pertinebat ad pondus vulgare, ſed ad pondus Sanctuarij, quia quandocunque fit mentio de aliquo, quod pertinebat ad Sanctuarium appreciabatur, vel ponderabatur ſiclo Sanctuarij, & non ſiclo vulgari. Sic patet Leuit. cap. vltimo, ſcilicet, Omnis æſtimatio ſiclo Sanctuarij ponderabitur. De quantitate autem, vel valore ſicli non patet: erat enim ſiclus moneta groſſa, & dicitur, quod continet 20. obolos: Leuit. cap. vltimo, & ſupra 18. De quantitate autem, vel pretio oboli non patet, quia monetæ mutantur. Sciẽndum autem, quod ſiclus aliquando accipitur pro moneta, & aliquando pro pondere. De primo patet Leuit. cap. 5. cum dicitur, quod pro peccato dabatur aries, qui poteſt emi duobus ſiclis: moneta tamen eſt medium commutationis, & non pondus. Aliquando autem accipitur ſiclus pro pondere, & ſic accipitur hic, ſcil. quod aurum erat ponderis ſiclorum 16. millium, & 750. Cum autem accipitur ſiclus pro moneta, dicendum, quod erat moneta de argento, & non de auro. Sic patet Deuter. 32. cap. cum dicitur. Et dabit patri puellæ quinquaginta ſiclos argenti.

A tribunis, & centurionibus. Id eſt, iſtud aurum ſuſceptum eſt à tribunis, & centurionibus, qui erant principes belli, ſcil. quod omnes qui fuerunt in bello, collegerunt aurum quod habere poterant de præda, & dederunt principibus ſuis, ipſi vero obtulerunt illud, vt patet hic. *Vnuſquiſque enim quod in præda rapuerat, ſuum erat.* Intelligitur hoc de auro ſolum, ſcilicet, quod fuit ſpeciale in eo, quod quicunque aliquid inueniret, ſibi retineret. In aliis autem non eſt verum, quia tunc nulla fuiſſet facta diuiſio prædæ inter eos, qui fuerunt in bello, & eos, qui manſerunt in caſtris. Sed falſum eſt cum ſupra ponatur, quod medietas prædæ data eſt manentibus in caſtris, & medietas euntibus ad bellum. Ponitur autem hoc ad tollendum dubium, & ſignificandum quomodo potuerint iſti viri offerre omne aurum, quod inueniſſent in bello, quia iſtud pertinere videbatur partim ad eos, qui manebant in caſtris: iſti tamen non poterant præiudicare illis offerendo ea, quæ erant iuris illorum, ſicut ſi voluiſſent fœminas, & omnia pecora accepta in bello offerre Domino, ideo reſpõdetur, quod bellatores potuerunt offerre aurum totum inuentum in bello, quia non debebat hoc cadere ſub diuiſione, ſed quod quis rapuiſſet, hoc ſuum erat, ideo poterat illud offerre, vel donare, aut quodcunque aliud facere. *Et ſuſceptum intulerunt in tabernaculum teſtimonij.* Id eſt, Moyſes, & Eleazarus ſuſceperunt iſtud aurum, & poſuerunt in theſauris Domini: erant enim aliqua repoſitoria in Sanctuario, in quibus poſuerunt aurum iſtud.

E

In monimentum filiorum Iſrael. Id eſt, fuit poſitum ad memoriam, vel recordationem filiorum Iſrael. Monimentum enim dicitur recordatio, quaſi monens mentem; ideo quando aliquid poſitum eſt in memoriam, vel in ſignum alicuius rei, vocatur monimentum: ob hoc etiam hiſtoriæ geſtarum rerum vocantur monimenta, quia monent nos ad recordationem præteritarum rerum. Dicuntur autem Manſiſſe in monimentum filiorum Iſrael, id eſt, vt Deus recordaretur filiorum Iſrael, ſicut dicitur de panibus propoſitionis, quod erũt ſemper coram Domino in memoriam filiorum Iſrael: Leuit. cap. 24. & quod ſummus ſacerdos portaret duodecim lapides in rationali in memoriam duodecim filiorum Iſrael: Exodi capit. 28. Eſt autem iſte modus loquendi Scripturæ ad condeſcendendum modo intelligendi noſtro vulgari: nam Deus nihil recordatur, cum nihil obliuiſcatur, ſed omnia ſemper ſunt nuda, & præſentia illi: Ad Hebr. 4. cap. quia tamen nos recordaremur rerum, quas aliàs cogitauimus, & obliti ſumus, cum aliquod ſignum earum ante nos ponitur, ſtatim recordamur illarum, ita & dicimus, quod aliquid ſit coram Domino in memoriam, ſcilicet, vt ipſe memoretur noſtri. *Coram Domino.* Id eſt, erat poſitum iſtud aurum coram Domino, quia erat poſitum intra Sanctuarium: Deus autem ſpecialiter dicebatur eſſe intra Sancta Sanctorum, quia ibi reſpondebat ad omnia, quæ inquirebantur de medio duorum Cherubim: Exodi 25. cap. ſupra capit. 7. & quia omnes aliæ partes tabernaculi erant in conſpectu arcæ id, quod erat in Sanctuario, dicebatur eſſe coram Domino.

F

A

CAPVT XXXII.

Traditur terra vltra Iordanem duabus tribubus, & dimidiæ in possessionem.

FILII autem Ruben, & Gad habebant pecora multa, & erat illis in iumentis infinita substantia. Cumque vidissent Iazer, & Galaad aptas animalibus alendis terras, venerunt ad Moysen, & ad Eleazarum sacerdotem, & principes multitudinis, atque dixerunt: Ataroth, & Dibon, & Iazer, & Nemra, Hesebon, & Eleale, & Saban, & Nebo, & Beon, terra, quam percussit Dominus in conspectu filiorum Israel, regio vberrima est ad pastum animalium: & nos serui tui habemus iumenta plurima: precamurque si inuenimus gratiam coram te, vt des nobis famulis tuis eam in possessionem, nec facias nos transire Iordanem.

B

Filij autem. Posito bello contra Madianitas, quod fuit vltimum, quod fecerunt Israelitæ in via terræ promissionis, subditur de distinctione terræ, quam habuerunt ante terram promissionis, vt post totum, quod sequitur, fit de terræ promissionis acquisitione, & diuisione, quod fit in libro Iosue, quia historia ipsius libri est coniuncta isti: liber autem Deuteronomij, qui intercidit inter librum istum, & illum non continet historiam, sed præcepta, & cæremonias. Tanguntur autem hic quatuor: primo rationabilis petitio: Secundo increpatoria responsio: tertio communis disceptatio: quarto petitorum, concessio. Secunda ibi. *Quibus respondit.* tertia ibi. *At illi prope accedentes.* Quarta ibi. *Dedit itaq; Moyses.*

Qualis sit ordo istorum ad præcedentia.

QVÆSTIO I.

CIrca primum inquirendum est de eis, quæ habentur hic: an habeant rectum ordinem ad præcedentia, vel an sit aliqua anticipatio, vel recapitulatio. Respondendum, quod non potest totaliter patere, quia quamquam hic, & in præcedenti cap. tractentur historiæ, tamen non dependet vna ex altera, ideo non potest cognosci ordo illarum: non potest tamen dici, quod fuerit istud multo tempore ante præcedentia, quia fuit postquam capta est terra duorum regum Amorrhæorum, cum hic fiat mentio, quod iam capta erat. Fuit autem capta ista terra anno 40. ab exitu de Ægypto, vt declaratum fuit supra 21. cap. videtur autem satis rationabiliter dicendum, quod ista petitio fuerit post omnia supra dicta. Primo ex ordine literæ, à quo nunquam recedendum est, nisi propter aliquam causam manifestam. Secundo quia videtur, quod filij Ruben, & Gad non auderent petere terram istam quousque viderent omnia bella esse finita, quæ fieri debebant ante ingressum terræ Chanaan, scilicet, bellum contra Madianitas, quod Deus fieri iusserat supra cap. 25. & præcedenti cap. & quando viderent, quod Israelitæ erant prompti ad recedendum de terra illa, vt intrarent in terram Chanaan transeundo Iordanem. Ideo dicendum videtur, quod fuerit ista petitio post omnia, quę supra habentur circa finem anni 40. ab exitu de Ægypto.

C

Filij autem Ruben, & Gad. Hic ponitur motiuũ ad petendum cum infra ponatur petitio, scil. quare petiuerunt filij Ruben, & Gad terram duorum regum Amorrhæorũ. Et quamquam solum dicatur de Ruben, & Gad, tamen etiam dimidia tribus Manasse accepit hæreditatem cum eis in terra illa, vt patet infra. Ideo dicendum, quod istę duæ tribus, & dimidia petiuerunt terram hanc à Moyse, sed litera nõ curauit explicare per omnia modum petitionis, & petitores. Vel potest dici, quod filij Ruben, & Gad solum petiuerunt terram istam, sed postea dimidia tribus Manasse fuit eis vnita, quia habebat multa pecora, sicut filij Ruben, & Gad, vel forte Moyses noluit dare illam terrã duabus tribubus, quia existimauit eam magnam, ideo adiunxit ei mediam tribum, quamquam illa nihil petierit, sed prima duo verbora sunt.

Habebant pecora multa. Ista est causa quare petierunt istæ duæ tribus terram hanc, scilicet, quia erat illa nimis pascualis, vt patet infra, & ipsi habebant pecora multa, ideo conueniens erat statui, & vitæ eorum. Habebant autem istæ tribus plura pecora, quam aliæ, quia forte plura pecora duxerant de Ægypto, quam cæterę tribus, vel quia meliores pastores erant. Vel forte, quia pecora aliarum tribuum, quæ habita fuerant de præda Madian emerant ab eis. *Et erat illis in iumentis infinita substantia.* Ista potest esse replicatio eiusdem sententiæ, quia Scriptura sic accipit pecora, & iumenta pro eodem. Quod autem iumenta vocentur pecora, patet præcedenti cap. vbi asini vocantur pecora, & tamen sunt iumenta. Quod autem pecora vocentur iumenta, patet Exod. cap. 13. cum dicitur: Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vuluam tam in hominibus, quam in iumentis. Et tamen primogenita, quæ sanctificabantur, magis erant de pecoribus, quam de iumentis, cum de iumentis solus asinus sanctificaretur, vt patet ibidem. Si isto modo accipiantur iumenta, est repetitio sententiæ. Vel possunt accipi proprie iumenta pro animalibus non pertinentibus ad cibos, sed ad labores: sic vocãtur asini, equi, cameli, iumenta, & dicitur hic: Infinita substantia, id est, infinita possessio, accipiendo infinitum hyperbolice, quia non poterant habere infinitam substantiam.

D

Iazer Galaad nomina ciuitatis & regionis.

Cumque vidissent Iazer, & Galaad. Hic ponitur causa, quæ mouit eos ad petendum terram, scilicet, quia viderunt illam valde pascualem, & ponuntur hic multa loca infra, sed hic solum ponuntur duo, scilicet, Iazer, & Galaad. Est enim Iazer quædam ciuitas in terra duorum regum Amorrhæorum, quę pertinebat ad regem Og, & ad illam iuerunt ad explorandum Iudæi, vt patet supra cap. 21. fuit autem ista ciuitas data dimidiæ tribui Manasses. Galaad autem non est nomen ciuitatis, sed terræ: est enim quædam regio magna in circuitu montis, in terra namque duorum regum Amorrhæorum est quidam mons, qui vocatur Galaad, quod nomen imposuit ei Iacob, vt patet Genes. 31. cap. & in circuitu istius montis sunt multæ vrbes, & terra pascualis valde. diuiditur autem in duo regna, nam mons intercidit inter duo latera terræ, scil. quod ad vnam partem montis est terra Galaad pertinens ad regnum Sehon Amorrhęi, & ad aliam partem pertinens ad regnum Og. Deuteron. 3. sic etiam diuisa fuit postea ista terra, quia medietas eius fuit data tribui Gad, & medietas eius dimidiæ tribui Manasses. Deut. cap. 3. & Iosue 13. *Aptas alendis animalibus.* Quia forte sunt in vallibus, ideo sunt multum irriguæ, & herbosę propter montem Galaad, cui coniunctæ sunt.

E

Venerunt ad Moysen, & ad Eleazarum. Ad istos venerunt, vt ab eis peterent, quia ad eos pertinebat concedere terram illam, vel non concedere: erat enim Moyses princeps totius populi, ideo nulla causa erat, quæ ad eum pertinere non posset, & sine eo non potuissent in hac petitione aliquid iudicare, quia ista erat de causis maximis, sed non poterant iudicare in causis magnis alij iudices, vel principes, sed solus Moyses Exodi 18. cap. & Deuteron. cap. primo. ad Eleazarum etiam pertinebat iudicare in ista causa, quia ipse erat summus sacerdos, & princeps populi, ideo etiam in aliis causis magnis recurrebatur ad eum, & ad Moysen: supra cap. 27. & infra vltimo capit. Fuit autem postea factus principalis diuisor terræ Chanaan mortuo Moyse, vt patet infra capit. 34. & Iosue 14. *Et principes multitudinis.* Id est, etiam venerunt ad principes multitudinis. Erant enim isti principes cum Moyse, & Eleazaro. Et quia agebatur de damno totius populi, scil. concedendo terram illam duabus tribubus & dimidiæ, requirebatur consensus populi: principes autem interueniebant loco totius populi, ideo etiam ipsi interfuerũt huic petitioni. Vocantur autem hic principes multitudinis duodecim principes, qui erant principes totius populi, & non accipitur pro principibus, qui sunt iudices, scil. decanis, quinquagenariis, &c. eo, quod isti proprie non vocantur principes, sed iudices. Etiam, quia potestas istorum erat in dirimendo causas, sed non in concedendo aliquid quod pertineret ad totum populum, cum ipsi non haberent vicem populi in hoc. *Ataroth.* Hic ponitur petitio duarum tribuum. Dicunt enim, quod istæ ciuitates, quæ nominantur hic, erant valde pascuales: ipsi aũt habebant multa pecora, ideo quod darentur eis. Nominantur autem supra duo loca, hic autem multa. Sed dicendum, quod Galaad, quæ supra ponitur non est nomen ciuitatis, sed terræ habentis multas ciuitates, ideo volunt

F

Petitio tribuũ Ruben, & Gad

quidam

A quidam, quod omnes ciuitates hic nominatæ sint in terra Galaad, præter vrbem Iazer, quæ hic computatur, & sic tot nominantur ibi, quot hic, sed ibi implicite, hic explicite. Sed ista responsio non stat, quia omnia loca, quæ ponuntur hic non pertinent ad terrã Galaad, quia hic ponitur Ataroth, & tamẽ non est in terra Galaad, Iosue cap. 13. etiam hic ponuntur Dibon & Hesebon, quæ pertinuerunt ad tribum Ruben, Iosue c. 13. & tamen terra Galaad non prouenit quantum ad aliquid tribui Ruben, sed medietas eius data est tribui Gad, & reliqua medietas dimidiæ tribui Manasses, Deuter. cap. 3. & Iosue 13. Dicendum igitur, quod duæ tribus intendebant dicere, quod tota terra duorum regum Amorrhæorum erat pascualis valde, & conueniebat valde eis, ideo quod daretur ipsis. Ad hoc autẽ nominauerũt regiones magis pascuales in tota terra illa, & sunt regiones vrbium, quæ ponuntur: supra autem ponebantur duo, scilicet, terra Galaad, & vrbs Iazer, & in eis non includuntur omnes vrbes, quæ ponuntur hic, nec cogit nos aliquis ad hoc.

Sed dicendum, quod Scriptura quando debet narrare aliquid sæpius, non narrat illud perfecte semper ne cogatur sæpe illud inutiliter repetere, ponitur autem Ataroth prima ciuitas. Ista enim erat ciuitas præcipua in regno Og Amorrhæi. Vnde ipse dicebatur regnare in Ataroth, Iosue cap. 12. & 13. In ista ciuitate habitauerunt antiquitus gigantes, & fuit ibi bellum factum contra eos, atque deleti sunt, vt patet Genes. 14. cap. cum dicitur de pugna facta in Ataroth Carnaim. Mansit autem de progenie istorum Og, qui postea fuit rex, & iste fuit vltimus gigantum, qui vocabantur Raphaim, Deuter. cap. 3. & Iosue 12. & 13. Fuit autem ista ciuitas postea data per Moysen dimidiæ tribui Manasse, Iosue 13. quanquam infra dicatur in litera, quod extruxerunt eam filii Gad. Quomodo autem hoc stet, infra declarabitur. *Et Dibon.* Ista est quædam ciuitas, quæ fuit data filiis Ruben, vt patet Iosue capit. 13. infra tamen ponitur, quod extruxerunt eam filii Gad, de quod infra videbitur. *Et Iazer.* Ista ciuitas erat valde pascualis, ideo specialiter fuit nominata supra cum terra Galaad, quæ etiam erat valde pascualis. De hoc infra in litera. *Et Nemra.* Ista ciuitas fuit data filiis Gad, & ipsi extruxerunt eam, vt patet infra in litera. *Et Hesebon.* Ista erat ciuitas Metropolis in regno regis Sehon, & ab ista denominabatur ipse rex Hesebon. Pertinuit autem primo ad terram Moab, sed rex Sehon cepit eam cum multis aliis locis. De quo supra capitulo vigesimoprimo, ista ciuitas fuit postea data tribui Ruben, vt patet infra in litera, & Iosue capit. 13.

B *Dibon.* *Iazer.* *Nemra* *Hesebõ.*

Eleale. *Saban.* *Et Eleale.* Ista est ciuitas pertinens ad regnum Sehon, quæ postea data est filiis Rubẽ, vt patet infra in litera. *Et Saban.* Ista est alia ciuitas regni Sehon, quæ prouenit filiis Ruben, & vocatur alio modo Sabama, de quo patet infra.

Nebo. *Et Nebo.* Istud est nomen ciuitatis, sed non patet cui tribui data fuerit, eo quod non reperitur infra in litera, nec Iosue ca. 13. vbi agitur de partibus possessionum tribuum istarum, &

C causa huius est, quia plurimæ harum vrbium erant multinomiæ, & in aliquibus locis Scripturæ ponuntur quædam nomina earum, & in aliquibus locis alia. Etiam quia non exprimuntur omnes ciuitates, quæ datæ fuerunt omnibus tribubus nominatim, sed aliquando intelliguntur per clausulam generalem.

Beon. *Et Beon.* Non habetur ista ciuitas sub isto nomine inter ciuitates, quæ infra exprimuntur pertinere ad istas tribus, sed potest dici, quod sit aliqua de illis duabus, quæ ponuntur in tribu Ruben, scilicet, Bamo, & Baalmaon. *Terra, quam percussit Dominus in conspectu filiorum Israel.* Id est, istæ ciuitates sunt terra, quam percussit Dominus, in quo innuitur, quod non solum petebant istæ tribus ciuitates supra nominatas, sed totã terram duorum regum Amorrhæorum, quam Dominus tradiderat in conspectu Israelitarum. Quod patet, quia duæ tribus non peterent tam paucas vrbes ad habitandum, cum cuilibet tribui earum traditæ fuerint plures vrbes, quam istæ omnes, Iosue 13.

Item quia si istas vrbes solum petiissent, cum Moyses assensit eorum petitioni non tribuisset illis totam terram duorum regum Amorrhæorum, sed solum has vrbes. Tribuit tamen totam terram: ergo totam illam petierunt. Dicitur autẽ, quam percussit Dominus in conspectu filiorum Israel, quia quanquam Israelitæ occidissent habitatores illarum terrarum, tamen nunquam potuissent illos occidere, nisi Deus illos specialiter adiuuisset, quia isti duo reges Amorrhæi erant potentissimi, & omnibus gentibus formidabiles: est autem iste modus loquendi tanquam si Iudæi nihil egissent, sed ipsis videntibus Deus occidisset habitatores harum terrarum: sic fuit in mari rubro quando Iudæis nihil agentibus Deus occidit omnes Ægyptios: vnde dixerat eis Moyses: Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis, Exodi capit. 14: Aliquando tamen Scriptura vtitur alio modo loquendi, scilicet, quod omnia bella, quæ facta sunt ab aliqua gente, dicat facta esse à Deo illius gentis: sic loquebatur Iephte Galaadites ad regem Ammon, scilicet, Nonne ea, quæ possedit Chamos Deus tuus tibi iure debentur? quæ autem Dominus Deus noster victor obtinuit in nostram cedent possessionem? vt patet Iud. capit. 11. & iste modus conuenit hic, quia Iudæi per se pugnabant, & occidebant hostes, maius tamen erat, quod faciebat hic Deus, quam quod Iudæi.

D *Regionis vberrimæ est ad pastum animalium.* Id est, tota ista terra erat pascualis, ideo conueniebat eis, qui habebant multa pecora: nesciebant autem istæ duæ tribus an terra Chanaan, ad quam transituræ erant, esset magis pascualis, quam ista. Sed cum viderunt istam esse herbosam, nihil vlterius curauerunt.

Et nos serui tui habemus iumenta plurima. Quasi dicat, non petimus irrationabiliter, quoniam habemus multa pecora, quibus ista terra conuenit. Accipiuntur autem hic iumenta large scil. tam pro iumentis, quam pro pecoribus, quia istæ duæ tribus non solum habebant iumenta multa, sed etiam pecora, vt patet supra. E

Precamurq; si inuenimus gratiam coram te. Id est, si vis nobis in eo quod iuste petimus condescendere. Inuenire gratiã coram aliquo, vel in oculis eius est, ꝙ omnia, quæ facimus, vel petimus ei grata, & bona videantur, & nosipsi ei videamur acceptabiles. Huic opponitur esse detestabilem, scil. quod aliquis homo videatur in oculis alterius tanquam aliquid malum, & omnes actus eius sint illi detestabiles, ita isti dicebant, quod si inuenerant aliquam gratiam coram Moyse, scilicet, si non habebat eos totaliter exosos, quod concederet hoc, quia rationabiliter petebant.

Vt det nobis famulis tuis. Loquuntur ad Moysen tanquam ad magnum Dominum suadentes in verborum facundia: nam etiam antiquum, & rude illud sæculum eloquentia non caruit penitus.

Eam in possessionem. Ex hoc patet, quod totam terram duorum regum Amorrhęorum petebant, quia cum supra dictum fuerit de terra, quam Dominus percussit in conspectu Israel: subditur, quod daretur eis in possessionem, quasi totam petant.

Nec facias nos transire Iordanem. Id est, non compellas nos ire vltra Iordanem ad habitandum cum hic habeamus locũ conuenientem habitationi: Dicitur autem de transitu Iordanis, quia Israelitæ ibant in terram Chanaan, quæ promissa erat eis F principaliter, & illa erat vltra Iordanem ad occidentalem plagam. Non est autem intelligendũ, cum dicitur, ne facias nos transire Iordanem, quod nullo modo transire vellent Iordanem, cum immediate obtulerint se transituros ante fratres suos ad pugnandum, & non redituros quousque possiderent pacifice terram, sed intelligitur, ne faceret eos transire illuc ad habitandum: si autem totaliter vellent non transire, irrationabilis esset eorum petitio, quia quælibet tribus hoc vellet, & nulla transiret ad acquirendum terram Chanaan. Hoc tamen modo intellexit Moyses à principio, ideo increpuit eos nimis cum petierunt.

Quibus respondit Moyses: Nunquid fratres vestri ibunt ad pugnã, & vos hic sedebitis? Cur subuertitis mentes filiorum Israel, ne transire audeant in locum, quem eis daturus est Dominus? Nonne ita egerunt patres vestri: quando misi de Cadesbarne ad explorandum terram? Cumque venissent vsq; ad vallem Botri lustrata omni regione, subuerterunt cor filiorum Israel, vt non intrarent fines, quos eis Dominus dedit? Qui iratus iurauit, dicens: Si videbunt homines isti, qui ascenderunt ex Aegypto à viginti annis, & supra, terram, quã sub iuramento polli- Sup. 14.

A

citus sum Abraham, Isaac, & Iacob, & noluerunt sequi me, præter Caleb filium Iephonne Cenezæum, & Iosue filium Nun. Isti impleuerunt voluntatem meam. Iratusq; Dominus aduersum Israel, circunduxit eum per desertum quadraginta annis, donec cõsumeretur vniuersa generatio, quæ fecerat malum in conspectu eius. Et ecce, inquit, vos surrexistis pro patribus vestris, incrementa, & alumni hominum peccatorum, vt augeretis furorem Domini contra Israel. Quod si nolueritis sequi eum in solitudine, populum derelinquet, & vos causa eritis necis omnium.

Responsio Moysi increpans duas trib⁹

Quibus respondit Moyses. Hic ponitur secundum, scilicet, increpatoria responsio. Istæ duæ tribus petierunt coram Moyse, Eleazaro, & principibus populi, sed quia non poterant omnes simul respondere, respondit Moyses, qui præcipuus erat eorum.

Nunquid fratres vestri ibunt ad pugnam, & vos hic sedebitis? Rationabilis increpatio est, quasi dicat: Valde irrationabile est, quod fratres vestri, id est, omnes aliæ tribus vadant ad pugnãdum, & vos quiescatis hic in terra, quam ipsi labore suo acquisierunt. Hoc respondebat Moyses, quia intelligebat, quod istæ tribus petebant manere in terra illa, & quod non transirent Iordanem ad manendum, nec ad pugnandum, & tunc irrationabile erat, quod petebatur, sed non intendebant hoc ipsi, vt infra patet.

B

Cur subuertitis mentes filiorum Israel? Hic increpat eorum petitionem ex alia radice, scilicet, quia non solum petebant iniustum, sed etiam faciebant scandalum. Vnde dicit Moyses: Cur subuertitis mentes filiorum Israel, id est, per istam vestrã petitionem subuertuntur mentes aliorum Israelitarum: incuterent enim timorẽ aliis. Existimarent enim cæteri, quod isti non audebant transire Iordanem propter diffidentiam pugnandi contra hostes propter magnam potentiam illorum & sic alii quoque transire nollent Iordanem impleturi præceptum Domini.

Ne transire audeant in locum, quem daturus est Dominus. Id est, facitis, quod non audeant transire in terram Chanaan, quam Deus se promisit daturum. Et dicitur in locum accipiendo large locum pro regione, quia non erat aliquis vnus locus in terra Chanaan, ad quem transituri essent, sed tota terra Chanaan. Accipitur tamen locus pro tota illa regione, & sic multoties habetur in Scriptura.

Nonne ita egerunt patres vestri? Hic probat eorum petitionẽ esse iniustam exemplo antiquorum, scilicet, quod parentes eorum sic fecerant, vt isti, & secutum est magnum scandalum in populo. Dicit autem, quod sic fecerunt patres eorum, quoniam per verba sua fecerunt formidare populum dicentes, quod non ascenderent in terram Chanaan: quia non possent pugnare contra habitatores terræ illius, qui erant robustissimi, & plurimi numero: & totus populus conterritus clamauit, & murmurauit contra Dominum, vt patet supra ca. 14. petendo, quod manerent in solitudine, & non introducerentur in terram Chanaan: isti autem, quanquam non dicebant explicite, quod gens illa erat fortis, & non possent pugnare contra eam, dicebant implicite cum nollent ascendere in terram illam. Dicitur autem, quod sic fecerunt patres istorum, id est, exploratores: & non vocantur patres, ita q; istæ duæ trib⁹ fuerint de semine eorũ, quia in qualibet harũ solum fuit vnus explorator: sed dñt patres, id est, prædecessores, & maxime cũ isti sequerentur exempla ipsorũ, videbantur esse filii eorum.

Quando misi eos de Cadesbarne ad explorandum terram. Id est, istud scandalum factum fuit, cum missi sunt exploratores: non quidem cum missi sunt, sed cum venerunt, quia visa tota terra & habitudine incolarũ incœperunt murmurare in castris, dicentes, q; non possent pugnare cõtra gentem illam. Dicuntur autem missi exploratores de Cadesbarne, quia cum venerunt ad illam mansionem, quæ est circa terram Chanaan in extremitate terræ Edom, vt patet supra cap. 20. miserunt exploratores, vt inquirerent de statu terræ, supra cap. 13. & 14. & in eodem loco erant Israelitæ quando venerunt exploratores, vt patet supra c. 13. quia non fuerant mutata castra dum exploratores iuerunt, & redierunt. Dicit autem Rabbi Salom. quod exploratores missi sunt de mansione Aseroth, & redierunt in castra, quando erant Israelitæ in Cadesbarne, & secundum hoc dum exploratores terram promissionis lustrauerunt mota sunt castra multitudinis per 20. mansiones, quæ sunt ab Aseroth, vsque ad Cadesbarne, vt patet sequenti cap. Est autem Aseroth mansio, in qua Maria soror Moysi percussa fuit lepra, vt patet supra capitulo 11. & 13. Sed istud patet falsum, quia hic dicitur, quod exploratores missi fuerunt de Cadesbarne, & idem habetur Deuter. capit. 1. & si forte respondere velit, quod Aseroth vocatur alio nomine Cadesbarne, sicut plura loca sunt binomina, adhuc non stat ratio, quia dicitur supra cap. 13. quod mouerunt castra Israelitæ de Aseroth, & venerunt in desertum Pharan, & inde missi sunt exploratores, ergo non de Aseroth.

D

Item quia quando venerunt exploratores de terra promissionis ad locum castrorum in Cades, vt patet supra 13. cap. ibi data est contra populum sententia, & non transierunt vltra locum illum vsquequo explerentur, quasi anni 40. supra c. 14. Sed idem locus est, de quo missi sunt exploratores, & in quo postea manserunt magno tempore, vt patet Deut. cap. 1. quia vterque vocatur Cadesbane, cum primo dicatur, quod missi fuerunt exploratores de Cadesbarne. Deinde dicitur, quod sederunt Israelitæ in Cadesbarne multo tempore: ergo idem locus est, de quo missi sunt, & ad quem redierunt. Ex hoc autẽ apparet esse falsam distinctionẽ, quam aliqui ponunt, sc. quod alius locus sit Cades, in quo Maria mortua est, & alius locus Cadesbarne, quia in vno apponitur, barne, & in alio non. Sed ista positio nihil agit, quia interdũ vterq; locus vocatur Cades absolute, quia Cades in qua exploratores venerũt ad castra vocatur Cadesbarne, vt patet Deut. c. 1. & tamen locus, ad quem venerunt exploratores vocatur Cades absolute, supra. c. 13. & Cades vbi mortua est Maria, vocatur Cades absolute, supra c. 20. ergo locus, in quo mortua est Maria, vocatur Cadesbarne quia etiam de Cades missi sunt exploratores, supra c. 13. Varie tamen accipitur Cades, quia aliquãdo dicitur Cadesbarne, & aliquando Cades deserti Sin, & aliquando Cades deserti Pharam, & aliquando Cades solum. De his declaratũ est supra c. 13 & 20. *Cumq; venissent vsq; ad vallem Botri.* scil. exploratores venerunt ad locum istum, & fecerunt murmurare totum populũ: vocatur enim vallis Botri quædã regio in terra Chanaan, quæ est vberrima vineis, & arboribus, ad quã accesserunt exploratores, atq; duxerunt inde ficus, & malogranata: absciderunt que Botrum cum palmite suo. Et vocatus est ille locus torrẽs Botri, sup. c. 13. hic autẽ vocatur vallis Botri, sed modicum differt, quia in loco illo vtrunq; erat, sc. vallis & torrens. fit autem mentio de torrente Botri, quia de loco illo adduxerũt fructus in signum vbertatis terræ, & per illos habuerunt colorem quendam mouendi corda populi, sc. quia exprimendo veritatem vnam de vbertate terræ multa mendacia interponebant, vel fit mentio de torrente Botri, quia ille fuit locus vltimus, ad quem accesserunt in terra Chanaan, & inde venerunt in castra subuerteruntq; immediate corda populi.

E

C

Vallis Botri, an sit pars remotissima in terra Chanaan.

F

QVÆSTIO II.

ALiqui enim intelligunt, quod ista vallis Botri fuerit remotissima pars in tota terra Chanaan, ad quam accesserunt exploratores, quia dicitur, vsque ad vallem Botri: sed vsque significat terminum motus, ideo remotissimũ ad quod accesserunt, fuit ista vallis. Sed non est verum, quia terra ad quam vltimo venerunt exploratores in tota regione Chanaan, fuit vallis Botri, & non fuit remotissima, sed propinquissima, quia Israelitæ circuierunt terram Chanaan, & in extremitate circuitus accesserunt ad vallem Botri, ideo oportet, quod sit in parte propinqua, scilic. in ingressũ terræ Chanaan. Item patet, quia de illa valle portauerunt viri Botrum pendentem in vite sua super vectem, vt patet supra capit. 13. si tamen esset locus distantissimus, non potuissent de eodem loco portare: tum quia ficus malogranata, & vuæ perdidissent suam pulchritudinem, cum post multos dies redirent in castra. Item quia non possent conuenienter exploratores ducere istos fructus de extremitate terræ Chanaan transeundo per totam illam. Nam viderentur ab incolis terræ, & caperentur. Cum vero de extremitate terræ propinquiori istos fructus caperent, non viderent Chananæi, quia cum caperent essent in ex-

itu regni, ideo inde conuenienter caperentur. Item videbatur esse superuacuum, quod exploratores laborarent ducendo fructus istos de extremitate remotiori terræ Chanaan, cum possent eos ducere de extremitate propinquiori, ideo videtur dicendum, quod torrens Botri fuit locus propinquissimus castris Iudæorum, quam fuerit aliquis alius in tota terra Chanaan. Cum vero arguitur, quod terminus motus maxime distat à principio secundum situm, vel locum, sed vallis Botri erat terminus. Dicendum est, verum esse de motu facto secundum lineam rectam, sed contrarium est in motu per lineam circularem, quia qui per totam peripheriam circuli mouetur in nulla parte est ita propinquus principio motus, sicut in fine, quia redit ad eundem punctum, sic autem exploratores non ambulauerunt terram Chanaan, directe secundum longitudinem, sed fecerunt quendam, quasi circuitum, quod patet hic, cum dicitur in litera. Lustrata omni regione, lustrare autem circundare est. Sic etiam patet supra cap. 13. scilic. reuersique sunt exploratores terræ post 40. dies omni regione circumdata. Dicendum ergo, quod vallis Botri est in extremitate terræ Chanaan apud partem illam, per quam introierunt exploratores, & postea facientes quendam, quasi circulum redierunt ad locum illum, per quam intrauerant, scilicet, ad vallem Botri, ideo dicitur hic vsque ad vallem, quia ibi finita fuit ambulatio per terram Chanaan, non quidem secundū longitudinem, sed secundum circuitum quendam. *Lustrata omni regione.* Id est, prius circumdederunt totam regionem Chanaan, quam venirent in vallem Botri, lustrare enim circundare signat. Non est tamen intelligendum, quod Israelitæ perambulauissent terram Chanaan proprie per circuitum, quia tunc non introissent in eam, sed ambulauissent per extremitates eius, quod non conueniebat ad sciendum qualitatem locorum, & habitudinem incolarum, sicut iusserat eis Moyses. Item non potest stare, quia supra capit. 13. dicitur, quod exploratores explorauerunt à deserto Sin, vsque Roob ad introitum Emath: sed desertum Sin est in parte meridiana. Emath autem est in parte aquilonari, vt patet infra cap. 34. ergo non fuit lustratio per circuitum, sed per longum ab vno latere terræ, ad alterum latus oppositum. Nec tamen intelligendum, quod fuerit penitus progressio per longum à latere in latus: quia tunc non dicerentur lustrasse terram exploratores, sed principium itineris sui, fuit à parte meridiana, & extremitas remotior fuit in latere septentrionali apud Roob, & Emath. In medio tamen itinere non procedebant directe, sed aliquando declinabant versus occidentem, & aliquando versus orientem, sicut declaratum est supra cap. 13.

Subuerterunt corda filiorum Israel. Id est, Israelitæ habebant corda dispositа, ad ascendentem in terram Chanaan, & pugnandum contra Chananæos: isti autem subuerterunt corda Israelitarum, cum fecerunt eos pauitare: & hoc quia dixerunt gentes illas esse fortissimas, & quod ne quāquam possent pugnare contra eas.

Vt non intrarent fines, quos eis Dominus dedit. Id est, fecerunt, ne intrarent terminos terræ suæ, quia quando exploratores locuti sunt, nondum accesserant Israelitæ ad limites terræ promissæ, impediti sunt autem introire, quasi per 40. annos propter murmurationem exploratorum. Dicitur autem: Quos Dominus dedit, non quidem secundum rem, sed secundum promissionem, & assignationem, quia quando ista loquebatur Moyses, nondum fuerat data terra, quia tamen Deus nunquam mentitur illa, quæ promittit se facturum, ita certa sunt ac si iam facta essent.

Qui iratus iurauit. Ista est pœna data pro murmuratione exploratorum, ex quo sequitur, quod istæ duæ tribus Ruben, & Gad mouerent corda populi per hoc, quod nolebant transire Iordanem. Deus iterum iratus iuraret aliquid durum super populum, & infligeret. Dicitur autem iratus, nō quidem realiter, quia impossibile est: sed se iratum demonstrauit, cum angelus, qui loquebatur loco eius verba viri irati protulerit. Eratq; Dominus paratus ad infligendū mala Israelitis, & inflixit, quod nos in Deo iram vocamus. Dicitur etiā, quod iurauit scil. quod nemo de illis, qui murmurauerant introire in terrā Chanaan, vel videret eam, supra c. 14. iuramentum autem Dei habetur ibi, cum dicitur: Viuo ego, & implebitur gloria Domini, &c. Si videbunt homines isti, id est, non videbunt terrā, & est hic figura aposiopesis. Sic habetur Psal. 94. Si introibunt in requiem meā, id est, non introibunt. Modus autem iste loquendi figuratus non distinguitur, nisi per modum prolationis, sicut est in modo ironico.

Qui ascenderunt ex Aegypto à 20. annis. Ista est pœnalis sententia prolata super Israelitis, scilicet, quod nullus eorum, qui attigerant annos 20. posset intrare in terram Chanaan. Non est autem intelligendum, quod isti, qui non intrare deberent, essent 20. annorum in ipsa egressione de Ægypto, & super alios minoris ætatis non ferretur sentētia, quia etiam illi, qui erant 19. annorum, vel 18. & 11. mensium, aut 10. in exitu de Ægypto condemnati sunt hac sententia, & mortui sunt in deserto. Quod patet, quia omnes numerati in monte Sinai condemnati sunt, supra 26. c. & illi, qui computabantur ibi, erant ad minus annorum 20. supra ca. 1. ab exitu tamen de Ægypto, vsque ad diem illam transierunt vnus annus, & vnus mensis, cum fuerit inchoata computatio anno secundo ab exitu de Ægypto mense secundo, vt patet supra capit. 1. ergo illi, qui in exitu de Ægypto erant 19. annorum, vel vno mense detracto erant 20. annorum tempore, quo facta est computatio, alioquin si incœpisset computatio ab anno 21. oportet, quod omnes, qui erant annorum 19. in exitu de Ægypto ista sententia condemnati fuerint, & mortui in deserto, ideo non debet ista litera legi coniunctim, scil. quod in exitu de Ægypto essent annorum 20. sed disiunctum scilicet.

Omnes qui ascenderunt ex Aegypto. Et fiat hic punctus. *à viginti annis, & supra.* Id est, qui erant 20. annorum, vel vlterius non quando exierunt de Ægypto, sed quando computati sunt, mortui fuerunt.

Terram quam sub iuramento pollicitus sum, Abraham, Isaac, & Iacob. Id est, terram Chanaan, quam promisit Deus istis Patriarchis, & iurauit super ea. De Abraham patet Gen. cap. 16. & 22. nam fecit cum eo fœdus de dando terrā hanc, Gen. 15. ca. Isaac quoq; promisit terram istam, Gen. 26. ca. & non iurauit ei specialiter de hac re, sed promisit sub iuramento præstito Abrahæ, vt patet eod. cap. De Iacob autem patet, quod promiserit ei, Gen. 46. sed non iurauit ibi. Intelligitur tamen sub iuramēto præstito patribus eius, cum benedictiones eius fuerint maiores, quam patrum suorum, vt patet Gen. 49. cap.

Et noluerunt sequi me. Scilicet, exploratores, & alii Israelitæ non secuti sunt me confidentes verbis meis, cum ego dixissem eis, quod intrarent in terram illam, & quod prævalerent contra gentes illas: noluerunt autem introire, & in hoc non sequebantur Dominum, quia Deum sequitur, qui ei tota mēte adhæret obediendo omnibus præceptis eius, & confidendo omnibus promissionibus illis. *Præter Caleb filium Iephonne Cenezeum.* Excluduntur duo ab omnibus computatis, qui adhæserunt Dño, scilicet, Caleb & Iosue, & pugnauerunt in verbis contra totam multitudinem propter diffidentiam, vnde voluit eos totus populus lapidare, supra ca. 14. Iste Caleb fuit filius Iephonne, quia pater eius sic appellabatur, & semper exprimebatur nomen patris ad differentiam, quia in tribu Iuda erant alii vocati Caleb, sc. Caleb filius Esron, vt patet 1. Paral. 2. & 4. cap. Vocatur autem Cenezæus, quia pater suus vocabatur Cenez, vel aliquis frater eius. De veritate autem huius declaratum fuit Iosue cap. 15.

Et Iosue filium Nun. Iste Iosue fuit socius Caleb, & ambo secuti sunt Dominum confidentes ei: nam ipsi fuerunt de duodecim exploratoribus, vt patet supra ca. 13. qui cum alii murmurarent noluerunt murmurare, sed restiterunt aliis dicentes, quod possent prævalere contra gentē terræ Chanaan: vnde Deus perhibuit testimonium de eis, quod secuti fuissent ipsum, supra ca. 14. cum dicitur. Seruum autem meum Caleb, qui plenus alio spiritu, secutus est me, inducam in terrā hanc, quam circuiuit, & semen eius possidebat eam. Vocatur autem hic Iosue filius Nun, ad differentiam aliorum, qui vocabantur Iosue. Iste enim à principio vocabatur Osee, sed Moyses mutauit nomen eius, vocando eum Iosue, quando misit eum in exploratorem, supra c. 13. vocatus fuit etiā Iesus, vt patet 1. Mach. 2. ca. & ad Hebr. 4. sed istud nomen est reducendo ad modum latinum, quia id quod in hebræo dicitur Iosue, vel Iosua apud nos dicitur Iesus: ideo nos corrupte proferentes nomen illius vocamus eum Iesum Naue, id est, Iosue filium Nun, vt patet per Hieronymum in Prologo super Iosue. Iste autē Iosue fuit missus in exploratorē de tribu Ephraim, sicut Caleb de tribu Iuda. Ambo aūt secuti sunt Dñm, & fuerunt socii, sup. c. 13. 14.

A

Isti impleuerunt voluntatem meam. Id est, fecerunt totaliter, ꝙ volui. Deus enim volebat, quod Israelitæ confiderent verbis eius, ita isti fecerunt, & ad hanc confidentiam incitabant totũ Israel, dicentes, quod poterant deuorare Chananæos, sicut cibum panis, & si Deus eis propitius esset introduceret eos in terram illam, supra cap. 14. omnes autem alii exploratores murmurauerunt, & alios murmurare fecerunt. *Iratusq; Dominus aduersum Israel.* Ista est pœna, quæ secuta fuit ex diffidentia, & murmuratione, scilic. quod Deus percussit populum occidendo omnes qui murmurauerant, & impediendo reliquos per 40. annos, ne introirent in terram illam. Et dicitur iratus contra Israel, id est, contra totum Israel, nam rari fuerunt, qui non condemnarentur, scilicet, Iosue & Caleb de omnibus duodecim tribubus. De Leuitis autem an aliqui perierint propter murmurationem, vel omnes Deo adhæserint, non patet, constat tamen, quod sententia non fuit lata contra eos, vt declaratum est supra cap. 14.

Circumduxit eum per desertum 40. annis. Scil. totum Israel, nam licet aliqui fuerint, qui non peccauerunt: tamen ipsi propter cæteros per desertum vagati sunt annis 40. sicut de Iosue & Caleb patet, qui alias immediate ingressuri essent nisi murmurasset Israel: filii etiam paruuli istorum murmuratorum puniti sunt pro patribus manendo 40. annis in solitudine, vt patet supra c. 14. scil. filii vestri erunt vagi in deserto 40. annis, & portabunt fornicationem vestram, donec consumantur cadauera patrum in solitudine.

B

De 40. annis quibus steterunt Iudæi in deserto, & quomodo profisiscebantur, & quanto tempore fuerunt vagi.

QVÆSTIO III.

DIcitur autem, quod Deus circumduxit Israel, scil. quod non duxit eum itinere recto in terram Chanaan: nam à principio exitus de Ægypto, vsque ad Cadesbarne, vbi fuit murmuratio transierunt Israelitæ itinere recto, & velociter, quia multas mansiones transierunt paucis temporibus, postquam autem murmurauerunt in Cades iussit Deus, vt reuerterentur versus mare rubrum, vt patet supra capit. 14. & ibi manserunt magno tempore, scilicet, vsque ad principium anni 40. & postea cum iterum venirent in Cadesbarne non potentes transire per locum ipsum prohibente rege Edom, vt patet supra 20. cap. coacti sunt redire in circuitu terræ Edom, & Moab, vt patet supra 21. cap. & durauit multum iste circuitus. Sic patet Deut. cap. 2. scilicet, circuiuimus montem Seyr longo tempore, id est, montes terrę Idumeæ, vel Edom. Si autem non murmurasset Israel immediate, vt exploratores redirent in castra, ingressuri erant itinere recto in terram Chanaan. Dicitur autem, quod 40. annis circumducti sunt, quod intelligitur computando iter rectum, & iter obliquũ, in quo vagati sunt propter murmurationem, si autem intelligatur solum de tempore, quo steterunt in deserto propter peccata, non fuerunt 40. anni completi, quia deficit annus, & quasi dimidius, in quo venerunt Israelitę ab Ægypto vsque ad Cadesbarne itinere recto per 33. mansiones, quæ sunt à Rameſſe, de qua recesserunt in Ægypto vsq; ad Cadesbarne, vt patet cap. seq. nam ab Ægypto vsquequo recesserunt de mõte Sinai fluxerunt vnus annus, & duos menses, & dimidius. Nam recesserunt inde die, 20. mensis secundi, anni secundi de Ægypto, vt patet supra capitulo decimo, & inde vsque ad Cadesbarne velocissime transierunt, ita quod fuerunt ibi in principio mensis quarti, vel quasi anni eiusdem, vt declaratum est supra capitulo 13. & ab ipso loco totum reliquum tempus fuit diuagationis, quia Cadesbarne est in extremitate terræ Chanaan, cum ponatur vnus de terminis eius, infra cap. 34. & Iosue 15. fuit autem reliquum tempus 38. annorum, & dimidii, & modicum plus vsquequo Israelitæ transierunt Iordanem, introeundo in terram Chanaan, sed adhuc non potest vocari proprie totum istud tempus diuagationis, nam ante finem anni 40. acquisierunt terram duorum regum Amorrhæorum, quæ pertinuit ad Israel, ergo illa acquisita non diuagabantur, cum essent in terra sua, sed fuit tempus diuagationis proprie illud, quod fluxit ex tunc, quo murmurauerunt Israelitæ in Cadesbarne, vsquequo mortui sunt omnes murmuratores, scilicet, ante transitum torrentis Zareth, & introitum in terram duorum regum Amorrhæorum, & istud fuit 38. annorũ, vt patet Deut. capit. 2. scilicet, tempus, quo ambulauimus de Cadesbarne vsq; ad transitum torrentis Zareth 38. annorum fuit, donec consumeretur omnis generatio hominum bellatorum de castris, scriptura tamen accipit 40. annis diuagationis, quia interdum de minimis non curat, & sic addidit, & tollit interdum de numeris.

D

Donec consumeretur vniuersa generatio, quæ fecerat malum in conspectu eius. Id est, tamdiu detinuit Deus Israelitas in deserto quamdiu manebant aliqui de murmuratoribus: ideo toto tempore illo nunquam permisit Deus, vt transirent torrentem Zareth: mortuis autẽ illis immediate transierunt, Deut. capit. 2. Causa huius erat, quia apud torrentem Zareth incipiebat terra duorum regum Amorrhæorum, & illa pertinere debebat ad Israelitas, sed Deus nolebat, quod peccatores trãsirent in terram, quam daturus erat, ideo fecit, vt morerentur omnes ante torrentem Zareth. Et dicitur: Donec consumeretur vniuersa generatio, id est, omnes homines, qui fecerant malum, id est, qui murmurauerant in conspectu eius, id est, Deo præsente, quod potest intelligi de generali præsentia, quia nullus locus est, vbi Deus non sit, ideo vbicunq; peccemus coram Deo peccamus. Vel potest intelligi de speciali præsentia: Deus enim specialiter esse dicebatur inter Iudæos, & maxime intra sanctuarium, murmuratio autem ista fuit coram sanctuario, vt patet supra capitulo decimoquarto. ideo erat coram Domino.

E

Et ecce, inquit, vos surrexistis pro patribus vestris. Applicat malũ istorum, ad malum exploratorum, scilic. quod nunquam deficit, qui conturbet Israel. Et sicut exploratores conturbauerunt totum Israel, qui erant prædecessores istorum: ita isti turbant, ideo surrexerunt pro patribus suis, id est, loco ipsorum, scilicet, succedentes eis in malitia, & ista erat magna increpatio.

Incrementa, & alumni hominum peccatorum. Id est, vos estis augmentũ super peccatum patrum vestrorum, id est, nõ estis contenti peccatis, quæ fecerunt patres vestri subuertendo mentes Israelitarum, sed etiam vultis supponere, vel augere noua peccata. Vel dicuntur isti incrementa peccatorum, id est quod isti faciebant maius peccatum quam patres sui: nam licet præuaricatio exploratorum fuisset manifesta, quia tamen erat prima, & non habuerat aliam similem, nec præcesserat aliqua punitio, non videbatur esse valde magna, nunc autem cum præcessisset illa, & pro ea fuisset data pœna diuagationis, per annos 40. si iterum Israelitæ murmurassent, esset maior culpa, & sic vocaretur incrementum ad priora peccata. Vocantur etiam isti alumni hominum peccatorum, id est, nutriti ab eis, & similes in peccatis, scilicet, quod illi prædecessores docuissent eos murmurare, & repugnare Domino. *Vt augeretis furorem Domini contra Israel.* Id est, ad nihil aliud surrexistis, nisi vt faciatis Deum irasci contra Israel. Nam si isti nollent transire Iordanem diffidentes de expugnatione terræ Chanaan, & cæteri, propter hoc formidarent, & nollent transire in terram illam, Deus irascetur Israelitis percutiendo, vt prius Et dicitur: Vt augeretis furorem Dñi, id est, vt faciatis, quod maior sit quam fuit in prima punitione pro murmuratione in Cadesbarne: quia sicut maior esset culpa secunda, quam prior, vt supra declaratũ est, ita pœna esset maior. Vel dicitur, vt augeretis furorem, id est, vt continuaretis faciendo poni aliquid de pœna, & furore, supra id, quod iam inflictum fuit, sc. in diuagatione 40. annorum: intelligebat nũc Moyses, quod si nunc Israelitæ murmurarẽt, sicut in Cadesbarne, quod Deus nunquam introduceret eos in terram Chanaan, vel faceret saltem eos manere in solitudine plusquã per alios 40. annos. Primum tamen magis credebat esse futurum, vt patet ex litera sequenti. *Quod si nolueritis eum sequi in solitudine populum derelinquet.* Id est, si nolueritis sequi Deum confidendo in eum, & eundo in terram, in quam iri iussit, derelinquet populum in solitudine, id est, non curabit de eo tanquam non esset suus sc. non dabit ei manna, nec diriget per nubem, nec introducet in terram, quam iurauit, sed relinquet hostibus lacerandum, & vos eritis causa huius immensi mali. q. d. etiamsi nullus peccet nisi vos, tamen totus populus peribit propter vos: hoc autem intelligebat Moyses, quia cum peccauit Israel adorando vitulum, voluit Deus totum populum cõterere, nisi Moyses precatus fuisset, vt patet Exodi. capit. 32. Item autem cum

C

F

murmuraue-

murmurauerunt in Cadesbarne penitus delere volebat omnes, & occidit ipsorum plurimos in solitudine nec relinquisset quenquam ex eis, nisi Moyses valde institisset, supr. cap. 14.

Et vos eritis causa necis omnium. Quasi dicat, si vos murmurare incipitis, & Deus omnes percutit, propter vos percurit, & dicuntur causa dupliciter, vno modo, scil. totalis: alio modo causa, id est, occasio. Primo modo est sensus, quod isti essent causa totalis, quale delerentur Israelitæ: nam dato, quod alii non peccarent istis peccantibus Deus deleret totum populū, sic arguebat Iosue contra istas duas tribus post mortē Moysi, quando ædificauerunt altare magnum apud Iordanem, dixit enim q̄ eis solis peccantibus Deus desæuiret in totum Israel. Et probauit hoc, quia Achā vnicus fuit in peccato, sc. quando furatus est regulam aureā, & pallium coccineū, & tamen perierunt 36. viri de Israel, & volebat Deus totū populū destruere permittendo eum cadere in manibus hostiū, Iosu. c. 22. Secundo modo intelligitur, q̄ isti essent causa, id est, occasio necis omnium, sc. quod alii non morerentur propter peccatum istorum: tamen isti tribuerent aliis occasionem peccandi, & tunc Deus puniret omnes. Intelligebat autem Moyses, quod si modo peccarent morerentur, quia iam nollet remittere sicut prius fecerat dando quamcunque pœnam præter maximam, & hoc quia viderat eum valde iratum in aliis vicibus, quasi penitus delere volentem totum populum, nec etiam auderet orare pro Israel si iam amplius murmuraret, vt prius.

At illi propè accedentes, dixerunt: Caulas ouium fabricauimus, & stabula iumentorum, paruulis quoque nostris vrbes munitas: nos autem ipsi armati, & accincti pergemus ad prælium ante filios Israel, donec introducamus eos ad loca sua. Paruuli nostri, & quidquid habere possumus, erunt in vrbibus muratis propter habitatorum insidias. Non reuertemur in domos nostras, vsq; dum possideant filii Israel hæreditatem suam: nec quidquam quæremus trans Iordanem, quia iam habemus possessionem nostram in orientali eius plaga. Quibus Moyses ait: sic facitis, quod promittitis, expediti pergite coram Domino ad pugnam: & omnis vir bellator armatus Iordanē transeat, donec subuertat Dominus inimicos suos, & subiiciatur ei omnis terra: tunc eritis inculpabiles apud Dominū, & apud Israel, & obtinebitis regiones, quas vultis corā Domino. Sin aūt, quod dicitis, non feceritis, nulli dubiū est, quin peccetis in Deū: & scitote, quoniā peccatum vestrū apprehendet vos. Aedificate ergo vrbes paruulis vestris, & caulas, & stabula ouib. ac iumentis: & quod polliciti estis, implete. Dixeruntq; filii Gad, & Ruben ad Moysen: Serui tui sumus, faciemus quod iubet Dominus noster. Paruulos nostros, & mulieres, & pecora, ac iumēta relinquemus in vrbibus Galaad: nos aūt famuli tui oēs expediti pergemus ad bellū, sicut tu Domine loqueris. Præcepitq; Moyses Eleazaro sacerdoti, & Iosue filio Nun, & principibus familiarū per tribus Israel, & dixit ad eos. Si transierint filii Gad, & filii Ruben vobiscū Iordanē omnes armati ad bellum corā Domino, & vobis fuerit terra subiecta: date eis Galaad in possessionē. Sin autem noluerint transire armati vobiscū in terrā Chanaan, inter vos habitandi accipiant loca. Responderuntq; filii Gad, & filii Ruben: sicut locutus est Dominus seruis suis, ita faciemus. Ipsi armati pergemus corā Domino in terram Chanaan, & possessionem iam susceptam nos confitemur trans Iordanem.

Excusatio duarum tribuum.

At illi prope accedentes. Hic ponitur tertium, sc. communis disceptatio, vbi Moyses loquitur, & duæ tribus se excusant exponentes dicta sua. Viderunt enim Rubenitæ, & Gaditæ, quod ideo increpat eos Moyses, quia intelligebat ex eorū petione velle eos habitare in terra illa, & non transire vltra Iordanem, ideo ipsi accesserunt prope ad Moysen exponentes ei, quod non erat intentio eorum manere in terra illa, sed transire cum aliis ad pugnandum, donec pacifice possiderent totam terram, quā habituri erant, quod sic factū est: nam iuerunt ad pugnā, & manserunt ibi, quasi 7. annis, quibus durauit pugna, vt supra declaratum est, & Iosue cap. 14. manserunt etiam toto tempore, quo diuisa est terra Chanaan. 9. tribubus & dimidiæ, quod dicunt aliqui fuisse tempus 7. annorū. Postea vero redierunt in terrā suam præcepto Iosue, vt patet Iosu. 22. Dicitur autē hic, quod accesserūt prope: hoc autē non erat quasi non audiret eos Moyses ex loco, in quo erant prius cum bene audisset, quando proposuerunt petitionē, sed quia viderant istæ duæ tribus, q̄ non erat bene intellecta eorum intentio videntes sibi disceptandum esse cum Moyse accesserunt propius, vt sic promptius loqui possent, & intelligere, quæ dicerentur. *Caulas ouium fabricauimus.* Id est, non volumus manere totaliter in terra ista, non transeundo Iordanem, sed volumus facere caulas pro ouibus nostris, & disponere locum vxoribus, & filiis ad manendum in terra ista, & transire cum aliis tribubus Iordanem ad pugnandum. Dicit autem Rabbi Salomon ex hoc, quod isti magis diligebant oues, quam filios & vxores, quia primo caulas ouium, quam habitacula vxorum, & filiorum nominauerunt. Sed hoc nihil est, quia non semper seruatur dignitas rerum in ordine loquendi, vt patet præcedenti capitulo, cum dicitur de diuisione prædæ. Et primo ponuntur ibi asini, & boues, quam homines: voluerunt autem isti fabricare caulas, quia intelligebant se magno tempore duraturos in terra Chanaan expugnando hostes: ideo voluerunt prius prouidere rei suæ familiari. Vocantur autem hic caulæ ouilia gregum, vt ouium, & caprarum. De his autem nominauerunt, quia substantia eorum erat in pecoribus, & iumentis, vt patet supra.

Stabula iumentorum. Id est, etiam parauimus stabula pro iumentis. Dicuntur autem stabula à stando, quia ibi iumenta stant. Nominauerunt quidem ista duo, quia in istis erat eorum substantia, vt patet supra, cum dicitur, quod habebant pecora multa, & erat illis in iumentis infinita substantia. *Paruulis quoque nostris vrbes munitas.* Id est, parauimus pro paruulis vrbes. Intelligitur etiam de vxoribus, & reliqua familia, nam soli viri pugnatores ibant cum aliis tribubus trans Iordanem ad bellum. Cum autem dicitur de vrbibus non intelligitur, quod isti noluiter facerent aliquas vrbes, sed quia in terra duorum regum Amorrhæorum, cum pugnarent Israelitæ contra incolas regionis illius, vrbes quantum ad aliquid dirutæ fuerant volebant illas restaurare propter insidias habitatorum terræ: & tunc quælibet istarum duarum tribuum, & dimidiæ accepit aliquas vrbes, quas refecit pro familiis suis, de vrbibus autem cuiuslibet tribus, patet infra in litera. *Nos autem ipsi armati, & accincti.* Respondent in hoc ad increpationem Moysi, quæ fundabatur in hoc, quod ipsi vellent totaliter cessare à bello, & quod fratres sui pugnarent, quod irrationabile erat, ideo ipsi dicunt, quod nolunt manere in terra illa, sed solum quod vxores eorum, & filii, & possessiones maneant, ipsi vero transeant in quo nihil grauabant alias tribus, imo faciebant conditionem earum meliorem, quia omnes viri bellatores de eis volebant transire. Quod autem vxores manerent, & res possessæ, erat duplex vtilitas reliquis tribubus, prima quod isti viri essent magis expediti, & dispositi ad bellum, cum nihil secum ferrent, nisi bellicum apparatum: secundum erat vtile reliquis tribubus, quia non tantum grauarentur in prouidendo eis, quantum ad cibos, cum soli irent, quam si ferrent secum familias suas, iam enim non erant comesturi manna, quia illud cessauit immediate, vt transierunt Iordanem, scilicet, diebus quinque postea, ideo oportebat, quod amplius inquirerent cibos opere bellico, vel labore suo. Antecedens patet, quia Israelitæ transierunt Iordanem decima die mensis primi, vt patet Iosue capit. 4. & manna defecit die 5. mensis eiusdem, & vltra nunquam comederunt de eo, Iosue capit. 5. ideo magis alleuiabantur cæteræ tribus in hoc quam grauarentur. Dicuntur autem isti transire armati, quia habebant multa arma Iudæi, quæ partim duxerant de Ægypto, cum dicatur Exodi capit. 13. quod armati ascenderunt filii Israel de terra Ægypti, partim etiam acceperunt post arma ex bellis, quæ vicerunt, & primo dum contra Ægyptios, qui ibant armati, vt comprehenderent hebræos, & omnes in mari rubro submersi sunt, atque ad aliam partem maris, in qua Iudæi erant transductis illis acceperunt Israelitæ omnia arma ipsorum, de quo Exodi capit. 14. & 15. acceperunt quoque arma in bello contra Amalechitas cum expugnauerunt eos in Raphadim, de quo Exodi capitul. 17. Acceperunt etiam arma in

Stabula Etymon.

A

destructione terræ Chananæi regis Arad, vbi deletis omnib⁹ habitatoribus, & vrbibus potuerunt Iudæi accipere omnia arma terræ illius: quanquam magis verisimile est, quod ista combusta sint cum terra illa posita fuerit sub anathemate, de quo supra c.21. Acceperunt etiam arma multa in bello contra duos reges Amorrhæorum Sehon & Og, vbi totam terrã depopulauerunt, & postlederunt, de quo supra c.21. & Deut.ca.2. & 3. Acceperunt etiam arma in bello contra Madianitas, vbi omnia spolia cesserunt ipsis Israelitis, de quo cap. præced. Poterant ideo sufficienter armati esse omnes Iudæi. Dicitur etiam, quod erant accincti, id est, dispositi ad bellum, vel expediti. Dicitur autem accinctus, id est, ad aliquid cinctus, scilic. quod est dispositus ad faciendum aliquid, & hoc dicitur specialiter de istis duabus tribubus, & dimidia, quia aliæ tribus portabant secum vxores, & filios, & omnia, quæ possidebant, & illa impediebant aliquo modo ab actu bellico, duæ autem tribus & dimidia nihil secum portaturæ erant, sed viri armati solum ibant.

Pergemus ad prælium ante filios Israel. Id est, quod isti precederent in progressu in itinere. Etiam in aciebus belli præcederent, scilicet, quod offerebant se ituros in principio acierum. Hoc autem dicebant ad tollendum dubiũ, nam si vellent manere in parte posteriori, esset periculum, quia forte retrocederent, siue ex itinere, siue ex bello. Etiam dicebant hoc ad significandum intentionem suam promptam cum in hoc offerrent se ad aliquid, quod non peterent filii Israel, erat tamen ad securitatem ipsorũ, quod Moyses videns rationabiliter dictum concessit, vt isti irent ante fratres suos. Mortuo quoque Moyse Iosue, qui erat princeps populi, hortatus fuit duas tribus, & dimidiam, vt præcederent, vt patet Iosue cap.1. scilicet, armati transite ante fratres vestros omnes fortes manu. Et sic postea fecerunt, quia transito Iordane præcedebant istæ duæ tribus, & dimidia ad omnes alias, Iosue cap.4. cum dicitur, filii quoq; Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse armati præcedebant filios Israel, dicuntur autem hic filii Israel nouem tribus, & dimidia, & duæ, & dimidia non vocantur filii Israel. Cuius causa est, quia quandocunque Israelitæ diuidebantur in duas partes, illa pars, quæ erat maior, vocabatur de filiis Israel, quasi ipsi essent tota multitudo Israelitarum, & quia nouem tribus, & dimidia erat maior pars, vocantur filii Israel, & sic multoties Leuitæ comparati ad alias tribus non vocantur filii Israel.

B

Donec introducamus eos ad loca sua. Id est, semper præcedemus fratres nostros, donec introeant ad loca sua, id est, ad terram Chanaan, quam possessuri sunt. Non est autem intelligendum, quod solum præcederent eos, quousq; intrarent in terram, quam habituri erant, quia hoc nihil proficiebat, nam tunc solum transirent cum eis Iordanem, apud quem hoc tempore erant, & confestim reuerterentur, quia transito Iordane mox essent Israelitæ in terra Chanaan, quam habituri erant in hæreditatem. Sed debet intelligi, quod irent cum eis, & manerẽt semper quousq; expugnatis hostibus possiderẽt Israelitæ terram suam, quia licet prius introirent in terrã Chanaan, tamen non erat sua, ideo non dicebantur introduci in terram suam. Sic patet infra, cum dicitur, non reuertemur in domos nostras, vsque dum possideant filii Israel hæreditatem suam. Cum autem deletis hostibus possiderent terram illam, dicerentur introduci in terram suam.

C

Paruuli nostri, & quidquid habere possumus, erunt in vrbibus munitis. Id est, filii nostri manebunt hic in vrbibus. Intelligitur etiam de vxoribus, licet non dicatur hic. Sic patet infra, scil. paruulos nostros, & mulieres, ac iumenta, & pecora relinquimus in vrbibus Galaad. Idem intelligitur de reliqua familia. Etiam de senibus intelligendum est, quia isti erant inepti ad bellum, & inutilis labor esset eos illucire, sed soli viri pugnatores ibant, sic enim dixit Moyses infra in litera. Omnis vir bellator armatus transeat Iordanem. Idem patet Iosue ca.1. scil. transite armati ante fratres vestros, omnes fortes manu, & pugnate pro eis. Dicitur, & quidquid habere possumus, id est, omnia pecora, & iumenta, & facultates cæteræ. *Propter habitatorũ insidias.* In hoc enim reddunt causam, quare velint cõstruere vrbes, quia posset aliquis dicere, q; relinquere paruulos & vxores, & omnia, quæ habebant in terra illa, non curantes de munitione vrbium. Huic autem respondent, quod propter insidias habitatorum terræ opus erat poni res suas in vrbibus.

Quare dixerunt, quod dimitterent vxores in vrbibus muratis.

D

QVÆSTIO IIII.

SEd forte aliquis diceret, quod possent dimittere res suas sine timore in locis non munitis, quanquam essent hostes in terra, quia Dominus haberet curam illarum rerum, & nullus de hostibus auderet accedere ad eas: sic autem erat quando ter in anno ascendebant omnes Iudæi masculini generis in Sanctuarium, & quia tunc videbatur, quod hostes possent ascendere in terram illam non existente aliquo defensore, dixit Deus, quod nullus auderet accedere, de quo Exodi c.34. cum tulero gentes à facie tua, & dilatauero terminos tuos, nullus insidiabitur terræ tuæ ascendente, & apparente te in conspectu Domini Dei tui ter in anno. Ita ergo cum nunc res Hebræorum manerent in locis non muratis, non auderent hostes accedere ad illas. Respondendum est, quod non se debebant Iudæi exponere huic periculo, quia semper homines debent agere secundum prudentiam humanam, & nõ committere so totaliter diuino regimini, nisi in rebus illis, ad quas nullo modo pertingit humana prudentia: vel in illis, in quibus Deus iussit, quod nos totaliter permitteremus regimini illius. Causa huius est, quia Deus dedit homini intellectum, tanquam primum principium motiuum, & regulatiuũ operationum suarũ, ideo vult, quod per illud dirigatur. Cum autem homo totaliter se committit diuinæ dispositioni, non regitur per intellectum, sed per aliud principium superius non humanum, ideo contra rationem agit: nisi forte iudiciũ humanum non sufficiat ad hoc, quia tunc etiam si aliquis velit se comittere prudentiæ humanæ non potest cum ad talem casum nulla sit: & in talibus semper nos debemus submittere Deo dirigendos alioquin diffidimus de bonitate Dei. Alius casus est, in quo non debet homo se committere prudentiæ humanæ, scilic. si Deus iusserit, quod aliquid totaliter ponamus in eius directione nihil agentes humano iudicio, & cura. Tunc autem licet per humanam prudentiã aliquid proficere possemus: tamen nullo modo curare debemus de humana prudentia: alioquin grauiter peccatur, quia tantũ Deo diffiditur, quantum nobis committitur, sic patet in apostolis, quibus Christus dixit, quod quando starent ante reges, & præsides non præmeditarentur, quid loqui deberent, quia in illa hora daretur eis, quod loquerentur Matth.10. & Lucæ 21.c. Si ergo apostoli, quando irent ad reges, vellent studere quid loquerentur, peccarent nimis, quia aut ipsi intelligebant, quod etiamsi non studerẽt, Deus daret eis pleniſſime, quid loquerentur, & tunc stultitia magna erat studere, quia diceretur eis, quod petis intus habes. Esset etiã hoc contra rationem naturalem, sc. habitis habitibus cessat motus, sed ipse habitis habitibus adhuc mouerentur ad illos: aut intelligebant, q; si non studerent, non haberent quid responderent, aut nõ perfecte responderent, & tunc erant infideles nimis, cum Christus dixisset eis, quod in illa hora daretur eis, quid loquerẽtur, & ipsi non crederent. Sic etiam est in proposito, quid dimittere in terra hostili res sine defensore in locis non muratis est contra humanam prudentiã, per quam homo se dirigere debet semper, nisi in duobus casibus datis. Etiam quod Iudæi ascenderent in loco Sanctuarii ter in anno, quare nullo viro manente in vrbibus eorum videbatur, esset contra humanam prudentiam: ideo nisi sit aliquis de duobus casib⁹ hic, illicitum est. In primo autem horum non est aliquis de duobus casibus cum non sit super humanam prudentiam, quia sciũt homines, per quem modum non tolletur inconueniens, quod sequitur, relinquendo res apud hostes, scil. dimittendo ibi custodes, & hoc in locis munitissimis, quod poterant Iudæi faciliter agere. Etiam non est hic secundus casus, scilicet, quod Deus prohibuerit inniti humanæ prudentiæ, quia non vetuerat dimitti pugnatores, & res in vrbibus munitis, ideo istæ duæ tribus, & dimidia recte agebant volentes dimittere filios, & vxores in vrbibus munitis, & ibi aliquos custodes, ideo si contrariũ agerent, agebant contra prudentiam humanam, & peccabant exponentes se sine causa manifesto discrimini. In alio autem casu, scil. quando ascendebant ter Iudæi in anno in Sanctuario secus est, quia licet videatur esse contra humanam prudentiam dimittere vrbes, & facultates sine defensore, quia tamen

E

Regula ad cognoscendũ quãdo nos debem⁹ submittere diuino regimini, & non humanæ prudentiæ.

F

Deus iusserat,

A Deus iusserat, quod ascenderent omnes non dimittentes aliquem defensorem, & quod ipse defenderet vrbes, & res eorum esset magna diffidentia, quod ipsi vellent dimittere in vrbe defensores. Recte ergo dicebant duæ tribus, & dimidia, quod vellent construere vrbes filiis suis, & familiis, vt manerent ibi propter insidias habitatorum terræ. Etiam quod relinquerent ibi aliquos custodes, quia Deus non dixerat, quod dimitterentur ista sine aliqua diligentia, ideo debebant inniti prudentiæ humanæ alioquin peccarent & iudicarentur insipientes. Dicitur autem hic de insidiis habitatorum terræ illius, quoniam manebant aliquæ gentes in circuitu terræ illius, quam acceperant Iudæi, quæ inuaderent vrbes illorum, & res possessas si relinquerent illas sine custode, istæ autem erant Moabitæ ex parte meridiana, qui erant hostes Iudæorum, & Madianitæ ex parte septentrionali, & septem populi Chananæorum ex parte occidentali. Idumæi quoque aliquo modo contingebant terram illam ex parte meridiana in extremitate terræ Moab, & isti etiam pugnarent contra Iudæos.

Non reuertemur in domos nostras. Nondum habebant isti domos, sed dicebant se non reuersuros in domos præsupponentes id, de quo agitur, ipsi enim petebant quod daretur eis
B terra duorum regum Amorrhæorum, quod si fieret disponerent domos suas pro familiis, & irent ad bellum cum aliis tribubus, ad istas autem domos non reuerterentur, quousq; alii Israelitæ haberent id quod possessuri erant.

Vsque dum possideant filii Israel hæreditatem suam. Hic autem declaratur magis, quam supra, quod non solum introirent istæ duæ tribus, & dimidia cum aliis associantes eas vsque ad terram, quam habituri erant, sed etiam manentes cum illis in terra eadem quousque pacifice possiderent eam. Et dicitur hic hæreditatem suam, id est, quam habere debent exclusis hostibus: & tunc erit sua. Vocabant tamen suam, quia cum Deus dixisset, quod habituri erant eam, nequaquam dubitabatur de hoc. Vel dicitur hæreditatem suam, id est, quæ est sua secundum proprietatem licet nondum eam possideant.
Cur terra Chanaan vocetur hæreditas. Deus tamen promiserat illis dare terram istam, & ista promissio tradebat eis ius proprietatis, sicut per donationem transfertur dominium. Dicitur autem hæreditatem, quia Israelitæ habituri erant terram istam non ad vsum alicuius parui temporis tanquam coloni, vel aduenæ, sed pro semper tanquam si terra esset iure hæreditario, per quod ius aliquis hēt, & perfectum dominium super rem.

Nec quicquam quærimus trans Iordanem. Istud poterat nimis inclinare Moysen, & nouem tribus, & dimidiam ad concedendum faciliter id, quod petebatur ab his, quod non volebant aliquid habere trans Iordanem. Nam posset accidere,
C quod terra, quæ erat trans Iordanem in terra Chanaan, esset valde magna, & si illa diuideretur nouem tribubus, & dimidiæ, maiores sortes prouenirent cuilibet tribui, quam prouenissent duabus tribus, & dimidiæ diuisa inter eos terra duorum regum Amorrhæorum, & tunc manebat eis ius petendi sortem in terra illa: nunc autem dicunt, quod nihil volunt in terra Chanaan, nam dato, quod eis aliquid posset prouenire, ipsi renunciant iuri suo. Intelliguntur autem ista verba semper cum conditione: si daretur eis quod petebant. In hoc autem aliqualiter se habebant isti rationabiliter, quia terra ista duorum regum Amorrhæorum solum fuerat capta, & pertinebat ad omnes duodecim tribus quod ergo permitteretur duabus tribubus, & dimidiæ ius eligendi eam tanquam eis valde conuenientem erat rationabile, quod ipsi aliquid permitterent reliquę multitudini, quod abrenunciarent eius possessioni trans Iordanem si aliquæ partes maiores eis possent contingere. Accipitur autem hic trans Iordanem, id est, ad occidentalem partem Iordanis: trans enim significat habitudinem situs, iō nō magis determinat id quod est circa quam vltra & sic aliquando accipitur trans Iordanem pro parte occidentali, vt patet cum hic: cum isti haberent possessionem in parte orientali Iordanis, vt habetur ex litera, & aliquando signat partem orientalem, & sic patet infra in littera, & Iosue capit. 1. cum dicitur, quod acceperunt isti possessionem trans Iordanem, & tamen hoc fuit in parte orientali. *Quia iam habemus possessionem nostrā in orientali eius plaga.* Id est, ad partem orientalem Iordanis. q. d. ideo renunciamus iuri nostro, quod habemus in terra Chanaan ad occidentalem Iordanis, quia iam accepimus possessionem sufficientem pro nobis ad orietalem plagam Iordanis, scilic. in terra duorum regum Amorrhæorum. Intelligitur autem hoc, si feceritis quod petimus dantes nobis terram hanc: alioquin nondum habebant aliquam possessionem: nam Moyses nihil adhuc eis dederat, vt patet infra nam habita ista collocutione dicitur, quod dedit eis Moyses terram duorum regum Amorrhæorum, & dicitur hic: ad orientalem eius plagam. quia terra duorum regum Amorrhæorum est orientalis respectu terræ Chanaan, quam acceptutæ erant nouem tribus, & dimidia. Iericho etiam ciuitas terræ Chanaan, per quam intrauerunt, erat ad orientalem partem terræ Chanaan, quia licet Aegyptus, de qua veniebant Iudæi, esset ad partem meridianam respectu terræ Chanaan, tamen non venerunt Israelitæ recto itinere de Aegypto in terram promissam potuerunt enim venire citius per terram Philistinorum, & introissent per latus meridianum terræ Chanaan. De ista via patet Exod. capit. 13. per hanc enim venerunt Ioseph, & fratres sui ad sepeliendum patrem suum in terram Chanaan, & per eandem redierūt: ideo pauco tempore morati sunt. De hoc Gen. cap. vltimo Israelitæ tamen exeuntes de Aegypto, non venerunt recto itinere versus terram promissam, sed ascenderunt contra orientem ad mare rubrum, & solitudines Arabicas. Hoc autem, quia Deus voluit ne irent Israelitæ per terram Philisthiim, quæ breuior erat, & populata: ideo cum viderent hostes contra se insurgere redirent in Aegyptum. Circunduxit autem eos per desertum transducens mare rubrum, vt quamquam pœniteret eos itineris, redire non possent in Aegyptum. De hoc Exod: cap. 13. postquam autem introierunt in desertum, si ambulauissent recto itinere sicut ambulauerunt vsque ad Cadesbarne, introissent per partem meridianam terræ Chanaan. Quod patet quia in anno 40. ab exitu de Aegypto Israelitæ peruenientes vsque ad Cadesbarne petierunt à rege Edom transitum per locum illum, quousque venirent in terram suam, qui noluit eis dare. supra. cap. 20. Ideo coacti sunt circuire totam terram Edom ascendendo versus orientem supra ca. 21. & in hoc circuitu manserunt multo tempore Deuteronom. cap. 2. scil. circuimus montem Seyr longo tempore, & tunc coacti sunt introire per terram duorum regum Amorrhæorum, quæ est ad frontem orientalem terræ Chanaan, vt patet hic, & Iosue cap. 1. si autem transissent per Cadesbarne introibant per partem meridianam terræ Chanaan, quia Cadesbarne est in latere isto, vt patet infra 304. & Iosue. c. 15.

Quibus Moyses ait. Hic ponitur responsio Moysi cognita intentione duarum tribuum, & dimidiæ.

Si facitis, quod promittis. Scilicet quod ibitis cum fratribus vestris, & non redibitis quousque ipsi possideant terram suā. Et dicitur si facitis, id est, si facere intenditis, quia an isti facerent, quod promittebant dependebat ex futuro euentu, ideo dicitur, quod si facere intendebant inciperent, scilicet eundo cum fratribus suis trans Iordanem. *Expediti pergite coram domino ad pugnam.* Dicitur autem expediti, quia non portaturi erāt secum vxores, & filios, & cætera, quæ possidebant, sicut portabant nouem tribus, & dimidia, quæ nondum acceperant possessionem, ideo illi erant magis expediti ad bellum. Dicitur autem pergite coram domino, id est, coram arca. Deus enim videbatur esse specialiter super arcam cum loqueretur de medio duorum cherubim existentium in extremitatibus arcæ supr. c. 7. ideo qñ ibant corā arca dicebantur ire corā dño. Istæ aūt duæ trib. & dimidia magis appropinquabant arcæ, quam cæteræ. Nam in transitu Iordanis, & vltra arca præcedebat totum Israel per duo millia passuum Iosue. cap. 3. deinde sequebatur totus populus: sed hic ante cæteros ibant viri de duabus tribubus & dimidia, scilicet 40. millia pugnatorū Iosue cap. 4. vel dicebantur isti ire coram domino, scilicet, in præsentia ipsius: quia etiamsi non præcederet arca, tamen angelus domini præcedebat castra. Dixerat enim Deus quod mitteret angelum suum in præcursum eorum ad delendum Chananæos Exod. 23. cap. Item patet Iosue cap. 5. cum apparuit quidam vir ipsi Iosue euaginato gladio: à quo cum quæreret quis esset, ait. Princeps sum exercitus domini, & nunc venio. Coram isto autem angelo semper incendebant bellatores, & iste vocatur in sacra scriptura Deus. Dicitur autem pergite ad pugnam, quia licet istæ duæ tribus, & dimidia manserint in terra Chanaan toto tempore bellorum, & postea dum

A

diuideretur terra per multa tẽpora: tamen principaliter vocabantur ad pugnandum, nam ſine ipſis potuiſſet terra diuidi, pugna tamen non exercetur conuenienter.

Et omnis vir bellator tranſeat Iordanem. Id eſt, omnes viri pugnatores apti adbellũ tranſeant Iordanem cum fratribus ſuis ad pugnandum, idem autem iuſſit poſt mortem Moyſi Ioſue, ſc. vos autem tranſite armati ante fratres veſtros omnes fortes manu, & pugnate pro eis. Idem autem eſt eſſe fortem manu, & eſſe bellatorem.

An omnes bellatores duarum tribuum cum dimidia tranſierunt Iordanem.

QVÆSTIO V.

QVæretur circa hoc an omnes illi pugnatores, qui erant de duabus tribubus & dimidia tranſierint Iordanem ad pugnandum. Reſpondendum eſt, quod non, ſed aliqui illorum manſerunt in ciuitatibus terræ illis traditæ, alioquin. n. fruſtra fuiſſet relinqui vxores, & paruulos in vrbibus muratis, quia quomodocunque caperentur ab hoſtibus non habentes defenſores: ipſi tamen reliquerunt in vrbibus munitis iſta propter habitatorum inſidias, quaſi ibi poſſent euadere, ergo oportet, quod relinquerentur aliqui viri bellatores ad excludendum inſidias habitatorum terræ. Item ſi non relinquerẽtur aliqui potentes pugnare, quia eſſent ætatis robuſtæ non vacaretur agriculturæ, quia nullus eſſet, qui vacaret: ſenes. n. & confracti, qui ad bellum inutiles ſunt, etiam ad agriculturam ſunt inepti, ideo oportuit relinqui aliquos viros de computatis in militia ad agriculturam, ne ſi tanto tempore terra ſine cultore relinqueretur, redderetur ſylueſtris, & plena ſerpentibus atque beſtiis. Magno namque tempore manſuri erant viri iſti pugnando in terra Chanaan, durauit enim pugna quaſi per ſeptem annos. Deinde in diuiſione terræ manſerũt aliquanto tempore, & ſemper fuerunt iſtæ duæ tribus, & dimidia cum aliis, quouſque Ioſue eis redire iuſſit Ioſue capitul. vigeſimo ſecundo, toto autẽ hoc tempore terra culta fuit, alioquin ipſa perderetur ſaltem quantum ad poſſeſſiones arborũ & vinearum: vxores quoque, & filii virorum harum duarum tribuum, & dimidiæ non haberent vnde prouiderent ſibi, niſi aliquis pro eis vacaret agriculturæ: nam iam non comedebant manna cum ceſſaſſet quinque diebus poſt tranſitum Iordanis, ſc. die 15. menſis 1. anni 41. ab exitu de Aegypto Ioſue c. 5. Item patet hoc euidentius: nam de duabus tribubus, & dimidia ſolum iuerunt 40. millia pugnatorum cum nouem tribubus, & dimidia ad terram Chanaan, vt patet Ioſue, capit. 4. & tamen ſi iuiſſent omnes viri pugnatores iſtarum tribuum fuiſſent valde plures: nam eſſent vltra centum decem millia.

B

C

Quod patet, quia de tribu Ruben in computatione, quæ fuit facta paulo ante hoc anno 40. ab exitu de Aegypto fuerunt 43. millia, & 730. virorum. in tribu autem Gad fuerunt 40. millia. in tribu autem Manaſſe fuerunt quinquaginta duo millia, & ſeptingenti, quorum debet accipi medietas, ſc. 26. millia, & vltra. Omnes autem iſti ſunt vltra centum decem millia virorum, ideo neceſſe eſt, quod plures de bellatorib. manſerint in vrbibus, quam tranſierint Iordanem cum nouem tribubus, & dimidia. Item patet, quod manſerint aliqui bellatores in vrbibus iſtis, quia quando Ioſue finitis omnibus bellis, & diuiſione terræ remiſit bellatores de duabus tribubus, & dimidia in terram ſuam, dixit illis: In multa ſubſtantia atque diuitiis reuertimini ad ſedes veſtras. & concluditur: Diuidite prædam hoſtium cum fratribus veſtris. ſi tamen non manſiſſent aliqui viri bellatores in vrbibus traditis iſtis duabus tribubus, & dimidiæ, non manerent aliqui cum quibus præda diuidenda eſſet. Nam cum paruulis non erat diuidenda præda, cum illi eſſent filii horum bellatorum, & non eſſet aliqua cauſa quare paruulis quidquam proueniret. Etiam cum ſenibus totaliter inutilibus ad bellum non diuideretur præda, quia nulla ratio erat, quare ipſi aliquid percepturi eſſent, oportet ergo, quod aliqui manſiſſent ibi de viris bellatoribus, cum quibus poſſet, & deberet diuidi præda. Erant autem percepturi rationabiliter iſti de præda, quia ſicut alii ibant ad bellum, ita iſti manebant in cuſtodia bellica, quia manebant in vrbibus propter inſidias habitatorum terræ, & fortaſſis occurreret eis pugnare contra illos ſicut pugnabant alii contra Chananæos. Dicendum ideo, quod de qualibet harũ duarum tribuum, & dimidia manſerunt in vrbibus ſuis viri bellatores plures, quam iuerunt ad bellum, cum ipſi omnes eſſent pluſquam centum, & decem millia, & ſolum iuerunt de eis 40. millia vt ſupra declaratum eſt.

D

Sed dicetur contra, quia Moyſes dixit hic: Omnis vir bellator armatus tranſeat Iordanem, & Ioſue c. 1. dicitur: Tranſite ante fratres veſtros omnes fortes manu. Reſponderi poteſt dupliciter, vno modo quod in ſacra in ſcriptura iſtud ſignum, omnis, non diſtribuit vniuerſaliter ſemper ſicut apud dialecticos: ſed accipitur pro multis, ſicut dicitur. Omnes prouinciæ veniebant in Aegyptum. vt haberent eſcas. Gen. 41. ca & in Pſa. Omnis caro ad te veniet. nulla tamen iſtarum eſt vniuerſalis proprie, quia non ſtat adhuc pro centeſima parte indiuiduorum & ſic dicitur hic, omnis bellator, id eſt, multi de bellatoribus & idem modus eſt in verbis Ioſue. Alio modo poteſt dici quod Moyſes iuſſit, vt omnes irent: & ipſi viri de duabus tribubus, & dimidia vniuerſaliter ſe obligauerunt ad eundum poſtea tamen Iſraelitæ videntes, quod non erant omnes neceſſarii, ſed ſufficeret quoſdam eorum ire, aſſumpſerunt ſolum 40. millia pugnatorum. Sed prima reſponſio verius ſtat, quia non videtur rationabile, quod Moyſes iuberet omnes pugnatores de his duabus tribub. & dimidia, aut quod ipſi ſe ad hoc obligaſſent, quia videbant manifeſte quod terra tradenda erat hoſtibus & vxores & filii captiuarentur ſi nulli bellatores manerent in cuſtodia. *Armatus Iordanem tranſeat.* Id eſt, quilibet vir bellator ſolum accipiat arma ad tranſeundum Iordanem. & Hoc quia bellatores de duabus tribubus, & dimidia debebat eſſe expediti, vt Moyſes iuſſerat. *Donec ſubuertat dominus inimicos ſuos.* Id eſt, donec deſtruat. & non dicitur. donec deſtruamus inimicos noſtros, quia victoria quæ habenda erat de hoſtibus non erat ex viribus Iudæorum, ſed ex voluntate Dei, qui mittebat angelum ſuum ad ſubuertendum gentes illas, vt patet Exod. c. 23.

E

Et ſubiiciatur ei omnis terra. Id eſt, ſubiiciatur Deo. Eſt enim omnis terra Deo ſubiecta inquantum nullus ei repugnare poteſt, nec audet, & quodcunque ipſe voluerit, faciet. Hic tamen innuitur, quod non erat terra ſubiecta Deo, quia Deus accipitur hic tanquam dux ſpecialis Iudæorum, & quia nondũ erat terra ſubiecta Iudæis, dicebatur nondum ſubiecta Deo. *Tunc eritis inculpabiles.* q. d. ſi ſic feceritis non poterit vobis imponi aliqua culpa, quia cuſtodiuiſtis quod promiſeratis, & ſi ſequeretur aliquis euentus aduerſus. *Apud Deum, & Iſrael.* Non habebitis culpam apud Deum, nec apud Iſrael, quam haberetis ſi non cuſtodiretis pactum: promiſerãt enim duæ trib. & dimidia iſtud quod erat in fauorem nouem tribuũ, & dimidiæ: iõ ſi promiſſa fallerent, nocebant illis, & erant apud eos culpabiles: etiam iſta promiſſio fuit facta coram Deo ante atrium tabernaculi, & firmatum fuit ſub inuocatione diuina, iõ qui infringeret illud agebat contra diuinã reuerentiam, & ob hoc erat culpabilis apud Deum. *Et obtinebitis regiones, quas vultis coram domino.* Id eſt, & tunc obtinebitis iſtam terram, quam petitis q. d. licet nunc vobis detur, tñ nõ eſt veſtra totaliter, quouſq; impleatis, q̃ promittitis. Quod patet infra quia Moyſes tradidit immediate terrã regis, Seon & Og duab. trib. & dimidiæ, tñ dixit ad Ioſue, & ad principes Iſrael, quod ſi duæ trib. & dimidia nollent trãſire cum aliis tribub. ad pugnandum vltra Iordanem quod auferretur eis terra iſta, & cogerentur manere extra terrã illã inter alias trib. & dicitur hic corã dño: quod põt referri ad vtrũq; de duob. verbis hic poſitis, ſcil. vultis, vel obtinebitis. Si referatur ad primũ eſt ſenſus, quod obtinebitis regiones iſtas, quæ dantur vobis iuſte, ſc. quia impleſtis cõditionẽ, pro qua vobis dantur, & ſine verecundia tenebitis illas, & Deus talẽ poſſeſſionem approbauit: illa. n. coram Deo eſſe, vel fieri dicuntur, quæ Deus approbat. Quæ autem mala ſunt coram Deo non ſunt, ſed abſcondita dicuntur. Sic habetur Pſ. 16. De abſconditis tuis impletus eſt venter eorum. Si aũt referatur ad ſecundum, ſc. ad verbum vultis, eſt ſenſus quod obtinerent illam terram, quam volebant coram domino. i. quã petebat coram eo, ſc. coram tabernaculo ad oſtium illius, nam ad hunc locum Moyſes conuenire ſolebat cum principibus ad aliquid expediendum. ſic patet ſupra cap. 10. Congregabitur ad te omnis turba ad oſtium tabernaculi fœderis: ſi ſemel clangueris venient ad te principes, & capita multitudinis Iſrael. Ideo quando Moyſes ſedebat ad iudicandum vel ad conſiliandum, ibi erat. Patet ſupra capitulo vigeſimo ſeptimo.

F

quando

quando venerunt ad eum filiæ Salphaad, & infra 36. cap. cum venerunt ad eum filii Manasse.

Sin autem quod dicitis non feceritis. Scilicet, nolendo transire Iordanem. Vel si transieritis, & redieritis ante bella expleta, & possessam terram.

Nulli dubium est, quin peccetis in Dominum. Quasi dicat, manifestum est, quod peccabitis, quia istud magnum nefas esset. Et dicitur, quod peccarent in Dominum, quia infringebant illius reuerentiam, cum fuisset pactum firmatum per diuinã reuerentiam. Nec solum peccabant contra Dominum, sed etiam cõtra Israel per violationẽ pacti interpositi: sic enim dixit supra, q̃ essent inculpabiles apud Deum, & Israel cum ista obseruarent: ergo culpabiles essent apud vtrumque, cum nihil seruarent, vel non plene de interposito pacto. Et dicitur hic, quod nulli dubiũ est, quin peccetis, quia peccatũ erat hic manifestum. Est autem istud peccatum ex tribus: primo, quia aliquis agit contra determinationẽ rationis, quæ est ius naturale: determinat enim ratio veritatẽ esse tenendã, ideo si aliquis infringit illam, etiamsi nihil alterum interpositum sit peccat, sicut in pacto nudo. Secundo isti peccabant, quia in damnum proximi resiliebãt à promisso volentes infringere obligationem existentem: erant enim isti obligati transire Iordanem cum aliis tribus ex pacto interposito, ideo si non seruarent peccabant contra proximos, quod non solum in foro animæ obligabat, sed etiam iure, & armis peti poterat. Tertio peccabant contra Deum, quia ista promissa fuerunt sub protestatione diuinæ reuerentiæ, quæ læderetur non obseruatis his.

Qũo peccabant tripliciter viri de duabus tribubus, & dimidia si enim obseruarent promissionem.

Et scitote quoniam peccatum vestrum apprehendet vos. Id est, pœna debita pro peccato vestro veniet super vos: non enim potest accipi hic peccatũ pro actu, quia ille cum fit, trãsit: ideo neminem apprehendit. Etiã nec pro culpa, quia illa non est ens positiuum, vnde neminẽ apprehendere potest, nec pro macula, nec pro reatu, quæ cõsequuntur ad delictũ, quia ista non sunt in nobis aliquid sensibile, sed accipitur peccatũ, id est, pœna, quæ est sensibilis, & dolorosa. Ista autem cõminatur Moyses duabus tribubus, & dimidiæ, quia si propter Dei reuerentiam non obseruarent pactum, saltẽ obseruarent metu pœnæ. *Aedificate ergo vrbes paruulis vestris.* Vidit Moyses, quod rectè dixerãt duæ tribus, & dimidia, sc. quod ædificarent vrbes pro filiis, & vxoribus, & caulas pro pecoribus, & tunc irent ad bellũ, ideo admonet, vt hæc faciant immediate, sc. vt postea habeant tempus transeundi Iordanem cum aliis tribubus. Et dicitur hic de paruulis non exprimendo vxores, quia subintelligũtur ipsæ, & tota alia familia. *Et caulas, & stabula ouibus, & iumentis.* Debet hoc intelligi reddendo singula singulis, scilicet, quod caulæ essent pro ouibus, & aliis pecoribus: stabula autem pro iumentis, in quibus ipsi nimis abundabant, vt patet supra. *Et quod polliciti estis implete.* Scilicet, transite armati ante fratres vestros ad terram Chanaan, & pugnate ibi pro eis, quia hoc promisistis. *Dixerunt filij Gad.* Hic ponitur acceptatio duarum tribuũ, & dimidiæ, scilicet, quod se facturos concesserunt id quod Moyses iubebat. *Serui tui sumus.* Ex facundia loquuntur, quia non erant serui illius, nec vasalli, tanquam alicuius domini temporalis, sed Deus statuerat eum principem, & rectorem totius populi. *Faciamus quod iubet dominus noster.* Id est, istud quod iubes est rationabile, ideo faciemus. Sed etiamsi non esset tam rationabile, quia tu iubes, qui es dominus noster, faceremus illud. *Paruulos nostros, & mulieres.* Scilicet relinquemo in terra ista. Quod intelligitur etiam de reliqua familia, & de viris senibus. Loquebantur autem hic duæ tribus, & dimidia, tanquam omnes viri de ipsis ituri essent ad pugnandum vltra Iordanem: nam licet ipsi scirent, quod non erant omnes ituri, quia tamen in potestate Moysi, & reliqui populi erat accipere de ipsis quotcunque vellent existimabant se velut omnes ituri essent.

Quomodo viri bellatores, qui dimiserunt vxores suas, tanto tempore fuerunt continentes, & an possent accipere vxores de virginibus Chananæorum illo tempore, quo manebant in bello, aut de filiabus nouem tribuum, & dimidiæ.

QVÆSTIO VI.

QVæret aliquis quomodo viri bellatores de duabus tribubus, & dimidia dimiserunt vxores suas tanto tempore, scilicet septem annis, quibus durauit bellum, & postea multo tempore, in quo facta est diuisio terræ, & incœpit pacifice possideri: quomodo enim viri illi, qui imperfecti erant, poterant tanto tempore continere? Aliquis respondebit, quod accipere poterant de virginibus terræ Chanaã in vxores, quia cum iuissent Israelitæ in bellum si in numero captiuarum appareret aliqua decora fœmina poterat accipi in vxorem à quocunque Iudæo factis cæremoniis, quæ habentur Deut. 21. ca. Sed non stat: quia non licebat aliquam de mulieribus Chananæorum accipere in vxorem, cum Deus nimis vetuisset. Exo. 34. cap. & Deut. 7. Nec solum hoc immo etiam in ancillas retinere non poterant Iudæi mulieres Chananæas, quia iussit Deus in terra Chanaan neminem permitti viuere siue malculum, siue fœminam, puerum, vel senem. Deut. ca. 20. Item nõ poterant Israelitæ commiscere mulieribus terræ Chanaan sine fœdere matrimonii, quia tunc veniisset super eos ira Dei, sicut factum est in fornicatione cum mulieribus Moab, & Madian. supra capit. 25. Si autem dicatur, quod nullam fœminam Gentilem, vel Hebræam isti accipiebant, sequebatur inconueniens, quia ex magna & diuturna continentia hominũ imperfectorum euenit interdum pollutio, & commixtio masculorum, vt ait Philosophus 2. Polit. cap. de politia Lacedæmoniorum, ideo arguit Arist. Lacedæmonios, quia bellatores à fœminis totaliter abstinere cogebant nolẽtes, quod aliqua fœmina esset in castris: ex quo inferre vult, quod licet in exercitibus, & castris bellicis multitudo fœminarum esse nõ debeat, ne castra totaliter per libidinem dissoluantur, nec tamen totaliter subtrahi debent fœminæ à castris, nevitium infandissimum subsequatur, maxime quando castra magno tẽpore durant. Forte aliquis probabiliter dicet, quod aliquanto elapso tempore aliqui de istis ad visitandum vxores reuertebantur. Sed arguetur, quia Iosue cap. 22. dicitur de pugnatoribus istarum duarum tribuum, & dimidiæ quando data est eis licentia, vt redirent, quod manserunt apud fratres suos, & nõ redierunt in tabernacula sua, nec reliquerũt fratres suos, vsq; in illum diem præsentem. Poterit aliquis respondere, quod non reliquerunt fratres suos toto illo tempore, scil. animo nõ redeundi ad illos, sed bene reliquerunt eos animo eundi, & velociter redeundi. Videbatur autem hoc posse fieri, quia Israelitæ non semper pugnabant contra Chananæos, sed factis aliquibus bellis redibant in castra Galgalæ, vt patet Iosue c. 9. 10. & 21. & ibi declaratum est, & interim poterant bellatores de duabus tribubus, & dimidia non simul, sed per vices suas venire ad visitandum vxores, & paruulos. Sed aliquis dicet nõ esse conueniens, quia tunc contingeret, quod Israelitæ irent ad bellum aliquando cum venissent bellatores istarum duarum tribuum, & dimidiæ in terram suam: ideo ista positio indifferens est. Aliquis forte dicet, quod isti viri poterant accipere alias vxores de filiabus nouem tribuum, & dimidiæ, quę erant in castris, & hoc licebat Iudæis qui simul poterant habere plures vxores, sicut patet de Abraham, qui duas habuit, & de Iacob, qui quatuor simul: potissimum, quia ad hoc suberat causa, quia periculum erat tanto tempore continere, & non poterant redire ad vxores, quas reliquerant in terram suam.

Sed ista positio non multum stat, quia tunc sequeretur id, quod prius isti volebant euitare, sc. quia volebant ire expediti ad bellum non habentes vxores, nec filios, nec possessa bona: nunc tamen si assumerent vxores, iam haberent filios, & vxores. Et sic non essent expediti, sed impediti, vt viri aliarum tribuum.

Aliter etiam quidam arguunt, scilicet quod sequeretur idẽ inconueniens in fœminis, quod volebamus euitare in viris, sc. quod ipsi per longam continentiam inducerentur ad adulterium. & hoc quamquam verum sit, tamen non tantum curandum est, sicut de viris, quia fęminæ magis coguntur continere quam viri, quia in eis turpius est, & damnabilius fornicari, quam in viro. Ideo si tenere velimus, quod isti viri bellatores nunquam redierunt ad vxores suas, quoque finita fuerunt bella, & diuisa fuit terra, vt videtur significari Iosue c. 22. dicendum, quod erant alia remedia, quæ quilibet imaginari potest pro continentia virorum, & illa non erant illicita secũdum statum Iudæorum. De hoc declaratum est Iosue c. 1. & 22.

Ac iumenta, & pecora relinquemus. Ista erant bona possessa ipsorum. Alia autem bona mobilia non exprimuntur, quia ista erant

A

erant quasi tota possessio eorum. *In vrbibus Galaad.* Non accipitur hic proprie terra Galaad, sed large pro tota terra duorũ regum Amorrhæorum, quam isti acceperãt, quod patet, quia non solum isti construxerunt ciuitates in tẽrra Galaad. sed ẽt extra, vbi reliquerunt familias suas, & pecora. Hoc apparet, quia vrbes Galaad dñr esse in circuitu montis Galaad, & istæ pertinuerunt solum ad tribum Gad, & dimidiam partem Manasses, quia fuit terra istius montis diuisa in duas medietates, sc. mons cum ciuitatib. quæ erant in circuitu illius. Deut. c. 3. & Iosue c. 14. Tribus ergo Ruben non fuscepit ibi aliquas ciuitates: ergo non fuerunt relicta pecora, & iumenta, & paruuli istarum tribuum in vrbibus Galaad solum, sed per totam terram duorum regum Amorrhæorum. Item patet, quia infra ponitur quas vrbes cõstruxerunt istæ duæ tribus, & dimidia ad relinquendum ibi res suas, & tñ ibi ponuntur quædam vrbes, quæ nullo modo pertinent ad terram Galaad, vt Esebõ Ataroth, Dibon, quia hñr Iosue c. 13. Sed dicendum, quod accipitur terra Galaad dupliciter: vno modo proprie pro terra, quæ est in circuitu montis Calaad, & sic accipitur Deut. c. 3. sc. quod terra Galaad diuisa est in duas medietates pro duab. tribubus, & Iosue 12. dicitur, quod rex Og possidebat medietatem montis Galaad, & rex Sehon aliam medietatem. Alio modo accipitur large pro tota terra duorum regum Amorrhæorum: sic accipitur Iosue c. 22. vbi principes totius multitudinis duarum tribuum, & dimidiæ vocantur principes terræ Galaad, & tota illa terra vocatur terra Calaad. Idem patet infra cum dixit Moyses principib. Israel, quod darent duabus tribub. & dimidiæ terram Galaad in possessionem, & subditur immediate qũo data est eis terra regis Sehon, & Og: ergo pro eodem accipitur ibi terra Galaad, & terra duorum regũ. *Nos autem famuli tui oẽs expediti pergemus ad bellum.* Sicut Moyses dixerat quod omnis vir bellator armatus transeat Iordanem, ita isti oẽs obtulerunt se ituros: sciebant tñ quod non irent oẽs, sed aliqui manerent ad custodiam terræ propter habitatorũ insidias. *Sicut tu domine loqueris.* Istud potest dupliciter legi: vno modo referendo ad illam particulam, sc. oẽs expediti. q. d. nos oẽs ibimus, sicut tu dñe dicis, quod oẽs armati transeamus. Alio modo potest referri ad totam clausulam, & ad omnia, quæ præcesserunt, sc. nos ibimus, sicut tu dñe loqueris, id est, sicut dixisti, quod iremus, & pugnaremus, & rediremus quousque terra subiiceretur fratrib. nostris: ita. n. faciemus. *Præcepit ergo Moyses.* Postquam consenserunt duæ tribus, & dimidia sentẽtiæ Moysi posuit ipse iudices executores pœnæ, si isti vellent infringere pactum, & hoc quia Moyses sciebat se moriturũ, cum Deus dixisset ei, quod non transiret Iordanem Deut. c. 3. & erexit Iosue, tanquam principem supra ca. 27. ideo non poterat ipse punire duas tribus, & dimidiam si desererent pactũ tollendo eis terram, posuit ergo iudices, qui hoc facerent. *Eleazaro sacerdoti, & Iosue filio Nun.* Istis duob. principaliter locutus est, quia isti fuerunt principes post mortem Moysi. Fuit enim Iosue, tanquam Moyses rector totius multitudinis. Eleazarus aũt erat sacerdos magnus. Etiam isti duo erãt principes diuisorum terræ, vt patet infra 34. c. & Ios. 14. ideo ad istos pertinebat executio post mortem Moysi. *Et principibus familiarum per tribus Israel.* Id est, etiam iussit hoc principib. totius Israel, qui vocantur principes familiarum eo, quod erant principes super omnes familias Israel. Põt autẽ intelligi hoc de 12. principibus 12. tribuum, qui vocantur principes familiaru m: non quod ipsi essent principes familiarum specialiter, quia principes familiarum erant minores principibus tribuum, cum in qualibet tribu sint multæ familiæ, sed sunt principes familiarũ, quia sunt principes totius Israel, & sic nulla familia erat extra potestatem eorũ. Dicitur aũt per trib. Israel, id est, quod isti principes erant diuisi per tribus, sc. quod in qualibet tribu erat vnus princeps. His aũt iubebatur, quod exequerentur ista, quæ habentur hic, quia cum ipsi essent principes totius populi possent mouere totum populum ad id, quod ipsi vellent. Alio modo põt intelligi hoc de 12. principibus assignatis in diuisores terræ Chanaan: nã de qualibet tribu fuit assignatus vnus diuisor, vt patet infra 34. c. vbi ponuntur nomina eorum, & super istos Iosue, & Eleazarus erant, tanquam principes. Isti aũt 12. assignati de tribub. Israel vocantur principes familiarum per trib. Israel, vt apparet Iosue 14. cap. quia etiamsi non essent isti principes tribuum, tñ inquantum erant diuisores terræ pro omnib. tribubus habebant principatum quendam super omnes familias, & tribus. Et dicuntur per tribus Israel, quia de qualibet tribu assignabatur vnus diuisor. *Si transierint filij Gad, & filij Ruben vobiscum.* Informabat enim Moyses istos qualiter punirent duas tribus, & dimidiam, si violarent pactum, & dicitur istos principes diuisores terræ, quia ad istos ordinarie pertinebat ista executio, cum ipsi essent iudices dati ad assignandum cuilibet tribui, & familiæ, quam possessionem habere deberet, ideo poterant eis tollere terram illam, quam habebant, & dare aliam, si non transirent cum cæteris. Et dicitur hic de filiis Gad, & Ruben, quia sub intelliguntur viri de dimidia tribu Manasse: nam non solum istis duabus tribubus fuit data terra illa, sed etiam dimidiæ tribui Manasse, vt patet infra in concessione Moysi. & cum dicitur: Si noluerint transire. non solum intelligitur de transitu: sed etiam si transirent, & redire vellent ante consummata bella, fieri debebat hoc: quia rransgrediebantur pactum. *Omnes armati ad bellum.* Non intelligitur vniuersaliter, quod omnes irent, quia multi manserunt, sed accipiuntur omnes pro multis. Vel dicitur oẽs armati, i. oẽs qu os vos determinaueritis, vt eant vobiscũ. *Corã domino.* i. si noluerit transire ad pugnandũ coram domino: erat ista pugna coram dño, i. coram angelo, qui præcedebat castra eisq; præsens erat, qñ pugnabant. lõ oẽs qui ibant in exercitu dicebantur ire coräillo, i. in præsentia illius. *Et vobis fuerit terra subiecta.* Id est, subieceritis vobis terram Chanaan, quę est vltra Iordanem nõ dicitur hoc sub conditione, tanquam intelligeret Moyses, quod posset subiici, vel non subiici cum sciret certissime subiiciendam esse: ideo non debet referri illa conditionalis si ad istam clausulam. Sed debet intelligi, & fuerit vobis terra subiecta, id est, quando fuerit terra subiecta facietis id, quod dicitur, scilicet. *Date eis Galaad in possessionem.* Id est, date terram Galaad. Accipitur hic Galaad large non solum pro terra, quæ erat in circuitu montis Galaad, sed etiam pro illa tota, quæ fuerat duorum regum Amorrhæorum, Quod patet, quia Moyses dedit istis immediate totam terram duorum regum Amorrhæorum, vt patet infra. *Sin autem noluerint transire vobiscum in terram Chanaan.* Non solum intelligitur si nollẽt transire, sed ẽt si quodcunq; refutarent, quod fuisset in pacto positum, s. si nollent adiuuare eos ad pugnã, vel si nollent manere cũ eis toto tempore bellorũ. Et dicitur in terrã Chanaan, quia terra, in qua nunc erant Israelitæ non erat terra Chanaã, sed duorũ regũ Amorrhæo. qui quãquã pertinerent ad genus Chananæorum: tñ terra eorum non fuit à principio de terra Chanaan, nec computatur cum illa, vt patet inf. 34. c. vbi principium partis orientalis terręChanaan est in Iordane. Patet ẽt Ge. c. 10. vbi ponitur terminus terræ Chanaan, qui fuit à prin. ex quo gens Chananæorum cœpit habitare in terra illa. *Inter vos habitandi accipiant loca.* i. non detis eis istã terram, quã ego dedi. sed facite, quod morentur inter vos, s. diuidite istã terrã, vt nõ cedat tota eis, & cõpellite illos, vt vadant ad bellũ, & accipiant partẽ terræ, vbi vos acceperitis. Vñ hoc mõ semper cogebantur duæ trib. & dimidia transire Iordanẽ ad pugnandũ, quia aut obseruarent pactũ, aut nõ: si primo mõ, cogerentur ex pacto transire: si nõ obseruarent, cogerent alii Israelitæ eos trãsire ad pugnandũ, vt sic acquirerent locũ, in quo habitarẽt. Si aũt totaliter nollent trãsire istæ duæ trib. & dimidia cũ aliis Israelitæ, eriperetur de manib. eorũ ista terra, quã possidebant & nulla alia eis daretur tanquã manerẽt extra gentẽ Israelitarũ *Responderunt filij Gad, & filij Ruben.* Intelligitur ẽt hic de dimidia tribu Manasse: acceptauerunt. n. istã sententiã Moysi, eo quod habebant intentionẽ cõplendi ea, quæ dicebantur. *Sicut locutꝰ est dominus seruis tuis: ita faciemus.* i. sicut Moyses, qui est domin9 noster dixit ita fiet. Quod põt intelligi dupliciter: vno mõ qm̃ ad pactũ superius positũ, i. nos faciemus, quod locutus ẽ Moyses. i. trãsibimus Iordanẽ cũ aliis tribub. & pugnabimus quousq; terra possessa sit ab Israel, & hoc dixit Moyses. Alio mõ, sicut locutus est dominus, ita faciemus. i. ita cõsentimus, quod transeat ista sentẽtia, sicut pronũciauit Moyses de dãdo nobis, vel auferendo terrã istã. *Ipsi armati pergemus.* Hic fit locutio nomine duarũ tribuũ, & dimidiæ, quasi oẽs, qui erãt in illis tribubus trãsituri essent Iordanẽ ad pugnãdũ, sed solũ trãsituri erãt quidã quos vellent nouẽ trib. & dimidia. *Corã domino.* i. coram arca fœderis, vel corã angelo præce. castra, vt supra expositũ ẽ. *In terra Chanaan.* s. vltra Iordanẽ, vbi incipit terra Chan. nã terra ista nõ pertinet ad region. Chananæ. *Et possessionẽ iã susceptã esse nos cõfitem. trãs Ior.* Repet. hic id, qpoterat inclin. cæte. Israe. ad

dandum

B

C

D

E

F

Galaad dupliciter accipitur.

A

dandum his facilius,& ſecurius terram Galaad,ſcilicet, quod ipſi nolebant aliquam poſſeſſionem in terra Chanaan,etiamſi proueniret eis aliquod ius ibi diuidendo terram in partem proportionalem, ſed dicunt: confitemur nos ſuſcepiſſe poſſeſſionem trans Iordanem,id eſt,totã poſſeſſionem,quam habituri eramus: vnde renunciamus iuri noſtro, ſiquid nobis competere poterat in terraChanaan,& dicitur poſſeſſionem, ſcilicet, totam, quia ſi intelligatur de parte nihil in hoc exprimebant,quod poſſet alios inclinare,ideo magis poterant diſſuadere, quia præſupponebant ſe adhuc aliquid habituros in terra Chanaan:hoc autem non conſentirent cæteri, quia tũc cum vellent habere æquale ius cum aliis, non permitterent eis electionem terræ huius,quæ erat paſcualis, ſed quælibet tribus ſimiliter eligere vellet:ideo abrenunciauerunt hic toti iuri, quod vltra competere poſſet, confitentes ſe ſuſcepiſſe poſſeſſionem, id eſt, totam poſſeſſionem,quæ eis danda erat.

Ioſu.22

Dedit itaque Moyſes filiis Gad, & Ruben & dimidiæ tribui Manaſſe filii Ioſeph regnum Sehon regis Amorrhæi, & regnum Og regis Baſan,& terram eorum cum vrbibus ſuis per circuitum. Igitur extruxerunt filij Gad,Dibon,&

B

Aſtaroth,& Aroer, & Etroth, & Sopham,& Iazer, Ieghaa, & Bethnemra, & Betharan vrbes munitas, & caulas pecoribus ſuis. Filij vero Ruben ædificauerunt Heſebon,& Eleale,& Cariatharim, & Nabo, & Baalmeon verſis nominibus Sabama quoque: imponentes vocabula vrbibus,quas extruxerant. Porro filii Machir,filii Manaſſe perrexerunt in Galaad, & vaſtauerunt eam interfecto Amorrhæo habitatore eius. Dedit ergo Moyſes terram Galaad Machir filio Manaſſe, qui habitauit in ea.

Gen.50.

Iair autem filius Manaſſe abiit, & occupauit vicos eius, quos appellauit Auothiair, id eſt, villas Iair. Nobe quoque perrexit, & apprehendit Canath cum viculis ſuis: vocauitq; eam ex nomine ſuo Nobe.

Petitorum cõceſſio p Moyſen duabus tribub.

Dedit itaque Moyſes. Hic ponitur quartum,ſcilicet petitorũ conceſſio.Dedit enim Moyſes terram illis,quam petierant,& fecit hoc Moyſes, quia ipſe erat Iudex,& rector totius multitudinis,ideo ad eum pertinebat diſtribuere bona communitatis,ſcilicet illam terram, quæ erat totius populi, & nulli adhuc data fuerat,& iſtam confeſſionem conditionalem,vel potius modalem, tanquam recte factam tota multitudo approbauit.

C

Filiis Gad. Hic exprimuntur duæ tribus,& dimidia,& ante hoc ſolum exprimebantur duæ tribus, quare autem factum fuerit in principio,c.declaratum eſt.'

Filii Ioſeph. Dicitur hoc de Manaſſe, qui fuit filius Ioſeph: habuit namque duos filios,ſcilicet Ephraim,& Manaſſe. Gen. 41.& 48. cap. Et diuiſa fuit progenies Ioſeph in duas tribus, quia Iacob pater Ioſeph dedit filiis eius ius duarum ſortium dicens.Duo filii tui Manaſſes,& Ephraim quos genuiſti,antequam venirem ad te, ſicut Ruben, & Simeon reputabuntur mihi Gen.48.cap.tribus autem Manaſſe diuiſa eſt in duas medietates,& vna accepit poſſeſſionem ante Iordanem, & altera trans Iordanem.

Regnum Sehon regis Amorrhæorum,& regnum Og regis Baſan. Id eſt, iſta terra duorum regum totaliter pertineat ad poſſeſſionem duarum tribuum,& dimidiæ. Hanc enim ſolam acceperant Iudæi de manu hoſtium: ideo hæc ſola conceſſa eſt eis: vocatur autem Sehon rex Amorrhæorum: non quod ipſe ſolus eſſet rex Amorrhæorum, quia etiam Og erat rex Amorrhæorum cum ambo vocentur reges Amorrhæi Deuterono. cap.3.& Ioſue.cap.2.ſed quia nominatur hic Og rex Baſan poſitum fuit nomen regni Amorrhæorum ſoli Sehon.Vocatur autem Og rex Baſan,quia Baſan eſt nomen cuiuſdam terræ in regno Og, & continet 60. vrbes munitas Deuteronom.3.& Ioſue.cap.13. Eſt autem hæc Metropolis regni Og, quia ipſe erat de gigantibus,qui vocantur Raphaim Ioſu. 12. & 13.cap. & hoc, quia ipſe ſolus reſtiterat de ſtirpe gigantum, vt patet Deut.c.3.In terra autem Baſan habitauerunt olim gigantes,vt patet Deut.c.3.cum dicitur: Cuncta Baſan olim terra gigantũ reputata eſt.*Terra eorum cum vrbibus ſuis per circuitum.* Id eſt,dedit Moyſes iſtis duabus tribubus , & dimidiæ totam terram, quæ fuerat duorum regum Amorrhæorum,& vrbes, quæ erant in terra illa per circuitum,id eſt,in toto circuitu,quo extendebatur regnum iſtorum regum.*Igitur extruxerunt filij Gad Dibon.* Dicebatur ſupra, quod iſtæ duæ tribus,& dimidia reſponderant ſe velle conſtruere ciuitates pro vxoribus ſuis, & facere caulas pro pecoribus,&tunc irent ad bellum,nunc ponuntur ciuitates, quas quælibet tribus earum extruxit pro paruulis ſuis.

D

An filii Gad reſtaurauerunt vrbes,vel illas de nouo conſtruxerunt.

QVÆSTIO VII.

E

ET dicitur, quod extruxerunt, id eſt, reſtauraueruntː non enim poteſt poni pro nouiter conſtruere, tanquam fuiſſent vrbes iſtæ, quas conſtruxerunt, ſed fuerunt iſtæ prius vrbes Amorrhæorum,ſed in bello aliqualiter fuerant dirutæ, ideo ad hoc, quod eſſent ibi ſecuri paruuli Iudæorum refeceruntillas,quod eſt reſtaurare:quod patet, quia hic ponuntur multæ vrbes, quas dicuntur extruxiſſe iſtæ duæ tribus, & dimidia: tamen ipiæ non poterant in tam paruo tempore illas conſtruere, immo nec vnam,aut mediam illarum, quod patet, quia non fuit ſpatium quinque menſium in iſta conſtructione,quod apparet, quia facta eſt iſta conſtructio anno 40. ab exitu de Aegypto,quia in illo capta eſt terra regum Amorrhæorum. Fuit autem in principio quinti menſis,anni huius mortuus Aaron,vt patet ſequent. cap. & fleuerunt eum omnes Iſraelitæ menſe vno,vt patet ſupra,capit. 20.ſcilicet vſque ad principium menſis ſexti, & ſic manebant ex eo tempore ſex menſes ſolum,vſque ad introitum in terram Chanaan:ſed poſt planctum illum circuierunt Iſraelitæ montes terræ Edom,quia noluit rex Edom dare tranſitum illis. Et iſte circuitus fuit per multos dies Deuter. cap. 2.circuiuimus montem Seir longo tempore. Quod apparet,quia in circuitu iſto dicitur,quod cœpit populum tædere itineris, & laboris, ſupra capit. 21.poſt hoc etiam pugnato contra regem Chananæum Arad tranſierunt ad terram duorum regum Amorrhæorum, vbi pugnauerunt, & obtinuerunt illam. ergo ad minus eſſet iſtud tempus menſis,& dimidii, vel quaſi duorum menſium, & ſic vſque ad menſem 8.anni eiuſdem hoc duraret:vnde manerent ſolum quatuor menſes,poſt quos fuit tranſitus Iordanis ad terram Chanaan: ergo iſtud tempus ſolum habuerunt duæ tribus,& dimidia ad conſtruendum ciuitates:ſed manifeſtũ eſt, quod in tam paruo tempore nulla ciuitas quantumcũque parua à fundamentis conſtrui poterat:ergo non conſtruxerunt nouiter vrbes,ſed reſtauraueruntaliquid, quod diruptum erat:& iſta reſtauratio non fuit magna.Item patet,quod non fuerit à principio conſtructio, quia iſtud eſſet, ſi in terra regum Amorrhæorum non fuiſſent aliquæ vrbes, & Iudæi cogerentur facere noua habitacula:tamen fuerunt vrbes plurimæ,vt apparet Deuteronom. cap. 2. & 3. & Iudæi illas ceperunt: ergo nullo modo videtur quod ipſi à principio eas conſtruxerunt: & apparet hic cum dicitur, quod Moyſes dedit duabus tribubus, & dimidiæ terram duorum regum Amorrhæorum cum vrbibus ſuis per circuitum: ergo vrbes erant in terra illa.Item patet,quia ſi aliquæ vrbes ponuntur hic fuiſſe conſtructæ,quæ tamen ante hoc erant vrbes, ſicut patet de Ataroth,quæ fuit vrbs,in qua regnabat rex Og,vt patet Ioſue capit.12.& 13. Item de Eſebon,quæ fuerat primo ciuitas regni Moab, & accepit eam rex Sehon de manu Moab. Idem fere de omnibus vrbibus, quæ habentur hic, quia de eis refertur partim,ſupra 21.c.& Deuteronom. capit. 2. & 3.quod fuerint duorum regum Amorrhæorum. Item patet,quia ſupra dicitur in litera,quod duæ tribus,& dimidia viderunt Ataroth,& Dibon&c.eſſe vrbes aptas alendis animalibus:& propter hoc deſiderauerunt,& petierunt terram illam.& tamen ibi nominantur fere omnes ciuitates,quæ habentur hic: ergo iſtæ iam fuerant conſtructæ.Item patet,quia dicitur infra,quod Iſraelitæ, quando conſtruxerunt ciuitates iſtas verterunt nomina eorum appellantes eas nominibus aliis:ſi autem ciuitates iſtę nouiter conſtruerentur ante hoc nihil præfuiſſet de eis: vnde nec habuiſſent nomina , nec potuiſſent mutari, ſed mutata fuerunt:ergo iam erant vrbes:non ergo conſtruxerunt Iſraelitæ à principio,ſed dirutas reſtauraueruntː & forte fuit ma-

A

gis ista restauratio in domibus, quam in muris vrbium: nec est mirandum, quod habuerint tam paruum tempus, scilicet quatuor mensium ad plus, vel fere quinque ad restaurationem istarum vrbium, quia non oportebat, quod viri bellatores, qui transituri erant Iordanem antequam transirent, restaurarent: nam manebant multi de viris bellatoribus in terra illa valde plures, quam irent ad bellum, vt supra probatum fuit. & illi poterant restaurare paulisper quidquid corruisset, etiamsi alii pugnatores transissent Iordanem. Nicolaus autem videtur velle, quod ista fuit totalis restauratio, non quidem ciuitatum, nunquam existentium, sed ciuitatum penitus destructarum. Dicit enim, quod filii Israel à principio non putabant, quod in terra illa duorum regum Amorrhæorum habituri essent, ideo destruxerunt penitus ciuitates. Postea autem scientes, quod ibi habituri essent reædificauerunt illas, quasi à fundamentis. Sed hoc falsum est, quia Deuterono. capit. 2. dicitur ad Moysen. Incipe possidere terram regis Sehon, & hoc dicitur antequam pugnaret contra illam: ergo à principio sciebat, quod terram illam possessurus erat Israel, & consequenter non destrueret illam. Item patet, quia istæ duæ tribus, & dimidia petiuerunt ad habitandum vrbes, quæ nominantur supra in litera: si tamen illæ essent penitus destructę nihil magis eas peterent, quam partem quamcunque regni non determinantes aliquam vrbem: ideo dicendum est, vt prius. Ponuntur autem hic primo ciuitates, quas extruxerunt filii Gad pro familiis suis, quarum prima est Dibon. Sed sciendum, quod ista vrbs non fuit in sorte Gad, sed in sorte Ruben, vt patet Iosue. capitul. 13. vbi ponitur diuisio istorum duorum regnorum inter duas tribus, & dimidiam. Erat autem ista ciuitas Dibon pertinens ad regnum Sehon, & ista toli n fuit de terra Moab. Capta fuit autem à rege Sehon, de quo mnuitur supra capit. 12. Aliqui autem volunt istam esse ciuitatem, quæ habetur sequent. capitu. & ponitur tanquam mansio, cum dicitur. Dibongad, id est, ciuitas Dibon, quæ erat de terra Gad. Dicendum est, quod ista terra fuit diuisa per Moysen duabus tribubus, & dimidiæ iuxta formam, quæ habetur Iosue. capit. 13. & ibi non fuerunt datæ istæ ciuitates, quæ habentur hic istis tribubus, sed quędam sunt è contrario, scilicet aliquæ ponuntur in tribu Cad, quæ datæ fuerunt tribui Ruben, vel dimidiæ tribui Manasse, & è conuerso, vt patet de ista prima vrbe Dibon, & de quibusdam aliis infra patebit. Nunc tamen quando transituri fuerunt pugnatores de his duabus tribubus, & dimidia in terram Chanaan ædificauerunt, siue restauerunt vrbes, & quia terra erat valde magna pro eis, qui tunc pauci erant, non curauerunt habitare distincti per vrbes suas, sicut acceperant: sed construxerunt ciuitates illas, quæ facilius poterant reparari, quia minus dirutæ fuerant: & in quibus tutius poterant conseruari res eorum: & non fuerunt omnes vrbes eorum tunc onstructæ, sed illæ, quæ erant magis principales, & pro tunc necessariæ, ideo non curauerunt, quod quælibet tribus construeret vrbes terræ suæ: sed si in aliqua sorte plures vrbes facilius restaurabiles erant, & melius defensabiles, quam in aliis sortibus, omnes duæ tribus, & dimidia accipiebant tunc de illis vrbibus: & sic tribus Gad aliquid accepit de vrbibus Ruben, & dimidiæ tribus Manasse, & è conuerso. Postquam tamen redierunt pugnatores de terra Chanaan, & augmentata fuit multitudo istarum duarum tribuum & dimidiæ, cœpit quælibet tribus habitare in vrbibus suis. *Et Ataroth.* Ista ciuitas non erat de sorte Gad, sed de sorte dimidiæ tribus Manasse, vt patet Iosue c. 13. sed construxit eam pro nunc tribus Gad. Fuit autem ista ciuitas principalissima in regno Og regis Amorrhæi: vnde dicebatur ipse regnare in Ataroth Iosue 12. & 13. erat autem causa huius, quia Ataroth erat caput terræ Basan, quæ fuit olim terra gigantum Deut. cap. 3. & in ea habuerunt caput domini sui gigantes: vnde in ipsa fuerunt olim expugnati à regibus, qui veniebant cum Chodorlaomor. De quo Gen. ca. 14. scil. Percusserunt Raphaim, id est, gigantes in Ataroth carnaim. Og autem rex erat de stirpe Raphaim Deu. cap. 3. & Iosue 12. ideo volunt in Ataroth habere principium regni sui.

Et Aroer. Ista est alia ciuitas, quam nunc restauerunt filii Gad: & ista est vna extremitas in regno duorum Amorrhæorum: est enim in principio partis orientalis regnorum illorum: Vnde quando ponuntur extrema regnorum duorum dicitur ab Aroer, vsque Galaad, quia Aroer est ibi principium orientale. Sic patet Deuteronom. cap. 2. & similiter Deutero. capitulo tertio, ponitur Aroer, tanquam principium orientale, & mons Hermon, tanquam occidentalis terminus: simile habetur Iosue, capit. 12. & 13. De ista ciuitate non tantum patet sicut de cæteris, cui tribui prouenerit, quia Iosue capit. 13. dicitur, quod possessio tribus Ruben incœpit ab Aroer, quæ est super torrentem Arnon, & de sorte Gad eodem modo dicitur. Vnde necesse est ponere, quod sit Aroer in confinibus sortis Gad, & Ruben, pertinet tamen ad tribum Ruben, vt aliqualiter apparet Iosue c. 15.

Et Etroth. Ista est alia ciuitas, quam construxerunt filii Gad, quæ postea non reperitur in diuisione istarum sortium Iosue c. 13. & hoc quia multæ vrbes subticentur, vel aliquarum nomina mutata sunt.

Et Sophan. Ista ciuitas pertinuit ad tribum Gad, vt patet Iosue capit. 13. & aliquando vocatur Saphon, vt patet eod. capit. sed in hoc non differt: quia scriptores nostri non multum curantes de proprietate nominum hebræorum interdum litteras mutant. & corrumpunt.

Et Iazer. Ista ciuitas videtur esse de regno Og: nam quando Iudæi iuerunt ad explorãdum illam, exiit rex Og in occursum illis pugnaturus, vt patet supra c. 21. sed non videtur, quod faceret, nisi esset illa ciuitas sua. Ista ciuitas videtur fuisse multũ pascualis: vnde cum supra exprimeretur causa, quare duæ tribus, & dimidia petierint terram istam duorum regum Amorrhæorum exprimitur sola ciuitas Iazer, & terra Galaad, vt patet in principio.

Iegbaa. Ista est alia ciuitas, cuius nomen non habetur in diuisione sortium Iosue cap. 13. propter aliquam de duabus causis supra expressis. Alia autem est ciuitas, quæ sic vocatur, scilicet Azecha, sed ista est in terra Chanaan apud vrbem Bethoron. & vsque ad hanc pluit dominus lapides magnos grandinis de cœlo super Chananæos, cum persequeretur eos Iosue, capit. 10. Est autem illa ciuitas in sorte Iudæ, vt patet Iosue. ca. 15. sed differt ab ista cum illa sit in terra Chanaan, & ista in terra duorum regum Amorrhæorum.

Bethnemra. Ista est ciuitas, quam construxerunt filii Gad, & pertinuit ad sortem eorum. Iosue c. 13. cum omnibus supra dictis, quæ non reperiuntur in aliis sortibus,

Et Betharam. Ista est alia ciuitas in eadem tribu Iosue cap. 13. multæ autem aliæ vrbes erant in ista tribu, sed non exprimuntur hic omnes, vt patet Iosue cap 13. Causa est, quia non curauit hic scriptura exprimere omnes ciuitates istarum tribuũ, sed solum illas, quas nunc restauerant ad habitationem: sed non restauerunt omnes, quia erant nunc paruus populus duæ tribus, & dimidia, ideo non fuerunt omnes ciuitates descriptæ.

Vrbes munitas. Id est, omnes istæ vrbes, quæ hic nominantur, erant munitæ ad differentiam aliorum locorum non habentium muros: & in hoc patet, quod istæ ciuitates non fuerant nouiter constructæ à Iudæis, quia dicitur, quod erant vrbes munitæ, sed solum eas restauerant.

Et caulas pecoribus suis. Id est, etiam extruxerunt ouilia pro pecoribus. Vocantur autem caulæ proprie ouilia, quæ fiunt in campis ad receptandum ibi pecora. *Filii vero Ruben.*

Ciuitates restauratæ per filios Ruben.

QVÆSTIO VIII.

HIc ponuntur vrbes, quas restauerant filii Ruben pro paruulis, & vxoribus, cum transierunt Iordanem. *Esebon.* Ista ciuitas fuit principalis toto regno regis Sehon, quam cœpit de manu Madianitarum, supra capit. 21. & recidit in sortem Ruben, vt patet Iosue capit. 13. *Et Eleale.* Ista est alia ciuitas pertinens ad tribum Ruben, quam supra petierunt duæ tribus, & dimidia in litera, & non habetur in diuisione sortium Iosue capit. 13. scilicet, quia subticuit illam scriptura, vel mutatum est nomen eius. *Et Cariathaim.* Ista quoque est ciuitas in tribu Ruben, vt patet Iosue capit. 13. Aliqui autem scribunt eam Cariathiarim, sed corruptum nomen est, quia Cariathiarim est ciuitas, quæ alio nomine vocatur vrbs Iyuarum, & est in terra Chanaan in sorte Iudæ, vt patet Iosue capit. 15. *Et Bame.* Ista ciuitas est in sorte Ruben, & vocatur Hamath Baal, Iosue capitulo 13. quia Baal videtur esse quædam adiectio.

alius

Nic. opẽ refellitur.

B *Prima ciuitas reparata per filios Gad est Dibõ*

C

D

E

F

aliis namque vrbibus ibi additur. *Et Bameon.* Ista ciuitas vocatur Baalmaon. Iosue capit. 13. & pertinet ad tribum Ruben, vt ibi patet. *Sabama.* Ista est etiam ciuitas tribus Ruben, vt patet Iosue cap. 13. & vocatur supra Sabam. *Versis nominibus ponentes vocabula vrbibus quas extruxerant.* i. istæ vrbes vocabantur sic à principio, cum essent in potestate Amorrhæorum: Iudæi autem accipientes illas imposuerunt alia nomina iuxta conditionem linguæ suæ, sed quæ fuerint ista nomina non apparet: nam rursus cum de istis ciuitatibus agatur Iosue ca. 13. omnes fere nominantur his nominibus, quæ habentur hic. Quod tamē fuerit sacra mutatio apparet, quia infra dicitur de quodam viro nomine Nobe, qui cepit vrbem Canath, & vocauit eam ex nomine suo Nobe. Idem patet de Iair, qui occupauit vicos Galaad, & vocauit eos nomine suo Auothiair, id est villas Iair. Causa autem huius mutationis fuit, quia ista nomina Chananæorum non bene sonabāt in labiis hebræorum, ideo imposuerunt alia nomina in lingua sua. Vel, vt alii dicunt, q̄dam vrbes harum erant nominatæ ex nominibus idolorum, ideo mutata sunt nomina, vt non sonarent nomina idolorum per labia hebræorum, sic enim iusserat Deus. Exod. ca. 23. Per nomen externorum Deorum non iurabitis, nec audietur ex ore vestro. Aliqua autem nomina harum vrbium videbantur esse ab idolis deriuata, vt Bamoth Baal, & Baalmaon, quæ deriuantur de Baal, quod est nomen idoli, de quibus Iosue ca. 13. vel forte fuit mutatio ista, vt nomina hebræorum, qui tunc vincebant, imponerentur his vrbibus ad memoriam posterorum sic patet de Nobe, & Auothiair. De quibus in litera. *Porro filij Machir.*

Quære Iudæi mutauerunt nomia ciuitatū terra duorum regum.

Ciuitates restauratæ per dimidiam tribum Manasse.

QVÆSTIO IX.

HIc ponuntur vrbes, quas construxerunt viri de dimidia tribu Manasse, & dicuntur filii Machir, quia iste fuit filius Manasse, & per eum deriuata est tota stirps Manasse, quātum ad omnes familias. *Filij Manasse.* Hunc solum habuit Manasses in filium, nec vnquam legitur alium habuisse, vt declaratum est supra c. 26.

Perrexerunt in Galaad. Dicitur hic de filiis Machir, quod pugnauerint contra Galaad, quod non est intelligendum de omnibus filiis Machir, quia Manasses solum legitur habuisse Machir, & dato quod habuisset aliquem alium per illum non deriuata fuit aliqua posteritas Manasse, vt patet supra capi. 26. vbi ponuntur omnes familiæ tribus Manasse deriuatæ à Machir. Si ergo filii Machir pugnauissent contra Galaad tota tribus Manasse pugnabat, tamen non pugnauit tota, sed medietas, & medietati data est hic sors, vt patet supra. Reliqua autē medietas accepit sortem in terra Chanaan, vt patet Iosue ca. 17. & dicitur, quod abierunt in Galaad, id est in totam terram, quæ coniuncta est monti Galaad: medietas enim huius terrę pertinebat ad regem Og, & medietas ad Sehon, vt patet Deuter. c. 3. & Iosue 12.

Et vastauerunt eam. s. non loca, sed habitatores, quia cū mansuri essent ibi Israelitæ reseruabant loca quantum poterant non incendentes ea, nec diruentes, nisi quantum necesse erat ad subuersionem hostium se tuentium in locis.

Interfecto Amorrhæo habitatore eius. i. ista vastatio fuit, quia destruxerunt Amorrhæos, qui habitabant ibi, scil. nullum eorū relinquentes ad vitam, quia iusserat dominus de Chananæis Amorrhæis, cæterisq; populis, quorum terram accepturi essent Iudæi, quod nullum omnino viuere permitterēt masculum, aut fœminam Deut. 20. ca. & dicitur, q̄ erat Amorrhæus habitator, quia tota ista terra erat duorū regum Amorrhæorum. Et sic populi eorum erant Amorrhæi.

Quare Machir non poterat viuere tēpore quo capta est terra Galaad

Dedit ergo Moyses terram Galaad Machir filio Manasse. Ad Moysen pertinebat dare terram istam, cum esset princeps populi, & ista fuit data dimidiæ tribui Manasse. Dicitur autem terra Galaad: nō quidem tota, sed medietas eius: nam alia medietas data est tribui Gad. vt patet Deuter. c. 3. & magis Iosue 13. hoc autem, quia terra Galaad erat diuisa in duas partes, & vna pertinebat ad regem Og, & alia ad regem Sehon, vt patet Iosue cap. 12. & dicitur, quod data est ista terra Machir, id est filiis, vel nepotibus Machir, quoniam Machir non erat tunc viuus, sed eius posteritas, qua manente dicitur manere pater. Si autem diceremus, quod Machir esset tunc viuus, esset ad minus 240. annorum, vel quasi, ad quam ætatem nullus homo illius temporis attingebat. Quod patet, quia 215. anni transierunt ex tempore, quo ingressus est Iacob in Aegyptum, vsq; ad tēpus exitus, vt probatum fuit Gen. 15. c. & Exo. c. 1. & 12. Ioseph autem vixit annis 110. vt patet Gen. ca. vlt. à quibus subtractis 30. annis quos habebat, quando sterit interpretās somnia coram Pharaone, vt patet Gen. 41. c. & 7. annis fertilitatis proximo seq. & duobus annis sterilitatis, ante quos nōdum descēderat Iacob in Aegyptum, vt patet Gen. 45. c. manebunt anni 71. quib. vixit Ioseph post descēsum patris sui Iacob in Aegyptum. Manēt ergo post mortem Ioseph vsq; ad exitum Israelitarum de Aegypto 144. anni demendo 71. de 215. quib. si addantur 40. anni, qui fluxerunt ab exitu de Aegypto, vsq; ad tēpus, in quo Moyses istam terram diuisit, erat 184. & si addantur ad minus anni 25. quos haberet Machir, quando mortuus est Ioseph erunt anni 209. plures tamen debent addi: quoniā Ioseph tenuit filios Machir in genibus suis, antequam moreretur, vt patet Gene. ca. vlt. cum tamen iste filios gigneret potissimum, quia significantur, multi essent annorum 30. vel plurium, aut 25. secundum modum generandi, & accipiendi vxores in illo tempore, & sic si Machir esset viuens illo tempore ad minus esset annorum 210. & amplius. Sed ad istam ętatem nullus homo illius temporis accessit. Item nō solum Machir non introiuit in terram istam duorum regum Amorrhæorūt imo non exiuit de Aegypto, sed mortuus est multo tempore ante. s. antequam inciperent persecutiones Israelitarū in Aegypto. Quod patet Exo. c. 1. s. quod postquam Ioseph mortuꝰ est, & omnes fratres sui, & tota cognatio sua. s. quę nata est tēpore suo filii Israel incœperūt multiplicari: ergo Machir, qui erat de illis, qui nati sunt tempore Ioseph, mortuꝰ fuerat, antequam inciperet illa tribulatio.

Qui habitauit in ea. i. Machir habitauit in terra Galaad, quod intelligitur de posteritate eius: nam ipse non iuit illuc, vt dictum est.

Iair autem filius Manasse. Nō est iste filius Manasse, id est, immediate genitus à Manasse, sed est filius eius, id est de stirpe illius, & sic omnes descendentes ab aliquo dicuntur esse filii illius: vnde Elisabeth mater beati Ioannis vocatur filia Aaron Luc. c. 1. & tamē ipse distabat plusquam per 20. generationes ab Aaron, & Christus dicitur filius Abrahæ. Mat. c. 1. & tamen non est immediate filius Abrahæ, quia sunt 42. generationes ab Abraham, vsq; ad Christum, vt patet præallegat. cap. Item hoc apparet, quia Iair erat nunc viuens, quādo diuisa fuit ista terra Galaad, & ipse pugnauit contra quosdam Galaaditas, & accepit loca eorum, si tñ fuisset filius Manasse ad minus esset annorum 210. vel 220. sicut probatū fuit supr. de Machir, q̄ erat filius Manasse, & non potuit attingere ad tempus istud.

Abijt & occupauit vicos eius. i. vicos terræ Galaad. Dicuntur vici loca non munita, & ista potuit faciliter occupare Iair, & nominata sunt ex eo.

Quos appellauit Auothiair. i. villas Iair. Istud ponitur ad laudē, & memoriam huius, s. quod nomē suum maneret in locis ab eo captis in æternum, sic patet Deut. c. 3.

Nobe quoq; perrexit, & apprehendit Canath cum viculis suis. De isto Nobe non dicitur, de qua tribu fuerit, sed satis apparet, q̄ fuerit de dimidia tribu Manasse cum terra Galaad dicatur cedisse huic tribui, ipse autē pugnauit contra vrbem nomine Canath, quæ est in terra Galaad, & occupauit eam, & viculos eius. s. rura non murata, quæ erant in circuitu illius.

Vocauitque eam ex nomine suo Nobe. Id est, imposuit nomen vrbi, quæ prius vocabatur Canath. De viculis autē, quos apprehendit non curauit imponere illis nomen, quia honorabilius seruabatur nomen suum in vrbe illa, quā in viculis. Iair autem imposuit nomen suū viculis, quia nihil præter quosdā viculos Galaad occupauit. Ista autem ciuitas Nobe est illa, ad quam venit Dauid ad sacerdotem Achimelech, & erat ibi sanctuarium de qua 1. Regum 21. Hanc autem vrbem postea deleuit Saul à sene, vsq; ad puerum occidēs in ore gladii, tam viros, quā fœminas, boues, & oues, & omnia animantia. & hoc quia transierat Dauid per vrbem illam, & viri illius dederunt ei panes, & gladium. 1. Reg. ca. 22.

A

Pulchra moralitas de ſtatu Eccleſiaſticorum ſuper tribus duas, & dimidia.

QVÆSTIO X.

QVamquam autem intentionis noſtræ non ſit in hoc opere allegoriis inſiſtere literali ſenſu cõtenti potiſſime cum hoc ad alia tempora differamus: poteſt tamen hic breuis aſſignari moralitas de iſtis tribubus petentibus, & accipientibus terram. Ruben enim Gad, & Manaſſe tres eccleſiaſticos ſtatus adnotant. Ruben enim, quiviſio, vel videns dicitur, vel filius viſionis prælatorum gradum notat, qui aliorum vitam ſpeculantur: vnde epiſcopi dicuntur, quia aliis ſuperintendunt, & dicuntur ſpeculatores domus Iſrael, Gad etiam qui fortiſſimus armis eſt, quia verticem cum brachio ſcindit, vt patet Deuteron. cap. 33. principes notat. Manaſſe, qui obliuio dicitur ſignat religioſos, qui caduca, & fluxa mundi blandimenta contemnentes mundo, & pompis eius abrenunciauerunt: vnde dicitur eis: Obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui. Pſal. 44. Iſtæ enim tribus, quamquam ad terram promiſſionis tendant, tamen citra Iordanem manent, quia maximus numerus trium ſtatuum eccleſiaſticorum volentium terram lacte, & melle manantem. ſ. ſpiritualem Ieruſalem adire circa Iordanis fluenta moratur, quia fluxibilia bona iſti, nunquam tranſcendũt, qui miræ magnitudinis, & pulchritudinis palatia ad inanem gloriam conſtruunt, vt vocentur nomina eorum in terris ſuis. Pſalm. 48. ſicut illæ carnales tribus vrbes munitiſſimas cõſtruxerunt, caulas etiam ouium ad guſtus varias in cibis delectationes extruunt. Stabula iumentorum ad varia exercitiorum glorioſa ſtudia inquirunt. Hi ſi aliquando ad terram promiſſionis ad proximorum ſubiectorum victoriam tranſeant aliquid de vita æterna docẽdo, & commonendo, ſed cum alios introduxerint ipſi citra Iordanem regrediuntur in fluxis operationib. manentes, & ad terram promiſſionis. ſ. cœleſtem Ieruſalem, vt ibi morentur, nunquam euntes.

B

CAPVT XXXIII.

Mãſiones filiorum Iſrael poſt egreſſum de Aegypto.

HAe ſunt manſiones filiorum Iſrael, qui egreſſi ſunt de Aegypto per turmas ſuas in manu Moyſi, & Aarõ, quas deſcripſit Moyſes iuxta caſtrorum loca, quæ Domini iuſſione mutabant. Profecti igitur de Rameſſe menſe primo, 15. die menſis primi, altera die Phaſe filij Iſrael in manu excelſa videntib. cunctis Aegyptiis, & ſepelientibus primogenitos, quos percuſſerat dominus: nam & in diis eorum exercuerat vltionem, caſtrametati ſunt in Soccoth. Et de Socchot venerũt in Etham, quæ eſt in extremis finibus ſolitudinis. Inde egreſſi venerunt contra Phiairoth, quæ reſpicit Beelſephõ, & caſtrametati ſunt ante Magdalum. Profectiq; de Phiairoth, tranſierunt per medium mare in ſolitudinẽ, & ambulantes tribus diebus per deſertum Etham caſtrametati ſunt in Mara. Profectiq; de Mara: venerunt in Elim, vbi erant duodecim fontes aquarum, & palmæ 70. ibique caſtrametati ſunt. Sed & inde egreſſi, fixerunt tentoria ſuper mare rubrum. Profectiq; de mari rubro, caſtrametati ſunt in deſerto Syn. Vnde egreſſi venerunt in Daphca. Profectiq; de Daphca, caſtrametati ſunt in Alus. Egreſſiq; de Alus, in Raphidim fixere tentoria, vbi populo defuit aqua ad bibendum. Profectiq; de Raphidim, caſtrametati ſunt in deſerto Synai. Sed & de ſolitudine Synai egreſſi venerunt ad ſepulchra concupiſcentiæ. Profectique de ſepulchris concupiſcentiæ, caſtrametati ſunt in Haſeroth. Et de Haſeroth venerunt in Rethma. Profectiq; de Rethma, caſtrametati ſunt in Remonphares. Vnde egreſſi venerunt in Lebna. De Lebna caſtrametati ſunt in Reſſa. Egreſſique de Reſſa, venerunt in Ceeletha. Vnde profecti caſtrameta

C

Exo. 15.

ti ſunt in monte Sepher. Egreſſi de monte Sepher, venerũt in Arada. Inde proficiſcentes, caſtrametati ſunt in Maceloth. Profectiq; de Maceloth, venerũt in Taath. De Taath caſtrametati ſunt in Thare. Vnde egreſſi, fixere tentoria in Methca. Et de Methca caſtrametati ſunt in Heſmona. Profectique de Heſmona, venerunt in Moſeroth. Et de Moſeroth caſtrametati ſunt in Baneiachan. Profectique de Baneiachan venerunt in montem Gadgad. Vnde profecti, caſtrametati ſunt in Iethebatha, & de Iethebatha venerunt in Hebrona. Egreſſiq; de Hebrona, caſtrametati ſunt in Aſiongaber. Inde profecti venerunt in deſertum Syn. Hæc eſt Cades. Egreſſique de Cades caſtrametati ſunt in montem Hor in extremis finibus terræ Edom. Aſcenditq; Aaron ſacerdos in montem Hor iubente domino, & ibi mortuus eſt anno quadrageſimo egreſſionis filiorum Iſrael ex Aegypto menſe quinto, primo die menſis, cum eſſet annorum centum viginti trium. Audiuitque Chananæus rex Arad, qui habitabat ad meridiem in terra Chanaan, veniſſe filios Iſrael. Et profecti de monte Hor caſtrametati ſunt in Salmona. Vnde egreſſi venerunt in Phunon. Profectique de Phunon caſtrametati ſunt in Oboth, Et de Oboth venerunt in Ieabarim, quæ eſt in finibus Moabitarum. Profectique de Ieabarim, fixere tentoria in Dibongad. Vnde egreſſi, caſtrametati ſunt in Elmõdeblathaim. Egreſſique de Elmondeblathaim venerunt ad montes Abarim contra Nabo. Profectique de montibus Abarim, tranſierunt ad campeſtria Moab ſupra Iordanem contra Iericho. Ibiq; caſtrametati ſunt de Bethſimon vſq; ad Belſatim in planiorib. locis Moabitarum, vbi locutus eſt dominus ad Moyſen. D

Sup. 30.

E

HAe ſunt. Enarratis illis, vſque huc, quæ acciderunt filiis Iſrael, veniendo ad terram promiſſionis: hic breuiter computantur ſeriatim loca ſuæ manſionis.

Cauſa autem huius deſcriptionis fuit, quia in aliis libris incipiendo ab Exodo, vſque nunc geſta itineris dicuntur, ſed aliquando loca ſeriatim non aſſignantur, vel non tot quot hic, vel alia ponuntur, quæ mãſiones non fuerunt ſupra c. 21. ideo conueniens fuit, quod hic ſub quodam epilogo deſcriberentur omnes manſiones Iſraelitarum. Ponuntur autẽ duo: primo manſionum loca enarrantur: ſecundo quædam p̃cepta ſ̃p terra promiſſionis dantur: ſecunda ibi. *Præcipe filiis Iſrael.*

Qualem originem habeant, quæ ſequuntur ad præcedentia.

QVÆSTIO I.

F

CIrca primum quærendum erat de ordine huius ad præcedentia, ſed hic oblata eſt quæſtio, quoniam ſolum epilogantur hic manſiones, quæ fuerunt ab exitu de Aegypto, vſque ad Iordanem: ideo ſi reſpiciantur hic res geſtæ nõ ſunt iſta poſt præcedentia ſecundum ordinem: quoniam aliqua ſunt hic, quæ præcedunt totum iſtum librum, & Leuiticum. Nam iſti duo libri incœperunt in monte Synai, ſcilic. res, quæ narrantur in eis geſtæ, vel dictæ, vt patet ex principiis eorum, & tamen in hoc capitulo enarrantur manſiones, quæ fuerũt etiam ante montem Synai. incipiunt autem ea, quæ habentur hic. capitulo duodecimo Exodi, quia prima manſio, quæ ponitur hic eſt in Soccoth recedendo de vrbe Rameſſe, ſed de iſto receſſu dicitur Exod. capit. duodecimo, & decimotertio: ideo res geſtæ enarratæ hic non habent ordinem ad ſuperiora, nec ad inferiora, ſed ſimul currunt cum omnibus ſuperioribus. Si autem reſpiciatur tempus ſcripturæ, dicendum eſt quod fuit ſcriptum iſtud capitul. anno 40. ab exitu de Aegypto circa finem anni ipſius, quia hic agitur de omnibus manſionibus, & de vltima, quæ fuit apud Iordanem, ſed iſta fuit circa finem anni quadrageſimi, & poſtea ſcripta ſunt omnia hæc: ideo forte de rebus geſtis à Moyſe nihil fuit poſteri⁹ ſcriptum vltimæ partis huius libri præter Deuteron. quem ſcripſit, cum eſſet morti propinqu⁹, & cum tradidiſſet illũ ſa-

cerdoti-

cerdotibus,& Leuitis Deuter.c.31. admonito populo in cantico Deuter.cap.32.alcendit in montem,& mortuus eſt Deuter.ca.34.quamquam ſecundum veritatem ordinis poſterius fuit tradere librum Leuitis, quam admonere populum in cantico,& benedicere,cum admonitio, & benedictio in ipſo libro deſcribantur.

Catal. manſi.

Hæ ſunt manſiones filiorum Iſrael. Iſtud capitulum vocatur catalogus manſionum, quia hic ſcribuntur omnes manſiones Iſraelitarum. Vocanturautem manſiones loca,in quibus Iſraelitæ manebant aliquanto tempore: nec tamen vocatur manſio vbicunque manebant, quia neceſſe eſt, vt quotidie quando mouerentur bis manerent ſaltem. ſc. ad ſumendum cibum per diem,tam pro hominibus, quam pro pecoribus, & ad quieſcendum per noctem: modus autem manſionum fiebat ſic,quod Iſraelitæ dirigebantur in deſerto per columnam nubis:erat enim terra illa ſine via, quia non tranſibant homines per eam eo quod non erat terra habitata, vt patet Iere.c.2.ſ.qui tranſduxit vos per deſertum, per terram inhabitabilem,& inuiam, per terram ſitis, & imaginem mortis, p terram,in qua non ambulauit vir, nec habitauit homo: ideo indigebant Iſraelitæ aliquo directore, & ad hoc fuit eis data columna nubis: ſi autem veniſſent per viã terræ Phil.ſthiim, quæ erat habitata,& breuis, non indiguiſſent aliqua columna,nec habuiſſent:nunc autem in deſerto indigebant illa, & data eſt eis. Erat autem illa columna per diem in colore nubis,& per noctem in colore ignis.De his Exod.c.13. & quia iſta columna cum eſſet aliquid inanimatum, & non habens in ſe potentiam ſui motus non poterat moueri motu progreſſiuo:ideo datus eſt aliquis motor illius nubis. ſ.angelus Dei, q erat in nube,& mouebat eam ad quemcunque locum vellet, & in quacunque velocitate,vel tarditate: de quo Exod. ca.14. proficiebat autem iſta nubes Iſraelitis ad duo quantum ad ipſum motum:primo, quia dirigebat eos oſtendens viam,per quam ire deberent: ſecundo, quia dabat eis certum locum manendi,quem forte Iudæi inquirere non poſſent, ſcil.quia faciebat eos quieſcere in loco aquarum, vel in locis bene diſpoſitis ad caſtra,& ipſi hebræi cum non ſcirent loca terrę dato,quod mouerẽtur per illud deſertum, neſcirent, quis eſſet locus melior ad caſtrametandum; iſta autem nubes quieſcebat quando Iudæi habebant quietem neceſſariam, & hoc ſiue per diem,ſiue per noctem: & cum ipſa moueretur mouebantur Iudæi. Cum autem ipſa quieſceret quieſcebant: ſed non vocabantur manſiones omnia loca,in quib. nubes quieſceret,ſed quandocunque nube quieſcente Iſraelitæ figebãt caſtra: vnde ſi ad meridiem nubes quieſceret: non propter hoc figebant caſtra Iſraelitæ,quia tunc videbatur eſſe quies ad capiendos cibos. Si autem ad ſolis occaſum quieſceret, non videbatur eſſe propter hoc locus manſionis, nec figebant Iſraelitæ caſtra,& tamen ſi manſiſſet per vnum diem,vel quaſi, videbatur eſſe locus manſionis: ideo figebantur caſtra, & tabernaculum domini. Poſtea autem quandocunque nubes moueretur,erigebantur caſtra,& mouebantur Iudæi, & iam vocabatur manſio illa,ſiue modicum,ſiue multum nubes ibi manſiſſet.De modo autem huius magis declaratum eſtExod. 14.& ſupra capit.9.Generaliter autem dicendum, quod non vocantur tot manſiones quoties quieuit columna, ſed ſunt manſiones tot, quot fixiones, & depoſitiones caſtrorum, & de his ſolum fuerunt iſtæ quæ deſcribuntur hic: fiebant autem diuerſimode iſtæ manſiones,quia aliquando de vna mãſione ad alteram ſolum erat profectio diei vnius, vel minus iter. Aliquando autem erat iter plurium dierum ſc. trium,vel quatuor,in quibus non fiebat aliqua manſio,vt patet quando venerunt de mari rubro vſque Mara.nam ambulauerunt diebus tribus per deſertum,vt patet Exod.15.etiam quando mouerunt caſtra de monte Sinai ambulauerunt dieb. trib. & poſtea requieuit nubes in deſerto Pharan,vt patet ſupr. c. 10.In aliis aũt manſionib.erat iter vnius diei, & aliquando paucioris temporis. *Filiorum Iſrael,qui egreſſi ſunt de Aegypto.* Non ſolũ fuerunt iſtæ manſiones illorum,qui egreſſi ſunt de Aegypto, ſed etiam aliorum,qui nati ſunt in deſerto: ſed quia populus Iſraeliticus p continuationem,& ſucceſſionem totus eſt vn⁹, & ipſe exiuit de Aegypto,quicunque ſint in populo Iſrael dicitur,quod ipſe populus exiuit de Aegypto,ſiue eſſent aliqui de illis,qui exiuerunt ibi,ſiue non. *Per turmas ſuas.* i. Iſraelitæ exierunt de Aegypto diſpoſiti per turmas ſuas.id eſt,per multitudines.ſ.quod non erat totus populus mixtus indifferenter, ſed erat ordo in motu,quoniam quælibet tribus erat per ſe in vna turma, & non coniungebatur alteri tribui, & ſub eadem tribu ſunt multæ familię,quarum quęlibet erat diuiſa ab alia: rurſus autem iſtæ tribus habebant ſpecialiter ordinem, quia tres tribus erant ſub vno vexillo, & aliæ tres ſub alio, & ſic erant quatuor vexilla principalia totius Iſrael, & ſub quolibet erant tres tribus. Cum autem figerentur caſtra erant diſpoſita per quadrum.ſcilic. vnum vexillum ad orientem, alterum ad occidentem, reliquum ad meridiem, aliud vero ad aquilonem,& in medio huius quadraturæ erant Leuitæ cum ſanctuario. De hoc patet ſupra cap.2. In motu autem caſtrorum progrediebantur primi,qui erant ad partem orientalem.ſcil. tres tribus ſub vno vexillo,& progrediebantur diſtincte.ſcil. vna poſt alteram non commixtæ: deinde progrediebantur illæ,quæ erant ad meridiem,& ſic de omnibus aliis.De iſto ordine magis patet ſup.c.10. *In manu Moyſi,& Aaron.* id eſt,turmæ Iſraelitarum progrediebantur in manu Moyſi, & Aaron, id eſt per directionem,vel poteſtatem eorum, ſcilicet quod ſecundum quod iſti dirigebant progreſſum, vel caſtrametationem,ita mouebantur Iſraelitæ, & illas turmas, in quibus mouebantur Iſraelitæ ipſi ordinauerunt. Præerant enim ambo.populis.Moyſes quippe præerat in temporalib.&ſpiritualibus,Aaron vero quantum ad ea, quæ pertinebant ad ſacerdotium,quia tamen erat vnus de honoratiſſimis in toto populo,fit mentio de ipſo cum Moyſe.

Quas deſcripſit Moyſes iuxta caſtrorum loca. Id eſt,Moyſes ſcripſit iſtas manſiones:nam ipſe ſcripſit totum iſtum librum, & conſequenter iſtam particulam de manſionibus. Dicitur autem iuxta caſtrorum loca,id eſt, ſecundum numerum locorũ caſtrametationis,ſcilicet quoties caſtrametati ſunt tot manſiones deſcribuntur.

Quæ Domini iuſſione mutabantur. Id eſt, iſta caſtra mutabantur mandato Dei. Nunquam enim ſine mandato eius figebãt caſtra,aut mouebant. Sic patet ſupra c.9.ſcilicet, Iuxta verbũ Domini proficiſcebantur, & per verbum illius figebant tentoria.Non eſt autem ſenſus, quod quandocunque deberent figere caſtra,vel mouere, Deus loqueretur eis, vel angelus illius,ſed ſolum mouebantur ad motum nubis,& quieſcebant illa quieſcente, & quia iſta nubes mouebatur ad mandatum domini,dicebantur ipſi quoque moueri per Dei mandatum. Vel quia Deus à principio iuſſit,quod quandocunque nubes moueretur,ipſi mouerentur, & quando nubes ceſſaret, ipſi quieſcerent,& ſic facientes dicebantur ſemper mouere, vel quieſcere per mandatum Domini.

Profecti igitur de Rameſſe, Hic ponitur principium caſtrametationum.& ponitur primo locus,de quo receſſerunt de Aegypto,ſc.de Rameſſe.Non enim habitabant omnes Iſraelitæ in iſta vrbe,ſed quia à multis diebus ante petebant Iſraelitæ à Pharaone,quod permitteret eis ire in deſertum ad ſacrificandum domino,& aliquando Pharao concedebat, & aliquãdo negabat,cum iam ſcirent Iudæi diẽ exitus ſui de Aegypto reuelante domino per Moyſen præmoniti ſunt à Moyſe, vt venirent omnes ad vrbem Rameſſe ad diem 14. menſis,& in illa fecerunt ibi Phaſe,ſequenti autem die receſſerunt.

Vrbs Rameſſe de qua receſſerunt Iudæi exeuntes de Aegypto quomodo hodie appellatur,& quod de illa fuit beatus Mauritius, & legio Thebæa.

QVÆSTIO II.

ERat autem Rameſſe ciuitas magna circa extremitatem Aegypti,per quam partem exituri erant Iudęi de terra illa,& iſtam ciuitatem fecerant Iſraelitæ: nam premebant eos Aegyptii,& coegerunt facere multa ædificia, inter quæ fuerunt duæ vrbes,ſcilicet Phiton, & Rameſſes, vt patet Exod. cap.1.eſt autem iſta ciuitas in terra Geſſen,& vocatur nunc ab Aegyptiis Thebaida,vel Thebe, de qua vrbe fuit Mauritius; & ſua legio quæ Thebæa dicitur,qui omnes martyrio p Chriſti nomine laureati ſunt in Gallia apud flumen Rodanum. Apud iſtam ciuitatem Rameſſes vixit aliquo tempore beatus Paulus primus Eremita, & Antonius, vt habetur in vitis patrum.Rameſſe autem aliquando eſt nomen territorii, vt patet Geneſ.47.ſ.in vrbe autem illa,& in locis coniunctis habi-

tabant

A

tabant Iudæi. Nam à principio ibi habitauerunt petentes à Pharaone, quod permitteret eos habitare in Geſſen: præalle. c. *Menſe primo.* In iſto egreſſi ſunt de Aegypto. Non erat autē iſte menſis primus ſecundum computationem, quam tunc habebant Iudæi, vel Aegyptii, ſed vocatur menſis primus, qa iuſſit poſtea Deus, vt iſte menſis eſſet primus in quolibet anno ad honorem, & memoriam egreſſionis de Aegypto, ſic patet Exod. c. 12. ſ. menſis iſte vobis principium menſium primus erit in menſibus anni. Eſt tamen ſecundum nos tertius menſis. ſ. Martius, quod patet, quia Iudæi in illo menſe celebrant Phaſe: erat autem menſis primus apud eos ipſe Septēber, vt declaratum fuit Exo. c. 12. *Quintadecima die menſis primi.* In iſta die ad auroram receſſerunt de vrbe Rameſſe incipientes proficiſci de Aegypto. Cum enim media nocte percuſſiſſet dominus omnes primogenitos Aegyptiorum, Pharao iuit ad Moyſen, & Aaron iubens, quod immediate recederēt, & non potentes Iſraelitæ ita cito ſe expedire, receſſerunt ad auroram illius diei: non fuerunt tamen eadem die egreſſi de Aegypto, ſed poſtea cum tranſierunt mare. *Altera die fecerunt Phaſe filij Iſrael.* ſ. die præcedenti 14. ad veſperum, vt patet Exo. cap. 12. Et dicuntur feciſſe Phaſe. i. immolaſſe agnum: nam per ſingulas domos immolabatur ad hoc, quod linirentur oſtia ſanguine, & angelus percutiens videns ſanguinem in poſtibus non percuteret aliquem in domo, ſed tranſiret ad aliam

B

domum non ſignatam ſanguine, & iſte trāſitus vocatur Phaſe. *In manu excelſa.* Non refertur hoc ad clauſulam immediatam. ſ. fecerunt Phaſe, quia nihil hoc ſignaret cum Phaſe non poſſit fieri in manu valida, vel debili, quia non eſt actus alicuius poteſtatis. Etiam quia dicitur: Videntibus cunctis Aegyptiis, & ſepeliētibus primogenitos, ſed manifeſtum eſt, quod quando comedebatur Phaſe nō videbant Aegyptii, quia hoc factum eſt per noctem. Etiam quando comedebatur Phaſe nondum fuerant mortui primogeniti, ideo refertur hoc ad illam clauſulam profecti ſunt, & tunc ſtat quod profecti ſunt in manu excelſa, id eſt, in magna poteſtate quaſi non timentes aliquem, vnde quamquam egrederentur de terra hoſtiū ſuorum, & illos viderent non curabant, nec timebant, quia Deus percuſſerat Aegyptios occidendo primogenitos eorū, ideo poteſtas Iudæorum erat magna in egreſſu. Timuerunt tamen aliqualiter Iudæi cum egrediebantur, quia dicitur Deuteron. capit. 16. In pauore egreſſus es de Aegypto. Hoc autem erat, quia quamquam Deus faceret miracula magna pro eis, ita vt ipſi nequaquam timere deberent, tamen erant timidi corde, cum ſemper fuiſſent in ſeruitute Aegyptiorum, ideo adhuc metuebant, quod Aegyptii irruerent ſuper eos, & occiderent, vel reducerent in Aegyptum ad ſeruiendum. *Videntibus cunctis Aegyptiis.* Id eſt, quando egreſſi ſunt Iſraelitæ erant præſentes multi Aegyptii, & videbant eos egredi, ſed non tenebant. Quod innuitur hic eſſe miraculum. Nam cum

C

iam receſſiſſent Iſraelitæ, & ſepeliuiſſent Aegyptii mortuos ſuos perſecuti ſunt Hebræos vſque ad mare rubrum, vt patet Exod. capitul. decimoquarto, quanto magis ergo tenere debuiſſent eos, cum viderent egredientes in conſpectu ſuo? ſed Deus fecerat ne auderent eos tenere: imo vt non curarent de eis, quamquam exirent, & ſubditur cauſa. *Et ſepelientibus primogenitos.* Id eſt, omnes Aegyptii erant occupati circa funera primogenitorum: tanto enim illorum dolore, & ſui timore Aegyptij tenebantur, vt viderent Iudæos cum vaſis auri, & argenti, & veſtibus recedentes & tenere non curarent, ſed potius ipſi eos ad velociter fugiendum incitarent, dicentes omnes moriemur: Exod. duodecimo capi. *Quos percuſſerat dominus.* Nō enim erat aliqua plaga naturalis, quam paſſi ſunt iſti Aegyptii, ſed Deus infixit eis mortem, quia angelus percuſſor ambulabat per omnes domos Aegyptiorum, & occidebat primogenitos tam hominum quam pecorum, ita vt nō eſſet aliqua domus in tota Aegypto, in qua non eſſet quiſpiā mortuus Exod. capitul. 12. *Nam & in dis eorum exercuerat vltionem.* Id eſt, non ſolum occidit primogenitos Aegyptiorum in vltionem ſceleris ipſorum, ſed etiam deos eorum exterminauit, quia idola comminuta ſunt vſque ad puluerem nocte illa, in qua percuſſi ſunt primogeniti, vt confiterentur Aegyptii hoc fuiſſe poteſtatis diuinæ. nemo enim alius tantam vltionem exercere potuiſſet. *Caſtrametati ſunt in Socoth.* Id eſt, fixerunt caſtra in Socoth. Caſtrametari idem eſt, quod caſtra ponere, & deriuatur de caſtrum, & metor metaris pro

D

aſſignare, vel figere: aliquando enim declinatur tanquam vnum verbum compoſitum, ſcil. caſtrametor, aris, & aliquādo declinatur per ſe metor, aris, & caſtra eſt accuſatiuus pluralis numeri. Fuit autem prima māſio Socoth, quoniam Rameſſe non fuit manſio, ſed locus, de quo moueri cœperunt, & in iſta prima ambulatione contra Socoth apparuit Iſraelitis columna ignis, & nubis, vt patet Exod. cap. 13. Eſt autem Socoth in Aegypto. Alius vero locus eſt, qui vocatur Socoth, & eſt in terra Iſraelitarum in ſorte Gad, vt patet Ioſue. c. 13. accepit autem, vt quidam volunt locus ille nomen à Iacob, de quo Gē. 33. in iſto autem loco cum tranſiret Gedeon perſequēdo Madianitas, & petiiſſet panes pro exercitu à ſenioribus loci illius dare noluerunt irridentes eum: in reditu autem occidit 70. ſeniores vrbis illius: de hoc Iudi. ca. 8.

Et de Socoth venerunt in Ethan. Iſta eſt ſecunda manſio Iſraelitarum, & iſta eſt etiam intra Aegyptum: nam ante mare rubrum eſt. Eſt autem Ethan nomen deſerti cuiuſdam, vel mōtis vbi incipit ſolitudo Arabica, & in illo deſerto fixerunt caſtra Iſraelitæ: nondum enim ſuſpicabantur quidquam mali, ſcilicet, quod Pharao veniret poſt eos. De iſtis duabus manſionibus, ſcilicet Socoth, & Ethan habetur Exodi capitulo decimotertio. 2. māſ.

Quæ eſt in extremis finibus ſolitudinis. Id eſt, Ethan eſt in extremitate, vel in fine ſolitudinis. Hoc dicitur, quia quādo venerunt Iſraelitæ in Ethan, nondum introierant in deſerta Arabica, quia vſq; ad ipſum locum ſunt aliqua loca habitata, & patet, quia adhuc poſt Ethan ponitur Phiairoth, & Beelſephō, & Magdalum, vt patet infra, quæ ſunt loca terræ Aegypti cōiuncta mari rubro, ſed poſt hæc pertranſito mari non reperitur aliquis locus Aegypti: ſed ſolitudines Arabicæ, & iſta incipiunt in Ethan: ideo dicitur eſſe in extremis finibus ſolitudinis, quia extremitas non magis ſignificat principium quam finem. In Ethan autem eſt principium ſolitudinis, vel poteſt vocari extremitas, id eſt finis, quia proueniendo de terra Chanaan, vel de aliis terris magis orientalibus verſus Aegyptum finis ſolitudinis eſt in Ethan. & tunc incipit terra populata Aegypti.

E

Poſt Ethā an Iſraelitæ ſtetērunt in aliſmā ſtonib.

Sed arguet aliquis, quod poſt Ethan adhuc ſteterunt Iſraelitæ in alus manſionibus, quæ ſunt loca populata Aegypti, ſicut in Phiairoth, & apud Beelſephon, & Magdalum, vt patet hic.

Reſpondendum eſt, quod non ſteterunt ibi eundo via recta, ſed Deus fecit eos redire illuc retrocedēdo, vt Pharao intelligeret, quod non habebant locum exeundi, & quod inclinaretur ad perſequendum eos: nam ſi eſſent in Ethan magis videretur aliquis locus, per quem Iſraelitæ exirent in ſolitudines Arabicas non tranſeūdo mare rubrum, & forte Pharao non perſequeretur illos. Cum aūt vidit ipſos apud Phiairoth intellexit, quod neſciebant iter & quod erant concluſi à terra, & mari, & ſic inciperet pugnare contra illos, & manifeſtaretur ſibi gloria domini, & ſic factum eſt. de hoc Exod. cap. decimoquarto. nam cum eſſent Iſraelitæ in extremitate ſolitudinis in Ethan, dixit Deus ad Moyſen, loquere filiis Iſrael, vt reuerſi caſtrametentur è regione Phiairoth, quod eſt inter Magdalum, & mare contra Beelſephon: in cōſpectu eius ponetis caſtra ſupra mare. Dicturus eſt enim Pharao coarctati ſunt in terra, & concluſit eos deſertum. Si autem Deus noluiſſet oſtendere magnitudinem ſuam contra Aegyptios non feciſſet redire Iſraelitas de Ethan verſus Phiairoth, quod erat retrocedere, & tunc poſt Ethan non ſtetiſſent in aliquo loco Aegypti. Steterunt autem hoc modo.

F

Inde egreſſi venerunt contra Phiairoth. Scilicet reuertentes de ſolitudine Ethan venerunt contra Phiairoth, quod erat magis intra Aegyptum ex cauſa ſupra aſſignata, & ibi fuit vna māſio inter iſta loca, quæ habentur hic, ſcilicet Phiairoth Beelſephon, & Magdalum. De habitudine autem horum declaratum eſt Exod. c. 14.

Quæ reſpicit Beelſephon. Id eſt, Phiairoth reſpicit Beelſephō: erat enim ſolitudo Ethan, in qua erant Iudæi, quando Dominus iuſſit retrocedere ad partem Septentrionalem, & inde cū redirent contra Aegyptum, reuertebantur contra meridiem, ſcilicet quod Beelſephon, & Phiairoth, & Magdalum ſunt loca magis meridiana: ſed adhuc Phiairoth, apud quem locum fixerunt caſtra Iſraelitæ, eſt magis circa mare rubrum, quam Beelſephon, & Magdalum. Eſt autem Magdalum ibi

ad par-

A ad partem occidentalem, & Beelsephon ad partem meridianam, & inter illa loca, & mare rubrum posuerunt castra non accedentes ad aliquem locum istorum. De Beelsephon dicit Ra. Sa. quod erat quidam canis æreus factus artificiose, & positus circa extremitatem regni Aegypti, vt clamaret, qñ fugeret aliquis de Israelitis, sicut clamabat caput, quod erat ferreũ in loco Tauarensi in territorio Numantino cum ingrederetur aliquis Iudæus. Et iste canis non clamauit in Aegypto in exitu Israelitarum, quia Deus impediuit eum. Et de isto dicit intelligi quod habetur Exod. cap. 11. scil. inter filios Israel non mutiet canis, id est, contra Israelitas non clamabit canis, qui vocatur Beelsephon. Sed istud ridiculum est, de quo magis declaratum est Exod. ca. 14. *Et castrametati sunt ante Magdalum.* Iste est quidam locus magnus in Aegypto, & est apud Phiairoth: est tamen magis occidentale, quam Phiairoth, cum dicatur Exod. ca. 14. quod Phiairoth est inter Magdalum, & mare, sed mare est ad partem occidentalem respectu Phiairoth: ergo Magdalum est ad partem occidentalem respectu Phiairoth. *Profectique de Phiairoth transierunt per medium maris in solitudinem.* i. Israelitæ steterunt in Phiairoth apud mare rubrum, & quando Pharao venit persequens eos reperit in Phiairoth, & inde viderunt Israelitæ castra Aegyptiorum, & timuerunt nimis: vnde dixerunt ad Moysen: forsitan non erãt sepulchra in Aegypto: ideo tulisti nos, vt moreremur in solitudine, & nõ potuerunt accedere exercitus Pharaonis ad castra Israel, quia Deus iussit, quod immediate mouerent castra Israelitæ, & introirent per mare.

B

Quomodo transierunt Iudæi per mare rubrum per noctem & Aegyptij post eos, & an transirent per medium maris.

QVÆSTIO III.

ERat autem istud in principio noctis, & quia voluerunt Aegyptii irruere super Israelitas ad percutiẽdum eos ante mare oppositum dominus nubem. Nam angelus qui præcedebat Israelitas in columna nubis relinquens partem anteriorem rediit ad posteriorem, & obscurata fuit illa nubes nimis ex parte Aegyptiorum, & fulgebat ex parte Iudęorum, ita vt quamquam Aegyptii essent apud Iudæos nõ auderent tota nocte accedere ad illos. & sic transgressis Iudæis mare per noctem, & Aegyptiis existentibus in medio maris apud vigiliam matutinam conuertit dominus aquas maris super illos, & perierunt omnes: Exodi cap. 14. Israelitæ autem dicuntur transisse per medium maris: non quidem, quod via illorum esset vere in medio maris, sed per quandam extremitatem, cum ipsi non transiuissent mare à fronte in frontem. sc. à parte meridiana in aquilonarem, vel è conuerso: sed ab occidente in orientem, vt declaratum est Exodi cap. 14. Sed dicuntur transiuisse per medium maris, id est, per ipsum mare, quia quælibet interpositio in scriptura vocatur medium. Transierunt autem per mare in solitudinem, quia post mare rubrum immediate sequitur tota solitudo Arabica, & illa habet multa nomina: nam immediate introierunt in quandam partem solitudinis, quæ vocatur desertum Sur, vt patet Exodi capitu. 15. Sed sciendum, quod immediate, vt transirent mare rubrũ, manserunt apud illud ad laudandum dominũ, cum viderent omnes Aegyptios mortuos appulsos à littore maris, & vt ibi acciperent spolia eorum tam vestes, quam cætera: sed locus ille non vocatur mansio, quia non dicitur hic, quod transierunt mare rubrum, & steterunt in solitudine: sed quod ambulauerunt per solitudinem, & mansio ponitur postea in Mara. Licet autem aliqui manserint in littore maris, non vocatur ibi mansio, quia non faciebat quælibet quies Hebræorum mansionem, vt supra declaratum est. *Ambulantes per desertum Ethan tribus diebus.* Id est immediate, vt transierunt mare rubrum ambulauerunt tribus diebus per desertum Ethan, & in his tribus non fecerunt aliquam mansionem: nam licet in qualibet die aliquantulum manerent ad sumendos cibos, & per noctem manerent ad quietem hominum, & pecorum, tamen non erant istæ mansiones, quia non figebantur castra, nec deponebantur: ambulauerunt autem Israelitæ tribus diebus non facientes mansionem, eo quod loca ista non erant conuenientia ad manendum, quia non inueniebant aquam istis tribus diebus, vt patet Exodi decimoquinto capit.

C

Desertũ per q ambulauerunt an dicatur E-

quod intelligendum est ad abundantiam: nam aliqualiter inueniebant: alioquin enim non potuissent illis tribus diebus viuere homines, & pecora, sed quod parum est tanquam nihil videtur. Dicitur autem hic, quod ambulauerunt per desertum Ethan, & Exo. c. 15. dicitur, quod ambulauerunt per desertum Sur. Aliquis forte respondebit, quod ista sunt duo deserta, vel duæ partes eiusdem deserti, & Exod. 15. c. solum ponitur de deserto Sur, quia ibi non fit perfecta mentio de omnibus mansionibus, & itineribus Israelitarum: sed hic perfecte dicitur, cum sit catalogus mansionum. Sed non potest stare, oportet enim, quod dicatur desertum Ethan & desertum Sur, quod ponitur Exod. ca. 15. esse idem: sed mutari nomina, quia secundum morem sacræ Scripturæ eadem res sæpe habet multa nomina. Et patet hoc, quia hic dicitur, quod exeũtes de mari rubro ambulauerunt per solitudinem Ethan, & Exodi capitul. 15. dicitur, quod exeuntes de mari rubro ambulauerunt per desertum Sur: sed non poterunt esse duo deserta coniuncta mari rubro, per quæ simul ambularent Iudæi immediate, ideo idem sunt, quia dicitur hic, quod ambulauerunt tribus diebus per desertum Ethan, & Exod. capi. 15. dicitur, quod ambulauerunt tribus diebus per desertum Sur, & isti tres dies sunt iidem: ergo idem desertum est Ethan, & Sur. Item quia dicitur hic, quod post desertum Ethan venerũt in Mara, & Exod. ca. 15. dicitur, quod post desertum Sur venerunt in Mara: ergo idem desertum est. Dicendum est, quod idem desertum est Ethan, & Sur, sed scriptura sæpe mutat nomina cum res habeant multa nomina: vocatur autem ista solitudo Ethan, sicut vocatur Exod. 13. vbi ponebatur secunda mansio. scil. in extremis finibus, & illa solitudo dicitur esse Ethan. Si autem Deus non iussisset Israelitas retrocedere. sc. de than redeundo in Phiairoth contra mare rubrum, immediate, vt steterunt in secunda mansione, quæ erat Ethan ambulauissent per solitudinem Ethan, per quam nunc ambulauerunt tribus diebus, quia ab illo loco incipit solitudo, quæ dicitur Ethan, & continuatur versus interiora desertorum Arabicorum. Quia tamen de Ethan recesserunt Israelitæ declinando versus Aegyptum ad Phiairoth, erant extra solitudinem Ethan. Cum vero redierunt transeuntes mare rubrum introierunt in solitudinem Ethan, de qua primo recesserant, & ambulauerunt per eam diebus tribus, sicut hic dicitur. *Castrametati sunt in Mara.* Ista est mansio, scilicet quarta, & est vltra mare rubrum, in qua Israelitæ inuenerunt aquas abundãter, sed erant amaræ, ideo populus non poterat bibere, vnde murmurauit contra Moysen, qui iussu Dei accepit lignum, & misit in aquam, quæ conuersa est in dulcorem: in ipso autem loco dedit dominus præcepta Israelitis, & iudicia. De hoc Exod. cap. 15. vocatur autem ista mansio Mara, id est, amaritudo propter aquarum amaritudinem: vnde dicitur Exod. cap. 15. quod congruum nomen loco impositum est, scilicet propter amaritudinem aquarum. *Profectique de Mara, venerunt in Elim, vbi erant duodecim fontes & 70. palmæ.* Ista mansio est in deserto Ethan, & ibi requieuerunt Israelitæ, quia erat locus cõueniens, tam propter aquas ad bibendum, quam propter palmas ad vmbram, sed pauca aqua erat in fontibus, vt ait Iosephus, ideo pauco tempore ibi morati sunt. De ista mansione habetur Exodi cap. 16. & exprimitur hic, quod erant ibi palmæ, & fontes ad designandum, quod erat ibi locus conueniens ad castrametandum. *Ibique castrametati sunt* Id est, fixerunt castra in eodem loco, vt aliquantulum ibi requiescerent eo quod nubes ibi quieuerat. *Sed inde egressi fixere tentoria super mare rubrum.* Ista est sexta mansio Israelitarum, & fuit apud mare rubrum, non quidem quod Israelitæ redirent ad mare rubrum, quod ante reliquerant per tres mansiones, sed quia nunc iterum accesserunt ad illud, sed quia maria sunt sinuosa & diuersis terrarum curuantur anfractibus, potest aliquis recte incedens multoties eũdem fluuium, vel idem maris brachium pertransire, & sic fuit nunc de Israelitis, qui non transierunt mare rubrum, sed accesserunt ad illud, & adhuc iterum steterunt apud mare rubrum, quando in secundo anno ab exitu de Aegypto retrocesserunt de Cadesbarne versus mare rubrum, de quo supra capitul. 14. iterum etiam in anno 40. ab exitu de Aegypto steterunt Israelitæ apud mare rubrum, scilicet quando Moyses morti propinquus recitauit Deuteronom. coram toto Israel, vt patet Deuteron. capit. 1. scilicet hæc sunt verba, quæ locutus est Moyses ad omnem

D

thã vel Sur, & an sint idem ista duo deserta

E

3. mãs.

4. mãs.

5. mãs.

F

6. mãs.

Qũo Iudæi steterunt sæpe iuxta mare rubrũ, sed solũ semel trãsierunt p illud.

A nem Israel in solitudine campestri contra mare rubrum. Nã & ipsum mare rubrum accedit ad limites terræ promissionis, cum ponatur tanquam terminus orientalis eius. Exo.cap.23. scilicet ponam terminos tuos à mari rubro vsque ad mare Palesthinorum:& à deserto vsque ad fluuium. *Profecti de mari rubro castrametati sunt in deserto Sin.* Ista est septima mansio: *7.mãsi.* & istud iam est alterum desertum à deserto Ethan. Differt etiam à deserto Sinai, ad quod postea venerunt, vt patet infra. Accesserunt autem ad istam mansionem Israelitæ 30. diebus post exitum de Aegypto, quod patet, quia die 15. mensis primi fuit egressio de Aegypto, vt patet supra in litera, sed die 15. mensis secundi venerunt in desertum Sin Exod.cap. 16. & sic in 30.diebus ambulauerunt per septem mansiones. Defecit autem in eadem mansione panis, quem tulerant de Aegypto & non habebant vltra quidquam ad comedendum: ideo tota multitudo murmurauit contra Moysen & Aaron.sc. quod eduxissent eos in locum, vbi morerentur fame. Dedit autem ibi Deus manna,& leges de colligendo illud, & obseruationem sabbathi: dedit etiam coturnices populo ad comedendum.De hoc Exod.16.c.Dicitur autem in eod.cap.quod de Elim venerunt Israelitæ in desertum Sin, & subticetur ibi mãsio, quæ facta est super mare rubrum. Hic autem exprimitur, quia est epilogus,& catalogus omnium mãsionum: ibi namque solum curabat Moyses describere mansiones illas, in q̃ B bus acciderat aliquid notabilius. sed super mare rubrum nihil acciderat:ideo non expressit ibi, sed hic, vbi vniuersaliter ponuntur omnes.

Vnde egressi venerunt in Daphca. Ista est mansio octaua,& non *8.mãsi.* exprimitur in Exodo, quia non fuit in ea aliquid notabile, sed post desertum Sin ponitur mansio Raphidim, & iam in ista mansione comedebant Israelitæ manna, & comederunt añis 40.quousque introierunt in terram Chanaan post transitum Iordanes, ibi.n.cessauit die 15. mensis primi anni 40. ab exitu de Aegypto, vt patet Iosue c.5.

Profecti, de Daphca castrametati sunt in Halus. Ista est mansio nona,& ista similiter subticetur in Exodo, quia non fuit ibi aliquid notabile. *Egressique de Halus in Raphidim fixere tentoria.* *9.mãsi.* Ista est mansio decima, de qua habetur Exod.capit.17. de duabus autem mansionibus præcedentibus non fit mentio in *10.mãs.* Exodo: sed aliqui dicunt, quod istæ duæ mansiones sunt in deserto Sin, & quando dicitur de deserto Sin, quod castrametati sunt ibi Iudæi, dicunt debere intelligi de prima mansione harum duarum Daphca. Sed hoc non stat, quia distinguuntur hic istæ mansiones, cum dicatur, quod profecti de deserto Sin castrametati sunt in Daphca, ergo ista mansio est extra desertum illud,& sic dicendum, quod mansio in deserto Sin, de qua habetur Exod.c.16.non sit Daphca, nec Halus: illa enim subticentur ibi.

C *An sint duæ mansiones in deserto Sin.*

QVÆSTIO IV.

ARguet autem aliquis de deserto Sin, scilicet quod non potuerunt ibi castrametari Iudæi ante Raphidim, & montem Sinai, quia istud desertum est, vbi est Cadesbarne, quæ alio nomine vocatur Cades deserti Sin supra capitul.20. & ad illud desertum multo post venerunt quia multæ mansiones sunt inter locum istum, & Cades deserti Sin de qua infra.

Aliquis responderе posset ad hoc, quod desertum Sin est aliqua magna solitudo, quasi à principio maris rubri vsque ad terram Chanaã, sicut dicitur de deserto Pharã, q̃ incipit post montem Sinai,& accedit vsq; ad terram Chanaan. Nam Cadesbarne, quæ est in termino terræ Chanaan, vt patet sequẽ. c.dicitur esse in deserto Pharan, vt patet supr.c.13. Quod autẽ incipiat istud desertum circa montem Sinai patet supra c.10. quia cum recessissent Israelitæ de monte Sinai dicitur, quod requieuit nubes in solitudine Pharan.

Sed non stat ista responsio, quia tũc postquam ingressi fuissent Israelitæ in desertum Sin, nunquam egressi fuissent de illo.Sed dicitur, quod de deserto iuerunt in Daphca, ergo iam illud reliquerant. Alio ergo modo respondendum est, s.quod desertum Sin erat duplex: primum erat quædam terra non valde magna, quæ est inter Elim,& montem Sinai, & notanter dixit scriptura, quod erat inter ista duo loca Exo.16.c.ad designandũ, quod ibi terminatur,& differt ab illa magna solitudine, in qua est Cadesbarne, quæ vocatur Sin, vel desertum Pharan.Secundum desertum Sin est ipsum desertum Pharã, & ad istud postea venerunt cum steterunt in Cadesbarne. D

Vbi aqua populo defuit ad bibendum. Erat enim in Raphidim pauca aqua, ideo cum non haberent aquam Israelitæ clamauerunt contra Moysen, qui eduxit eis aquam de petra Oreb, vt patet Exod.17.c.& in eadem mansione pugnauit contra Israel Amalec:qui superatus fuit orante Moyse & pugnante Iosue, vt patet eodem cap.

Profectique de Raphidim castrametati sunt in deserto Sinai. Aliud enim est desertum Sinai,& aliud desertum Sin. Nam dicitur Exod.16.quod desertum Sin est inter Elim,& Sinai. Est autem in hoc deserto mons, qui dicitur Sinai, & ab isto monte appellatur totum desertum. Venerunt autem Israelitæ in istam mansionem prima die mẽsis tertii ab exitu de Aegypto Exodi capit. 19. scilicet mense & dimidio postquam egressi sunt de Aegypto. Nam die 15.mensis primi egressi sunt de Aegypto, vt patet supra in litera, ideo vsque ad principium mensis tertii manebat mensis,& dimidius. Venerunt autem à deserto Sin vsque ad monem Sinai diebus 15. nam die 15. mensis secundi ab exitu de Aegypto venerunt Israelitæ in desertum Sin Exodi capitul.16.prima autem die mensis tertii venerunt in desertum Sinai Exod.capit. 19. ergo 15. dies erant ad plus quibus Israelitæ comederant manna quando venerunt in desertum Sinai. Est autem ista mansio 11. Hebræorum,& nulla inter omnes est celebrior, nec fuit vtilior Iudæis: ibi enim omnia bona receperunt: fuit enim ibi populus ordinatus quantum ad iudices, scilicet, decanos quinquagenarios centuriones,& tribunos consilio Iethro venientis ad Moysen ad ipsum montem Sinai. De quo Exod.cap.18. mansit autem ibi cum illo postea quousque Israelitæ recedere debuerunt de eodem mõte,& requisitus à Moyse, an vellet ire cum eis, noluit:de qua supra capit.10.in hoc monte Israelitæ receperunt decalogum in vocibus angelorum, & clangore,& tonitruis: Exod.cap.19.& 20.& Deuter.cap.4.& 5.ibi etiam receperunt præcepta multa tam cæremonialia, quam iudicialia quę Deus dedit soli Moysi super montem,& ipse postea populo annunciauit.De hoc Exodi à medietate.capitul. 20. vsque ad 24. ibi etiam confirmata fuit lex inter Deum, & Israelitas facto fœdere,& effuso sanguine super populum & altare& librum legis.De quo Exodi capit.24. In eo etiam monte Moyses vocatus à Deo super cacumen ipsius stetit 40.diebus,& noctibus 40.accipiens omnia præcepta de monte fabricandi tabernaculum,& res eius:de his habetur Exod.a.c.25.vsque ad 32. In eodem etiam monte Israelitæ absente Moyse fecerunt vitulum aureum,& adorauerunt ibi fractis primis tabulis legis, & comminuto in puluerem ipso vitulo aureo bibit omnis populus,& occidit Moyses 23.millia virorum Exo.32. In eodem etiam monte reuersus Moyses iterum ad dominum oraturus pro peccato populi mansit 15. diebus iterum cum domino,& portauit secundas tabulas legis, de quo Exod. capitul. 33.&34. In eo quoque monte tabernaculum domini cum omnibus vtensilibus fabricatum est, de quo Exod. à capit.35. vsque ad finem libri. Facto autem tabernaculo consecratus est ibi Aaron in sacerdotem magnum,& filii sui in sacerdotes minores per dies septem de quo Leuitic.capitul. 8. Ibi quoque Leuitæ minores in gradu secundum purificationes eis debitas consecrati sunt, de quo supra capit. 8. ibi etiam totus Israel celebrauit secundum Phase iuxta cæremonias, quæ fuerant in Aegypto die decimoquarto mensis primi anni secundi ab exitu de Aegypto, de quo supra capitul.9. Ibi etiam purificatum fuit,& consecratum sanctuarium, & obtulerunt per duodecim dies in consecratione eius munera 12. principes 12.tribuum Israel, de quo supra capitu. 7. In hoc etiam monte datæ sunt omnes leges, quæ habentur in toto Leuitico, vt patet Leuit.26.& 27. capi. Ibi quoque numeratus fuit totus populus,& diuisus per loca castrorum supra cap.1.& 2. ibi etiam officia Leuitarũ distincta sunt,& traditi fuerunt Leuitæ sacerdotibus in ministros, vt patet supra cap.3.&4.& ibi generaliter facta sunt omnia, quæ habentur à.c.19.Exo.& per totum Leuiticum,& in isto libro vsq; ad c.11.Recesserunt autem Israelitæ de monte hoc anno secundo ab exitu de Aegypto mense secundo die 20.mensis supra capit.10. fuit autem

11. mãsio. Desertum.

Quãto tẽpore manserunt Iudai in deserto Sin, & quidibi toto tẽpore egerunt. E

Bona collata Iudæis in mõte Sinai.

F

A mora Israelitarum in monte isto magna, scil. vnius anni demptis diebus 10. quod patet, quia ipsi venerunt in montem Sinai anno primo ab exitu de Aegypto prima die mensis tertij Exod. capit. 19. & recesserunt de eodem monte die 20. mensis secundi anni secundi exitus de Aegypto 10. ergo dies, qui deficiebant ad completionem mensis secundi deerant ad complendum annum vnum, quo stetisset populus in monte illo. Causa autem tantæ moræ fuit, quia Deus voluit informare in lege & præceptis Israelitas manentes in deserto ante introitum in terram Chanaan: ne cum introirent, si nondum haberent legem, adhærerent cæremoniis incolarum terræ. Dedit ergo totam legem Iudæorum Deus in hoc mõte præter pauca præcepta, quæ habentur hic à capitu. vigesimo septimo. vsque ad finem libri. Moyses autem postea cum moriturus fuit repetiit totam legem in Deuteron. Ob hoc igitur post recessum de monte Sinai anno eodem ante quatuor vel quinque menses ingressuri erant Israelitæ in terram Chanaan si non murmurassent in Cadesbarne, de quo supra cap. 14. nam vsque ad Cadesbarne ex monte Sinai transierunt valde velociter: nam ante finem mensis quarti fuerunt ibi secundum quosdam, vel in fine mensis quinti, sicut declaratum est supra cap. 13. & tamen Cadesbarne est in terminis terræ Chanaan, vt patet sequen. c. & Iosue c. 15. ergo immediate introiuissent: sed propter murmurationem promulgatum est, quod 40. annis

B manerent in solitudine.

Sed de solitudine Sinai egressi venerunt ad sepulchra concupiscentiæ. Ista est mansio 12. Israelitarum, & est in monte Pharan: nã

12. cum recesserunt Israelitæ de monte Sinai dicitur, quod recubuit nubes in solitudine Pharan, vt patet supra cap. 10. ambulauerunt autem tribus diebus Israelitæ inter montem Sinai, & sepulchra concupiscentiæ non facientes aliquam mansionem, & tunc præcedebat eos arca domini ad disponendum locum castrorum: de quo eodem cap. Venerunt autem Israelitæ in mansionem istam die 23. anni secundi ab exitu de Aegypto. Quod patet, quia de monte Sinai recesserunt die 20. mensis secundi. anni secundi ab exitu de Aegypto supra capi. 10. & post tres dies venerunt in desertum Pharan, & recubuit ibi nubes, & illa est mansio sepulchrorum concupiscentiæ, ergo 23. die mensis ipsius venerunt illuc. Vocatur autem ista mansio dupliciter, scilicet incensio & sepulchra concupiscẽtiæ, & vtrunque nomen impositum est ex euentu aliquo in ipsomet loco: fuit enim vocatus locus incensio, quia Israelitæ dolentes murmurauerunt ibi pro labore itineris, & surgens ignis combussit extremitatem castrorum supra capitul. vndecimo Post hæc autem Israelitæ fleuerunt nimis quia non habebant cibos quos habuerant in Aegypto, sed solum manna. Deus autem misit illis coturnices multas, sed cum comedissent & saturati essent occidit Deus illos, qui murmurauerant pro desiderio carnium, & vocatus est locus sepulchra cõcu-

C piscentiæ, quia ibi sepultus est populus, qui comederat carnes supra c. 11. manst autem nomen istud secundũ loco huic, quia fuit impositum à secundo euentu, & fuit maior afflictio quam in primo euentu.

Profectique de sepulchris concupiscentiæ castrametati sunt in Aseroth. Ista est mansio 13. alia autem est mansio infra, quæ vo-

13. catur Moseroth, vel Maseroth: sed illa multo post hoc fuit. In ista mansione murmurauerunt contra Moysen Aaron, & Maria fratres eius: percussaque est Maria lepra, & mansit 7. diebus leprosa extra castra, quibus non mota fuerunt castra supr. capit. 12.

Et de Aseroth venerunt in Rethma. Ista est mansio 14. & quam-

14. quam duę mansiones præcedentes Aseroth, & sepulchra cõcupiscentiæ essent in monte Pharan, tamẽ magis proprie incipit desertum Pharan in ista mãsione: ideo supra c. 13. dicitur, quod profectus est populus de Aseroth, & fixit tentoria in deserto Pharan: quamquam ibi potest accipi desertum Pharan pro mansione Cadesbarne subticendo omnes alias. Et causa patet, quia immediate dicitur: Ibique locutus est dominus ad Moysen de mittendo viros ad explorandum terram: sed hoc factum est in Cadesbarne. Quomodocunque tamen accipiatur desertum Pharan continet istam mansionem, & omnes, quæ sunt vsque Cadesbarne, cum ipsa sit in deserto Pharan, vt patet supra capitul. 13. & sepulchra concupiscentiæ sint in eodem deserto, vt colligitur supra capitul. 10. iuncto

11. *Profectique de Rethma castrametati sunt in Remonphares.* Ista est mansio 15. & est Remonphares nomẽ cuiusdam partis deser- 15.
ti Pharan. Est etiam Remon nomen cuiusdam lapidis, vel ter- D
ræ in regione Chanaã in sorte Beniamin: vnde dicitur de sexcentis viris fugientibus de Gabaa tempore belli, quod sederunt in petra Remmon Iudi. capit. 20. hic autem non signatur idem cum sit istud desertum extra terra Chanaã. *Et inde egressi venerunt in Lebna.* Ista est mansio 16. & est nomen deserti, vel a- 16.
licuius partis in deserto: non quidem quod ista essent aliqua loca habitata, quia ante tempora illa nullus hominum ibi habitauerat, vt patet Le. ca. 2. sed partes deserti sic vocantur. Est etiam Lebna nomen cuiusdam ciuitatis in terra Chanaã, quæ aliquãdo vocatur Lobna. Hanc autem cepit Iosue de manib. hostium: Iosue. capit. 10. & postea cecidit in sortem tribus Iudæ: Ioluc. cap. 15. sed hic non stat pro vrbe. *Et de Lebna castrametati sunt in Ressa.* Ista est mansio 17. Israelitarum. Subticentur 17.
autem supra in processu libri omnes mansiones, quæ habentur post Aseroth, & Rethma vsque Cadesbarne, de quarum nulla fit mentio supr. in narratione rerum gestarum, eo quod in istis non accidit aliquid scriptura dignum: vnde in processu libri ita subticentur tanquam nequaquam fuerint. Hic tamẽ, quia erat catalogus mansionum omnes descriptæ fuerunt. *Egressi de Ressa venerunt in Ceeletha.* Ista est 18. mansio. omnes 18.
autem istæ 20. mansiones, quæ sunt inter Aseroth, & Cades- E
barne fuerunt per quandam terram magni deserti, & horri-
bilis, in quo erant multi serpẽtes, & defectus aquarum, quod colligitur Deuter. cap. 8. scilicet ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili, in qua erat serpens flatu adutens, & scorpio, ac dipsas, & nullæ omnino aquæ. Ob hoc autem fecit Deus, vt Israelitæ transirent velociter per istum eremum, ne fatigarentur, & fastidirent prauam illam regionem. In omnibus autem aliis mansionibus magis morabantur. *Vnde profecti: castrametati sunt in monte Sepher.* Ista est mansio 19. est 19.
autem mons Sepher pars quædam illius eremi, scilicet deserti Pharan: & dicitur mons Sepher. i. mons libri, vel literarum, quia Sepher in Hebræo signat librum, vel literas. Et inde dicitur Cariathsepher, id est, ciuitas literarum: de qua Iosue 15. & Iudi. cap. 1. quæ alio nomine vocatur Dabir, vt patet eisdem capitulis. Hic autem vocatur mons Sepher. Et forte non accipitur Sepher pro nomine appellatiuo signante literas, vel librum, sed pro nomine proprio, & sic interdum illa nomina, quæ alias erant appellatiua ponuntur tanquam nomina propria aliquorum locorum: nam si staret pro nomine appellatiuo esset impositum ab aliquo euentu, sed non videtur, quia tunc oporteret, quod ante transitum Iudæorum ibi accidisset aliquid de libro, vel literis, sed hoc non apparet, quia illa regio erat penitus inhabitata. & nemo per eam ambulabat, vt patet Iere. capi. 2. vel oportebat, quod accidisset aliquid ibi de Iudæis propter quod imposuissent istud nomen huic monti, sed non videtur, quod cum Iudæi transissent velociter per illum eremum non vacabant literis, nec dabantur eis ibi ali- F
qua præcepta. Si tamen aliquis velit dicere, quod sit Sepher nomen appellatiuum literarum, vel libri dicemus quod fuit impositum huic monti ad placitum, sicut interdum imponuntur aliqua nomina appellatiua aliquibus locis tanquam propria, & non propter aliquam causam sui primi significati.

Egressique de monte Sepher venerunt in Arada. Ista est mansio. 20. & differt Arada ab Arad: est enim Arad quædam terra a- 20.
pud terram Chanaan, & circa Cadesbarne, in qua habitabant *Arada differt ab Arad.*
quidam de Chananæis. Et vocatur rex illius terræ Chananæus rex Arad. contra istum regem pugnauerunt Israelitæ, quia ipse primo pugnam fecit contra illos. Postea vero Israelitæ destruxerunt terram eius, ponentes illam sub anathemate: de qua supra capitul. 21. Differt etiam ista terra à quadam insula parua, quæ vocatur insula Aradiorum, & est in mari mediterraneo non longe à Tyro, & Sidone: Arada est pars deserti Pharan, per quam transierunt hic Israelitæ. *Inde proficiscentes castrametati sunt in Maceloth.* Est mansio 21. & in qualibet ha- 21.
rum mansionum nubes quiescebat, & Israelitæ figebant castra, atque erigebant tabernaculum: nam non solum quiescebat ibi nubes, sicut quiescere solebat, quando Israelitæ per noctem accubabant ad quietem sumendam, vel per diem ad sumendos cibos, sed quodam alio modo specialiori, ita vt Israelitæ cognoscerent, quod aliquo tempore ibi manendum esset, de quo supra declaratum est. *Profectique de Mace-*

22. *Ioth venerunt in Taath.* Ista est 22.mansio, & est quædam pars deserti Pharan sic dicta. Sciendum autem, quod in istis mansionibus quamquam Israelitæ erigerent, & deponerẽt tabernaculum: tamen non faciebant sacrificia iugia, quia ista non obligauerunt in deserto, sed solum in terra Chanaan, nec facta sunt in toto deserto, nisi in monte Sinai: nam ibi consecrati sunt sacerdotes, & fiebant sacrificia ad honorem consecrationis eorum, & præter hæc sacrificia, quæ vocantur iugia: Exodi capitul. 29. & Leuit. 8. Quod autem non fuerint facta in alio loco deserti apparet, quia in anno 40. circa finem cum Deus dedit præcepta de modo sacrificiorum, quæ postea fieri deberent in terra Chanaan dixit: Holocaustum iuge est, quod obtulistis in monte Sinai supra capitu. 28. si tamen in toto deserto oblatum fuisset illud, non diceretur specialiter, quod obtulistis in monte Synai. ergo videtur, quod in nullo alio loco obtulerant: nam nec legitur, quod obtulerint, & hoc erat, quia lex non obligabat eos. Et etiam quia ipsi non habebant dispositionem ad faciendum hoc, cum in omni sacrificio iugi requireretur animal immolandum, & farina, oleum, & vinum. Ista tamen non poterant haberi realiter in omnibus locis, cum non communicarent aliquibus gentibus, à quibus hæc habere possent. *De Taath castrametati sunt in Thare.*

A *Quam quã in qualibet mã sione deponerẽt tabernaculũ tamen nõfaciebant sacrificia.*

23. Ista est mansio 23. & vocatur Thare quædam pars deserti Pharan. Est autem alio modo Thare nomen viri: nam pater Abrahæ vocabatur Thare Geneſis 11. & Iosue 24. cap. *Vnde egressi fixere tentoria in Methca.* Ista est 24. mansio, quæ est pars deserti,

B

24. & vocatur Methca. Dicitur autem, quod fixere ibi tentoria, in quo differunt mansiones ab aliis quietibus. Nam interdum quiescebat nubes, vt Israelitæ sumerent cibos per diem: & tamen tunc non figebantur tentoria. Etiamsi per noctem mansisset nubes in aliquo loco, non erat ibi mansio, nec figebantur castra, sed si ad meridiem vnius diei, vel ante noctem quieuisset nubes non figebãtur castra immediate, sed manebant Israelitæ quomodocunq; in eodem loco. Cum autẽ exspectasset per totam noctem vsque ad auroram, si tunc non moueretur existimabant Israelitæ, quod essent ibi mansuri aliquanto tempore, & tunc figebant castra: postea autem vocabatur illa mansio etiamsi immediate post fixionem castrorum nubes moueretur. In omnibus autem istis mansionibus castra fixa sunt.

Profectique de Methca castrametati sunt in Esmona. Ista est 25.

25. mansio, quæ est pars quędam deserti, & habet vrbes quasdam similes in nomine in terra Chanaan, vt patet in diuisione sortium in libro Iosue. Est enim quidam locus in latere meridiano terræ Chanaan, quod est latus sortis Iudæ, qui vocatur Semona, vel Asemona, & est infra Cades. De hoc patet sequen. capit. sed differt ab ista mansione, quia ista satis distans à terra Chanaan: alia autem est in latere eius. *Profectique de Esmona venerunt in Moseroth.* Ista est mansio 26. & de ista dicitur Deuter.

26. C cap. 10. quod sepultus fuerit ibi & mortuus Aaron: quomodo autem hoc verum sit, quia supra cap. 20. dictum est, quod fuit mortuus Aaron in monte Hor: declaratum est Deuter. c. 10. etiam dicitur ibi, quod filii Israel castra mouerunt ex Beroth filiorum Iachan in Mosera: & tamen hic habetur per contrarium, quia primo ponitur Moseroth: & deinde Baneiachan quod signat Beroth filiorum Iachan. Quomodo autem hoc stet declaratum fuit eod. c. procedunt. n. hæc per diuersitatem nominum, quia eadem res hẽt sæpe multa nomina, & in vno loco scripturæ ponitur sub vno nomine, & in alio loco sub alio nomine, ex quo prouenit magna ambiguitas. Quid autẽ dicat Ra. Sal. de tribu Leui, & Beniamin quomodo pugnauerint in Moseroth, & quomodo ibi defleuerint mortem Aaron, diximus Deute. c. 10. *Et de Moseroth castrametati sunt in Beneiachan.* Ista est mansio 27. & vocatur alio nomine Beroth

27. filiorum Iachan. i. putei filiorum Iachan: sed Deuter. ca. 10. primo ponitur Beroth Iachan, quam Moseroth. Causa autem declarata est ibi. *Egressique de Veneiachan venerunt in monte Gadgad.* Ista est 28. mansio & Deuter. capit. 10. ponitur post Mo-

28. seroth. Hic autem videtur esse mutatus ordo, quod forte aliquis concederet, sed hoc videtur repugnare scripturæ. Ideo melius dicendum, quod ista ambiguitas introducitur p multitudinem nominum eiusdem rei. Est autem ista mansio quidam mons paruus in deserto Pharan, & illic specialiter vocatur Gadgad. *Vnde profecti castrametati sunt in Iethebatha.* Ista

29. est mansio 29. & ista ponitur Deuter. capit. 10. eodem ordine, quo hic. sc. post montem Gadgad. Et dicitur ibi, quod ista mansio est in terra aquarum, & torrentium. i. quod ibi sunt aquæ multæ tam fluentes, quam non fluentes. Et hoc dicitur ad differentiam aliarum mansionum deserti Pharan, vbi erat terra sine aqua: Deut. c. 8. Ductor tuus fuit in solitudine magna, atq; terribili, in qua erat serpens flatu adurens, & dipsas, & nullæ omnino aquæ. Quod autem in ista mansione essent multæ aquæ erat aliquid speciale. *Et de Iethebatha venerunt in Hebrona.* Ista est 30. mansio, & differt Hebrona ab Hebron. qa

D

30. Hebron est quædam ciuitas in terra Chanaan in sorte Iudæ, q̃ alio nomine vocatur Mambre, vel Cariatharbe, in qua erant gigantes tres, quos expulit Iosue de terra. de quo Iosue capit. 14. & 15.

Egressi de Hebrona castrametati sunt in Asiongaber. Ista est 31. mãsio. Est autem Asiongaber quædam ciuitas terræ Idumeæ in littore maris rubri, & ibi ponebat rex Salomon classem suam, vt irent in terram orientalem pro auro. De hoc 4. Reg. c. 9. dicitur: Classem quoq; fecit rex Salomon in Asiõgaber, quæ est iuxta Hailam in littore maris rubri in terra Idumææ.

31. *Hebrõa & Hebrõ differunt.*

An bis steterunt Iudæi in Cadesbarne.

QVÆSTIO V.

E

SEd arguet aliquis, q̃ non possit stare, quia primo steterũt Israelitæ in Cadesbarne quã in Asiongaber, vt patet Deuter. cap. 1. iuncto. cap. 2. nam dicitur Deuter. cap. 1. in fine, quod steterunt Israelitæ in Cadesbarne multo tempore, & immediate in principio secundi c. dicitur, quod inde. i. de Cadesbarne venerunt Israelitæ in solitudinem, quæ ducit ad mare rubrum, & circuierunt montem Seir longo tempore. Et tũc dixit dominus, quod transirent per terminos filiorum Esau, & postea subditur: Cumq; transissemus fratres nostros filios Esau, qui habitabant in Seir per viam campestrem de Helath, & de Asiongaber, venimus ad iter, quod ducit in desertum Moab: ergo primo steterunt in Cadesbarne quam in Asiongaber: hic autem ponitur è contrario.

Respondendum quod Israelitæ steterunt bis in Cadesbarne. Primo steterunt annõ 2. ab exitu de Aegypto. Secũdo steterunt anno 40. De primo patet, quia Israelitæ recedentes de deserto Sinai anno 2. mense 2. breuiter peruenerũt in Cadesbarne. s. ante quatuor menses, vt supra declaratum est, & magis supra ca. 13. sed ibi cum murmurauissent contra dominum condemnati sunt ad manendum 40. annis in deserto supra capi. 14. & tunc Deus iussit, ne procederent itinere recto versus terrã Chanaan, sed reuerterentur per viam maris rubri in solitudinem, & sic factum est supra cap. 14. deinde cum mansissent ibi vsque ad annum 40. nihil ambulantes redierunt in anno 40. in Cadesbarne, & tunc circuierunt terram Seir, & venerunt per terram duorum regum Amorrhæorum in terram Chanaan. Istud autem apparet: nam quod directe venerint in Cadesbarne apparet supra capit. 14. & tunc iuerunt ad mare rubrum, quod apparet ibidem & Deuter. cap. 2. cum dicitur, quod Deus iusserit ire de Cadesbarne versus mare rubrum, & cum Asiongaber sit in littore maris rubri 3. Reg. ca. 9. steterunt Israelitæ apud Asiongaber, non tamen in ipsa vrbe Asiongaber. Et hoc fuit toto tempore, quod fluxit inter annum secundum, & mensem primum anni 40. ab exitu de Aegypto: deinde in principio huius 40. anni, scilicet, mense primo venerunt Israelitæ iterum in Cadesbarne supra capit. 20. & postea cum circuirent terram Seir, iterum venerunt in Asiongaber, & sic fuerunt Israelitæ bis in Cadesbarne, & bis in asiongaber. scilic anno 2. & anno 40. & in quolibet horum annorum primo fuerunt in Cadesbarne, quam in Asiongaber, vt patet ex dictis, & secundum hoc concordantur ista duo loca: nam cum dicitur hic, quod primo steterunt in Asiongaber, & postea in Cadesbarne, intelligitur de prima vice, qua steterunt in Asiongaber, & de secunda vice, qua steterunt in Cadesbarne. Si tamen vtrunque intelligatur quantum ad primam vicem, vel vtrunque quantum ad secundam semper fuerunt primo in Cades quam in Asiongaber. Quod autem habetur Deuteronom. capitul. 2. intelligitur de prima vice, qua steterunt Israelitæ in Cadesbarne, & de secunda, qua steterunt in Asiongaber, & tunc adhuc magis manifestum est, quod primo fuerunt in Cades, quam in Asiõgaber.

F

Inde

A

Inde profecti venerunt in desertum Sin: hæc est Cades. Ista est mansio 32. sc. Cadesbarne: steterant autem Israelitæ bis in Cades, scilicet in anno secundo. & 40. vt supra declaratum est. Hic autem intelligitur de secunda vice, qua steterunt in Cades. Primam autem non computat litera, quia quamuis ibi manserint Israelitæ, tamen idem locus mansionis est, ponitur autem Asiongaber, quia ista est vna mansio, quã fecerunt Israelitæ retrocedendo, vel diuertendo, & in illa mãserunt ab anno secundo vsq; ad principium 40. & hoc modo nulla mansio Israelitarum in deserto præmittitur hic, siue recte eundo, siue retrocedendo. Et dicitur hic, quod mansio deserti Sin est Cades, quia Cadesbarne est in deserto Sin. Est autem desertũ Sin quædam pars solitudinis in deserto Pharan, & in illa est locus dictus Cadesbarne.

32.

An desertum Sin, & Pharã sint idẽ & qũo se habeant.

Aliqui autem dicunt desertum Sin, & Cadesbarne cõuerti quasi nihil magis pervnum, quam per alterum importetur. Sed falsum est, quia desertũ Sin est magna solitudo, quæ porrigitur per latus meridianum terrę Chanaan à principio partis orientalis versus occidentem, sed Cadesbarne est quidam locus specialiter in deserto illo, vt patet sequent. cap. cum dicitur, quod pars meridiana incipit à solitudine Sin, quæ est iuxta Edom: deinde interpositis quibusdam locis ponitur Cadesbarne, & tamẽ Cades est in deserto Sin, vt patet hic. & supra c. 20. ergo desertum Sin, & Cades non conuertuntur: sed

B

desertum est aliquid magnum: Cades autem est quidã locus specialis: sed an sit vrbs, vel aliqua pars deserti nõ apparet penitus. Satis autem potest dici, quod sit vrbs, vt patet supra c. 20. cum dicitur: ecce in vrbe Cades, quæ est in extremis finibus tuis positi obsecramus. Etiam patet, quia ponitur tanquã latus terræ Chanaan quamquam istud non est totaliter efficax. Tenendo tamen quod sit ciuitas, dicendum est, quod Israelitæ non castrametati sunt in Cadesbarne. i. intra vrbem illam, sed apud eam: nam illa pertinet ad regnum Edom, vt patet supra capitu. 20. rex tamen Edom non permisit transire Iudæos per terram suam, vt patet præalle. c. ergo apud ipsam steterunt. *Egressique de Cades castrametati sunt in monte Hor.* Ista

33. est mansio 33. & ad istam venerunt Israelitæ, cum inciperent vagari in circuitu terræ Edom: nam cum steterunt in Cadesbarne erant in extremitatibus terræ Chanaan, & de ipso loco transituri erant in terram illam, vt patet supra c. 20. rex tamen Edom non permisit eos transire in terram Chanaan per extremitatem terræ suæ, ideo coacti sunt ascendere versus orientem circuendo terram Edom. Et prima mansio harum ad quam venerunt fuit mons Hor, qui est in extremitate terræ Edom, vbi mortuus est Aaron: deinde in circuitu terræ illius vagati sunt, quousque venerunt ad terram duorum Reg. Amorrhæorum. *In extremis finibus terræ Edom.* Id est, mons Hor est in extremitate terræ Edom, scilic. in extremitate illa, apud quam Iudæi intraturi erant terram illam. Dicitur autẽ de Ca-

C

desbarne, quod est in extremis finibus terræ Edom supra capit. 20. & hic. Eodem modo dicitur de monte Hor, quod sit in extremis finibus: nec tamen ista aliquo modo repugnant; quia multa loca sunt in extremitate eiusdem regni. Est tamen Cadesbarne in extremitate Edom ad partem occidentalem, & mõs Hor est in extremitate Edom magis ascendendo contra orientem, quod patet, quia transire voluerunt Israelitæ p Cadesbarne in terram Chanaan: & est Cades terminus terræ Chanaan: cum ponatur in latere eius, vt patet sequenti capi. ergo necesse est, quod sit Cadesbarne in loco, vbi coniungitur terra Edom terræ Chanaan in parte occidentali: nam non potest intelligi de parte orientali, cum terra Edom sit in parte orientali lateris meridiani terræ Chanaan, vt patet sequen. cap. & Cadesbarne est in descensu eiusdem lateris meridiani. Mons autem Hor est in extremitate terræ Edom ascendendo versus Orientem, quoniam de Cadesbarne inceperunt Israelitæ circuire terram Edom, vt colligitur supra ca. 20. iuncto 21. & Deuter. cap. 1. iuncto 2. Sed non poterant circuire versus occidentem, cum sit Cadesbarne in parte magis occidentali terræ Edom, vt declaratum est, ergo circuierunt versus orientem. *Ascenditque Aaron sacerdos in montem Hor iubente domino, & ibi mortuus est.* In mansione montis istius fuit mortuus Aaron, & non intrauit in terram promissionis, nec vidit illam, aut partem illius cum non transierit Iordanem, nec etiam venerit in terram duorum regum Amorrhæorum, sed sepultus est in desertis Edom: dicitur autem quod ascẽdit in montem Hor, quia Israelitę fixerunt castra apud montem: super ipsum autem nemo fixit castra, quia non erat locus cõueniens. Cum autem debuit mori Aarõ iussit Deus illi, quod ascenderet in montem, vt ibi moreretur, & tumularetur absente populo in præsentia Moysi, & Eleazari filii eius: iussit autem hoc Deus, quia Moyses & Aaron deliquerunt contra dominum in Cades deserti Syn ad aquas contradictionis supra cap. 20. & 27. ideo dixit eis Deus, quod non introirent in terram Chanaan: sequenti autem mansione mortuus est Aaron. Moyses vero mortuus est post menses sex. i. mense 11. anni eiusdem, vt colligitur Deuter. c. 1. *Anno 40. egressionis filiorum Israel ex Aegypto.* Limitatur tempus, in quo mortuus est Aarõ. i. in año 40. & hoc eodem mortuus est Moyses, cuius est causa, quia peccatum ipsorum fuit anno 40. non enim peccauerunt, sicut cæteri murmurando cõtra dñm anno secundo ab exitu de Aegypto, de quo supr. ca. 14. sed in Cades deserti Syn ad aquas contradictionis sup. ca. 27. & istud fuit anno 40. exitus de Aegypto: ideo pro peccato non potuerunt mori ante annũ 40. *Mense quinto primo die mensis.* In hoc apparet, q̃ mortuus fuit Aaron ante Moysen ad minus per sex menses completos, quia Moyses anno 40. egressionis de Aegypto mense 11. die prima mensis cœpit exponere Deut. vt patet Deut. c. 1. Sed ista expositio durauit ad minus per duos, vel tres dies, ergo iam erant completi menses sex à morte Aaron. Facta autem ista explanatione immediate Moyses mortuus est, vt

E

colligitur Deuter. 31. iuncto 34. c. vbi recitato Deut. & tradito in manibus Leuitarum ascendit Moyses in montem, & mortuus est. Differt tamen inter mortem horum, quia Moyses vidit aliquam partem terræ promissionis, & per se illam acquisiuit. s. terram duorum regum Amorrhæorum, sup. c. 21. Aarõ autem non intrauit, nec vidit aliquid horum. *Cum esset annorũ 123.* His trib. annis excedebat Aaron Moysen, quia Moyses vixit annis 120. Deut. cap. 31. & Aaron 123. vt patet hic. Et iam ex his apparet, quod Moyses, & Aaron mortui sunt in eodẽ anno, quia Aaron natus fuit annis tribus ante Moysen, vt patet Exod. cap. 7. cum dicitur, quod in die, qua steterunt coram Pharaone erat Moyses annorum 80. & Aaron 83. Sed cum mortuus est Aarõ erat annorum 123. & Moyses 120. ergo mortuus est vterque anno eodem. sed prius Aaron, vt dictum est. *Audiuitq; Chananæus rex Arad.* Ista est gens, q̃ pugnauit contra Israelitas in deserto, & bis pugnauit. sc primo in Anno secundo ab exitu de Aegypto, cum fuerunt Israelitæ in Cadesbarne: nam Amalechitæ, & Chananęi descendentes de monte b. percusserunt eos vsq; Horma sup. c. 14. & illi Chananęi sunt, qui erant sub Chananæo rege Arad, vt declaratũ est. e. c. deinde pugnauerunt isti Chananæi contra Israelitas, & ceperunt prædam ex eis supra c. 21. postea Israelitæ vouerunt dño vrbes populi illius, si traderet eas in manus Israel, qui postea posuerunt eas sub anathemate, vt patet e. c. & ibi dicitur de Chananæo rege Arad, sicut hic. Iste. n. erat princeps Chananęorum, & ob hoc vocatur rex Chananæus: terra autem eius vocabatur Arad, q̃

F

non est de terra 7. populorum Chananęorum, sed extra illam ad partem meridianam illius. ideo Israelitæ, licet obtinuerũt terram istorum non habitauerunt in ea. habitauissent tamen si fuisset de promissa.

Quo tẽpore mortui sũt Moyses & Aaron.

Quid audiuit Chananæus rex Arad post mortem Aaron.

QVÆSTIO VI.

DIcitur autem, quod iste rex Chananæus audiuit, & non dicitur quid audierit. Ra. Sal. dicit quod audiuit q̃ post mortem Aaron recesserat columna nubis desuper Israelitas, ideo putauit eos diuino auxilio destitutos, & pugnauit cõtra illos. Sed hoc falsum est, quia nubes non recessit post mortem Aaron: nam Exo. ca. 13. dicitur, quod nunquam defuit eis columna nubis per diem, & columna ignis per noctem. Alii dicunt, quod audiuit Chananæus rex Arad. quod mortuus fuerat Aaron, qui erat summus sacerdos, & orabat pro populo: ideo ad inuadendum Israel audacior fuit: nam immediate fecit bellum, contra Israel sup. c. 21. Alio modo exponi debet, & conuenientius, quod audiuit rex Arad. s. venisse Israel p viam exploratorũ apud terrã ipsorũ Chananęorum, iõ inierũt bellũ cõtra Israel. Ista ẽ sentẽtia literę nostræ supr. c. 21. cũ dicitur, q̃ cum audisset Chananæus Rex Arad. s. venisse Israel per exploratoro-

A ploratorum viam, illud autem non habetur in Hebræo, ſed ſuppletum eſt à ſcriptore noſtro: idem habetur hic, ſed non curauit tantam facere ſuppletionem: quod patet ex litera Hebraica quæ habet eadem verba hic, & ſupra capi. 21. & quia nō exprimitur in ea quid auditum fuerit, Hebræi varie exponūt. ſecundum tamen literam noſtram manifeſtum eſt quid intelligi debeat, vt patet ſupra cap. 21. *Qui habitabat ad Meridiem in terra Chanaan.* Non erant iſti Chananęi intra terminos illorum ſeptem populorum, quos Deus promiſerat Iſraelitis, ſicut declaratum eſt ſupra capit. 14. ſed erant apud illos & de genere ipſorum, ſicut duo reges Amorrhæi non erant in terra Chanaan, quæ Iordane clauditur, & tamen erant de genere Amorrhæorum, qui erat vnus de ſeptem populis: & dicuntur habitare iſti ad meridiem in terra Chanaan, id eſt, ad meridiem ipſius terræ Chanaan. Nam vltra latus meridianum habitabant iſti cum Amalechitis ſupra c. 14. & tamen Amalechitæ etiam non ſunt in terra Chanaan, ſed habitabāt ad partem meridianam. 1. Reg. 15. cap. *Veniſſe filios Iſrael.* Id eſt, audiuit rex Chananæus quod Iſraelitæ veniebant. ſcil. appropinquantes ad terram illorum Chananæorum: ideo ipſi exiuerunt in pugnam contra Iſrael putantes, quod vellet Iſrael occupare regiones illorum: ſic enim iterum pugnauerant contra illos, vt patet ſupra cap. 14. hic tamen ſolum intelligitur de illa pugna, quæ fuit ſupra ca. 21. quia talia verba habentur hic,
B ſicut ibi. Etiam quia ſupra cap. 14. non fuit ſolum pugna Chananæorum contra Iſrael, ſed Chananæorum, & Amalechitarum, vt patet ibidem. *Et profecti de monte Hor caſtrametati ſunt*
34. *in Salmona.* Iſta eſt manſio 34. & eſt vna de illis, quæ factæ ſunt in circuitu terræ Edom. Et ſatis dici poteſt, quod in manſione iſta, vel circa iſtam dedit Deus contra populum ſerpentes ignitos, qui percutiebant illum plagis magnis ad mortē: quouſque Moyſes poſuit ſerpentem Aeneum, ad quem omnes reſpicientes ſanabātur à morſibus. Fuit autem iſta plaga poſt montem Hor ſupra cap. 21. quia cum dicatur ſupra capitu. 20. de morte Aaron in monte Hor. dicitur in 21. cap. de ſerpentibus ignitis: & poſtea in eodem dicitur quod poſt plagam ſerpentum venerunt in Ieabarim: ergo neceſſe eſt quod plaga iſta fuerit inter montem Hor, & Ieabarim, ſed ſolum ſunt tres manſiones intermediæ, ſcilicet Salmona, Phinon & Oboth, vt patet infra in litera: ergo in aliqua harum trium aut in omnibus fuit plaga ſerpentum. *Vnde venerunt in Phinon.* I-
35. ſta eſt manſio 35. quæ videtur eſſe manſio ſerpentum, & eſt in circuitu terræ Edom: nam vſque ad Ieabarim non acceſſerunt ad terram Moab, vt patet infra. *Profectique de Phinon in ca-*
36. *ſtrametati ſunt in Oboth.* Iſta eſt 36. manſio & eſt in circuitu terræ Edom: nam multo tempore circuierunt Iſraelitæ mōtem Seir, vt patet Deuteron. cap. 2. *Et de Oboth venerunt in Ieabarim.* Iſta eſt māſio 37. in extremitate terræ Edom, & Moab.
37. & iſta fuit poſtquam ceſſauit plaga ſerpentum, vt patet ſupra
C capit. 21. cum dicitur quod egreſſi filii Iſrael caſtrametati ſunt in Ieabarim: & ſicut non fuerunt ſerpentes in manſione iſta, ita non fuerunt in Oboth: ſed ſolum manent duæ manſiones. ſcil. Salmona & Phinon: quia poſt ceſſationem ſerpentum venerunt Iſraelitæ in Oboth, vt patet ſupra cap. 21. ſ. profectique filii Iſrael caſtrametati ſunt in Oboth: & ante hoc dictum fuerat de percuſſione ſerpentum. *Quæ eſt in finibus Moabitarum.* Id eſt, manſio Ieabarim eſt in confinio terræ Edom, & terræ Moab. Eſt namque ad partem orientalem terræ Moab, quia primo Iſraelitæ circuierunt montem Seir ad partem meridianam quouſque aſcenderent ad partem orientalem apud mare rubrum, & tunc circueuntes partem orientalem. ſc. à latere meridiano verſus ſeptentrionale venerunt in terram Moab. Satis hoc ſignificatur Deuter. ca. 2. vbi cum dictum fuerit de circuitu montis Seir ſubditur: dixit Dominus ad me ſufficit vobis circuire montem iſtum: ite contra aquilonem, & tunc habetur ibi quomodo veneruntad terram Moabitarum, & caſtrametati ſunt in Ieabarim: ergo Ieabarim eſt ad orientalem partem terræ Moab, & eſt in deſerto. ſic patet ſupra cap. 21. ſc. Vnde egreſſi fixerunt tentoria in Ieabarim in ſolitudine, quæ reſpicit Moab contra orientalē plagam: & ſic licet magno tempore circuierint Iſraelitæ montē Seir: tamen ſolum fecerunt manſiones quinque in circuitu illius. ſc. montem Hor, Salmona, Phinon, Oboth, Ieabarim.
38. *Profectique de Ieabarim fixere tetoria in Dibongad.* Hic incipit eſſe varietas in locis, quæ ponuntur hic tanquam manſiones, &

D ſupra capit. 21. nam ibi ponuntur multa loca, de quorum quibuſdam dictum eſt, quod erant manſiones coincidētes cum iſtis, quæ habentur hic: tamen vocantur aliis nominibus. De aliis vero diximus, quod non erant manſiones, ſed loca, per quæ tranſierunt Iſraelitæ. Iſta autem manſio Dibongad eſt in terra duorum regum Amorrhæorum: & ſecundum quoſdā eſt vna dictio. ſc. quod ſit aliquis locus vocatus Dibongad, apud quem Iſraelitæ caſtrametati ſunt. Alio modo dici poteſt, quod Dibon eſt nomen vrbis terræ regis Sehon, quæ olim pertinuit ad Moabitas: de qua etiam præcedenti cap. & Ioſue cap. 13. Gad eſt nomen vnius tribus de Iſrael: & dicitur Dibōgad. i. ciuitas Dibon pertinens ad tribum Gad. Hoc autem ꝙ tribus Gad conſtruxit illam ad ponendum ibi vxores, & filios præcedenti capit. tamen in diuiſione data fuit iſta ciuitas tribui Ruben, vt patet Ioſue 13. capitul. ponitur autem ſupra capitul. 21. poſt Ieabarim torrens Zareth, qui eſt ante introitum terræ duorum regum Amorrhæorum ad partem orientalem: ad quem locum ſolum acceſſerunt aliqui de murmuratoribus: nemo tamen de ipſis, qui condemnati ſunt in Cadesbarne tranſiit torrentem Zareth Deut. ca. 2. eſt autem iſta manſio 38. & quamquam ſit intra terram, quæ pertinuit ad Iudæos, computatur tamen manſio, quia ſemper vſque ad Iordanem deſcribuntur manſiones tanquam ibi eſſet finis itineris, cum ſit principium terræ Chanaan.

Vnde egreſſi caſtrametati ſunt in Elmondeblathaim. Iſta eſt mā- E
ſio 39. quæ eſt intra terram duorum regum Amorrhæorum 39.
in regno Sehon. Nam quamquam Iſraelitæ poſtquam fuerūt in terra illa mouerentur varie, cum irent ad diuerſa loca ad pugnandum per totam terram illorum duorum regum: tamen caſtra non mouebantur cum eis, ſed aliquando manebant hic, & aliquando alibi. & ſic factæ ſunt omnes manſiones, quæ habentur hic poſt Ieabarim vſque ad vltimam. *Egreſſique de Elmondeblathaim venerunt ad montes Abarim contra Nebo.*
Iſta eſt manſio 40. quæ fuit ad radices montis Abarim circa 40.
terram Moab: fuerunt enim olim iſti montes totaliter in terra Moab: ſed poſtea cum rex Sehon accepiſſet partem illius terræ manſerunt montes Abarim diuidentes terram Moabitarum, & duorum regum Amorrhæorum, & ſuper iſtos montes aſcenderunt rex Balac, & Balaam ariolus ad vidēdum caſtra Iſrael, & maledicendum inde illis: ſunt autem magni iſti montes, nam vſque ad Iordanem extenduntur: & in diuerſis partibus accipiunt diuerſa nomina: nam aliquando vocantur mons Phaſga, & aliquando Nebo, & aliis nominibus: eſt autem vna pars illius montis Nebo, circa quam poſita fuerunt nunc caſtra. De hoc etiam habetur Deuterono. capitul. 34. *Profectique de montibus Abarim tranſierunt ad campeſtria Moab.* Iſta eſt manſio 41. quæ fuit in campeſtribus Moab, 41.
& eſt in terra regis Sehon. Vocantur autem campeſtria loca, quæ planiora ſunt montibus: & tamen non ſunt totaliter plana. In his campeſtribus fuerunt factę duæ manſiones, de quibus patet infra, & vtraque dicitur eſſe in campeſtribus accipiendo large campeſtria prout ſunt loca extenta à deſcenſu montium Abarim vſque ad Iordanem. Dicuntur autem iſta eſſe campeſtria Moab, id eſt exiſtentia in terra Moab: quia licet illa terra eſſet tunc Sehon regis Amorrhæi: tamen ipſe accepit eam de manu Moabitarum: ſupra capit. 21. ideo manſit nomen primum terræ illi. Alio modo poteſt dici, quod vocantur campeſtria Moab, quia illa ſunt apud quendā montem, ſcilicet Abarim, qui diuidit inter terram Moab, & regis Sehon: & denominantur campeſtria ab illo monte, cum deſcendant ab ipſo, & ille eſt mons Moabitarum: ſed primus ſenſus eſt melior. *Super Iordanem contra Iericho.* Dicitur eſſe iſta manſio ſuper Iordanem, non quod ſit coniuncta Iordani, quia vltra illam eſt alia manſio, quæ eſt magis coniuncta Iordani: & tamen illa non eſt penitus apud Iordanem, quia etiam vlterius eſt alius locus, in quo manſerunt Iſraelitæ, licet non vocetur manſio: & hoc tempore Ioſue in ripa Iordanis: de quo Ioſue capitul. ſecundo. ſed dicitur eſſe ſuper Iordanem, quia Iordanis eſt in vallibus: & iſta manſio 41. eſt in deſcenſu montis Abarim in loco eminentiſſimo, ideo Iordanis ſub illa dicitur eſſe. Etiam dicitur de iſta manſione, quæ eſt contra Iericho, quia Iericho eſt ciuitas in terra Chanaan circa Iordanem: nulla enim magis cōiuncta eſt Iordani. Vnde erat in conſpectu montiū Abarim. *Ibiq; caſtrametati ſunt de Bethſimō vſq; ad Belſethim.* Id eſt, in iſtis campeſtrib. ponūtur F

duæ

A ouæ manſiones.ſ.Bethſimon,& Belſethim: & dicitur ibi. i.in campeſtrib.Moab caſtrametati ſunt de Bethſimon vſque ad Belſethim,id eſt primo poſuerunt caſtra in Bethſimon: deinde in Belſethim.Eſt autem iſta manſio 42. & vltima. In hac enim erant Iſraelitæ quando maledicere voluit illis Balaam:& quando venerunt ad eos virgines Moabitarum, & Madianitarum ſupra cap.25. *In planioribus locis Moabitarum.* Id eſt iſta manſio Belſethim erat in locis planioribus, quod dicitur de campeſtribus,quia illa continuantur à montibus Abarim vſque ad Iordanem,& pars prima campeſtriũ eſt in locis aſperis,quia ibi eſt deſcenſus montis:pars vero ſecunda, quæ eſt apud Iordanem eſt in locis planioribus, cum diſtet magis à montibus.In prima autem eſt Bethſimon, & in ſecunda Belſethim,& dicuntur planiora loca Moabitarum, nõ quod ſint in terra Moabitarum cum illa eſſet terra Iudæorum, quando ibi caſtrametabantur,& prius fuiſſet terra regis Sehon,ſed quia primo fuit terra Moabitarum, manſit ibi nomen illud. Dicunt autem aliqui quod Bethſimon,& Belſethim ſunt duo loca,inter quæ claudebatur exercitus Iſraelitarum ab vno ad alium:& forte erant ibi tria vel quatuor milliaria terræ, quia multitudo magna erat hominum pecorum,& iumentorum. Rab.Sal.dicit quod durabat ille exercitus per 12. milliaria:ſed non eſt veriſimile,quia erat diſpoſitus in modo quadraturæ, vt declaratum fuit ſupra cap.2.ſed quidquid ſit de magnitudine caſtrorum non eſt ſenſus, quod caſtra Iſrael durabant de Bethſimon vſq; ad Belſethim, ſed quod caſtrametati ſunt de Bethſimon,vſq; ad Belſethim,id eſt, quod prius fixerunt caſtra in Bethſimon,deinde in Belſethim:alioquin darentur,ꝙ eſſent 41.manſiones præciſe.Sed falſum eſt: quia 42.ponuntur ab omnibus.

42.

Bethſimõ, & Belſethim an ſint duo loca.

B

Quid dicat Nicolaus de tota ambulatione Iudæorum per deſertum, quomodo fecerint manſiones: & an ſit verum quod dicit.

Qvæstio VII.

C Irca iſtud dicit Nicolaus quod Iſraelitæ ambulauerunt omnes iſtas manſiones à primo anno vſque ad finem 40.exitus de Aegypto:ſed differenter,quia in primo anno,& in principio ſecundi vſquequo miſſi fuerunt exploratores tranſierunt Iſraelitæ quatuordecim manſiones, & in anno 40.tranſierunt manſiones octo.ſ.à monte Hor vſque ad Iordanem:& tempore intermedio, quo fuerunt vagi in deſerto ambulauerunt per omnes alias manſiones intermedias. Ponit autem fuiſſe manſiones primi,& ſecundi anni vſq; Rethma,& quod inde miſſi ſunt exploratores. Vult etiam quod omnes manſiones, quæ habentur de Rethma, quæ eſt 14. vſque ad montem Hor fuerint poſt miſſionem exploratorum in anno ſecundo vſque ad annum 40. Sed iſta falſa ſunt: præſupponitur enim,quod miſſi ſunt exploratores de Rethma, ſed falſum eſt.Cauſa erroris eſt,quia ſupra ca.13. dicitur quod miſſi ſunt exploratores de deſerto Pharan, & tamen in illud venerunt poſt Aſeroth,vt patet eod.cap.ſed poſt Aſeroth venerunt in Rethma,ſed veritas eſt,quod miſſi ſunt exploratores de Cadesbarne: ſic enim patet Ioſue cap. 14.ſed quia Cadesbarne eſt in deſerto Pharan, vt patet ſupra ca.13. dicuntur miſſi de deſerto Pharan cum miſſi ſunt de Cadesbarne. Item patet hoc Deuter.ca.1.vbi ponitur Cadesbarne, de quo miſſi ſunt.& ſupra 13.cap.dicitur quod venerunt in Cades: ergo idem locus eſt,de quo miſſi ſunt,& ad quem redierunt. Item ſupponitur hic quod in tempore, quo ambulauerunt vagi tranſierunt de Rethma vſque ad montem Hor. Sed hoc eſt contra literam Deut.cap.2.vbi dicitur quod tempus,quo ambulauerunt vagi de Cadesbarne vſque ad tranſitum torrentis Zareth,fuit 38.annorum:& nunquam ipſi vagati ſunt,niſi in iſtis 38.annis:ergo vagatio incœpit à Cadesbarne, quæ eſt per 18. manſiones poſt Rethma. Fuit autem ordo, quod Iſraelitæ ambulauerunt in primo anno vſque ad deſertum Sinai,& in ſecundo in paruo tempore ambulauerunt à monte Sinai vſque Cadesbarne, in quo ſunt manſiones 22. deinde incœperunt vagari poſt reditum exploratorum:& hoc fuit vſque ad principium anni 40. Prior autem poſitio Nicolai erat ipſius R.a.Sal.quẽ Nicolaus ſequitur ad literam. *Vbi locutus eſt Dominus ad Moyſen.* Scilic.in manſione vltima in Belſethim locutus eſt Dominus iſta,quæ ſequuntur.

C

D

Præcipe filiis Iſrael, & dic ad eos: Quando tranſieritis Iordanem intrantes terram Chanaan, diſperdite cunctos habitatores terræ illius: confringite titulos, & ſtatuas cõminuite,atque omnia excelſa vaſtate, mundantes terrã, & habitantes in ea. Ego enim dedi vobis illam in poſſeſsionem,quam diuidetis vobis ſorte. Pluribus dabitis latiorẽ, & paucioribus anguſtiorem. Singulis vt ſors ceciderit,ita tribuetur hæreditas. Per tribus & familias poſſeſſio diuidetur. Sin autem nolueritis interficere habitatores terræ: qui remanſerint,erunt vobis quaſi claui in oculis, & lanceæ in lateribus,& aduerſabuntur vobis in terra habitationis veſtræ: & quidquid illis cogitaueram facere, vobis faciam.

Præcipe filiis Iſrael. Hic ponitur ſecundum huius cap.in quo præcepta dantur,& dicitur. *Præcipe filiis Iſrael & dic ad eos.* Id eſt denuncia illis hoc per modum præcepti obligatiui. *Quando tranſieritis Iordanem.* Iſtud præceptum eſt pro terra Chanaan, ad quã tranſituri erant Iudæi,& moraturi ibi.ſ. quod deſtruerent habitatores, & idola. & quamquam dicatur de tranſitu Iordanis,etiam intelligitur ante tempus iſtud in terra duorũ regum Amorrhæorum. Nam illa pars pertinebat ad terram promiſſionis,ſicut terra Chanaan,ideo Iudæi debebant delere omnes habitatores terræ illius,& cõfringere idola,ſicut factum eſt:ſed ſolum dictum fuit de terra Chanaan, quia quando Iſraelitæ manebant in Belſethim, & data ſunt iſta præcepta fuerat iam capta terra duorum regum Amorrhæorum,& occiſi habitatores atque confracta idola, ideo de eo quod pceſſerat non poterat dari lex,ſed tranſitus in terram Chanaã nondum fuerat,ideo cõueniebat lex pro illo tempore: etiam quia dum Iſraelitæ fuerunt in terra duorum regum Amorrhæorum Moyſes viuens erat:vnde non oportebat dari præceptum pro his,quia ſine præcepto ipſe faceret hoc. Poſt trãſitum autem Iordanis Moyſes non poterat ſuperuiuere ſecũdum Dei ſententiam Deut.cap.4. ideo danda erat lex. *Intrantes terram Chanaan.* Dicitur hoc, quia poſt tranſitum Iordanis ſequebatur terra Chanaan: eſt enim Iordanis terminus orientalis terræ illius,vt patet ſequen.cap. nunc autẽ cum eſſent Iſraelitæ in terra duorum regum Amorrhæorum non dicebantur eſſe in terra Chanaan, quia licet iſti duo reges eſſent de terra Chananæorum,quia erant Amorrhæi:tamen non erant in terra Chananæorum, cum eſſent extra antiquos terminos terræ Chanaan.Ponuntur autem iſti termini Gen. 10. capitul.& magis determinate ſequ.capi. Dicitur autem terra Chanaan non ſpecialiter à populo Chananæo, qui eſt vnus de ſeptem, ſed generaliter ab omnibus ſeptem populis,qui vocantur communi nomine Chananæi. *Diſperdite cunctos habitatores regionis illius.* Id eſt occidite omnes tam maſculos,quã fœminas,paruulos,& veteres.erat enim hoc ſpeciale in terra, quam Iudæi accepturi erant in poſſeſſionem, quia cũ pugnarent contra aliquam de aliis gentibus, ſiue illæ gentes vellent gratis ſubiici Iudæis,ſiue non,ſolum poterant occidere viros pugnatores: fœminarum autem nullam occidebant, nec paruulos: ſed accipiebant in ſeruos. Sic patet Deuterono. capit.20. in terra autem Chanaan debebant occidere omnes tam maſculos, quam fœminas à ſene vſque ad paruulum, vt patet eod.cap.

Præcepta data filijs Iſrael ī vlt mã ſionẽ.

E

F

Quare Deus iußit, quod occiderentur omnes Chananæi tam magni,quam paruli.

Qvæstio VIII.

Q Været aliquis,quare fiebat vniuerſalis mors in Chananæis.Reſpondendum eſt quod triplex ratio erat, quare in his fieret mors vniuerſalis, & non in aliis gentibus. Prima eſt, quia peccata iſtorum magis quam peccata aliarum gentium vicinarum creuerant: vnde peccata patrum demerurant filios nõ viuere:maxime quia Deus nouerat nullum de illis(vt cõmuniter dicam)ad eum pertinere: ſciebat enim eorum extrema in malo concludenda.De infantibus loquor,

1. ratio.

A

quorum nullus vitam æternam adipiſci poterat, quia originali peccato obligati liberi arbitrij actum nullum adhuc habuerant, quo vita æterna digni iudicari poſſent: nec etiam eos parentum fides adiuuabat ad deletionem maculæ originalis, cum parentes infideles eſſent. Adulti autem de Chananæis, qui gladio perierunt nobis in dubio ſunt: potuerunt enim eſſe inter eos aliqui viri iuſti, qui vitam æternam conſequerentur: plurimos enim gentilium ante prædicationem euangelii credimus hoc modo vitã æternam fuiſſe aſſecutos: quia quantum ad fidem ſolum obligabantur credere, quod Deus eſt, & quod in ſe ſperantibus remunerator ſit, Ad Hebræos cap. 11. Iſta autem faciliter ſciri poſſunt, quia naturaliter cognoſcuntur: Ad Romanos cap. 1. ſcilicet inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt à creatura mundi intellecta conſpiciũtur: ſempiterna quoque virtus & deitas. In tantum autem iſta naturalis cognitio valet, vt aliqui propter defectum credulitatis perierint, quia quod notum eſt Dei manifeſtum eſt illis. Patet eod. cap. maxime autem, quia inter iſtos Chananæos, ſcilicet, in extremitate terræ Chanaan, & terræ Edom dicunt fuiſſe beatum Iob. Sepulchrum namque eius in magna veneratione apud Iordanem in terra Chanaan demonſtratur. Sic namque multi alii gentiles eſſe potuerunt. Et credendum eſt, quod fuerunt. De quibus declaratum eſt latius in libro noſtro de quinque metapho. paradoxis. in paradoxa 5. in particula, quæ volauit: potuerant igitur hoc modo multi de Chananæis ſalui eſſe. De rariſſimis tamen hoc credi debet: nam iſti populi erant maxime peccatores dediti omni immũditiæ libidinis: erant quippe concubitores maſculorum, pecorum, & iumentorum: & cum ſororibus aliiſque coniunctiſſimis perſonis. De his & aliis generibus impudicitiæ eorum patet Leuit. 18. cap. vnde concluditur in fine. ca. Omnia hæc fecerunt accolæ terrę huius, qui fuerunt ante vos, & polluerunt eam: cauete ergo, ne & vos ſimiliter euomat cum paria feceritis, ſicut euomuit gentem, quæ fuit ante vos: ſignãs quod ibi fuit maxima peccatorum multitudo: vnde tempore Abrahæ vel Iſaac non fuit data eis terra iſta, quia nondum iniquitates Chananæorum tantum creuerant, vt demererentur occidi, & terram perdere. Sic dicitur Geneſ. 15. cap. Nondum impleta ſunt peccata Amorrhæorum vſque ad præſens tempus. Secunda ratio quare tota iſta gens debuit occidi, erat quia in terra illa moraturi erant Iudæi, & ſi ibi manerent aliqui de Chananæis poſſent eos ad idololatriam, & alia vitia trahere, ideo prohibebantur ducere vxores de mulieribus terræ illius: Exod. 34. cap. & Deutero. cap. 7. Tertia ratio eſt, quia ſi aliquæ gentes de Chananæis relinquerentur in terra inſurgerent poſtea contra Iudæos. Sic patet infra, ſcilic. erunt vobis quaſi claui in oculis, & lanceę in lateribus, & aduerſabuntur vobis in terra habitationis veſtræ: & ſic factum eſt, quia cum Iudæi non expulliſſent omnes Chananæos de terra, ipſi poſtea repugnabant contra illos, vt patet in libro Iudicum, & Regum.

Quõ antiqui p fidem Dei poterant ſaluari.

B

De vitijs ſpurciſſimis Chananæorũ.

2. ratio

C

3. ratio.

Et confringetis titulos. Id eſt, frangite imagines. Tituli dicuntur lapides erecti in venerationem Dei veri, vel idolorum. & differunt tituli à ſtatuis, quia ſtatuæ ſunt lapides, vel ligna aut metalla lineata ad figuram alicuius rei, quæ colitur, ſiue viuẽtis ſiue non viuentis. Titulus autem eſt lapis impolitus. Iſti tituli aliquando erigebantur ad Dei reuerentiam, vt patet de titulo, quem erexit Iacob, de quo Geneſ. 28. dicitur: Surgens mane tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo: & erexit in titulum fundens oleum deſuper. Et iterum ibidem: Et lapis iſte, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei. Aliquando autem titulus accipitur pro lapidibus, qui ponuntur ad ſignificationem alicuius idoli: ſic patet Leuit. cap. 26. cum dicitur: non facietis vobis idolum, nec ſculptile: nec titulos erigetis: nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, vt adoretis eum. Aliquando autem vocatur titulus quicunq; lapis, vel alia res erecta ad memoriam alicuius præteriti: ſic enim dicitur Gẽ. 35. ſ. mortua eſt Rachel, & ſepulta in via, q̃ ducit Ephrata: erexitq; Iacob titulũ ſup ſepulchrum eius: Hic eſt titulus monumẽti Rachel vſq; in præſentem diem. Accipitur autem hic titulus ſecundo mõ, vt pertinet ad idololatriam. *Et ſtatuas comminuite.* Comminuere eſt in partes minutas frangere: ſic enim futurum erat de ſtatuis, ſ. vt in partes valde minutas frãgerentur. Hoc autem erat vt non maneret aliquid, quod haberet vim repræſentatiuam ſtatuæ.

Tituli differũt à ſtatuis.

Atque omnia excelſa vaſtate. Dicuntur excelſa altaria, vel quæcunque ædificia facta in montibus altis ad cultum idolorum, vel Dei: colebantur enim apud antiquos dij in montibus excelſis, & locis ſeparatiſſimis: quod propter duo accidebat. Primo quia reputabãtur loca illa religioſiora, & conuenientia ſacris deorum. Secundo quia quidam dij erant, quorum ſacra erant turpia, ſicut ſacra dei Priapi: ideo in locis ſeparatis, ſcilicet in montibus inter condenſas arbores optimè fiebant. Talia enim ibi agebantur, quæ alibi fieri pudor eſſet: vnde ſi aliquando contingeret ſacra dei Priapi fieri intra vrbem fiebãt in ſubterraneis locis: ſic enim apud Iudæos vſitatum fuit: nam Aſa rex amouit matrem ſuam Maacha, ne eſſet princeps in ſacris Priapi & in luco eius, quem conſecrauerat, ſubuertitque ſpecum eius, & confregit ſimulachrum turpiſſimum. 3. Reg. 15. cap. erant autem iſta excelſa apud Gentiles nimis in vſu: nam ſupra cap. 22. dicitur quod rex Balac duxit Balaam ad excelſa Baal, ideſt ad loca excelſa, in quibus colebatur Baal: & iterum de excelſis Phegor dicitur ſupra 23. c. Apud Iudæos erant quoque iſta excelſa, ſed diuerſimode, quia aliqui colebant Deum verum in excelſis, alij autem colebant idola: ſed vtrunque erat prohibitum, cum non liceret fieri ſacrificium Deo extra atrium tabernaculi: Leuit. cap. 17. Quod autem etiam coleretur Deus verus in excelſis patet, quia 4. Regum 23. dicitur de Ioſia rege, quod contaminauit omnia excelſa, in quibus ſacrificabant ſacerdotes de Gabaa vſque Berſabee: & poſtea dicitur: Veruntamen non aſcendebant ſacerdotes excelſorum ad altare Domini in Ieruſalem, ſed tantum comedebant azyma in medio fratrum ſuorum. Si tamen iſti ſacerdotes excelſorum eſſent ſacerdotes idolorum non permitterentur viuere, & comedere inter alios ſacerdotes Domini: præcipue quia dicitur eodem capitulo. quod deleuit de terra aruſpices, qui poſiti erant ad immolandum diis, & ſignis cœli. Et iterum dicitur, quod Ioſias occidit omnes ſacerdotes excelſorum, qui erant ibi ſuper altaria, & combuſſit oſſa humana ſuper ea prælleg. capitul. excelſa tamen quęcunque eſſent, deſtrui debebant. Nam ſi eſſent excelſa, in quibus colerentur dæmones deſtrui debebant, quia cultus iſte ſoli Deo impendendus erat: ſi vero excelſa, in quibus coleretur Deus verus deſtrui debebant: quia licet coli Deum licitum ſit, tamen locus illicitus erat, cum Deus iuſſiſſet, quod non immolaretur quidquam extra atrium tabernaculi, & quicunque immolaſſet, eſſet reus mortis, tanquam ſi ſanguinem effudiſſet Leuitic. capitu. 27. vnde reges Iſrael, & Iudæ quando erant boni, dicitur de illis quomodo facerẽt multa opera laudabilia: & tamen ſubditur, quod excelſa non abſtulit: de optimo autem rege dicitur, quod excelſa demolitus eſt. De primo habetur 4. Regum 25. capitul. de ſecundo. Regum 24. capitul. & per proceſſum 3. & 4. Regum. Vnde de Ioſia, qui optimus fuit inter reges Iuda dicitur, quod deſtruxit excelſa. 4. Reg. 24. cap.

D

Dij apud antiquos colebãtur in locis excelſis & ſeparatis duabus rationib.

E

F

Mundantes terram. i. tolletis omnem immunditiam idolorum de terra. Etiam cum hac fiebant multę immunditiæ libidinum: potiſſimum in ſacrificiis Priapi. Ablato autem cultu idolorum tollebatur occaſio aliarum immunditiarum.

Et habitantes in ea. i. habitabitis in terra illa, cum eam mundaueritis, ſc. quia alias non poſſetis habitare in ea munde. *Ego enim dedi vobis illam in poſſeſſionem.* Iſtud eſt redditiuum cauſæ ſuperiorum, ſc. debetis eam mundare curantes de illa tanquã veſtra, quoniam veſtra eſt cum ego dederim eã vobis in poſſeſſionem. i. vt poſſideatis in æternum. Vel refertur ad illam particulam: & habitãtes in ea, ſc. quod habitabitis in terra iſta eo quod veſtra eſt & ego aſſignauerim illam vobis in poſſeſſionem ad habitandum.

Quam diuidetis vobis ſorte. Id eſt, inter omnes vos diuidetur terra iſta per ſortem intelligendo de nouem tribubus, & dimidia, quia duæ tribus, & dimidia iam acceperant poſſeſſionẽ ſuam in terra duorum regum Amorrhæorum: & nihil vltra accepturæ erant, vt ipſæ confeſſæ ſunt præceden. cap. ſcil. nec quidquam quęrim⁹ trans Iordanem: quia iam habemus poſſeſſionem noſtram in orientali e⁹ plaga. De ſortibus autem quid operentur, & an habeant aliquid efficaciæ, & quare Deꝰ iubebat Iudæis, vti ſortib. circa iſta declaratum eſt Leuit. c. 16. & ſupra 26.

Pluribus dabitis latiorem: paucioribus autem anguſtiorem. Scilic. terra diuidenda erat per tribus, & familias, ſed non erant oẽs

tribus

A

tribus æquales, nec familiæ: ideo non erat danda æqua portio, sed secundum differentiam multitudinis, & paucitatis. Quomodo autem ista stare possint, quod per sortem omnia diuidantur, & tamen cuilibet familiæ & tribui secundum multitudinem, & paucitatem detur conueniens portio, declaratum est supra vigesimosexto.capitu.& magis Iosue decimoquinto cap.

Singulis, vt sors ceciderit ita tribuetur hæreditas. Id est, cum positæ fuerint sortes, siue aliquibus multum de terra prouenire videatur, siue paucum nihil erit immutandum: sed sicut sors dederit, ita tribuetur, & hoc quia sors erat regula certissima, cum dirigeretur à Deo ad hoc quod eueniret isti, vel illi, vt declaratum est supra capitulo vigesimosexto, & Iosue decimoquinto.

Per tribus, & familias possessio diuidetur. Id est, terra, quæ accipienda est in possessionem diuidetur primo per tribus, & postea per familias. Nam cum in terra Chanaan acceptura essent possessionem solum nouem tribus, & dimidia, diuidenda erat terra primo in decem partes tanquam inæquales: deinde cum in qualibet tribu sint multæ familiæ, vt patet supra capitulo vigesimosexto. diuidi debebat possessio cuiuslibet tribus in tot partes, quot erant familiæ tribus illius: & si essent familiæ æquales in multitudine erant partes inæquales: in omnibus tamen his sors ponebatur.

B

Sin autem nolueritis interficere habitatores terræ. Iusserat Deus Israelitis, quod occiderent omnes habitatores terræ: si autem nollent sequeretur inconueniens, quod habetur hic: & istud erat in pœnam datum Iudæis: fuit autem postea secutum, quod Israelitæ noluerunt expellere omnes Chananæos, quos poterant de terra, sed multos eorum acceperunt tanquam tributarios. De his patet Iosue capitulo decimoseptimo.& 16.& Iudic.capit.1.de filiis Ioseph, & Manasse, & Ephraim: qui non deleuerunt Chananæos, sed acceperunt eos in tributarios.

Qui remanserint erunt vobis quasi claui in oculis, & lanceæ in lateribus. Id est, illi qui manserint de stirpe Chanaan facient mala hæc. Et dicitur de residuis, quia non erat verisimile, quod

C

Israelitæ relinquerent omnes Chananæos sine bello, quia tunc non possent habitare in terra eorum cum alii non concederent: sed aliquos eorum occisuri erant: reliqui vero, quia pauci essent non possent præualere contra Iudæos: & isti traderent se in tributarios Iudæis, in quibus possent peccare Israelitæ relinquendo eos. Dicitur autem erunt vobis, tanquam claui in oculis, scilicet semper vos infestando, & pungendo ad eruendum oculos, & lanceæ in lateribus, scilicet ad pungendum, & transfigendum, quasi dicat non permittent vos quietos in terra, sed semper solicitabunt pugnis: idem repetit Iosue, licet per alia verba admonens, quod expellerentur gentes illæ de terra Chanaan Iosue capitulo vigesimotertio. scilicet Erunt vobis in foueam, & laqueum, & offendiculum ex latere vestro, & sudes in oculis vestris.

Et aduersabuntur vobis in terra habitationis vestræ. Id est, licet vos maneatis in terra vestra, tamen adhuc in ea non relinquent vos quietos: sed semper aduersabuntur, & merito quia vos domesticos hostes vobis relinquitis: sic enim factum est: nam sæpissime insurgebant gentes istæ relictæ contra Iudæos, & affligebant eos plaga magna, potissime cum recessissent à Deo: quia tunc tanquam ministri illius præualebant gentes istæ contra Iudæos. Sic enim patet sæpissime tempore Iudicum, cum Iudæi subditi sunt dominio Chananæorum, vt patet ex processu libri Iudicum. Sic etiam tempore Regum Israel: nam pugnabant contra eos Philisthiim, qui erant de genere Chananæorum, & relicti fuerant in terra. Nam toto tempore Saulis fuit bellum potens contra Philisthiim. primo Regum capitulo decimoquarto. Dauid quoque tempore regni sui pugnauit contra eos & tulit dominium, quod habebant super Israel, scilicet, quia erant Israelitæ tributarii eorum, & ipse è contrario fecit eos tributarios. secundo Regum capitulo octauo. tempore autem Salomonis iam istæ gentes non repugnabant, quia subditæ erant.2. Paralipo. cap.8.ideo tempore posteriorum regum non legitur, quod pugnauerint Philisthiim contra Iudam, vel Israel.

D

Et quidquid illis facere cogitaueram vobis faciam. Id est, omnes pœnas, & mala, quæ illaturus eram super eos, inferam super vos. Deus enim adiuturus erat Iudæos ad expellendum de terrra Chanaan gentes illas, & facturus erat illis mala, scilicet tradendo ipsos in manus Iudæorum. Nunc autem quia Iudæi deliquerunt nolentes obedire Deo excludendo gentes illas, tradidit eos sæpe in manus illarum gentium, vt patet ex dictis: reliquerunt autem Israelitæ multos de Chananæis cupiditate tributorum, vt patet de filiis Ephraim, & dimidia tribu Manasse: Iosue decimosexto & 17.cap. & Iudicum cap.1.

Gentes Chananæorum relictæ sunt in terram Chanaan: partim ex Dei voluntate: partim ex Iudæorum negligentia.

QVÆSTIO IX.

E

ISTæ tamen gentes partim manserunt ex Dei voluntate, & præcepto, partim ex Iudæorum iniquitate.

Primum patet quia dato quod Iudæi voluissent à principio in ducatu Iosue excludere omnes Chananæos de terra, non potuisset, immo peccarent si vellent, quia Deus hoc vetuerat Exodi vigesimotertio capitulo & Deuteronomii septimo, scilicet, non eiiciam eos à facie tua anno vno ne terra in solitudinem redigatur: & crescant contra te bestiæ: paulatim expellam eos à conspecto tuo, donec augearis, & possideas terram: & ideo quando Iosue pugnauit contra Chananæos cessante eo à pugna manebit adhuc latissima regio Chananæorum non subdita Israel, de quo Iosue capitulo decimotertio sed adhuc non peccabant Iudæi non pugnantes contra gentem illam: sed potius exequebantur mandatum Domini nolentes terram vno anno acquirere, sed successiue quousque augerentur, & ob hoc Deus dixit: ego sum, qui delebo gentes istas à facie tua Iosue capitulo decimotertio. postea autem relictæ sunt gentes in terra ex iniquitate Iudæorum: nam licet à principio non possent sibi subiicere, nec deberent omnes gentes Iosue capitulo decimoseptimo. & Iudicum capitulo primo. tamen cum postea paulisper confortati sunt præualuerunt contra gentes: noluerunt tamen excludere de terra, sed fecerunt eas tributarias præallegato capitulo. postea autem merito huius iniquitatis, quamquam vellent aliquando Iudæi subiicere sibi

F

gentes illas non valebant, quia à principio cum potuissent, noluerunt. Quia tamen ad Deum pertinet, vt ea, quæ ex nobis mala sunt per immensam sapientiam suam ad aliquem bonum vsum conuertat, ita vt non sit aliquid in toto orbe, nec in actionibus humanis, quod directe, vel indirecte non tendat in bonum iuxta Boetium de consolatione libro quarto prosa sexta.

Chananæi inter Iudæos dimissi ab eis relinquuntur.

Quamquam Iudæi malum egissent relinquendo gentes istas in terra sua, tamen Deus conuertit hoc ad aliquod bonum, scilicet, ad duos fines conuenientes. Primo ad correctionem Iudæorum, scilicet, quod quando conuerterentur ad idola gentes illæ, quæ erant in terra ipsorum insurgerent contra eos, & affligerent, & sic cogerentur clamare ad Deum, vt eriperet eos de manu illarum, & colerent ipsum: sic patet Iudicum capitulo secundo, scilicet. Quia irritum fecit gens ista pactum meum, quod pepigeram cum patribus eorum, ego non delebo gentes, quas dimisit Iosue & mortuus est, vt in ipsis experiar Israel, vtrum custodiant viam Domini, & ambulent in ea, sicut custodierunt patres eorum an non.

Secundus finis fuit ad vtilitatem Iudæorum: nam ipsi si viuente Iosue subiecissent sibi omnes gentes Chananæorum, nulla eis in posterum relinquerentur bella: vnde præ defectu exercitii desides, & inertes fierent, & inepti ad omne bonum multumque recedentes à perfectione virili, cuius actus magis proprius est pugnare: reliquit ergo Deus aliquas gentes Chananæorum in terra Iudæorum, cum quibus posteri eorum possent habere consuetudinem præliandi:

A

& sic non degenerarent à probitate virili: noluit tamen dimittere valde multas gentes, ne istæ pro robore suo possent sibi subiicere Israel. De hoc Iudic. capitulo tertio. Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israelem, & omnes qui non nouerant bella Chananæorum: & postea discerent filii eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi: ista autem ad bonum Iudæorum erant, quæ non fuissent, nisi gentes istæ relinquerentur in terra: non tamen tollitur ex hoc quin Israelitæ peccauerint relinquendo eas, quia bonum quod postea est secutum non prouenit ex opere eorum, sed ex conditione Dei ordinantis in bonum omnia etiamsi mala sint.

CAPVT XXXIIII.

Termini terræ promissionis.

LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens: *Præcipe filiis Israel, & dices ad eos: Cum ingressi fueritis terram Chanaan, & in possessionem vobis sorte ceciderit, his finibus terminabitur. Pars meridiana incipiet à solitudine Sin, quæ est iuxta Edom, & habebit terminos contra orientem mare salsissimum.* B *Qui circuibunt australem plagam per ascensum Scorpionis, ita vt transeant in Senna, & perueniant ad meridiem vsque ad Cadesbarne, vnde egredientur confinia ad villam nomine Adar, & tendent vsque Asemona. Ibitque per gyrum terminus ab Asemona vsque ad torrentem Aegypti: & magni maris littore finietur. Plaga autem occidentalis à mari magno incipiet, & ipso fine claudetur. Porro ad Septentrionalem plagam à mari magno termini incipient, peruenientes vsque ad montem altissimum, à quo venient in Emath vsque ad terminos Sedada: ibuntque confinia vsque ad Zephrona, & villam Enan. Hi erunt termini in parte Aquilonis. Inde metabuntur fines contra orientalem plagam de villa Enan vsque Sephama, & de Sephama descendent termini in Rebla contra fontem Daphnim. Inde perueniet contra Orientem ad mare Cenereth, & tendent vsque ad Iordanem, & ad vltimum salsissimo claudentur mari. Hanc habebitis terram per fines suos in circuitu.* C

LOcutus est. Secundum quosdam incipit hic capitul. secundum alios incipit supra. *Præcipe filiis Israel.* Et vtrunque esse potest: quia vtrobique noua sententia incipit. hic tamen communis assignatur capitulum. In superioribus egit Legislator de mansionibus, per quas deuenerunt Israelitæ in terram promissionis. Hic ponit terminos eius, & capita diuisionis, & tanguntur duo: primum quos terminos terra ista habeat. secundum quibus diuidi debeat, ibi.
Præcepitque Moyses.

An ista consequantur superiora.

QVÆSTIO I.

CIrca primum de hoc sicut de cæteris dubitari posset: an istud capitulum habeat ordinem consequentem ad superiora, vel sit facta aliqua transpositio ordinis. Satis autem dici potest, quod consequenter se habeat ad superiora: nam hic dantur duo præcepta Moysi, scilicet, qui termini sint terræ Chanaan, & qui eam diuidere debeant. Istæ autem sunt dispositiones populi transire volentis in terram illam, ideo videtur quod paulo ante transitum data fuissent, & sic erit ordo consequens ad præcedentia: potissimum, quia omnia, quæ habentur in scriptura debent intelligi esse sub ordine consequenti, nisi contrarium pateat aliunde, quia alias daretur incertitudo in toto ordine procedendi.

Locutus est Dominus ad Moysen. Istud generale erat sicut in cæteris, quia præcepta non dabantur toti populo in voce angeli, cum hoc solum fuerit semel, sc. in monte Sinai, sed Moyses à Deo recipiebat in secreto leges, & deinde toti populo proponebat. D

Vbi fuerunt data ista præcepta.

Vbi autem fuerint data ista præcepta. Respondeti potest, scilicet, quod in sanctuario super propitiatorium potuerit à Deo recipere, quia ibi loquebatur Deus, id est, angelus eius Exodi capitulo vigesimoquinto, & supra capitulo septimo, potuit etiam audire ad ostium tabernaculi, quia ibi Deus se locuturum promisit Exodi capitulo vigesimonono. hoc autem erat, quia descendebat in columna nubis Angelus Domini ad locum illum, & loquebatur supra capitulo duodecimo. poterat etiam audire vocem istam extra castra in multis locis apparente sibi Domino. Posset etiam dici quod Moyses recepisset ista in reuelatione nocturna, scilicet per somnium, sicut accipere solebant alii prophetæ de quo supra capitulo duodecimo.

In qua mansione audiuit Moyses præcepta, quæ consequuntur.

QVÆSTIO II.

E

QVæretur vlterius dato quod Moyses audiuisset verba ista in voce, in quo loco audierit: accipiendo locum large pro mansione, in qua castrametarentur Israelitæ.

Et dicendum quod fuerunt dicta ista in mansione vltima Israelitarum, scilicet in planioribus locis terræ Moab in Belsethim. Nam cum dictum sit quod istud capitulum, habet se consequenter ad præcedentia, sed omnia præcedentia ex capitulo vigesimo secundo vsque huc pertinent ad vltimam mansionem, vt in principiis eorum declaratum est: ergo etiam istud pertinebit ad illam. Item quod dicitur sequenti capitulo hæc quoque locutus est Dominus ad Moysen in campestribus Moab. ideo oportet quod ea, quæ ante ipsa erant, facta fuissent in campestribus Moab, quia alias non diceretur. Hæc quoque. sed campestria Moab sunt vltima mansio, vt patet præcedenti capitulo ergo in vltima mansione dicta sunt hæc.

Præcipe filiis Israel. Hic datur primo tota terræ limitatio in terminis suis, & dicitur: Præcipe, id est, declara, quia istud non erat præcipere, cum non esset aliquid agibile, quod termini essent hic, vel ibi: vel accipiuntur termini proprie: & tunc est sensus præcipe filiis Israel, scilicet, ne contendant habere amplius de terra, quam ego eis assigno sub his terminis.

Cum ingressi fueritis terram Chanaan. Dicitur hoc, quia nondum ingressi fuerant: nam erant nunc in terra duorum regum Amorrhæorum, quæ non computatur de terra Chanaan: quod patet, quia terminus orientalis eius ponitur Iordanis infra in litera. sed post mortem Moysi transierunt Israelitæ Iordanem Iosue capite tertio, ideo nondum introierant in terram Chanaan: & dicitur quando ingressi fueritis, quia antequam ingrederentur non poterant habere plus, vel minus de terminis terræ Chanaan: postquam autem ingrederentur possent illos transgredi præuaricando, vel intra illos manere implendo præceptum: ideo pro terra illa solum dabatur: dicebatur autem terra ista terra Chanaan, non quidem quod solum in ea essent Chananæi, quia etiam erant Chananæi in terra duorum regum Amorrhæorum: sunt enim Amorrhæi vnus de septem populis Chananæorum: & isti obtinuerunt duo regna ad orientalem partem Iordanis accipiendo partem regni Moab, & partem regni Ammon, vt declaratum est supra vigesimoprimo, & Iosue capitulo decimotertio. erant etiam alii Chananæi in terra Atad ad meridianam partem terræ Chanaan supra capitulo vigesimoprimo, & præcedenti capitulo cum quibus pugnauerunt Israelitæ terram eorum ponentes sub anathemate. Erant autem isti de genere aliorum Chananæorum: sed terra sua erat extra terram istam, quæ nunc designatur, vt declaratum est eisdem capitul. sed vocatur ista terra Chanaan, quia à principio in hac solum habitauerunt Chananæi: postea autem dilatauerunt se occupando loca aliarum gentium, sicut patet F

de

de Amorrhæis, qui occupauerunt terram Moabitarum, & Madianitarum.

Et in possessionem vobis sorte ceciderit. Dicitur hoc, quia terra illa diuidenda erat per sortes, vt præcedenti capitulo iubetur: & post hoc moraturi erant Iudæi ibi. dicitur autem de diuisione, quasi dicat quando terram istam diuidere debueritis per sortes nescietis quantum est quod cadere debet sub diuisione, ideo habebitis istos terminos, qui sequuntur, & sic scietis quid est quod sorte diuidere debeatis. Vel potest dici hoc ad instruendum Iudæos, ne pugnarent contra omnes gentes quando introirent in terram Chanaan: sed solum contra eas, quæ his finibus claudebantur, quia contra alias non adiuuaret Deus Israelitas ad pugnam: sicut dicitur de Idumæis, Moabitis, & Ammonitis Deuteronomii capitulo secundo. non pugnetis contra eos, quia non dabo vobis de terra eorum quantum vnius pedis potest calcare vestigium. Poterant tamen Iudæi interdum pugnare contra gentes extra terram Chanaan, sicut frequenter pugnauit Dauid contra Moabitas, Ammonitas, & Idumæos: quia gentes istæ offensam forte intulerant Israelitis, sed cum pugnarent Israelitæ contra gentes extraneas non erat eis idem bellum, quod contra Chananæos, quia non accipiebant terram eorum ad habitandum, nec occidebant omnes sicut fiebat in Chananæis: sed si sponte se gens traderet Iudæis efficiebatur illa ciuitas tributaria Iudæorum: si autem resisteret eis pugnando occidebantur omnes viri pugnatores, fœminæ autem, & paruuli reseruabantur in seruos, & ancillas: Deuteronomii capitulo vigesimo. ciuitas tamen nunquam pertinebat ad Iudæos. Nam primo modo manebant gentes tributariæ in vrbe illa, quæ à principio habitauerant. Secundo modo delebatur vrbs, sed Iudæi non habitabant in ea, quia non licebat eis ire extra terram Chanaan ad habitandum.

His finibus terminabitur. Id est, habebit terminos istos, qui sequuntur, & ponuntur hic termini ex omni parte, scilicet, ex quatuor lateribus.

Pars meridiana. Hic incipit primus latus descriptionis huius, & est à parte meridiana, in qua habitabat tribus Iudæ quoniam sorte ei contigit Iosue decimoquinto. ideo quando describuntur loca, quæ erant in latere meridiano illius sortis ponuntur eadem, quæ habentur hic, vt patet comparando hic, & Iosue c. 15.

Incipiet à solitudine Sin. Cum describatur hic latus meridianum ponuntur loca illius, & quia clauditur istud latus inter orientale, & occidentale, incipit descriptio à parte orientali: & hoc est in solitudine Sin, id est, in principio solitudinis Sin. Est enim ista solitudo magnum desertum, & vocatur alio nomine solitudo Pharan. Extenditur autem à latere orientali versus occidentale terræ illius, quod patet, quia Cadesbarne est in solitudine Sin supra capitulo vigesimo, & vigesimoseptimo. & tamen ponitur infra in latere isto computando versus terram occidentalem. Est autem ista solitudo in via venientibus de Aegypto in terram promissionis per locum, per quem venerunt Iudæi, & sic in terminis terræ Chanaan. tamen Iudæi non introierunt in eam per istam solitudinem. Causa est, quia ipsi venerunt vsque Cadesbarne, quæ est in solitudine Sin: supra capitulo vigesimo. & ibi cum transire vellent, petierunt licentiam à rege Edom in cuius terra erat Cadesbarne, qui concedere noluit: ideo coactus est Israel circuire montem Seir magno tempore. & terram Moab, & postea introiuit per terram duorum regum Amorrhæorum in latere orientali cum alias ingredi deberet per latus meridianum. Hæc patent supra capitulo vigesimo, & vigesimoprimo, iuncto capitulo secundo Deuteronomii.

Quæ est iuxta Edom. Id est, solitudo Sin est iuxta terram Edom, scilicet, quod terra Edom est orientalis magis quam desertum Sin: & incipit in extremitate eius occidentali deserti Sin, & ibi quoque incipit terra Chanaan. Dicitur autem terra Edom, id est, terra Idumæa. Habet enim ista terra tria nomina, scilicet Edom, & Idumæa, & Seir. Et hoc est quia descendit de nomine Esau cum habitauerint ibi filii eius: ipse autem vocabatur Edom, Esau, & Seir: & sic terra habet ista nomina: & nomen Idumææ, quod deriuatur ab Edom. de his declaratum est supra c. 20.

Et habebit terminos contra orientem mare salsissimum. Istud dicitur de terra Chanaan, & non de deserto Sin, scilicet quod in latere meridiano eius, vbi coniungitur orienti, est mare salsissimum: istud est mare Sodomorum: nam Sodoma, & Gomorrha, & aliæ tres ciuitates erant in extremitate terræ Chanaan ad partem orientalem. Quod patet, quia Iordanis est in latere orientali terræ huius, vt patet infra, & tamen ipse fluit per vallem Sodomorum, & irrigabat vrbes illas, antequam subuerterentur Genesis capitulo decimotertio. postea autem misso igne de cœlo, & subuersis vrbibus illis facta est ibi lacus magna, quæ vocatur more hebræo mare, & in eam nunc quoque influunt aquæ Iordanis, & absorbentur ibi, vt patet Iosue capitulo tertio, & decimoquinto. istud mare habet multa nomina: nam aliquando vocatur mare salsissimum, sicut hic, & Iosue decimoquinto. eo quod istud mare sit salsius omnibus aliis. Cuius causa est, quia causatur salsedo ex quodam calore, sed tota aqua illa est sulphurea, cum facta fuerit misso igne de cœlo de sulphure: manetque ibi adhuc conditio illius ignis, & propter hoc necesse est, vt aqua illa sit grossior omnibus aliis aquis, quia sulphur est ibi multum, quod grossum est, vnde magis videtur illa aqua esse lutum, quam aqua, & vestes ibi tinctæ magis sordidantur, quam abluantur: sic ait Aristoteles secundo Meteororum: vocatur aũt istud mare solitudinis, vel deserti, vt patet Deuteronomii capitulo tertio, & Iosue tertio capitulo & hoc est, quia est coniunctum solitudini Sin, vt patet hic ad differentiam maris Genezareth, quod est in terra multum populata in terra Galilææ intra terram Chanaan. Vocatur etiam istud mare mortuum, quia in eo non potest gigni aliquid viuens, scilicet, non gignuntur pisces propter sulphureitatem aquarum, quia etiam non possent ibi habere conueniens alimentum. Etiam vocatur mortuum, quia nihil viuens ibi mergi potest, sed omnia supernatant, vt ait Isidorus decimotertio. Etymolo. Vocatur etiam mare diaboli vulgariter, quia Sodoma, Gomorrha, Seboim, & Adama permanentes in peccato suo igne, & sulphure de cœlo cadente à dæmone submersæ sunt, & illud mare ibi factum est. Vocatur etiam mare Sodomorum, quia est, vbi fuit ciuitas Sodomæ, & aliæ quatuor vrbes, licet vna earum, scilicet Segor non subuersa fuit, vt declaratum est Genesis decimonono capitulo. De his magis dictum est Iosue capitulo.12.

Qui circuibunt austrálem plagam per ascensum Scorpionis. Hoc refertur ad terminos, scilicet termini circuibunt australem plagam, id est, erunt in circuitu illius. Dicitur autem hoc, quia incipiendo à terra Edom versus terram occidentalem Chanaan linea describens terminum australem non est recta: sed aliquando arcuatur declinando nunc ad vnam partem, & nunc ad aliam: & tunc facit circuitum, vel egressionem, vt patet hic, & Iosue decimoquinto, vbi ponuntur isti termini, & dicitur esse circuitus per ascensum Scorpionis, quia declinando à terra Chanaan versus desertum venitur ad locum, qui dicitur ascensus Scorpionis. Et vocatur sic locus iste, quia sunt ibi quidam montes altissimi in latere meridiano, vbi multi scorpiones sunt. Et vocantur isti montes ascensus, quia terra alta est, & ad eam est ascensus. Vel vocatur sic à casu, & sine causa, sicut multoties multa nomina locorum, & virorum imponuntur.

Ita vt transeant in Senna. Iste est locus in eodem latere meridiano, & descendendo de ascensu scorpionis in Senna itur versus occidentem. Iste locus vocatur Iosue decimoquinto Sinai. & aliqui putant esse montem Sinai. Sed falsum est cum ille non accedat ad terminos terræ Chanaan: sed est locus, de quo hic dicitur, vt declaratum est eodem capitulo.

Et peruenient in meridiem vsque ad Cadesbarne. Id est, termini isti de Senna venient vsque ad Cadesbarne, quæ est in parte meridiana. Et non dicitur Cadesbarne in meridie tanquam hic transeatur de latere non meridiano ad latus meridianum, sicut aliqui intellexerunt, scilicet, quod poneretur hic circuitus omniũ laterum terræ Chanaan, quamquã subticeantur loca, per quæ fuit circuitus: & cũ incipiatur in desert o

Sin

Quæ aqua maris sodomorum est salsissima. & quare vocatur salsissimum. Mare mortuũ multis nominib. nominatur.

Cap. 3.

Cap. 19

A Sin in latere in meridiano circuitus fit reditus ad partem meridianam iterum in Cadesbarne. Sed hoc non potest stare, quia hic describuntur omnia quatuor latera terræ huius distinctæ, & loca quæ ponuntur hic ponuntur tanquam partes lateris meridiani: ergo non pertinent ad circuitum, qui fit per alia latera.

Item quia Iosue capitulo decimoquinto, ponitur sors tribus Iudæ in latere meridiano: & ob hoc describitur extremitas meridiana, atque ponuntur eadem loca, quæ hic: ergo nullum eorum pertinet ad alia latera: & dicuntur tamen termini peruenire de Senna in Cadesbarne ad meridiem: quia Cadesbarne erat multum meridiana, licet omnia alia loca hic posita essent meridiana: erat autem Cadesbarne, quasi in medio lateris meridiani, & ibi magis proprie vocatur meridies. Vel forte dicetur ad meridiem, quia Cadesbarne non est in terra Chanaan, sed est extra illam ad partem meridianam.

De aliis autem terminis hic positis aliqui sunt intra terram Chanaan, & alii extra, & iste est sensus literæ. In Chaldæo dicitur. *Raquan guen.* Vbi nos dicimus Cadesbarne, & interpretatur vallis vacua, quia forte erat aliqua magna vallis, & lata
B arboribus carens. In hac autem steterunt Israelitæ bis. Primo enim steterunt anno secundo ab exitu de Aegypto, quando miserunt inde exploratores in terram Chanaan: & reuersis illis murmurauerunt. Vnde fecit Dominus, ne ingrederentur immediate, sed manerent quadraginta annis in solitudine, supra capitulo decimoquarto. Secunda vice fuerunt in Cadesbarne anno quadragesimo ab exitu de Aegypto, quando iterum volebant transire in terram Chanaan, sed prohibuit eos rex Edom transire per locum ipsum supra capitulo vigesimo.

Vnde egredientur confinia ad villam nomine Adar. Ista villa est quidã alius locus in meridiano latere terræ Chanaan & pertinet ad sortem Iudæ, cum sit intra ipsam terram Chanaan: & dicitur quod egrediuntur confinia, id est, termini, & vocatur egressio curuitas lineæ meridianæ, quæ aliquando declinabat magis ad meridiem comprehendendo maiorem terminum, & aliquando magis ad terram Chanaan coarctando eam. Egressio autem significat hic dilatationem.

Et tendent vsque Asemona. Iste est alius locus in latere meridiano terræ Chanaan descendendo versus occidentem, & ponuntur ista loca Iosue cap. 15. sed adduntur ibi alia, scil. Esrom, & Cariathaa, eo quod non enarrantur hic omnia loca, quæ sunt in latere illo.

Ibique per gyrum terminus ab Asemona vsque ad torrentem Aegypti. Semper declinatur magis contra occidentem: & fit hic
C circuitus, quia terminus dicitur ire per gyrum, id est, non linea recta, sed arcualiter. Aliquando flectitur ad vnam partem, aliquando ad aliam. Est etiam torrens Aegypti, de quo hic dicitur in latere Chanaan apud mare: quia ibi absorbetur à mari meridiano, & licet hic vocetur torrens tamen aliquando vocatur fluuius Genesis decimoquinto capitulo. scilicet, semini tuo dabo terram hanc à fluuio Aegypti vsque ad flumen magnum Euphratem. Et tamen illemet terminus est ibi, qui ponitur hic. Est autem fluuius irrigans Aegyptum Iosue decimoquinto & decimotertio capitulo, cum dicitur: A fluuio turbido, qui irrigat Aegyptum vsque ad terminos Acharon. Et ponitur ibi fluuius ille pro latere meridiano.

De fluuio dubitatur, quoniam aliqui volunt eum esse quẽdam paruum fluuium de Aegypto fluentem per deserta Arabica, & peruenientem ad latus meridianum terræ Chanaan, & vocatur fluuius ille Reinocurula, sicut dicit Magister in historia scholastica.

De fluuio Aegypti dubitatio qualis sit.

Alii autem dicunt, quod iste fluuius est Nilus, qui est fluuio magnus in Aegypto: & irrigat totam Aegyptum, quod videtur innui Iosue capitulo decimotertio. vbi dicitur: A flumine turbido, qui irrigat Aegyptum: sed hoc maxime videtur conuenire fluuio Nilo. De hoc autem declaratum est Iosue capitulo 13.

Et maris magni littore finietur. Id est, terminabitur istud latus in mari magno. Istud est mare Mediterraneum, quod nos nõ vocamus mare magnum, cum magis hoc dicamus de mari Oceano, sed sacra scriptura vocat istud mare magnum, quia solum considerat respectu terræ Chanaan: erant autem in terra illa tria maria, scilicet, mare Mediterraneum, mare Cenereth, & mare Sodomorum, quæ omnia habentur in hoc capitulo, sed duo eorum non sunt proprie maria, sed lacus, scilicet mare Cenereth, quod aliquando vocatur stagnum Genezareth: & est quædam magna lacus in Galilæa, vt infra dicetur. Mare autem salsissimum non est mare, sed lacus magnum in valle Sodomorum: ideo respectu istorum marium dicitur mare Mediterraneum esse mare magnũ, sed in modo nostro loquendi secus est. D

Plagæ autem occidentalis à mari magno termini incipient, & in ipso fine claudentur. Hic ponitur secundum latus terræ Chanaã, scilicet occidentale: & istud non habet diuersa loca descripta sicut alia latera, quia totum clauditur à mari Mediterraneo, quod terminat ibi Asiam diuidens ab Europa, & Aphrica: & quia totum latus comprehenditur non assignantur alia loca, quia non potuit dari melior descriptio. Sunt autem multa loca circa littus istius maris: nam Ioppen ciuitas quædam est in littore maris, & ista vocatur vulgariter Iapha, ad quem locum omnes, qui de Hispania proficiscuntur in terram sanctam naues applicant, ideo scriptura vtens hoc modo ponit semper mare pro termino occidentali, & cum debet dicere ab occidente, dicit à mari. Dicitur autem, quod termini occidentales incipiunt à mari, scilicet quod in loco, vbi coniungitur latus occidentale terræ Chanaan, cum latere meridiano est mare Mediterraneum, & ibi incipit latus occidentale. Etiam dicitur, quod ipso fine clauditur, id est, ipso existente fine, scilicet quod etiam mare est finis lateris occidentalis, quia vbi coniungitur locus occidentale cum septentrionali est mare. E

Porro ad Septentrionalem plagam à mari magno termini incipiũt. Latus Septentrionale clauditur inter orientale. & occidentale, & principium eius est in quacunque partium harum. Dicitur autem incipere à mari magno, quia mare magnum est in latere Occidentali, vt dictum est, ideo oportet, quod ibi incipiat latus Septentrionale.

Peruenientes vsque ad montem altissimum. Id est, de mari magno extenditur latus Septentrionale versus Orientem, & venit ad montem altissimum, scilicet ad Libanum, qui est altissimus, & est in parte Boreali contra Tyrum, & Sidonem. Et aliqui dicunt, quod non erat in terra promissionis, sed erat de terra Phœniciæ: quod patet, quia Salomõ mittebat ministros suos ad regem Hiram regem Tyri, & Sidonis, vt daret ei de lignis cedrinis, & abiegnis, quæ erant in monte Libano, vt patet 3. Reg. cap. 5. quod non fuisset si esset Libanus in terra promissionis. *Mons Libani vbi sit.*

Sed hoc falsum est, nam Libanus, & Tyrus, & Sidon erant in terra Chanaan: nam & Chananæi erant habitatores terræ illius, cum dicatur Matth. 15. cap. quod cum ambularet Christus per partes Tiri, & Sidonis, venit ad eum mulier Chananæa de finibus illis egressa, sed erant isti, quia cum sciant Libanum esse in terra regis Hiram existimant ex hoc, quod non erat in terra promissionis, & tamen non valet consequentia: nam ea, qua erant in terra Philisthiim erant sub aliis regibus, quam Iudæis, tamen erant in terra promissionis, manserunt quippe multæ de gentibus tempore regis Salomonis, & post, quæ non fuerunt expulsæ de terra Chanaan, sed ibi manentes subditæ fuerunt tributis, vt patet secundo Paralipomen. cap. 8. sic patet de Philisthiim. Nam licet tunc subditi fuerint cum regnauit Salomon: tamen postea de eis prophetatum est per minores prophetas, qui fuerunt post tempora Salomonis: sic patet Zacha. capit. nono, ergo tunc manebant gentes illæ: sic enim mansit terra regis Hiram. nam ipse erat amicus Dauid, & propter hoc rex Salomon noluit contra eum pugnare, sed amicabiliter se gessit, & petiuit ab eo ligna pro ædificatione templi tertio Regum capit. 5. & sic postea mansit, & habitauerunt in terra illa Chananæi vsque ad tempus Saluatoris, cum dicatur tunc, quod egressa est mulier Chananæa de finibus illis: tamen propter hoc non tollitur quin Libanus non esset in potestate Salomonis: nam licet esset sub rege Hiram, quia tamen ille rex manebat in terra illa ex permissione Salomonis alioquin de iure, & de facto eum excludere potuisset, dicebatur terra illa esse in potestate Salomonis, & patet expresse de Libano, quod esset in potestate Salomonis secundo Paralipomen. capit. octauo, scilicet omnia, quæ voluit Salomon rex fecit atque disposuit, ædificauit in Ierusalem, & in Libano, & in vniuersa terra potestatis suæ. Quod autem etiam Tyrus, & F

Sidon,

A

Sidon, quę erant capita regni Hiram essent in terra promissionis patet, quia ista loca posita sunt in diuisione sortium, & ceciderunt in sorte tribus Aser. Iosue capi. 19. Dicendum etiam de isto monte Libano, quod erat valde magnus, & quædam partes eius erant planæ, & aliæ excelsæ: vnde populi multi habitabant in monte hoc, quod colligitur Iosue 11. & 13. *A quo venient in Hemath.* Iste est alius locus in isto latere Septentrionale, & nomen ciuitatis, quæ vocatur Hemath, & est post montem Libanum, qui in Hebræo vocatur Mons montis, in quo idem signatur quod mons altissimus, sicut dicimus homo hominum, id est, qui inter alios homines excellentior est, sic dicitur mons montium, qui inter alios montes est altior, sed litera Hebraica habet modum loquendi valde separatum.

An Hemath sit ciuitas, quæ nunc vocatur Antiochia, Christianorum nomen in Antiochia sumpsit originem.

Qvæstio III.

Est autem ista ciuitas Hemath, quæ vocatur alio nomine Reblatha secundum quosdam, & volunt, quod Hemath magis sit nomen terræ quam ciuitas, & in illa terra est Reblatha. Est autem ista ciuitas nobilis, per quam venit Nabuchodonosor de Chaldæa in Ierusalem, & vocatur nũc Antiochia, in qua B. Petrus septem annis episcopatum obtinuit, & post sedes Apostolica Romam translata est. In Antiochia enim primum Apostoli Christiani appellati sunt, vt habetur Actu. capit. 11. hoc nomen Antiochus rex sibi posuit mutans pristinum nomen vrbis. Dicitur autem in libro de diuisione Terræ sanctæ, quod Antiochia est famosissima ciuitas, circa quam fluit Euphrates distinguens terram istam ab aliis terris à parte Septentrionali, & fluuius iste est terminus terræ Chanaan. Genes. c. 15. vbi assignantur duo termini, scilicet fluuius Aegypti, & Euphrates, sed fluuius Aegypti est à parte meridiana: ergo Euphrates est à parte septentrionali, maxime quia Euphrates transit per Chaldæam intra ciuitatem Babylonis. Chaldæa autem est magis septentrionalis quam terra Chanaan, quia latitudo ab æquinoctiali in Babylone Chaldææ est 33. graduum, latitudo autem Ierusalem est 32. Ideo Babylon respectu Ierusalem septentrionalis dicitur, vt patet Hierem. cap. 1. scilcet Ollam succensam ego video, & faciem eius contra Aquilonem, ab Aquilone pandetur omne malum, quia ecce ego conuocabo omnes cognationes regnorum Aquilonis, & ponet vnusquisque solium suum in introitu portarum Ierusalem. *Vsque ad terminos Sedaba.* Id est, à terra Hemath ascendet latus septentrionale versus terram Sedaba, & ista est magis Orientalis, quam terra Hemath. *Ibuntque confinia vsque Hebrona, & villam Henan.* Hic est finis termini septentrionalis: est enim Hebrona nomen terræ, vt aliqui dicunt, & Henan est nomen viliæ in terra illa. *Hi erunt termini in parte Aquilonis.* Id est, per ista loca extendetur terminus Aquilonaris. Non est autem sensus, quod solum essent ista loca in latere septentrionali: multa enim alia sunt, sed scriptura solum curauit ista enarrare. *Inde metabuntur fines contra orientalem plagam.* Hic incipit latus orientale terræ Chanaan, & istud clauditur inter latus meridianum, & septentrionale, sed hic ponitur principium eius in latere septentrionali, & dicitur quod inde metabuntur fines, id est, locabuntur termini contra partem orientalem, scilicet descendendo per latus orientale, & dicitur contra orientalem plagam, quia iste locus, qui hic ponitur est in parte septentrionali, scilicet villa Henan, & ista significatur cum dicitur: Inde metabuntur, id est, de villa Henan, quod patet immediate, scilicet. *De villa Henan vsque Sephama.* Est villa Henan in duobus lateribus, nam est in latere Aquilonari, & orientali, scilicet, quia est in angulo, vbi coniunguntur ista duo latera, & potest de vtroq; computari, sicut patet de angulis quadratorum. Sephama est in latere ipso Orientali totaliter descendendo versus terram Meridianam.

B

C

Et de Sephama descendent termini in Rebla. Iste locus est in latere Orientali, & magis declinat ad meridiem quam Sephama. Volunt autem aliqui, quod Rebla sit ciuitas, quæ vocatur Reblatha. Sed falsum est, quia ista est Antiochia, & est in latere Septentionali terræ Chanaan: Rebla autem est in latere Orientali, & dicitur descendere terminus de Sephama in Rebla, quia iste est processus de Septentrione ad Meridiem: terra autem Septentrionalis altior est terra Meridiana. *Contra fontem Daphnis.* Aliquæ literæ habent contra fontem Phen. & iste fons est in Orientali parte magis versus Meridiem quam Rebla. In Hebræo non exprimitur hic nomen fontis, sed litera nostra appposuit illud, quia Hieronymus sciebat istum fontem, cum ipse perambulasset totam terram promissionis, vt testatur in quodam Prologo super Paralip. ideo suppleuit, quod deficit in Hebræo.

D

Nicolaus vult, quod iste fons sit caput Iordanis. Sed repugnat Isidoro 13. Etymol. & libro de proprietatibus rerum. 13. & libro de diuisione Terræ sanctæ: & B. Hieronymo in quadam Homilia, in quibus habetur, quod ad radices Libani mõtis nascitur Iordanis: Libanus autem multum est ad Septentrionalem plagam, vt patet ex supra declaratis, & iste fons est in Orientali plaga declinans versus Meridiem, ideo videtur dicendum, quod iste fons sit quidam alius à fonte, qui est origo Iordanis.

Nic. op. de fonte Daphn. Cap. 21.

Inde perueniet contra Orientem ad mare Cenereth. Id est, de fonte Daphnis venient termini ad mare istud, & hoc ad partem Orientalem.

De mare Galilææ, quod vocatur mare Cenereth, & mare Genezareth, & Galilææ, & Tiberiadis, & in qua regione est.

E

Qvæstio IV.

Aliqui habent occasionem errandi ex hac litera dicentes, quod incipiat latus Orientale, sed falsum est, quia supra dicitur, quod de villa Henan incipiunt termini Orientales, sed dicitur contra Orientem, id est, quod termini perueniunt vsque ad mare Cenereth, & de hoc contra Orientem, id est, ad partem Orientalem istius maris, & hic tollitur dubium, nam cum dicatur, quod termini Orientales perueniant ad mare istud, dubitaretur an transirent per partem superiorem maris, ita quod includeretur mare in terra Chanaan, & tunc linea termini est Orientalis respectu maris isti⁹, vel transirent termini infra istud mare, scilicet, quod maneret mare extra terram Chanaan. Hic autem dicitur, quod transibat terminus in mare Cenereth contra Orientem, id est, ad partem Orientalem istius maris, ita quod mare maneat clausum intra terram Chanaan, & sic dicitur supra de Cades barne, quod erat ad meridianam partem terræ Chanaan, sc. quod ipsa erat extra terrã Chanaan ad meridiem illius: mare autem istud erat in terra Chanaan, scilicet in terra Galilææ, & vocatur mare Cenereth à quadam ciuitate, quæ est apud mare illud, & vocatur Cenereth. Vocatur autem nũc istud mare aliis nominibus, scilicet mare Tiberiadis, vt patet Ioan. 31. c. & de hoc frequenter in Euangelio, quia ciuitas illa, quæ olim vocabatur Cenereth, postea vocata est Tiberias in honorem Tiberii Imperatoris, cuius tempore Christus mortuus est: & hoc quia Tiberius in iuuentute sua multum conuersatus fuit in ista vrbe. Durat autem istud mare secundum quosdam non per quinque leucas. De locis autem, quæ sunt apud istud mare, scilicet de Magdalo, & Nazareth, & Capharnaum, & similibus, quæ enarrantur in Euangelio, declaratum est Iosue cap. 12. Vocatur etiam mare istud Galilææ, vt patet Io. c. 6. vbi idem dicitur esse mare Galilææ, & Tiberiadis: Habet autem istud nomen, quia est in tetra Galilææ. sic patet Matth. 3. & 4. c. apud istud mare fuit Christus nutritus, cum ciuitas Nazareth, in qua ipse educatus est à pueritia sit apud istud mare. Vocatur etiam istud mare Genezareth, sicut frequenter vocat B. Matt. 8. c. & aliis locis vocatur etiam interdum stagnũ Genezareth. Et causa est, quia non est mare, sed quædam magna lacus.

F

Et tendent vsque ad Iordanem. Scilicet continuabuntur isti termini vsque ad locum, in quo Iordanis distinguit terram promissionis à terra duorum regum Amorrhæorum, & à Moabitis, & hoc est in Oriente descendente contra meridiem infra montes Gelboe. Et non intelligitur de capite Iordanis, cum nascatur intra ipsam terram Chanaan, & non in latere Orientali.

A

De capite, & fluxu Iordanis, & septem priuilegiis eius.

QVÆSTIO V.

NAscitur autem Iordanis ad radices Libani, qui est ad Septentrionem terræ huius: est ciuitas, quæ Cæsarea dicitur, & olim Samaria vocabatur, de qua in tertio, & quarto libris Regum, apud quam nascuntur duo fontes, scilicet Ior, & Dan, quorum Dan subterraneo meatu labitur vsque ad planitiem Medan, in qua in vere multi Arabes, & Parthi conueniunt ad pascua conseruanda, quia in vere semper Dan crescit, sicut Nilus quolibet mense, & est ibi herbarum vbertas, in qua planicie est sepulchrum Iob alta pyramide constructũ, sicut fiebant sepulchra nobilium antiquorum, & inde fluit versus Calilæam, & infra montes Gelboe apud balnea medicabilia spineti Ior ei copulatur, & sic Iordanis conficitur. Deinde per vallem magnam, quæ Aulon Hebraice dicitur, labitur, & infra Iericho mari mortuo absorbetur. Habet enim iste fluuius septem priuilegia super alia flumina. Primum quod diuidit terram Sanctam ab alia terra, scilicet Moabitarum, & aliarum gentium, scilicet Arabum. Secundum quod transeunte arca Dei fluenta eius steterunt in parte superiori defluente inferiori, vt habetur Iosue capit. 3. Tertium fuit, quia per eum Elisæus, & Elias siccis pedibus transierunt, cum raptus est Elias per turbinem, quarto Regum, cap. 2. Quartum, quod in eo Naaman Syrus à lepra mundatus est cum septies lauaretur, quarto Regum, capit. 5. Quintum, quod in eo ferrum securis ad mandatum Elisæi superenatauit, quarto Regum, capit. 6. Sextum, quod ibi Christus baptizatus est, & tactu suæ mundissimæ carnis vim regeneratiuam omnibus aquis tribuit Matth. 3. & Marc. cap. 1. Septimum quod ibi Ioannes existens vidit cœlum apertum, & audiuit vocem patris, & vidit spiritum descẽdentem in columbæ specie super Christum præalleg. capit. De alueo huius fluminis ablati sunt duodecim lapides, quo tulerunt Israelitæ ad ponendum titulos in Galgalis, de quibus Iosue c 4. & 5. est igitur iste fluuius multum famosus in sacra Scriptura: aqua etiam eius satis salubris est, vt ait Solinus in Polyhistor. cap. de Iudæa.

Sepulchrum Iob in planicie Medan

B

De isto fluuio Iordanis, vide latiꝰ auctorẽ Gen. s. Cap. 13.

Et ad vltimum salsissimo claudentur mari. Id est, postea finientur termini Orientales in mari salsissimo. Istud est mare Sodomorum, quod est salsissimum, vt supra declaratum est, & est in latere Orientali, scilicet in angulo, vbi se contingunt latus Meridianum, & Orientale, sic autem est perfecta determinatio terminorum terræ Chanaan, quia in eodem loco finitur, in quo cœpit, scilicet incœpit in mari salsissimo, vt patet supra, & ibi terminatur. Hoc autem est, quia narrantur loca, quæ sunt in quatuor lateribus claudentibus totam terram Chanaan.

C

Hanc habebitis terram per fines vestros in circuitu. Posita descriptione terræ subditur hic, quod intenditur, scilicet ista est terra, quam habebitis per fines suos, id est, clausam per terminos suos in circuitu, id est, per omnia quatuor latera, quæ descripta sunt hic, scilicet, quod contenderent Iudæi habere plus de terra, quam id, quod claudebatur intra ista latera. Et intelligitur hoc de nouem tribubus, & dimidia, quia duæ tribus, & dimidia extra terram istam habebant possessionem suam, scilicet in terra duorum regum Amorrhæorum, quæ non est in terra Chanaan. Est autem terra ista satis parua in longitudine, & latitudine, licet fuerit populosior antiquitus propter vbertatem eius: Iudæi autem miserrimi, & mendaces erant dicentes habere eam in longitudine leucas quadringentas, & quod quadrata sit, in quo requireretur valde magna capacitas.

Quo assignantur quatuor latera in qualibet regione.

Considerandum autem de positione istorum laterum terræ Chanaan, quæ nominantur secundum quatuor puncta cœli, scilicet Orientem, Occidentem, &c. quod non vocatur aliquod latus Orientale, quia respicit punctum illud proprie. Nam hoc modo non posset assignari in qualibet terra ista descriptio laterum, vel modicum esset, quod respiceret ista puncta, sed debet ad hoc fieri quidam circulus, secundum comparationem ad Orientem, qui est circulus planus, in quo sunt quatuor puncta, scilicet oriens, & occidens, &c. & iste circulus diuidatur intra per chordas abscindentes arcus, & sint quatuor chordæ constituentes quadratum intra circulum, tunc quælibet chorda est latus quadrati, & respicit vnum de quatuor punctis mundi, & longitudo illius lateris quadrati, vel arcus, quem abscindit, vocatur latus Occidentale, vel Orientale, & sic de cæteris, & isto modo considerantur hic quatuor latera.

D

Præcepitque Moyses filiis Israel, dicens: Hæc erit terra, quam possidebitis sorte, & quam iussit Dominus dari nouem tribubus, & dimidiæ tribui. Tribus enim filiorum Ruben per familias suas, & tribus filiorum Gad iuxta cognationum numerum, media quoque tribus Manasse, id est, duæ semis tribus, acceperunt partem suam trans Iordanem contra Iericho ad Orientalem plagam. Et ait Dominus ad Moysen: Hæc sunt nomina virorum, qui terram vobis diuident, Eleazar sacerdos, & Iosue filius Nun, & singuli principes de tribubus singulis, quorum ista sunt vocabula: De tribu Iuda, Caleb filius Iephonne. De tribu Simeon, Samuel filius Amiud. De tribu Beniamin, Helidad filius Caselon. De tribu filiorum Dan, Bocci filius Iogli. Filiorum Ioseph de tribus Manasse, Hanniel filius Ephod. De tribu Ephraim: Camuhel filius Septhan. De tribu Zabulon, Helisaphan filius Pharnach. De tribu Issachar dux Phaltihel filius Ozan. De tribu Aser, Abiud filius Salomi. De tribu Nephthali, Phedael filius Amiud. Hi sunt, quibus præcepit Dominus, vt diuiderent filiis Israel terram Chanaan.

Ioan. 4 Diuisores terræ à domino constituti.

E

Præcepitque Moyses. Istud est secundum huius capit. scilicet, quibus terra ista diuidi debeat, & diuiditur in duo: primo ponuntur illi, quibus terra diuidenda est: secundo illi, à quibus diuisio facienda est, ibi. ***Et ait dominus.*** Circa primum dicitur. ***Præcepit Moyses filiis Israel.*** Scilicet, & ipse ex mandato Dei iussit Israelitis, ne aliam terram possiderent præter eam, quæ eis hic datur, nec etiam aliter possiderent, quam hic describitur. ***Hæc erit terra, quam sorte possidebitis.*** Id est, ista terra, cuius termini supra descripti sunt, erit terra, quam possidebitis vltra Iordanem, & diuidetis eam inter vos sorte: intra istos terminos non includebatur regnum Sehon, & Og, in quibus habitabant duæ tribus, & dimidia, ideo illa terra sorte non est diuisa: terra autem vltra Iordanem diuisa est per sortes, vt hic dicitur.

Circa sortes igitur aliquid dicendum est, & primo in sortibus consideratur, an habeant aliquam efficaciam, & an significent nobis voluntatem Dei. De hoc autem declaratum est Leuitic. 16. c. Etiam consideratur in sortibus, quare Iudæi illis vsi fuerunt, & quare Deus hoc iusserit, & quomodo stare poterat, quod positis sortibus daretur cuilibet tribui terra secundum exigentiam suam, scilicet pluribus maior pars, & paucioribus minor. De quo supra 26. c. declaratum est.

F

An vti sortibus sit licitum, & quare in sacra Scriptura multoties posita sint, & quatuor modis, quibus aliquis potest errare vtendo sortibus.

QVÆSTIO VI.

QVæritur autem nunc, an sortibus vti licitum sit, scilicet, an sortes malæ sint.

Sors quid & quotuplex.

Pro quo sciendum, quod sors est determinatio alicuius dubii ex euentu aliquarum rerum motarum, vt per lapides, vel taxillos, per paleas, vel aliquid tale aliquando dubia deciduntur. Est autem ista sors duplex, scilicet consultoria, & diuisoria: diuisoria quidem, per quam inquirimus quid cuique de aliquibus rebus diuidendis eueniat, & ista semper est inter duos ad minus, nec determinat aliquod occultum, sed solum tollit litigium. Ista autem non potest esse culpabilis, sicut cõsultor: est autem consultoria sors, quando aliquarum rerum motu aliquorum factorum veritatem inquirimus, vt qui sortibus exquirunt, qui furtum fecit, vel quid facere quis debeat.

Vti sortib. non est de se malum

Et dicitur, quod vti sortibus de se malum non est, sed malum interdum accidit ex intentione vtentis, vel occasione: si enim sortes de se malæ essent ex genere, sicut fornicari, vel

furtum

furtum facere, non inuenirentur toties in ſacra Scriptura factæ, ſcilicet Ioſue cap. 7. vbi per ſortes conſultorias quæſitum eſt, quis tuliſſet de anathemate Iericho, donec inuentus eſt reus ſceleris. Item Saul per ſortem conſultoriam inquiſiuit quis guſtaſſet aliquid ante tempus aſſignatum, & inuentus eſt Ionathas filius eius, 1. Reg. c. 14.

Item crimen Ionæ Prophetæ ſorte conſultoria à nautis deprehenſum eſt, vt habetur Ionæ cap. 1. & Zacharias pater B. Ioannis ſorte incenſum Deo obtulit, vt habetur Lucæ cap. 1. & ita omnes alii offerebant, vt ibi ſignificatur. Item Matthias ſorte in apoſtolatum electus eſt Actuum capitulo primo. & de his habetur in Decretis vigeſimo ſexto. quæſtione ſecunda, capitulo 1.

Sed dicet aliquis, quod ſors de ſe mala eſt, ſed aliquando ex diuino mandato licita erat, ſicut furtum de ſe illicitum eſt, ſed Iudæi mandato Dei Aegyptiorum vaſa, & veſtes furati ſunt, vt habetur Exo. c. 12.

Mala nunq̃ ſunt facta ab aliquo viro ſancto ſine expreſſo Dei mãdato.

Reſpondendum, quod hoc nihil eſt, quia quandocunque aliqua de ſe mala ſunt, nũquam fiebant ab aliquo viro ſancto, niſi de mandato expreſſo Dei, de quo aliis conſtaret: ſic enim Iudæi furati non fuiſſent, niſi Deus expreſſe mandaſſet, vt habetur Exodi cap. 3. quia furari de ſe malum erat, nec Abraham elegiſſet filium ſuum immolare, niſi Deus id mandaſſet, vt patet Geneſis capitu. vigeſimoſecundo, quia talis electio per ſe mala erat.

Et ſi arguas, quod ſancti patres plures vxores ſimul habuerunt, quod malum erat, vt patet de Abraham, qui habuit Saram, & Agar: Geneſis decimoſexto. ſic de Iacob, qui habuit Liam, & Rachel, Zelpham, & Balam: Gen. cap. vigeſimonono & trigeſimo. Dauid quoque habuit Michol, Abigail, & Achinoen, & Maacha, & Agith. ſecundo Regum, cap. tertio. & tamen non fuit in iſtis ſpecialiter mandatum Dei de habendo plures vxores.

Hẽre plures vxores ſimul an ſit de ſe malũ

Reſpondetur, quod habere plures vxores ſimul de ſe malum non eſt, ſicut nec habere plures ſucceſſiue, ſed habere plures violato fœdere matrimonii, & fornicari propter carnis illecebras malum eſt, ideo in decalogo non prohibetur aliquis habere plures vxores, quod eſt dictum, ſed fornicari, quod eſt vel cum vna, vel cum pluribus ſine matrimonii fœdere copulari. Nunc autem ſi malum eſt, ideo eſt, quia prohibitum eſt, ideo non requirebatur ſpeciale mandatum Dei ad habendum illas. Et ſi arguas de Moyſe, qui ſine diuino præcepto Aegyptium occidit, vt patet Exo. ca. 2. & tamen iſtud erat de ſe per ſe malum.

Reſpondetur, quod ſine mandato Dei licebat Moyſi Aegyptium occidere, quia iudex erat, qui in occidendo non peccat, & Moyſes ſciebat ſe eſſe iudicem, & defenſorem populi, quia fuerat reuelatum ipſi, quod futurus eſſet defenſor, & ipſe putabat, quod omnibus aliis cognitum erat: ſic patet Actuum capitu. ſeptimo, ſcilicet exiſtimabat autem intelligere fratres ſuos, quoniam Deus per manum ipſius daret ſalutem illis, at illi non intellexerunt.

Si obiicias de Elia, qui quadringentos prophetas Baal manu ſua iugulauit, vt habetur tertio Regum decimo octauo capitulo.

Reſpondetur, quod hoc licite fieri poterat, quia erat propheta Domini, & iudex in tali cauſſa: potuiſſet enim per ſe illos occidere, ſicut occidit Mathatias ſacrificantem idolis ſuper Aram, quia ſacerdos magnus erat, maxime quia prophetæ quadringenti occiſi ſunt ex decreto regis Achab, & totius populi, viſo miraculo facto per Eliam: vnde & ipſe populus comprehendit prophetas, & tradidit Eliæ, qui iugulauit eos. Item quod maius eſt, Deus dixerat hæc Eliæ, ſcilicet, vt omnia iſta faceret, vt patet præalle. 18. c.

De furto autem Aegyptiorum facto per Iudæos etiam aliter dici potuiſſet, ſcilicet, quod cum Iudæi magno tempore ſeruiuiſſent Aegyptiis, & bona eorum ablata fuiſſent in parte, Iudæi poterant proprio motu ab eis licite per iuſtum bellum iſta repetere, ſed quia publice non audebant poterant occulte, quia nullus erat, qui eis iuſtitiam faceret ſi vellent iudicio contendere: ſed quantum accipere debebant hoc ignorabant, ideo Deus dixit eis, quod acciperent quantum poſſent in auro, & argento, & veſtibus. Si enim Deus volebat aliquem Aegyptiorum bona ſua perdere mouebat eum, vt quæ Hebræi petebant, libenter accommodaret. Si autem aliquis nõdum demerebatur perdere bona ſua, Deus nõ inclinabat cor eius, vt daret, ne illa perderet.

Eodem modo reſponderi poteſt de Abraham, cum voluit immolare filium ſuum, nam hoc erat de per ſe malis; ideo nõ fecit, nec aggreſſus eſt quouſque Deus iuſſit, & ſic manet iſta regula vera, quod quandocunq; eſt aliquid de per ſe malis, nũquam aliquis de ſanctis patribus faciebat illud, niſi Deus ei ſpecialiter iuberet.

Viri ſãcti poterant aliquãdo facere aliqua q̃ erant prohibita.

Alia regula, circa hoc eſt, quod in his, quæ mala ſunt, quia prohibita, viri ſancti, de quibus præſumptio mala non erat, ſine mandato ſpeciali Dei facere poterant, vt ædificare altare, vel offerre extra Sanctuarium, quod Deus prohibuerat: Exo. cap. 20. & Leuitici decimoſeptimo, & Deute. 12. ſed viri ſancti, & magnæ auctoritatis aliquando iſta faciebant, vt patet Dauid ſecundo Regum, capitu. vlti. & de Elia ſacrificante in monte Carmeli. 1. Regum, decimo octauo cap. Si autem eſſet aliquis, de quo præſumptio idololatriæ eſſe poſſet, ſine manifeſto mãdato Dei non permittebatur hoc facere: ſicut patet de duabus tribubus, & dimidia ædificantibus altare prope Iordanem, quia propter hoc aliæ tribus pugnare volebant contra eas, vt habetur Ioſue c. 22.

Reſpondendum ad argumenta ſecundum iſtas duas regulas datas, dicendum, quod ſi vti ſortibus de ſe malum fuiſſet, oporteret, quod quandocunque licite fieret ſpecialiter à Deo mandaretur, ſed non fuit ſic in omnibus iſtis vicibus.

De prima ſorte miſſa in Iericho legitur, quod mandato Dei miſſa fuerit, vt habetur Ioſue capit. ſeptimo de ea, quam miſit Saul ſuper Ionathan. vel nautæ, & Ionas, vel ſacerdotes de vice Abia, de quibus erat Zacharias, vel Apoſtoli ſuper Matthiam: non legitur, quod Deo mandate hoc fecerint, ideo illicitum non erat, immo nec prohibitum in illa intentione, qua iſti faciebant, quia omnes iſti expectabant Deum ſortes moturum; & ideo ſortes quaſi per ſeipſum determinaturum, vnde & in omnibus his determinauit per ſortes, iuxta illud Prouerb. capitu. decimoſexto. ſortes in ſinum mittuntur, ſed à domino temperantur. Si enim ſortes iſtæ à ſola fortuna, vel dæmone mouerentur, non fuiſſent ſemper veræ, ſed ſemper veræ inuentæ ſunt, ſicut patuit in Acham, ſiue Achor, qui idẽ confeſſus eſt, quod ſors innuebat: patet etiam in Ionatham, qui reuelauit ſe modicum mellis præguſtaſſe prædicente ſorte. Hoc idem in Iona, qui confeſſus fuit nautis ſe peccaſſe cõtra dominum. ſed licet antiquitus licuit ſortibus veritatem inquiri, nunc non licet ſimpliciter, quia ad deterius inducere poſſent, multa quoque antiquitus permiſſa ſunt, quæ nunc non licent, vt habetur in Decretis. 26. quæſtio. ſecunda. capit. his namque.

Sed obiiciet aliquis, quod Matthias in nouo teſtamento ſorte electus eſt ad apoſtolatum: Actu. c. 1.

Reſpondendum eſt, quod ea, quæ in quibuſdam perſonis ſpecialiter facta ſunt in conſequentiam trahi non debent, vt extra. De electio. cap. cum in cunctis. quia ſpecialis caſus non facit legem. Quamquam ad hoc aliter reſponderi poſſet, ſcilicet: quod ſortes ex imperfectione permiſſæ ſunt, & quia antiquorum erat ſtatus imperfectus conceſſæ ſunt illis: Apoſtoli vero ante aduentum Spiritus ſancti ſuper eos imperfecti erant; ideo ſortibus Matthiam elegerunt ſequentes antiquorum ritum, ſed poſtquam venit Spiritus ſanctus, iam non elegerunt aliquem per ſortem, ſed ex votis, iuxta conſuetudinem Eccleſiaſticæ electionis. Sic patet de electione ſeptem virorum, qui præerant viduis: Actuum octauo capitulo. Diſtinguendum ergo eſt in hoc de vſu ſortium, quia qui ſortem mittit, ſiue conſultoriam, ſiue diuiſoriam, vel intendit quod ſic, vel ſic euenire eſt à fortuna, vel rerum temeritate, & tunc peccatum non eſt in diuiſoria ſorte proiiciendo taxillos, vel accipiendo lapides, vel feſtucas, niſi per accidens, ſcilicet ſi aliquis eorum, ita cupidus eſt, quod cum alio conuenire non poteſt, niſi factis ſortibus. Sed quod dicitur, quod ſortes proueniant à fortuna, aut rerum temeritate non eſt ſimpliciter ſic aſſumendum, quia fortuna aut temeritas non ſunt aliquæ cauſæ niſi accipiendo in ſenſu ſano, ſcilicet, quod euentus fortuitus ſit ex cauſis procedens, tamen non ſunt nobis incognitæ, & euentus inopinatus. Cauſæ autem iſtæ partim ſunt ab homine, & partim à Deo, ſicut declarat Boetius, de conſolatio. libro 5. proſa prima. Sed dicitur eſſe ſortium euentus à fortuna, id eſt, quod non erat ſpecialiter à Deo mouente, ſicut

Quid ſortes ſint & cur in ſacra Scriptura multoties poſitæ ſunt.

A

in quibuſdam aliis opetari ſolet. In ſorte autem conſultoria magis periculum eſt, quia quæritur de actu noſtro, & non de re poſſeſſa, ideo quando quæritur de actu alicuius, vel quis hoc, aut illud agere debeat circa ardua, & ſancta, non debet iudicium à ſola fortuna ſpectari.

Si autem motus, vel diſpoſitio ſortium ſpectetur à cauſa naturali, ſcilicet à motu cœli, ſuperſtitioſum eſt, quia corpus cœleſte non valet agere ſuper actus liberi arbitrii, & in hoc erant illi, qui nolunt ſortes mittere, niſi in certo tempore, & contra determinatam partem cœli, quaſi intelligentes corpus cœleſte in tali tempore, & verſus talem partem ad ſic, vel ſic mouendum influere. Si autem tales motus ſortium à dæmone expectentur valde illicitum eſt, & inter nequiſſimas artes computatur, & tales proprie ſortilegi vocantur prout ſortilegus ſonat in vitium. ſi autem motus, vel iudicium ſortium à Deo per angelum ſuum expectetur, vel per ſeipſum, habita debita reuerentia vti ſortibus illicitum non eſt, & iſto mõ ſors bona eſt, vt ait Aug. ſuper Pſal. ſors non eſt aliquid mali, ſed res in humana dubietate diuinam requirens ſententiam. Et habetur in Decretis. 26. q. 2. ca. ſors.

In ſortib. quadruplex error accidere poteſt.

Expectando autem in ſortibus à Deo iudicium poteſt in conſultoriis quadruplex error accidere: primus eſt ſi ſine neceſſitate ad ſortes recurratur: quærere enim Dei iudicium ſine euidenti neceſſitate eſt tentare Deum, ſicut quærere aliqua à Deo, quando via humana haberi poſſunt, vt ſiquis non vult effugere periculum expectans, quod Deus eum liberet. Apoſtoli autem ſi in ſortibus diuinum iudicium quæſiuerunt, licite fecerunt, quia in magna neceſſitate, & dubio erant: erat enim neceſſitas, quia duodecim Apoſtoli eſſe debebant. Dixerat enim Chriſtus ego duodecim elegi vos, ideo quando B. Petrus, qui tunc tanquam caput omnium mouit alios ad hãc ſortiariam electionem præpoſuit neceſſitatem eligendi dicens: Viri fratres oportet impleri ſcripturam, quam prædixit dominus per os Dauid de Iuda: Fiat habitatio eius deſerta, & non ſit qui habitet in ea, & epiſcopatum eius accipiat alter: Actuum primo. Ecce neceſſitas eligendi. Maximum quoque dubium erat, quia officium apoſtolatus excellentiſſimum erat, nec illud congrue habere poterat, niſi homo cordis puri, quem Spiritus ſanctus replere ſua gratia dignaretur, talem autem inquirere humanum excedit ingenium, quia Deus ſolus nouit, quos elegit, nos autem ex parte cognoſcimus, cum eos viderimus in officiis inſtitutos, cum principatus oſtendat virum, iuxta Ariſtotelem, Ethicorum, libro quinto. non videbat autem B. Petrus aliquem modum tutum, per quem ipſi eligerent non repugnando voluntati diuinæ, niſi per ſortes diuinum inuocare auxilium, vt ipſe oſtenderet quem elegiſſet, ideo concluſit. Oportet ergo ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati vnum teſtem reſurrectionis fieri, & tunc patet, quod Apoſtoli quantum potuerunt humana perſcrutatione fecerunt, quia licet multi viri eſſent in comitate eorum Sancti, & religioſi, ſcilicet, centum viginti, tamen quia iſtos duos inter alios ſanctitate valde excellere conſpiciebant hos duos elegerunt ab omnibus aliis, & hoc ſine ſortibus. Sed quia inter iſtos exterius modica differentia videbatur, diuinum iudicium inquiſiuerũt dicentes: Tu Domine, qui noſti corda hominum, oſtende quem elegeris ex hic duobus: de hoc Actu. c. 1. & in Decret. 26. quæſt. 2. ca. non ſtatim, & cap. non exemplo.

B

C

2. Error in ſortibus.

Secundus error in ſortibus eſt ſi ſine reuerentia ſortes mittantur etiam in magna neceſſitate, quia Deus multum rogari vult: & ea, quæ nobis ab æterno dare promiſit, orationibus, aſſequi docet, vt habetur per Gregorium primo Dialogorum quod Deus promiſerat de ſemine Iſaac multas gentes proceſſuras, ſed vxorem ei ſterilem dedit, nec ante ei filios habere conceſſit quam ſuppliciter, & diutinis precibus eos à Deo poſcit. ideo Apoſtoli volentes diuinam ſententiam per ſortes inquirere, prius orationibus, & ieiuniis cum dulciſſima matre Chriſti vacauerunt, vt habetur Actu. cap. 1.

3. Error

Tertius error in ſortibus eſt ſi diuinam ſententiam in paruis rebus temporalibus expectemus, quia hoc contra reuerentiam eſt, vt in minimis quoque rebus maieſtas regia conſulatur, ideo & ſi in omnibus rebus etiam minimis diuinum auxilium inuocare debeamus, primo ad Corinthios capitulo decimo. ſed non in omnibus rebus diuinam debemus expectare ſententiam, ſed ſolum in maximis, & neceſſariis, quæ humano iudicio imperſcrutabiles ſunt: in paruis autem, vel temporalibus, Deum quidem adiutorem inuocare debemus, ſed opus, ſecundum quod Deus intellectui noſtro dederit, regulabimus, nihil vlterius ſpectantes, & hoc vult Auguſtinus ad inquiſitiones Ianuarii. Et habetur in Decretis, 26. quæſtio. 2. cap. hi quippe. de paganis eu angelici ſortes legunt, & ſi optandum ſit, vt hoc potius faciant, quam ad dæmonia conſulenda concurrant: tamen mihi diſplicet iſta conſuetudo ad negotia ſæcularia, & vitæ huius vanitatem diuina oracula velle conuertere.

D

4. Error

Quartus error in ſortibus eſt, ſi contra Eccleſiæ ſtatutum eis vtamur, vt in electionibus eccleſiaſticis, in quibus Eccleſia prohibuit ſortes intercidere, ſed ſolam intellectionem inuocato ad hoc Dei nomine, vnde Beda vult innuere, quod Apoſtoli per ſortem elegerunt; quia nondum erant viri perfecti, cum non ſuperueniſſe? Spiritus Sanctus, dicens: Matthias ante Pentecoſtem ordinandus ſorte quæritur, ſcilicet, quia non erat plenitudo Spiritus Sancti in Eccleſia effuſa: ſeptem diaconi poſtea non ſorte, ſed electione Apoſtolorum ſunt ordinati.

Iſtis tamen non obuiando poſſet forte aliter dici, ſcilicet, quod Matthias per ſortem, & electionem aſſumptus eſt, quia inſtituere aliquem in Apoſtolum altiſſimi negotii eſt: & ideo poſt ſuam electionem diuinam ſententiam per ſortem inquiſierunt: eligere autem ſeptem diaconos non erat tantæ difficultatis, quia adminiſtrandum menſis viduarum ſolum eligebantur, vt patet Actuum capitulo ſexto in dignitatibus autem temporalibus, quæ officia ſunt, & iuriſdictionem non habent non refert ſortibus vti, vel non: immo aliquando bonum eſt ſic vti, vt contentio tollatur: ſors enim in eo aliquid mali habet, quod tollit eligentium libertatem, vt aliquos nõ eligant, quos dignos eligi eſſe putabant, obuiante ſorte. In dignitatibus autem temporalibus, quæ iuriſdictionem habent aliquid refert vtrum ſorte, an electione iudices aſſumantur, quia forte talis Iudex euenire poterit, qui ad hoc ineptus ſit, niſi ſors inter paucos & aptos ponatur, vt primo aliqui aſſignentur electione digni iudicatura, vel principatu: deinde inter eos ſors mittatur. Sed quomodocunque fiat ſors prohibita non eſt, quia ius diuinum non obligat hominem ad aliquod genus politiæ: non enim magis ad monarchiam quam ariſtocraticam, oligarchicam, timocraticam, democraticam obligat politiam: tamen obligat, ne aliqua ſpecie iſtarum politiarum rector iniuſte agat. Aliquando autem in aliis rebus eccleſiaſticis magnum dubium euenit, quod non poteſt aliquo modo concordari. Vnde tunc ſortibus cum reuerentia vtendum eſt, vt ait Auguſt. in epiſtola ad Honoratum: Si inter Dei miniſtros ſit diſceptatio, qui eorum tempore perſecutionis maneant, ne fuga omnium eorum, vel morte deſeratur Eccleſia, ſi hæc diſceptatio aliter non poterit determinari, quantum mihi videtur qui fugiant, & qui maneant ſorte legendi ſunt. Patet igitur de ſortibus quando licitæ, & quando illicitæ ſint, Iudæis autem ſortes licitæ erant, immo neceſſariæ, quia cum Deus iuſſiſſet terram diuidi, ſi alio modo Iudæi eam vellent diuidere tranſgreſſores eſſent. Sed quare Deus iuſſerit ſorte diuidi, cum poſſet aliter latis conuenienter diuidi declaratum eſt ſupra capitulo vigeſimoſexto. & Ioſue cap. 15.

E

Caſus in quo poſſumus vti ſortibus.

F

Quam iuſſit dominus dari nouem tribubus, & dimidiæ tribui. Id eſt, quod iſta terra cuius termini ſupra aſſignati ſunt, ſolum pertinebat ad nouem tribus, & dimidiam: erant enim duodecim tribus Iſrael: duæ autem, & dimidia, ſcilicet Ruben, & Gad, & dimidia Manaſſe acceperunt poſſeſſionem ante Iordanem: ideo nouem tribus, & dimidia, quæ ſupererant accipere debebant terram iſtam, quæ diuidenda erat.

Tribus enim filiorum Ruben per familias ſuas. Hic datur cauſa eius dictum, ſcilicet quare daretur terra nouem tribubus, & dimidiæ, quia aliæ duæ, & dimidia iam ſuſceperant poſſeſſionem. & dicitur tribus Ruben per familias ſuas, id eſt, diuiſa per familias: nam quælibet tribus diuiditur in familias, quæ ſunt minores cognationes in ipſa, & de familiis ſingularum tribuum, quæ ſunt, habetur ſupra ca. 26. Cum autem Moyſes dedit tribui Ruben poſſeſſionem, non eam confuſe, ſed cuilibet familiæ diſtinxit partem ſuam.

Et tribus filiorum Gad iuxta cognationum numerum. Id eſt, etiam

tribus

A tribus Gad, quæ est vna de duabus, & dimidia recepit possessionem diuisam secundum numerum cognationum, scilicet, quod tot partes factæ sunt in possessione eius, quot inerant cognationes. & vocantur cognationes, id est, familiæ, quamquam cognatio est nomen generale ad tribum, familiam, & domum. Et dicitur secundum numerum cognationum dupliciter. vno modo quod numerus partium fuit secundum numerum cognationum dando cuilibet partem. Alio modo refertur ad quantitatem continuam, sc. secundum numerum cognationum, id est, inquirebatur de qualibet cognatione quantus esset numerus eius ad hoc, quod daretur pluribus maior pars, & paucioribus minor, vt patet supra 26. c. *Media quoque tribus Manasse.* Ista accepit possessionem suam cum aliis duabus. Quare autem fuerit hoc declaratum est supra cap. 32. *Acceperunt partem suam trans Iordanem.* Id est, ante transitum Iordanis. Non est autem hic trans proprie, quia Moyses cum ista diceret erat in terra istarum duarum tribuum, & dimidiæ nondum transito Iordane, sed consueuit dici trans Iordanẽ, nisi ab eo qui est ad vnam partem Iordanis pro re, quæ ad aliam partem est. Sed accipitur hic trans solum pro ante. *Contra Iericho ad Orientalem plagã.* Id est, terra duarũ tribuũ, & dimidiæ

B est dispositio contra Iericho. Nam Iericho est in principio terræ Chanaan in parte orientali eius apud Iordanem, & declinat ad partem meridianam: Israelitæ autem quando introire debuerunt in terram Chanaan introierunt per illam partem, vt patet Iosue cap. 2. & tunc quando erant in castris ante Iordanem erant contra Iericho, vt patet supra in litera, & præcedenti capit.

Et ait dominus ad Moysen. Hic ponitur secundum huius partis, scilicet à quibus terra diuidenda esset: iusserat enim dominus terram diuidi per sortem, sed quia in positione sortium posset suboriri quæstio, indigebat determinatore, & ob hoc Deus posuit iudices diuisores terræ, de quibus hic.

Hæc sunt nomina virorum, qui terram vobis diuident. Assignati sunt isti, qui sequuntur in diuisores, in quo certificati fuerunt de vita per aliquantum tempus. Nam diuisio terræ futura erat post omnia bella, sed isti diuisuri erant terram: ergo oportebat, vt viuerent vsque ad bellorum consummationem saltem, quod eis satis magnum gaudium erat: nam cum pugnaturi essent cõtra gentes multas satis rationabiliter timere poterant, quod aliqui eorum morerentur.

C *Eleazar sacerdos.* Isti sunt, qui diuisuri erant terram. Et sciendum est, quod ponuntur hic quatuordecim viri. Nam Deus voluit dare diuisores, & principes diuisorum, fuerunt autem diuisores duodecim viri, de duodecim tribubus, ita vt nulla tribus excluderetur ab hac iurisdictione, & omnes isti duodecim erant æquales potestate, fuerunt autem duo principes horum Iosue, & Eleazarus: Iosue quidem, quia erat dominus totius populi: Eleazarus autem, quia erat summus sacerdos, & ob hoc honoratissimus in populo. Nam tempore Moysi etiam ipse habebat auctoritatem: nam coram eo, & Moyse determinabantur magnæ causæ, vt patet de filiabus Salphaad supra cap. 27.

Et Iosue filius Nun. Iste erat secundus princeps diuisorum, & iste erat excellentior, cum Deus fecisset eum principem populi supra cap. 27. & Deu. capitulo vltimo: ideo ad istum principaliter accedebant illi, qui petebant possessionem, sic patet de Caleb Iosue c. 14. vbi accessit ad Iosue petens hæreditatem, ipse quoque iussit, vt omnes tribus venirent ad ponendum sortes coram domino in Sylo Iosue c. 18. cum tamen debebat aliquid fieri de diuisione oportebat omnes conuenire, qui nominantur hic.

Et singuli principes de tribubus singulis. Id est, quod de qualibet tribu acciperetur vnus vir, qui esset princeps in diuisione hac secundum quod in litera exprimitur positis nominibus eorũ.

Quare de qualibet tribu ponebatur vnus iudex ad distribuendum terram Chanaan.

QVÆSTIO VII.

QVæret aliquis, quare de qualibet tribu ponebatur vnus.

Respondendum est, quod hoc fiebat propter duo. Primo ne aliqua tribus videretur esse cæteris despicabilior, sed necesse erat, quod ponerentur de aliquibus tribubus, aut de aliqua viri quidam, qui essent diuisores terræ, ideo si de omnibus aliis non ponerentur viderentur cæteræ tribus neglectæ, aut minoris auctoritatis, quam illæ, de quibus ponebantur aliqui viri, & sic esset locus inuidiæ, & contentioni. Hanc autem Deus voluit euitare, ideo quandocunque de aliqua tribu mittebantur viri ad aliquid etiam de omnib. aliis mittebantur, vel si fiebat aliquid quod pertineret ad honorem vnius tribus, etiam fiebant alia similia, quæ pertinerent ad honorem aliarum tribuum. Patet hoc tempore confirmationis legis: nam positi fuerunt in monte Sinai lapides erecti in titulos ad memoriam, quod accepisset Israel legem ibi, & ne aliqua tribus videretur esse deterior cæteris, duodecim tituli positi sunt Exodi 24. Item ibidem cum deberent fieri sacrificia pro toto populo. duodecim iuuenes de duodecim tribubus Israel illa fecerunt eodem cap. Item in duobus onychinis superhumeralis duodecim tribuum nomina posita sunt, & in duodecim lapidibus rationalis earundem duodecim tribuum nomina sculpta fuerunt: Exodi 28. Item cum in dedicatione Sanctuarii principes populi offerrent, omnium duodecim tribuum principes obtulerunt per dies duodecim supra capit. 7. Item cum mitterentur exploratores in terram Chanaan, de qualibet tribu vnus vir missus est supra capit. 13. Item cum assignarentur Israelitæ ad ponendum benedictionem, & maledictionem super montem Hebal, & Garizim pro obseruatoribus, & violatoribus legis, omnes duodecim tribus ad hoc opus destinatæ sunt Deuteronom. 27. Ita igitur cum aliquibus committenda esset terræ diuisio debuit committi viris, qui essent de omnibus tribubus. Nec solum obseruatum fuit hoc in ducatu Moysi, sed etiam in ducatu Iosue, nam cum in Iordane erigendi essent lapides in memoriam transitus Israel per locum ipsum positi fuerunt duodecim lapides in memoriam duodecim tribuum: Iosue cap. 4. & cum voluisset Deus, quod in prima mansione eorum in terra Chanaan, scilicet in Galgalis maneret eorum memoria fecit, quod adducerentur duodecim lapides de Iordane, & ponerentur ibi, & pro illis introierunt duodecim viri de duodecim tribubus, vt patet præalleg. capit. Secunda causa fuit ad tollendum grauamen, vel suspitionem grauaminis à qualibet tribu: si enim de aliquibus tribubus viri ponerentur diuisores terræ, & non de aliis, cum quilibet sibi ipsi bonum velit, possent isti inter se diuidere alias colludere, & distribuere tribubus suis magnas sortes, aliis aũt tribub. darent paruas, & illæ non possent habere ius cõtra eos, quia licet reclamarent isti erant iudices, & nulli alii superiores, ideo non esset, qui tolleret grauamen factum ab eis. Cum autem positi essent iudices diuisores de omnibus tribubus non poterat hoc fieri, quia nullus illorum permitteret tribum suam grauari, & omnes erant æquales in iure, ideo non posset committi fraus. Et dato quod hic non committeretur aliqua fraus, vel grauaretur aliqua tribus, poterat tamen grauari, & satis erat suspitio, quod grauaretut, cũ quædam de tribubus haberent iudices pro parte sua, & aliæ non. Ad tollendum ergo omnia hæc conueniens fuit, vt de qualibet tribu ponerentur diuisores.

Quare de omnibus tribubus positi fuerunt diuisores, cum tamen non essent omnes habituri sortes.

QVÆSTIO VIII.

QVæretur vlterius, quare de omnibus duodecim tribubus ponebantur diuisores, cum non essent habituræ omnes duodecim tribus aliquas sortes, sed solum nouem, & dimidia, vt patet supra in litera. Causæ autem supra assignatæ solum militant pro illis tribubus, quæ recepturæ erant sortẽ, pro aliis autem, ad quas non attinebant sortes, nihil agunt.

Respondendum est, quod tres fuerunt causæ ad hoc. Prima fuit propter honorem, nam vt dictum est si aliqua tribus de Israelitis non haberet æqualitatem honoris cum cæteris videretur esse despicabilior, & quia hoc Deus tollere volebat, ne orirentur inuidiæ & scandala, de omnibus tribubus fecit esse diuisores. Nec valet cum dicitur, quod ad duas tribus & dimidiam nihil pertinebat de hoc, cum ipsæ non essent susceptura hæreditatem, quia licet non pertineret ad eas hæreditas poterat pertinere iudicium de hæreditate, immo melius

A

ad ipſas quam ad omnes alias, quia quilibet melius iudicat in cauſa aliena, quam in ſua: propter hoc, quia non habet amorem ita ordinatum ad alterum, ſicut ad ſeipſum ſecundum Ariſt. 9. Ethico. ideo iſtæ tribus melius iudicarent, quia nihil ad eas pertinebat, & etiam illi viri, qui ponebantur de ſingulis aliis tribubus quamquam ad ipſas tribus pertineret hæreditas, tamen illi non ponebantur, vt habentes ius in re, ſed vt penitus alieni, nam non erant, vt procuratores, ſed vt iudices. Secunda cauſa fuit, quia iſta diuiſio fiebat à tota communitate, ideo debebant poni iudices nomine totius communitatis, ſed hoc erat, quod ponerentur aliqui de ſingulis tribubus, ergo ſic poni debuerunt. Patet hoc, quia quamquam terra Chanaan ſolis nouem tribubus, & dimidiæ diuidenda eſſet, tamen ad totum Iſrael pertinebat, & totus Iſrael iuit illuc ad pugnandum contra incolas terræ illius, cum iuerint illuc viri de duabus tribus, & dimidia Ioſue cap. 4. terra quoque duarũ tribuum, & dimidiæ erat totus Iſrael, quia quamquam quæ tribus, & dimidia illam ſuſciperent in hæreditatem, tamen totus Iſrael eis illam dabat, ſic patet ſupra cap. 32. cum dixit Moyſes ad totum Iſrael, quod ſi filii Gad, & Ruben, nollent tranſire Iordanem cum eis ad pugnandum darent illis locum habitandi inter ſeipſos in terra Chanaan, & ſi tranſirent cum eis, darent illis terram duorum regum Amorrhæorũ, ſed ſi non eſſet totus Iſrael non poſſet eam dare, ergo ad totum populũ pertinebat, & præcipue quia licet terra poſt diuiſionem pertineret ſpecialiter ad aliquas tribus, tamen ante diuiſionem non pertinebat ad aliquam, ſed ad totum populum, ideo ad diuiſionem faciendam non debebant poni viri ſpecialiter de aliquibus tribubus, ſed de toto populo, & hoc erat poni de ſingulis tribubus. Tertia ratio erat, qui conuenientius ponebantur hic Iudices de duabus tribubus, & dimidia quam de omnibus aliis, quia pertinebat vtilitas diuiſionis ad alias, & non ad duas, & dimidiam. Melius autem, & liberius qui iudicat cum neutra pars cauſæ ei vtilis, vel inutilis eſt, quam cum aliquid eorum accidere poteſt, ideo conueniens fuit, vt de his duabus tribubus, & dimidia, ſicut de cæteris aſſignarentur diuiſores.

B

Quare de tribu Leui nullus diuiſor poſitus fuit.

QVÆSTIO IX.

QVæretur amplius, quare de tribu Leui non fuit poſitus aliquis diuiſor. Reſponderi poteſt, quod tribus Leui non erat ſuſcepturа aliquam ſortem in aliquo loco terræ promiſſionis ſupra cap. 18. & Ioſue c 13. ideo ad eam nihil pertinebat de his iudicare, aut diuidere: ad reliquas autem tribus pertinebat aliquid de poſſeſſione, ideo de qualibet earum debet poni iudex. Sed arguet aliquis, quia hoc modo non deberet poni aliquis diuiſor de tribu Ruben, & Gad, quia iſtæ nullam partem acceptуræ erant, & tamen fuerunt poſiti aliqui. Dici poteſt igitur aliter quod ad tribum Leui non pertinuit, quod eſſet aliquis Iudex de illa, quia non ſolum Leuitæ non erant ſuſcepturi ſortem, ſed etiam non erant ipſi de populo, nec includebantur nomine filiorum Iſrael: ſic enim Deus iuſſerat ſupra ca. 1. quod non poneretur ſumma Leuitarum cum ſumma filiorum Iſrael. Nec etiam de ipſis aliqui accipiebantur ad faciendum quidquam quod pertineret ad populum, ſicut patet de miſſione exploratorum, & ſimilibus ſupra cap. 13. Etiam dato, quod deberent poni aliqui diuiſores de ſingulis tribubus, non debebant poni de Leuitis, quia Leuitæ non faciebant tribum, cum diuideretur Iſrael per 12. tribus, & nulla earum erat de Leuitis. Si tamen vellemus large loqui aliquis de diuiſoribus erat de tribu Leui cum Eleazar eſſet de Leuitis, & ipſe ponitur hic vt principalis diuiſor, ſed non proprie eſt ipſe de diuiſoribus tribuum. Et ſi de tribu Leui aliquis ponẽdus fuiſſet præter Eleazarum alius poneretur, ſicut patet de Ioſue, qui erat de tribu Ephraim, & tamen præter ipſum fuit alius diuiſor eiuſdem tribus, vt patet in litera eo, quod Ioſue magis erat princeps diuiſorum, quam diuiſor.

C

Ad quid ponerentur diuiſores, cum diuiſio futura eſſet per ſortes.

QVÆSTIO X.

QVæret aliquis, quid proderat, quod ponerentur diuiſores terræ, quia concordia per eos facta nihil valeret, cũ omnia poſtea ſortibus dirimenda eſſent. Reſpondendum eſt, quod iſti diuiſores erant neceſſarii, & multum conferebant, immo totum conferebant, quia dato, quod ſortes iſtæ, quæ ponebantur eſſent ſortes communes, ſicut iſtæ quas nos ponimus, quæ à Deo ſpecialiter non reguntur, ſed magis quadam temeritate fortunæ, adhuc eſſent neceſſarii diuiſores: nã ſortes non poſſunt poni, niſi ſuper aliquas partes diuiſionis. Iſta autem diuiſio ab aliquo fieri debebat, & iſti ſunt, qui aſſignantur hic, ideo aliquid conferebant, quia neceſſarii erant. Nec ſolum aliquid, ſed totum, quia præter iſtorum diuiſionem ſortes nihil faciebant, iſte namque primo diuidebant terram in tot partes, quot erant tribus, & ſecundum magnitudinem earum ſic faciebant pro portione in ipſis partibus diuiſionis, & tunc poſitis cedulis ſortium proueniebat cuilibet tribui illas pars quæ aſſignata fuerat à diuiſoribus, nec errabat vnquam ſors, vt declaratum fuit ſupra cap. 26. & Ioſue cap. 15. Oportuit igitur ad hoc aſſignari viros peritos, & circa hæc expertos, ne aliquam tribum grauarent. Nam ſi ipſi errarent in aſſignatione poſſeſſionum quantum ad magnitudinem, & paruitatem pro qualibet tribu, neceſſe erat, vt ſortes etiamſi à Deo mouerentur errarent, ſicut patet de ſorte, quæ primo data fuit tribui Iudæ, & tamen erratum eſt in illa, ideo poſtea reducta eſt ad proportionem cum aliis, & quędam pars de ipſa deciſa eſt, quam accepit in poſſeſſionem tribus Simeon, de quo late declaratum eſt Ioſue c. 15. & 19.

D

An iſti diuiſores ſint illi qui luſtrauerunt terram deſcribendo eam.

QVÆSTIO XI.

QVæretur vlterius, an iſti Diuiſores terræ, qui hic ponuntur ſunt illi, qui luſtrauerunt terram deſcribentes eam in volumine ad ponendum poſtea ſortes, de quibus Ioſue 18. ca. Dicet aliquis, quod ſic, quia iſti diuiſores poſiti fuerunt ad aliquid, ſed non videtur eſſe aliquis actus proprius eorum, niſi deſcribere terram in partes. ergo ipſi fuerunt, qui deſcripſerunt. Reſpondendum eſt, quod non fuerunt iſti, quia Ioſue fuit de iſtis diuiſoribus, vt patet hic, ſed Ioſue non iuit ad deſcribendum terram, vt patet Ioſue cap. 18. cum ipſe dixerit viris, qui ibant ad deſcribendum, quod irent per talem, vel talem partem, ergo non fuerunt ipſi diuiſores deſcriptores terræ. Item patet hoc, quia dicitur ibi, quod poſtquam iſti viri deſcripſerunt terrã, redierunt ad Ioſue, qui erat in Silo in caſtris, ergo non iuit cum eis. Item patet hoc, quia dicitur præalleg. cap. Eligite, de ſingulis tribubus viros, vt mittam eos, & deſcribant terram, ſed iſti duodecim non poterant eligi, quia iam à Deo electi fuerant, ideo oportet intelligi de aliis, quod fuerint electi. Item patet, quia dicitur ibi, quod de ſingulis tribubus eligerent viros ternos, ſed hic de qualibet tribu ſolum fuit vnus acceptus, ergo non ſunt iſti, qui diuiſerunt terram. Cum autem arguitur, quod non videtur eſſe alius actus proprius iſtorum diuiſorum, niſi deſcribere terram, ergo ipſi deſcripſerunt. Reſpondendum, quod præter hoc ipſi habebant alios actus, ſcilicet facere diuiſionem quando vellent, & ponere cedulas ſortium, & aſſignare cuilibet tribui ſuam partem facta diuiſione, ſicut cum quis mittitur in poſſeſſionem iudicis auctoritate. Et hoc etiam, quod erat mittere viros ad deſcribendum terram, pertinebat ad eorum iuriſdictionem: nam cum ipſis delegatum eſſet, quod terram diuiderent delegabantur omnia, ſine quibus non poterat hoc commode finiri. ſic extra de offic. deleg. capit. prætereã.

E

F

A

Quare in tribu Ephraim positi fuerunt duo.in aliis autem vnus.

QVÆSTIO XII.

QVæretur vlterius, quare in tribu Ephraim fuerunt positi duo diuisores,scilicet Iosue,& quidam alius, vt patet infra,cum in qualibet tribu vnicus esset diuisor. Respondendum est,quod diuisores erant proprie duodecim,quorum de qualibet tribu vnus erat, & in hoc non excedebat tribus Ephraim alias tribus, sed præter hos fuerunt positi quidam principes,qui non proprie sunt diuisores, sed principes diuisorum,& isti oportet,quod essent de aliqua tribu,ideo in aliqua essent geminati. Sic fuit de Ephraim,in qua specialiter datus est vnus diuisor, sicut in cæteris, & præter hoc fuit Iosue de eadem tribu.Iosue tamen non ponitur specialiter, vt diuisor,sed vt dominus diuisorum.Et patet,quia alias sicut illevir, qui ponitur de tribuEphraim nominatur specialiter diuisor illa tribu,ita etiam nominaretur ibi Iosue, sed non fuit nominatus.

B *Quare in tribu Ephraim fuerit positus præter Iosue alius diuisor.*

QVÆSTIO XIII.

QVæretur vlterius cum Iosue esset princeps diuisorum, & nihil minus haberet de iure in hac re quam vnus de aliis diuisoribus,immo magis quare fuit positus alius diuisor in tribu Ephraim præter Iosue?

Respondendum est, quod Deus voluit de qualibet tribu dare vnum diuisorem, ideo debuit de tribu Ephraim dari vnus,sicut de cæteris,alioquin grauaretur ista tribus,fuit ergo assignatus specialiter vir, de quo infra, Iosue autem non fuit assignatus in diuisione specialiter, sed etiamsi non assignaretur pertineret ad eum, quia ipse erat princeps populi, nihil ergo speciale dabatur tribui Ephraim, quod Iosue esset diuisor,cum hoc competeret ei ex principatu suo. Non erat etiam conueniens,quod ipse solus esset diuisor in tribu Ephraiam: nam tunc videretur ipse esse tanquam vnus de diuisoribus aliarum tribuum, cum specialiter esset constitutus, sicut quilibet de illis: sed hoc non erat, quia Iosue habebat maiorem potestatem,quam alii diuisores cum ipse iuberet aliis, & posset eos cogere ad describendum terram si ipsi essent negligentes.Hoc aliqualiter patet Iosue capitu.18.vbi cum nec tribus peterent possessiones, nec diuisores eis assignarent, Iosue dixit supplens negligentiam eorum, vsquequo marcetis ignauia,& non intratis ad possidendam terram, eligite de singulis tribubus ternos viros,&c. Item non erat aliquid speciale in tribu Ephraim, quod sumeretur Iosue in diuisorem tanquam si nullus sumeretur: sic enim de tribu Leui nullus fuit assumptus in diuisorem,&tamenEleazar erat de diuisoribus, & erat de tribu Leui. Ideo dicendum,quod duodecim viris assignatis, primo proprie conuenit, quod essent diuisores, quia præter istam assignationem non habebant aliud ius, Iosue tamen, & Eleazarus,quia erant principes populi,etiamsi non fuissent specialiter assignati in diuisores, conueniret eis propter principatum suum.

C *An isti duodecim diuisores sint illi,qui iuerunt ad explorandum terram.*

QVÆSTIO XIIII.

QVæretur vlterius,an isti duodecim viri, qui ponuntur hic sint duodecim, qui missi sunt in terram Chanaan ad explorandum eam,de quibus supra cap.13. Dicet aliquis, quod sic, quia ibi ponitur Caleb de tribu Iuda, & ipse ponitur hic. Sed dicendum, quod non sunt isti viri, nam diuersa sunt nomina hic,&ibi,vt patet inspiciendo literam.Sed dicet aliquis, quod non sequitur, quoniam interdum in scriptura nomina virorum,vel locorum sunt multiplicia, & cum in vno loco vnum nomen habuerint,alibi aliis nominibus appellantur,sicut sæpe dictum est. Sed hoc stare non potest, nam si esset vnus vir,aut duo quorum nomina mutata essent, fortassis esset opinabile,sed hic sunt duodecim viri, & duodecim patres eorum, & supra capitulo decimotertio. ponuntur totidem viri,& patres sui, & non est concordia in aliquo nomine hic, & ibi,nisi in Caleb & patre eius:ergo satis videtur,quod non sint iidem viri. Sed quia adhuc ista probatio calumniabilis esset:dicendum aliter,scilicet,quod isti non sunt illi,qui habentur ibi, nam de duodecim exploratoribus soli duo superfuerunt decem quippe coram toto populo subito perierunt, quando venerunt de explorando supra capit. decimoquarto. ideo alii viri sunt.Sed dicetur nunquid isti viri sunt duodecim principes tribuum duodecim,de quibus habetur supra capit. 1.Respondendum est,quod non,quia nullum nomen eorum, quæ habentur hic ponitur ibi. Item solidius hoc probatur, nam omnes illi principes iam perierant,quia supra c. 14. dicitur,quod omnes qui erant à 20. anno supra numerati perituri essent,sed principes,qui habentur supra capit.1. computati fuerunt.Ergo iam mortui fuerant,quod patet,quia supra cap. 26.dicitur,quod in numeratione ibi facta nullus fuit de viris, qui computati sunt in monte Sinai, sed manifestum est, quod illi principes,qui habentur supra ca. 1.computati fuerunt ibi, ergo iam non erant superstites.

D

E *An isti duodecim possent esse principes tribuum ita quod essent filij præcedentium.*

QVÆSTIO XV.

QVæretur amplius, an isti duodecim principes essent filii duodecim principum virorum, qui prius fuerant principes,ita vt isti possent esse principes tribuum. Ad hoc autem nō sequitur inconueniens,quod ad præcedentia, quia licet principes.de quo supra capit. 1. nunc non superuiuerent propter sententiam datam,tamen filii eorum poterant superuiuere. Sed dicendum est, quod isti non erant filii eorum, quoniam hic ponuntur duodecim viri, & nomina patrum ipsorum,ergo deberent esse nomina principum, quæ habentur supra c.1.& tamen nullum nomen istorum ponitur ibi:ergo videtur,quod isti principes non habuerunt illos pro patribus,sed alios valde distinctos.Et si dicatur, quod possunt esse nomina mutata, sicut sæpe eiusdem viri sunt multa nomina: dicendum non posse stare, quia forte hoc concedi posset in vno,vel in duobus:sed hic ponuntur nomina patrum duodecim principum,& nullum eorum est idem cum illis, quæ habentur supra capit. 1. ideo non sunt isti filii eorum, & hoc necessarium est,& hoc fortassis aliquis cōcedet.Sed dicet, quod isti sunt nepotes illorum principum, qui habentur supra ca.1. & sic ponuntur hic, tanquam principes tribuum, cum veniant de progenie principum, & tamen nomina patrum suorū non sunt illa, quæ habentur supra cap.1. & illi non sunt patres eorum, sed aui.Sed hoc non est latis verisimile:nam dato quod multorum istorum patres periissent viui, & ita quod isti essent nepotes illorum principum,qui habentur supra ca. 1.tamen quod omnium eorum patres periissent non est verisimile,& tunc stantibus patribus aliquorum,scilicet quod essent filii principum,qui habentur supra cap.1.ponerentur hic nomina aliquorum illorum cum hic describantur isti principes cum patribus suis, sed non est, quoniam nullius eorum ponitur hic nomen, ideo isti non sunt filii, nec nepotes illorum.

F Item patet, quia licet de cæteris esset aliqualiter calumniabile,tamen de Caleb manifestum est, quod non sit de progenie illa,nam ipse ponitur tanquam princeps tribus Iudæ: ergo deberet esse filius, vel nepos Naason qui fuit princeps in tribu Iuda supra c.1.sed non est,quia filius Naason fuit Salmō, vt patet Matth.c.1.in Genealogia Saluatoris.Et ipse hoc tempore viuens erat, etiam tempore, quo Israelitæ venerunt in Iericho cum acceperit Raab Ierichontinam in vxorem, ex qua genuit Booz Matth.cap. 1. ergo debebat ille poni tanquā princeps in tribu Iuda cum esset filius illius, qui principatus est in monte Sinai.Et iste principatus veniebat per lineam generationis,scilicet secundum familias, ideo viuente Salmon non fieret princeps Caleb.non debet ergo dici, quod isti duodecim viri sunt duodecim principes tribuum Israel: sed vocantur hic duodecim principes de singulis tribubus, non quod assumerentur principes ipsarum tribuum, sed quod de qualibet tribu assumptus fuit hic vnus vir, & ille erat prin-

ceps,scilicet, diuisionis terræ, nam quia isti diuisuri erant totam terram Israelitis,& assignaturi eam,erant iudices ipsorum & principes. Vel dicitur, quod isti erant principes de singulis tribubus, scilicet, principes familiarum,vel domorum:non tamen erant principes tribuum, & hoc sufficit. Si aliquis autem semper contenderet,quod isti essent principes tribuum, oportebat quod diceret, quod principatus in Israelitis non veniebat per progeniem in qualibet tribu, quia cum Naason fuisset princeps,vt patet supra capit. 1. debebat filius eius Salmon esse princeps,sed non ponitur hic ipse, & tunc superuiuebat, vt dictum est. Ergo necesse est, quod vel isti non sint principes tribuum, vel principatus non veniat per lineã progeniei. Sed hoc falsum est, quia in veteri testamento omnia per progeniem deriuabantur,tam in spiritualibus, quam in temporalibus. Nam in spiritualibus summo sacerdoti succedebat filius eius in summum sacerdotem: Exodi 29. & Leuit. capitu. 6. etiam in minoribus sacerdotibus hoc apparet, quia non erant minores sacerdotes, nisi qui essent de stirpe sacerdotum. Siquis autem de aliis conaretur accedere ad ministrãdum moriebatur,vt patet supra c.3.In temporalibus quoque idem modus erat. nam reges per successionem veniebant, vt patet ex processu tertii,& quarti libri Regum, ergo isti principes per successionem quoque venirent,&consequenter nõ essent isti principes tribuum, vt dictum est, sed essent alii aliqui principes ad hoc assignati,vt diuiderent terram.

CAPVT XXXV.

Iosue 21 Vrbes Leuitarum.

HAEc quoque locutus est Dominus ad Moysen in campestribus Moab supra Iordanem contra Iericho: Præcipe filiis Israel, vt dent Leuitis de possessionibus suis vrbes ad habitandum, & suburbana earum per circuitum, vt ipsi in oppidis maneant, & suburbana sint pecoribus ac iumentis, quæ à muris ciuitatum forinsecus per circuitum mille passuum spatio tendentur. Contra Orientem duo millia erunt cubiti, & contra Meridiem similiter erunt duo millia, ad mare quoque, quod respicit ad Occidentem, eadem mensura erit, & septentrionalis plaga æquali termino finietur. Eruntque vrbes in medio, & foris suburbana. De ipsis autem oppidis, quæ Leuitis dabitis sex erunt in fugitiuorum auxilio separata, vt fugiat ad ea, qui fuderit sanguinem: & exceptis his alia quadraginta duo oppida, id est, simul quadraginta octo cum suburbanis suis ipsæque vrbes, quæ dabuntur de possessionibus filiorum Israel, ab his, qui plus habent, plures auferentur, & qui minus, pauciores. Singuli iuxta mensuram hæreditatis suæ dabunt oppida Leuitis.

Vrbes fugitiuorum. Iosue 2.

HAEc quoque. Dicto de diuisione terræ quæ fiebat per sortem. Hic agitur de diuisione terræ sine sorte,& tanguntur duo:primum de Leuitarum habitaculis: secundo de fugitiuorum receptaculis,ibi. *Ait dominus ad.*

An quæ sequuntur fuerint post præcedentia.

QVÆSTIO I.

CIrca primum de ordine huius ad præcedentia dubium est,an fuerint ante illa,vel post. Et dicendum,quod tam istud quam illa dicta sunt in eadem mansione, scilicet in vltima. Quod satis apparet ex principio literæ,scilicet. Hæc quoque locutus est dominus in campestribus Moab, ergo etiam præcedentia ibi fuerat locutus. Et ex hoc etiam patet, quod non fuerunt hæc in temporibus multum differentibus, quia tempus quo in mansione vltima Israelitę steterunt antequam ista dicerentur,fuit minus quam quatuor mensiũ, quia Moyses dixit ista, & ipse mortuus est in principio mensis 11. post recitationem Deuteronomii,quam fecit prima die mensis 11. Deut.cap.1.sed ad mansionem istam vltimam venerunt Israelitæ forte in septimo mense, vel in octauo. Nam in principio mensis quinti anni huius 40. erant Israelitæ in monte Hor, cum hoc tempore mortuus fuerit ibi Aaron supra c.33.& post hoc circuierunt multo tempore montem Seir, vt colligitur supra c.21.& Deut.c.2. Etiam pugnauerunt contra Amorrhæos,& ambulauerunt per plures mansiones, ergo pro omnib. istis flueret tempus duorum mensium, aut amplius, & sic in septimo mense veneruntad mansionem vltimam, vel aliquãtum post, ergo in tempore intermedio septimi, & vndecimi mensis dicta fuerunt,& facta omnia,quæ habentur à c.22. vsque ad finem:ergò non fuit multum tempus inter ista, & illa quomodocunque se habeant. Satis tamen dicendum, quod hic sit ordò consequens, licet constare non possit: nam ista sunt præceptiua pure, & non est in eis aliquid historicum secundum quod cognosci possit de ordine præcedentium ad hoc,in scriptura tamen nunquam est recedendum ab ordine eius,nisi propter aliquam causam apparentem,sc.quod ex aliquo loco appareat, quod nõ fuerit ille ordo rerum gestarum, qui monstratur in litera:potissime,quia hic videtur fieri quædam continuatio, cum dicatur: Hæc quoque locutus est, id est,non solum præcedentia Deus mandauit Moysi, sed etiam ista,ergo prius illa quam ista dicta videntur. *Hæc quoque locutus est dominus ad Moysen.* Id est,etiam ista præcepta,quæ habentur hic dedit illi. nam generale erat,quod Deus loqueretur ad populum per seipsum,vel per Angelum,sed loquebatur ad Moysen,& ipse illud populo significabat. *In campestribus Moab.* Ista est mansio vltima in deserto apud Iordanem, & vocantur cãpestria quædam loca non penitus plana, quæ sunt inter descẽsum de montibus Abarim,& Iordanem,& sunt ibi duæ mansiones,scil.campestria,& planiora loca,vt patet supra capit.33. Istud autem intelligitur de vltima mansione, quæ erat in Belsethim in planioribus locis Moab. Vocantur autem campestria Moab,quia ista terra pertinuit olim ad terram Moab, sed rex Sehon tulit eam de manu Moabitarum. *Contra Iericho.* Id est,ista campestria sunt dispositacõtra vrbem Iericho, s. quod est Iericho occidentalis respectu istorum campestrium, quia Iericho est in parte Orientali terræ Chanaan,terra autem cãpestrium Moab est magis Orientalis, quam tota terra Chanaan,& est in extremitate Occidentali ipsius,ideo erat contra Iericho,sc.quod ista sunt coniuncta Iordane interposito. *Super Iordanem.* Id est, mansio ista erat super Iordanem,scil. apud illum. Et dicitur esse supra, quia erat in locis eminentioribus, cum Iordanis fluat per humiliora loca, sic enim dicitur semper de aqua, quod est sub terra, quia descendit ad partes eius proniores,sic dicitur Psal. 23. quia super maria fundauit eum, & super flumina præparauit eum, id est, orbis terræ est super maria,& flumina. *Præcipe filiis Israel.* Ista,quæ sequuntur dabantur per modum præcepti, quia obligabant totam multitudinem,& sic poni oportuit:nam si ista spontanea essent, & fortassis non darent Israelitæ Leuitis de vrbibus suis ex auaritia, & sic non haberent Leuitæ locum manendi in terra Chanaã. *Vt det Leuitis de possessionibus suis.* Hic vocantur Leuitæ omnes, siue de genere sacerdotum, siue de simplicibus Leuitis, aliquando tamen soli minores Leuitæ vocantur Leuitæ, & alii vocantur sacerdotes,sed hic Leuita significat stirpem, & non ministrationis gradum. Istis iubebat Deus dari vrbes ad habitandum, & suburbana ad alenda pecora, quia ipsi non habebant aliquam partem terræ eis correspondentem: tota quippe terra diuisa fuit per duodecim sortes, secũdum numerum duodecim tribuum Israel. Pro Leuitis autem nihil restabat, quod diuidi posset, sed quælibet tribus dare debebat Leuitis de vrbibus suis ad habitandum,vt infra dicitur.

Quare Leuitæ non acceperunt sortem cum aliis tribubus,cum ipsi essent vna tribus de tribubus.

QVÆSTIO II.

QVæret aliquis quare Leuitæ non acceperunt sortem cũ cæteris Israelitis,cum essent vna de tribubus Israel.

Respondetur, quod hoc factum est, ne grauarentur cæteræ tribus,nam nihil habebant Israelitæ, nisi terram illam de cuius fructibus alerentur: Leuitis autem datum fuit aliquod ius speciale super reliquas tribus, scilicet quod acciperent ab eis omnium fructuum decimas,& primitias,& redemptiones primogenitorum,& iura sacrificiorũ,& reliqua,de quib. supr. c.18. Ista autem,vt declaratum fuit ibidem, sunt maioris precii,quam fructus vnius,vel duarum sortiũ quolibet anno. Nã etiam

A etiam ſolæ decimæ erãt plus, quam fructus vnius ſortis, quia erant duodecim ſortes, & dabantur decimæ de illis: ſi ergo ſuperadderetur Leuitis ſors terræ efficerentur diuites in immenſum, & eſſent multo excellentiores reliquis tribubus, & daretur locus inuidiæ illis. nunc autem cum Leuitæ non haberent aliquam partem terræ, reliqui Iſraelitæ ſponte dabãt ſibi iura, quæ valerent plus quam vna ſors, & etiam ipſi non grauabantur: nam alio modo quantum dabatur Leuitis adimebatur aliis tribubus, nunc autem nihil illis tollebatur. Itẽ non debuerunt Leuitæ accipere ſortem, quia nihil profeciſſet eis, erat quippe terra iſta ad colendum, ſed Leuitæ non poterant occupari in cultu cum haberent miniſteria Dei in ſanctuario, maxime autem ſacerdotes, qui nimis occupabantur, ideo perderetur terra ſine cultore, reliquæ autem tribus terram colebant, quia non vacabant aliis operibus, ideo eis conueniebant ſortes. Ob hoc autem Leuitis ſolum datæ ſunt vrbes ad habitandum, & ſuburbana ad paſcendum pecora: nullæ autem ſegetes, vel vineæ ad colendum traditæ ſunt. Item ſi Leuitis fuiſſet data aliqua ſors, illi habitaſſent ſimul, ſicut quę libet alia tribus accipiebat ſimul totam ſortem ſuam, ſed hoc non conueniebat, quia tunc non poſſent ire faciliter ad miniſtrandum ad Sanctuarium domini: nã mutabatur Sanctuarium de loco in locum, ideo cum ad vnam extremitatem, vel

B partem regni Sanctuarium moueretur, eſſet difficile ſacerdotibus & Leuitis ire ad illam partem, ſi autem loca ſua eſſent diſperſa per terram Iſrael ad quamcunque partem Sanctuarium moueretur ſemper eſſent ibi aliqui Leuitæ, & ſacerdotes, & ſic conuenienter fieri debuit, vt nihil haberent, ſed ab aliis reciperent, & tamen nõ erant vrbes iſtæ datæ penitus in Eleemoſynã, cum cogerentur Iſraelitæ dare ex mandato Dei, & Leuitæ habentes vrbes illas erant domini earum, ſicut q̃libet tribus erat domina vrbium ſuarum. Erant tamen priuilegiatæ vrbes Leuitarum, quod non poſſent vendi aliis tribubus. De quo Leui. c. vlt.

De poſſeſſionibus ſuis vrbes ad habitandum. Id eſt, non accipiebant Leuitæ partem aliquam terræ per ſeipſos à principio, quia hoc eſſet accipere ſortem, ſed ſolum recipiebant de poſſeſſionibus Iſraelitarum, ſcili. quod inter Iſraelitas primo diuidebatur ſorte tota terra, & cum proueniſſet tribui cuilibet pars vna de illa accipiebantur aliquæ vrbes pro Leuitis. Et quamquam Leuitæ haberent vrbes 48. ſicut infra patet, tamen non dicebantur habere poſſeſſionem, ſicut Iſraelitæ, & hoc propter duo. Primo quia licet Leuitę haberent vrbes, tamen nõ habebant eas per ſortem tanq̃ competeret eis ius diuidendi terram primo, & accipiendi partem, ſed accipiebant vrbes iſtas per dationem aliarum tribuum, quælibet. n. dabat aliqua loca. Secundo non dicebantur Leuitæ habere poſſeſſionem, quia poſſeſſio, vel ſors magis pertinet ad agros, vel vineas quam ad ciuitates, & habitacula, cum ex illis habeatur vitæ ſuſtentatio, ex his autem non, ſed Leuitæ non acceperũt aliquos agros, ſed ſolas vrbes, & ſuburbana, vt patet infra, ideo non dicebantur habere poſſeſſionem. & dicitur hic, quod erunt vrbes ad habitandum, ſcil. quod non indigebant eis Leuitæ ad aliquem alium vſum, niſi ad habitationem, ideo quãquam nomine ciuitatis intelligerentur termini eius, tamen cum dabatur ciuitas aliqua Leuitis non dabantur agri, nec rura illius vrbis, quia ad habitandum ſolum erant vrbes datæ, & non ſimpliciter. Dicitur autem, quod ſi in iſtis vrbibus eſſent aliqui redditus, vtpote vectigalium, vel aliorum modorũ, nõ pertinebant ad Leuitas ſed ad tribum quæ dediſſet talem vrbem, etiamſi intra ciuitatem eſſent aliquæ lapidicinæ, vel aurifodinæ, vel mineræ aliorum metallorum, vel ſimilia non pertinebant illa ad Leuitas, ſed ad illos, qui dederant vrbem. Etiam totum territorium cuiuſlibet vrbis vinearum, & agrorũ, & viculorum non pertinebat ad Leuitas, ſed ad dãtes vrbem præter mille paſſus in circuitu vrbis ad quamlibet partem, vt infra patet.

Et ſuburbana eorum per circuitum. Dicuntur ſuburbana ſpatia adiacentia vrbi, quaſi ſub vrbe poſita, & erant iſta ſuburbana mille paſſuum verſus omnem partem, vt patet infra, & erant ad alenda pecora.

Vt ipſi in oppidis maneant. Id eſt vrbes erant, vt habitarent in eis Leuitæ. Vocantur hic oppida vrbes, & villæ: nam ſcriptura non diſtinguit vrbes à villis, ſicut nos vulgariter loquentes diſtinguimus, ſed omnia loca murata vrbes vocantur. In iſtis manebant Leuitæ, & in his, vt communiter erat Sanctuariũ dominĩ, vel locus ſacrificandi.

D

Quõ Leuitæ ſtabant in diuerſis vrbib. cum debebant eſſe in Sãctuario.

Sed dicet aliquis quomodo Leuitæ manebant in diuerſis vrbibus, quia ipſi debebant eſſe in Sanctuario ad miniſtrandum coram Domino ſemper?

Reſpondendum eſt, quod Leuitę, & ſacerdotes erant valde multi, ſcilicet tota vna tribus, & non poſſent capi in aliquo loco quantumcunque ille eſſet magnus, ſed erant diuiſi per plura loca. Etiam iſta diuiſio erat quoniam Leuitæ non debebant ſemper eſſe in loco Sanctuarii ad miniſtrandum, ſed ſeruiebant per vices tam ſacerdotes, quam Leuitæ minores, vt colligitur primo Paralip. à ca. 23. vſque ad 26. nam erant factæ ſortes inter ſacerdotes, & vna miniſtrabat vno tempore, & alia alio, inter Leuitas quoque eodem modo erant diuiſiones. Iſtud fuit tempore Dauid, qui hæc ordinauit primo Paralip. c. 26. ſed etiam tempore Moyſi, & toto tẽpore ante Dauid fuerunt inter ſacerdotes & Leuitas diuiſiones miniſtrorum, ſcilicet, quod non miniſtrabant omnes ſemper, ſed qui miniſtraturi erant veniebant de vrbibus ſuis, & manebant in Sanctuario ſtatuto tempore, deinde reuertebantur in oppida ſua ſuccedentibus aliis in miniſtratione. Sic patet de Zacharia patre beati Ioannis, qui fuit de ſacerdotibus, & miniſtrauit, Luc. c. 1. ſed completo tempore miniſtrationis ſuæ dicitur ibidem, quod iuit in domum ſuam, quæ erat in deſerto Iudææ. De tẽpore etiam Moyſi dicitur, quod ſi Leuitę, qui manerent in vrbibus deſiderantes locum Sanctuarii vellent illuc ire, & ibi ſemper manere, daretur eis ſemper portio, quæ conſueuerat dari aſſiſtentibus, & præter hoc id, quod debebatur eis in vrbib. ſuis, ergo non obligabantur Leuitę ſacerdotes manere in loco Sanctuarii ſemper, nec manebãt, vnde oportebat, quod haberent alia oppida. E

Et ſuburbana ſint pecoribus, atq; iumentis. Id eſt, ſuburbana vrbium aſſignabuntur pro pecoribus, & iumentis. Differunt enim pecora à iumentis, quia pecora ſunt animalia pertinentia ad cibum: ſicut bos, ouis, & capra, dum non ſint volatilia nec aquatilia: iumenta vero ſunt animalia pertinentia ad humanum adiutorium ab adiuuando dicta, & ad cibum nõ pertinent, ſicut equus, mulus, aſinus, & chamelus. Indigebãt autem Leuitę ſuburbanis ad paſcua iſtorum animalium, quia in iſtis abundabant nimis, & non indigebant agris, nec vineis. Cuius cauſa patet, quia Leuitæ accipiebant omnes decimas, & primitias de omnibus fructib. terræ, & de animalibus, ideo ſufficienter inde haberent alimentum, nec oportebat, quod aliquam terram colerent ad habendum fructus, ideo nõ fuerunt dati agri nec vineæ, ſed ſola ſuburbana ad paſcua. Etiam non poſſent ſacerdotes, & Leuitæ vacare cultu[illegible]ræ ad plenum propter miniſtrationem, quam habebãt i[illegible] ſanctuario, paſcuis autem egebant, quia habebant mult[illegible]cora, & iumenta ſuper alias tribus: nam recipiebant Le[illegible]tæ decimas omnium animalium, de quo Leuitici cap. vigeſimoſeptimo. habebant etiam animalia de primitiis, multa quoque de votis, & oblationibus aliiſque iuribus ſacerdotalibus, de quib. ſupra cap. decimooctauo. Vnde neceſſe erat abundare nimis in animalibus, & pro his danda erat Leuitis terra multum paſcualis, habebant autem Leuitæ ciuitates breuiorum terminorum. Nam quæcũq; ciuitas ipſorum habebat ſolum in circuitu mille paſſus ſiue magna, ſiue parua eſſet. Aliæ autem ciuitates Iſraelitarum habebant maiores terminos, & hoc, quia vrbes Leuitarum non habebant agros, & vineas ad colendũ, ſed ſolum loca paſcualia, vrbes autem aliarum tribuum habebant agros, & vineas, & paſcua, & in hoc Leuitæ non erant multum oneroſi aliis Iſraelitis cum parum acciperent de terra, quam ipſi colere poſſent. F

Quæ à muris ciuitatum forinſecus per circuitũ mille paſſuum ſpatio tenduntur. Ponitur mẽſura ſuburbanorũ, ſ. quod nõ acciperẽt Leuitæ totũ terminũ ciuitatis cuiuſlibet, q̃ daretur eis ꝓ paſcuis, ſed erat determinatum ſpatium, ſ. mille paſſuum ad omnem partem, reliquum autem de terminis vrbium iſtarum pertinebat ad illas tribus quarum erant vrbes, & in hoc non erat differentia, ſiue eſſent vrbes magnæ, ſiue paruæ, quia quælibet ſolum habitura erat mille paſſus per circuitum.

Quõ Leuitæ habendo 48. vrbes non dicebãtur habere poſſeſſionẽ.

C

A

Quomodo computarentur ſuburbana ciuitatum, quæ dabantur Leuitis.

QVÆSTIO III.

QVæret aliquis de iſtis vrbibus, quæ dabantur Leuitis: quomodo computarentur ſuburbana earum per mille paſſus, ſcilicet ſi in hoc medio eſſent agri, vel vineæ, an deberent computari de ſuburbanis vel non. Si enim dicatur, quod debebant computari, videbitur fortaſſis inconueniens, quia Leuitæ nõ habituri erant agros, aut vineas, ſed ſolum paſcua, & hoc modo haberent agros, & vineas. Etiam grauarentur Iſraelitæ cum Leuitę reciperent agros eorum. Si autem dicatur è contrario, quod non computabantur agri, & vineæ, ſtat inconueniens, quia tunc non poſſent habere Leuitæ loca paſcuorum: nam debebant computari iſti mille paſſus à mœnibus vrbium, vt patet in litera, ſed contingit, vt communiter in locis coniunctis vrbi eſſe agros, & vineas, ergo poſſent habere Leuitæ mille paſſus in circuitu vrbium, in quibus pauca eſſent loca paſcualia, & ſic fraudarentur Leuitæ.

Sciendum igitur, quod computatio iſta fiebat à mœnibus vrbium continue vſque ad mille paſſus per circuitum ad omnem partem, & omnia loca media debebant redigi in paſcua, vnde licet ibi eſſent agri, vel vineę aut arbuſta, quando iſtę ciuitates datę ſunt Leuitis, debebant relinqui omnia ꝓ paſcuis, ita vt amplius non eſſent ibi vineæ, vel ſegetes. & ſic non fraudabantur Leuitæ quantum ad ſuburbana eis debita.

B

Et quando arguitur, quod Leuitæ non debebant habere agros, aut vineas, verum eſt quantum ad hoc: quod non colerent illos ad percipiẽdum inde fructus, ſed bene poterant habere ad redigendum in paſcua pecorum, & iumentorum.

Et quando dicitur, quod grauarentur alii Iſraelitę quia tollerentur eis agri: dicendum, quod grauamen eſt ſi præſupponatur, quod ipſi habituri erant omnes agros, ſed hoc modo etiam dicetur, quod grauarentur cum darẽtur Leuitis aliquæ vrbes, vel ſuburbana cum primo pertinerent omnia ad Iſraelitas, ſed in hoc nemo dicit eos grauatos cum Deus ſic ſtatuerit, vt darentur quædam vrbes Leuitis cum ſuburbanis, ergo nec debent eſſe grauati, ſi darentur eis agri, qui erant apud vrbes ad redigendum in paſcua pecorum.

Sed arguetur, quod nullo modo conuertebantur iſti agri in paſcua, quia iſti dabantur tribubus, ad quas pertinebãt vrbes illæ, ergo non conuertebantur in paſcua. Antecedens patet, quia Ioſuæ 21. capi. cum dicitur, quod ciuitas Hebron pertinebat [illegible] Caleb, & poſtea fuit data ſacerdotibus ſed agros eius, & v[illegible]los poſſedit Caleb.

Reſp[illegible]endum eſt, quod hoc intelligitur de agris illis, q non erant [illegible]ſuburbana: nam ciuitas iſta habebat rura multa, & magnum territorium: demptis ergo mille paſſibus in circuitu ciuitatis reliqua pertinuerunt ad Caleb ſiue agri, ſiue territoria, agri tamen qui erant in iſtis mille paſſibus redacti in paſcua, & iſti non pertinuerunt ad Caleb.

C

An ſi in ſuburbanis aliqua rura eſſent Leuitarum.

QVÆSTIO IV.

QVæretur vlterius, ſi in iſtis ſuburbanis vrbium eſſent aliqua rura an pertinerent ad Leuitas, ſc. vt habitarent in eis, ſicut in vrbibus, vel non.

Reſpondendum eſt, quod rura, & viculi adiacentes vrbib. non pertinebant ad Leuitas, ſed ad illos, quorum erant illæ vrbes, ſic patet de Hebron: nam Ioſue capit. 21. dicitur, quod Caleb poſſedit agros Hebron, & viculos eius, & vrbs manſit Leuitis. Videtur ergo, quod licet eſſent viculi in territoriis vrbium, non pertinerent ad Leuitas, ſed ad Iſraelitas. Et cauſa eſt, quia non dabantur Leuitis, niſi vrbes, & ſuburbana ad alenda pecora, ſed non poterant conuenienter viculi, vel rura redigi in ſuburbana, ergo licet eſſent intra ſuburbana non ꝑtinerent ad Leuitas, erat tamen hoc, quod ſi illi viculi haberent prædia quæcunque, vel territoria, quæ non diſtarent ab vrbe per mille paſſus, computabantur etiam illa in ſuburbanis Leuitarum, & ſic per accidens nocebatur talibus locis, quia licet non eſſent ipſa loca dãda Leuitis, tamen partes territoriorum ſuorum auferebantur eis, & incipiebant habere iſta loca territoria ſua diſtantia ab eis, nullus tamen viculorũ, vel rurum cedebat Leuitis ad habitationem, quia iam haberent vltra id, quod Deus dederat, ſ. vltra 48. vrbes, quas ſolum tradidit ad habitationem illis.

D

Contra Orientẽ duo millia erunt Cubiti. Hic determinatur magis in ſpeciali menſura ſuburbanorum, ſc. quod quælibet ciuitas haberet contra Orientem duo millia cubitorum pro ſuburbanis, & totidem verſus omnem partem.

Quare deberent deſcribi ſuburbana, vbi non eſſent per mille paſſus.

QVÆSTIO V.

QVæret aliquis quid ſi iſtæ vrbes eſſent in extremitatibus regnorum, ita quod aliqua earum non haberet duo millia paſſuum vſque ad confinia alterius regni, quomodo debebant ibi deſcribi ſuburbana.

Reſpondendum eſt, quod vrbes datæ Leuitis non fuerunt datæ per ſortem, quia tunc potuiſſet euenire, quod aliquæ vrbes fuiſſent eis datæ in extremitate regnorum, vel in locis ſeparatis, ſed fuerunt datæ ex electione, ſc. quod ipſi, qui erant de aliqua tribu de vrbibus ſuis eligebant aliquas, quas darent Leuitis, vt declaratum fuit Ioſue cap. 21. & tunc poterant eis dare tales vrbes, quæ non eſſent in extremitatibus regnorũ, nec paterentur iſtud inconueniens. Sic quoq; eſſet de vrbib⁹, quæ erant in viſceribus ipſius terræ Chanaan, quia aliquæ eſſent, ita coniunctæ aliis ex aliqua parte, quod non poſſent ibi aſſignari ſpatia ſuburbanorum, quin aliis vrbibus aliquid adimeretur de territoriis ſuis.

E

Et tunc dicendum, quod aut iſtæ vrbes erant in extremitatibus ſortium, ſcilic. quod illa vrbs, quæ deberet dari Leuitis de tribu Iudæ eſſet in confinio ſortis Beniamin, & eſſent, ita coniuncta, quod non poſſent aſſignari in ſuburbana, niſi adimeretur aliquid de terra ſortis Beniamin.

Et tunc dicendum, quod tales vrbes non poterant dari Leuitis, quia aut fraudarentur Leuitæ, ſcilic. ſi darentur eis ſuburbana non habentia duo millia cubitorum, vel grauarẽtur, qui eſſent de tribu Beniamin cũ tolleretur eis aliquid de territoriis ſuis ad dandum Leuitis. Si autem eſſent iſtæ vrbes in medio ſortium, vtpote in ſorte Beniamin eſſent aliquæ duæ vrbes, quarum territoria vnius verſus aliam non erant duorum millium cubitorum.

Tunc dicendum, quod bene poterant dari tales vrbes Leuitis, quia id quod deficiebat vni vrbi de territorio, ſupplereretur de territorio alterius vrbis, & in hoc nulli præiudicabatur, quia tota gens vnius tribus poterat mutare terminos vrbium antequam eſſet ius alicui quæſitum ſpecialiter, ſcilicet ante diuiſionem factam, & ſic accidit in vrbibus datis Leuitis, quoniam cum Iſraelitæ acceperũt ſortes ſuas antequam ſpecialiter poſſiderent ſeparauerunt vrbes, quas daturi erant Leuitis, vt colligitur ex proceſſu Ioſue 19. & 21. capitul. vbi poſt factam diuiſionem terræ Chanaan inter tribus Iſrael in Silo ponitur de ſeparatione vrbium pro fugitiuis, & de vrbibus Leuitarum, & hoc antequam recederent Iſraelitę de Silo, ſed antequam inde recederent, nõdum acceperat aliquis ſpecialiter poſſeſſionem, ergo ante diuiſiones ſpeciales tribuum quantum ad partes correſpondentes in familiis ſuis, & domibus fuit facta ſeparatio ciuitatum pro Leuitis, & ſic potuerũt hæc conuenienter fieri.

F

Quomodo concordari debent iſta dicta, quod ſuburbana ſint extenſa per mille paſſus, & poſt dicat per duo millia cubitorum.

QVÆSTIO VI.

QVæret aliquis, quomodo iſta litera ſtare poſſit, quia ſupra dicitur, quod ſuburbana extendebantur ſpatio mille paſſuum, & hic dicitur, quod extendebantur ſpatio duorum millium cubitorum.

Aliqui reſpondent, quod tantum continetur in mille paſſibus, ſicut in duobus millib. cubitorum, & ſic eſt eadem mẽſura, licet nomina ſint diuerſa.

Sed

A

Sed hoc non tenet Nicolaus nec Hebræi. Etiam arguunt, quia hoc est contra quantitatem quam communiter assignamus passui, scilicet quinque pedes, cubito autem damus duos pedes, ideo mille passus essent duo millia, & quingenta cubitorum.

Ad hoc respondent isti, quod passus solum continet quatuor pedes, & sic mille passus sunt duo millia cubitorum.

Sed contra hoc stat argumentum, quia in Hebræo semper ponitur cubitus: nam primo nominantur mille cubiti, & deinde duo millia cubitorum, & sic non stabit, quod ista mensura sit eadem, ideo aliqui Hebræi dicunt, quod ciuitates Leuitarum habebant in circuitu mille cubitos, deinde duo millia cubitorum, & sic habebat quodlibet oppidum in circuitu tria millia cubitorum, siue leucam, & dimidiam, vt aliqui computant.

Sed ponuntur mille cubiti distincti, quia in primis mille cubitis, qui erant coniuncti ciuitati nō plantabantur vineæ, nec colebātur agri, sed solum erant ad recreationem hominum, & ad pastum animalium, alii duo mille cubiti poterant esse pro plantationibus, vel quibuscunque vsibus, & sic dicunt, quod potest concordari litera Hebraica cum litera nostra dicendo, quod accipiatur passus, & cubitus pro eodem, vt sicut in Hebræo dicitur mille cubitorum, ita dicatur hic mille passuum. Et si arguatur, quod valde maior est quātitas passus, quam cubiti.

B

Passus quatuor.

Respondetur, quod passus secundum aliquos est quinque pedum secundum alios est quatuor. & potest accipi passus dupliciter, sc. aut pro quantitate occupata inter pedem, & pedē mouentis se, aut pro quantitate ista addita quantitate, quæ sub pedibus est.

Secundo modo passus continet quatuor pedes, & est duplex ad cubitum, primo modo accipiendo, passus continet duos pedes, quia inter pedem, & pedem duo pedes spatii cōtinentur, & isto modo cubitus est æqualis passui, & sic volunt intelligere, quod litera nostra accepit, s. quod per mille pass⁹ intelligeret mille cubitos. Sed in hoc est duplex error, primus quia iste sensus non potest applicari literæ nostræ: secundus quia non potest stare secundum veritatem.

De primo patet, quia in Hebræo ponitur hic cubitus tam in primo quam in secundo, & nunquam ponitur passus. Si autem litera nostra voluisset intelligere cubitos per passus quare vteretur ista obscuritate loquendi, potissimum quia deuiat ab Hebræo, & non erat aliqua causa ad deuiandum, imo clarior sententia erat ponendo cubitos quam passus? si forte vellet litera nostra intelligere sensum illum, quem litera Hebraica facit in cortice. ideo sensus literæ nostræ est, quod solum essent mille passus. & isti sunt duo millia cubitorum: nam cubitus continet duos pedes, & passus continet quinque si accipiatur vnus passus, & tamen quando accipiuntur multi cōtinue passus continet quatuor pedes. Et causa est, quia inter pedem, & pedem mouentis se sunt tres pedes, & duo pedes terræ sub pedibus eius erunt quinque, sed si hoc accipiatur in vno passu non poterit accipi in multis continuatis, quia iam pro sequenti passu solum manerent quatuor pedes, ideo in mouente se continue si accipiantur passus vniformiter necesse est accipi quatuor pedes in quolibet passu, scilicet tres pedes terræ inter pedem, & pedem mouentis se, & quantitas terræ sub vno de pedibus eius, terra autem sub alio pede cōputabitur pro sequenti passu, & sic fieret continue in omnibus, ideo hoc dato sunt passus dupli ad cubitos, & ob hoc cū ponantur in Hebræo supra mille cubiti, & hic iterum duo millia cubitorum visum est impossibile literæ nostræ, ideo concordando transtulit passus pro cubitis, in primo, & in secundo posuit cubitos eo, quod tantum continet mille passus, sicut duo millia cubitorum: litera autem Hebræa est interdū multum confusa, & ponit vnum pro altero, & sic posuit cubitos primo quam si posuisset passus, litera autem nostra voluit eam exponere, & posuit passus, & cubitos: manifeste autem apparet, quod sit vtraq; sententia supra, & hic, & isti cubiti non sint aliquid additum ad præcedentia, quia supra ponebatur terminus suburbanorum, scil. quod essent mille passus. Hic autem declarat quomodo sint, scil. ad Orientem duo millia cubitorum. i. mille passus, & totidem ad occidentem, & sic de aliis.

C

Secundum horum erat, quod sensus quem isti faciebant non potest stare: dicebant enim quod erant tria millia cubitorum versus omnem partem, & in primis mille cubitis non poterant Leuitæ aliquid colere de agris, vel de vineis, sed relinquebant pro pascuis, in duobus millib. autem cubitis sequentib. dicunt, quod poterant plantare, & similia facere.

D

Sed hoc non stat, quia Leuitæ non erant habituri agros, & vineas, sed solum pascua, alioquin non fieret aliquid speciale in eis magis quam in aliis tribubus, sed darentur eis vrbes cū territoriis suis ad plantandum, serendum, & pascendum.

Sed hoc falsum est, quia non acceperunt ipsi hereditatem, sicut cæteræ tribus, sed solum ciuitates ad habitandū, & suburbana ad alenda pecora Iosue cap. 14. ergo non poterant poni illi duo mille cubiti.

Item adhuc concesso, quod Leuitæ possent habere agros, & vineas, quod falsum est non deberet esse talis distinctio, scilicet, quod in mille cubitis haberent pascua, & in aliis quodcunque vellent, siue agros. siue vineas, quia hoc nihil agit ad rem: nam dato, quod possent habere agros, & vineas ipsi prouiderent sibi quantum de agris, & vineis, & quantum de pascuis habituri essent, sicut viderent expedire. Nec erat determinatio illa cōueniens, quia alicubi sufficeret habere minus quam mille cubitos, & alicubi non sufficerent. Item similiter debuisset esse in aliis Israelitis: nam ipsi habebant agros, & vineas, & pascua, & tamen fuit determinatum illis quantum haberent de pascuis, & quantum de agris, ita igitur fieret in Leuitis.

E

Ideo dicendum, quod non potest stare sensus, sed redeundum ad sensum supra assignatum, ita quod solum essent mille passus in circuitu, & isti sunt idem quod duo millia cubitorum per modum dictum, & hic solum explicatur, quod dicebatur supra.

Et contra Meridiem similiter duo millia. Scilic. duo millia cubitorum versus omnem partem. Ponuntur hic duo millia cubitorum, & quamquam ponantur hic solum versus quatuor puncta cœli, tamen intelligēdum est ad omnem partem, quæ est inter ista quatuor puncta, verbi gratia si fieret circulus, cuius centrum esset ciuitas, & semidiameter esset cubitorum duorum millium, tunc in omni parte arcus circunferētiæ distaret à cētro per duo millia cubitorum, & illud esset assignatio suburbanorum.

Ad mare quoque quod respicit occidentem. Id est, ad partem Occidentalem. Sacra enim scriptura accipit mare pro occidente, quia loquitur secundum consuetudinem terræ Chanaan, qa in terra illa latus Occidentale clauditur à mari mediterraneo totaliter, vt patet præcedenti capit. ideo nihil magis [illegible] ad occidentem, quam ad mare, litera tamen nostra communiter transtulit ad occidentem quamquam in Hebræo ponatur ad mare. Et ratio est, quia licet respectu Hebræorum habitātium in terra Chanaan esset mare pars Occidentalis, tamen respectu nostri non est, ideo non esset cognitum quid significaret mare, hic tamen clarius ponitur, quia nō dicitur ad mare absolute, sed ad mare, quod respicit Occidentem, & tunc est sensus, quod in terra Chanaan erant tria maria, duo ab Oriente, & vnum ab Occidente, ab Oriente namque vbi copulatur latus Orientale lateri Meridiano est mare Sodomorum, quod alias vocatur mare mortuum, vel mare salsissimum, de quo præcedenti cap. In eodem autem latere Orientali magis circa medium lateris est mare Genesareth, quod vocatur præcedenti capitu. mare Ceneret, & est in terra Galileæ, vnde vocatur mare Galilææ, vel Tyberiadis: Ioan. cap. 6. tertium mare est ad Occidentem, & istud claudit totum latus Occidentale, est autem istud mare magnum, quia est Mediterraneum egrediens de Oceano. Alia duo maria nō sunt proprie maria, quia nec sunt ipsum mare magnū, nec brachia eius, sed quædam magnæ lacus. Hic autē intelligitur de mari magno, quod est ad Occidentem.

F

Eadem mensura erit. Scilicet duorum millium cubitorum. *Et à septentrionali plaga.* Scilicet à parte aquilonari: plaga enim significat partem mundi, & aliquando significat vulnus, aliquando armaturam ceruorum, vel aliorum brutorum capiendorum.

Aequali termino finietur. Scilicet duobus millibus passib. ita quod ex omni parte suburbana essent æqualia. *Eruntque vrbes in medio, & foris suburbana.* Id est non assignabuntur suburbana solū ad vnam partem vrbis, scil. ad Occidentem, vel ad Orien-

A tem, sed ad omnem partem, & sic erant vrbes in medio, id est, ex omni parte æquidistantes termino suburbanorum, sicut facto circulo centrum ab omnibus partibus eius æquidistat, & sunt suburbana foris. i. in circuitu.

De ipsis autem oppidis. Secundum aliquos incipit hic secunda pars capituli, s. de fugitiuorum receptaculis, secundum alios incipit infra. *Ait dominus ad Moysen.* Sed in hoc modicũ differt. Et ponitur his modus accipiendi vrbes pro Leuitis.

Dictum enim fuerat, quod de possessionib. Israelitarũ darentur vrbes Leuitis cum suburbanis, hic autem determinãtur, quot vrbes essent, & à quib. acciperentur, & quid de eis fieret. Et dicitur, quod de vrbibus Leuitarum acciperentur ciuitates pro fugitiuis.

Quæ Leuitis dabitis. Scil. quando diuiseritis vobis terram etiam assignabitis vrbes pro Leuitis, & accipiuntur hic Leuitæ non pro ministerio, sed pro genere, quia omnes tam sacerdotes, quam Leuitæ accipiebant vrbes.

Sex vrbes fugitiuorũ. *Sex erunt in fugitiuorum auxilia separata.* Id est, sex vrbes erũt, ad quas possint confugere fugitiui. Isti sunt, qui fuderunt sanguinem inuoluntarii, ideo datur eis locus, in quo possint securi viuere vsque ad mortem summi sacerdotis, & postea redire in terram suam, vt patet infra. Erant autem istę vrbes priuilegiatæ, quod homicidæ ad eas confugientes non possent inde educi, nec ibi occidi: aliquando si aduersarius occideret hostem suum ibi dato, quod iste reus esset, quia infringebat immunitates locorum, iste occisor erat reus mortis, in quocunque tamen alio loco proximus occisi apprehenderet occisorem, poterat eum occidere impune, etiamsi apud portã ciuitatis vrbis refugii, dum tamen non esset ingressus in eam, etiamsi iste non esset reus mortis, vt patet infra. De istis autẽ sex oppidis sciendum, quod non debebant vbicunque signari, sed in locis proportionalibus secundum distantiam, scilic. quod non ponerentur omnes sex vrbes simul, in partibus separatissimis terræ Chanaan, sed terra illa mensuraretur, & assignarentur istæ sex vrbes in ea secundum æquidistantiam, scilicet, quod essent diffusæ istæ vrbes per totam terram Chanaan, & tãtum distaret vna ab alia, sicut alia ab altera, ita quod nõ esset aliqua regio in terra Chanaan, quę haberet à se multum distantes omnes vrbes refugii. Causa huius est, quia aduersarius, scil. propinquus occisi poterat persequi occisorem, & interficere eum, vbicunq; apprehenderet ante vrbem refugii, ideo si multum distarent omnes vrbes refugii ab aliquo loco contingeret, quod multi occisores innoxii antequam peruenirent ad vrbem refugii, occiderentur à propinquis occi[illegible] quod erat inconueniens. Ista causa redditur Deutero. cap. [illegible]19.

[illegible]orum vlterius, quod istæ sex vrbes non solum fuerunt assignatæ pro fugitiuis, sed etiam aliæ tres, quia iussit dominus Deuteron. decimonono ca. tres alias assignari: fuit enim istud mandatum datum à principio de sex vrbibus, deinde Deuteronom. 19. capitu. iussit Deus, quod assignarentur tres aliæ vrbes pro fugitiuis cum dilataret Dominus terminos terræ Hebræorum.

Sciendum vlterius, quod de istis sex vrbibus tres erant ante transitum Iordanis in terra duarum tribuum, & dimidię, & aliæ tres in terra Chanaan. Primæ tres fuerunt assignatæ per Moysen, scilicet Bosor, Ramoth, & Gaulon. Deuterono. cap. quarto, alias autẽ tres in terra Channan non assignauit Moyses, quia non transiuit Iordanem, sed præcepit Israelitis, quod assignarent eas infra, cum dicitur: Quando transgressi fueritis Iordanem decernite quæ vrbes esse debeant in præsidia fugitiuorum. ponitur tamen de illis vrbibus Iosue capitul. 20.

Quare vrbes refugij assignatæ fuerunt in terra Leuitarum, & non in terra aliarum tribuum.

QVÆSTIO VII.

QVæret aliquis, circa hoc quare assignabantur vrbes refugii in terra Leuitarum, & nulla earum assignabatur in terra Israelitarum.

Respondendum, quod hoc videbatur conuenire propter duo. Primo quia istæ vrbes non debebant esse coniunctæ nimis, nec multum distantes, sed dispersæ proportionaliter per ipsam terram Chanaan, & sic erat de vrbibus Leuitarum, quia ipsi non habebant omnes vrbes simul, sed dispersas per terrã omnium tribuum, ideo ibi conuenienter ponerentur; ideo pertinebat ad Leuitas habere vrbes istas, quia liberare à morte magis pertinet ad ministros Dei, quam ad alios populares, ideo postea inolitum est, vt qui occiderint, vel aliquid praue commiserint ad ecclesias fugiant, vt ibi saluentur, non erant tamẽ eadem priuilegia ciuitatum refugii, & Ecclesiarum nostrarum. Nam in Ecclesiis liberantur homines quodcunque delictum fecerint exceptis quibusdam, de quibus. extra, de immunitate Ecclesiarum per totum, & præcipue in capit. inter alia. De hoc autem an esset eadem immunitas ciuitatum refugii, & Sanctuarii in veteri testamento, & an esset eadem immunitas Sanctuarii veteris testamenti, & Ecclesiarum nostrarum, & dato, quod non esset, quare nõ fuit eadem immunitas ibi quæ hic, & an licuit, & quare in veteri testamento fuerunt vrbes refugii, & solum habuerunt priuilegia, quæ habẽtur infra late declaratum est Iosue 20. cap.

Quare primo assignatæ fuerunt sex ciuitates refugij, postea tres, & non omnes simul.

QVÆSTIO VIII.

QVæretur amplius circa assignationem ciuitatum refugii cum assignatæ fuerint sex à principio, & postea iussum est de tribus, quare non assignatæ fuerũt omnes nouem à principio.

Respondebit aliquis, quod hoc fuit, quia à principio non habuerunt Iudæi terram, in qua assignarent istas tres vrbes. Nam viuente Iosue non fuit capta tota terra de manu hostium, sed latissima regio derelicta est hostibus, Iosue capitul. 13. & Iudic. cap. 3. Cum autem illa terra capta esset, vel magna pars eius, debebant assignari tres vrbes, & hoc est, quod dicitur Deuteronomij decimonono cap. scil. cum disperdiderit dominus Deus tuus gentes, tres ciuitates separabis tibi in medio terræ.

Sed arguetur, quod debuissent ciuitates istæ à principio designari quamquam non caperentur de manu hostium, postea autem cum essent captæ deseruirent, vt ciuitates fugitiuorũ: sic enim factum est de magna parte terræ Chanaan: nam tempore Iosue non erat capta tota terra. Iussit tamen dominus, quod tota diuideretur, quia postea capienda erat: Iosue 13. capitu. & sic factum est: nam in sorte Iudæ prouenerunt ciuitates terræ Philisthiim Iosue cap. 15. & tamen illa non erat capta tunc, nec legitur fuisse capta, quin potius mansit vsque ad destructionem Babylonicam, cum de ea prophetauerit tũc Zacharias capit. 9. sic etiam fuit de terra Tyri, & Sidonis, quæ peruenerunt in sortem tribus Aser, & tamen nõ fuerunt captæ, sed manserunt vsq; ad tempus Saluatoris ibi Chananęi: Iosue 19. & Mat. c. 15. & sic in cæteris tribubus.

Respõdendum est, quod non debuerunt tres ciuitates vltimæ separari à principio, sed postquam esset tradita terra in potestate Iudæorum. Pro quo sciendum, quod istarum nouem ciuitatum tres primæ assignatæ sunt ante transitum Iordanis, & aliæ sex assignandæ erant in terra Chanaan. De istis sex assignatæ sunt tres immediate, vt Iudęi introierunt in terram illam, de quibus Iosue ca. 20. aliæ autem tres non fuerũt assignatæ, nec legitur, quod postea fuerint assignatæ, creditur tamen, quod fuerint assignatæ tempore Salomonis, vel paulo ante, cum tunc Iudæi peruenerint ad suam maximam potestatem. sed à principio non conueniebat, quod assignarentur istæ tres ciuitates, quia nescirent Iudæi quantum de terra Chanaan prouenturum erat eis, nunquam enim fuit in eorũ potestate tota terra Chanaan, quantum ad hoc, quod ipsi habitarent in tota illa, licet fecerint sibi gentes illas tributarias. Si igitur à principio assignassent omnes vrbes, quæ assignandæ erant, distinxissent eas secundum proportionem totius terræ Chanaan, & hoc non cõueniret, quia cum nunquã fuit tota terra in potestate eorum, contingeret, quod aliquæ vrbes de assignatis essent in terra, quæ non caperetur, & non sufficerent pro fugitiuis, ideo oportebat iterum assignari. Fuit ergo conueniens, vt à principio assignarentur tres vrbes, & deinde cum peruenirent Iudæi ad maximam potestatem suã assignarentur aliæ tres secundum proportionem illius terræ

captæ,

A captæ,& non ſecundum proportionem ipſius terræ Chananaan:quæ ſi tota fuiſſet Iudæis tradenda ad habitationem eorum,forte nõ iuſſiſſet dominus ſolum nouem vrbes aſſignari,ſed forte duodecim aut plures. De diuiſione autem totius terræ Chanaan inter tribus,etiamſi non eſſet capta terra illa, aliud eſt, quia non ſequebatur aliud inconueniens ad iſtam diuiſionem:imo ſi non fuiſſet tunc diuiſa tota terra, oportebat quod Iudæi ſæpiſſime facerent diuiſiones, quod erat difficillimum,& contentioſum valde.Hoc patet,quia ſolum fuiſſet diuerſa terra,quæ acquiſita fuit tempore Ioſue,& deinde acquirerentur quatuor, vel quinque vrbes, & oportebat illas iterum diuidi,& ſi poſt hęc acquirerentur decem vel duodecim oportebat rurſus diuiſionem fieri, & ſic toto tẽpore, ſi autem à principio tota terra diuideretur proportionaliter inter tribus,tollerẽtur multi labores, qui ineſſent in frequẽtiſſimis diuiſionibus,etiamſi fieret melius,quia cum tres,vel quatuor vrbes diuiderentur nouem tribubus,& dimidiæ, nõ poterant diuidi proportionaliter, ſed neceſſe erat, quod aliq̃ tribus grauarentur, & ſic in partialibus diuiſionibus fierent multa grauamina.Cũ ſemel tota terra diuideretur, fieret hoc per partes proportionales ſecundum numeroſitatem cuiuſlibet tribus,ideo melius erat ſic.

Item tollebatur inconueniens,quia facta totali diuiſione, quamquam non eſſet tota terra acquiſita, determinatum eſſet de quolibet loco,qui acquireretur ad quem peruenire deberet:nam ad illos perueniebat in quorum ſorte erat, & non fiebat amplius aliqua diuiſio. Item incitabantur tribus ad facilius acquirendam terram, nam cum cuilibet tribui eſſet aſſignata terra ſua ſolicite agebat,ut erueret terram ſuã de manibus hoſtium,& ſic quælibet tribus pugnabat contra Chananęos illos,qui erant in ſorte ſua,ſi autem non eſſet facta diuiſio totalis,terra quę nondum eſſet acquiſita non pertineret ad aliquam tribum ſpecialiter,ſed ad totum populum, totus populus non moueretur ita faciliter, nec ſolicite curã haberent rerum communium ad pugnandum pro illis, ſicut faceret quælibet tribus pro terra ſua,cum ſciret eam ſpecialiter ad ſe pertinere.Et ſic fiebat,quia quælibet tribus pugnabat contra hoſtes terræ ſuæ,& vna adiuuabat aliam,vt adiuuaretur ab ea,ſic patet Iudi.capi.1.ſcilicet, & ait Iudas Simeoni fratri ſuo, aſcende mecum in mea ſorte, & pugna contra Chananæum, vt & ego pergam tecum in ſorte tua. De omnibus aliis etiam tribubus ibidem habetur, quod pugnauerint ſpecialiter cõtra hoſtes ſuos.Fuit igitur conueniens, quod tota terra Chanaan à principio diuideretur,licet non eſſet tota acquiſita.De vrbibus tamen refugii non fuit cõueniens, quod à principio aſſignarẽtur,ſed poſtea cum Iudæi peruenirent ad maximam poteſtatem.

Occiſores inuolũtarij erãt tuti in ciuitatib. refugij ſolũ,& de diſtinctione inuolũtarij.

C *Vt fugiat ad ea,qui fuderit ſanguinem.* Hic ponitur abſolute de effuſore ſanguinis,ſed Ioſue cap.20.ſolum dicitur de eo,q effudit ſanguinem neſciens, & infra in litera dicitur in præſidio fugitiuorum,qui nolentes ſanguinem fuderint.Idem autem eſt ibi eſſe nolentem,& eſſe neſcientem,quia dicitur agere neſcius,qui agit propter ignorantiam tanquã propter cauſam,nolens autem ſecundum.Ariſto.3. Ethico. magis dicitur de coacto vel violentato quam de ignorante, quorum vterque vocatur inuoluntarius, ſed hic non poteſt accipi nolens pro coacto, quia nullus poteſt eſſe coactus ad occidendum alterum, niſi multum à caſu, vt ſiqu s haberet gladium euaginatum nihil malum cogitans,& aliquis impelleret eum ſuper alium,& occideret,vel fortis ventus impellens faceret, quod tranſuerberaret alium gladio, diceretur eſſe ſimpliciter violentia, & iſtud exemplum de homine portato à vento ponit Ariſtotel.3.Ethicor.cum dicit: Si ſpiritus hominem alicubi tulerit,id eſt ventus,ſed ad hoc non attendebat legiſlator, qa iſta rariſſima ſunt,ideo accepit nolentem, & neſcium pro ignorante,& iſta ignorantia non eſt ſimpliciter, ſed ſolum ipſius finis,vt patet in caſu dato Deuteronomii, decimonono capitulo,ſcilicet ſi aliquis iuit cum alio in ſyluam ad ſcindendum ligna,& exiliens ferrum de ſecuri percuſſit proximum ſuum,non eſt reus.Iſte enim eſt ignorans circa finem,quia bene ſcit quid agit, ſed ignorat quid ſequetur ex illo, ignorantia autem circumſtantiarum particularium facit aliquem inuoluntarium, tertio Ethicorum. hic autem non ponitur de occidente voluntarie, vel inuoluntarie, ſed de occidente ſimpliciter.

Et verum eſt,quod occidentes quomodocunque occiderent ſi ad vrbes refugii confugerent liberarentur ibi, & poſtea tamen ventilabatur cauſa, & ſi reperiebantur innocentes manebant in eadem vrbe,ſi autem reperirentur nocentes iugulabantur.ſi vero ſolum in vrbibus iſtis cogerentur qui occiderant neſcientes,& conſtare deberet antequam reciperẽtur in vrbem,quod neſcientes occiderent, non poſſet poſtea cauſa ventilari, tamen poſtquam iſti confugiebant ad vrbes, ventilabatur cauſa,quia ducebantur ad locum, vbi perpetratum fuerat homicidium,& ibi ſi reperirentur rei occidebantur,ſin autem reducebantur in vrbem, ad quam confugerãt, vt patet infra,ergo quando aliqui fugiebant ad vrbes iſtas adhuc dubium erat,an voluntarii,vel inuoluntarii homicidium perpetraſſent,& tamen tempore iſto gaudebant immunitate vrbium quouſq; accuſati à propinquis occiſi agerent cauſam ſuam in loco,vbi patratum eſt homicidium. ergo nõ ſolum occidentes per ignorantiam, ſed etiam quomodocunq; poterant confugere in vrbes iſtas.

D *Fugientes ad vrbes refugij quagan debant immunitate.*

Et cum dicitur infra de occidentibus neſcienter,vel inuoluntarie, intelligitur quantum ad hoc,quod plene gaudent immunitate, ſcilicet ante ventilationem cauſæ, & poſt:nam iſti ante agitationem cauſæ manebant in vrbibus confugii, & poſtquam ventilatæ eſſent reducebantur per ſententiam in eaſdem vrbes manſuri vſque ad mortem ſummi ſacerdotis gaudentes ſemper immunitate locorum. Sed quantũ ad hoc quod eſt gaudere immunitate ante agitationem cauſæ commune erat omnibus,ſiue occidentib.voluntarie, ſiue inuolũtarie Hoc quippe diſcutiendum erat in agitatione cauſæ,& q rei erant iugulabantur agitata cauſa, ideo ſcriptura,vt cõmuniter ponit de occidentib. neſcienter, quia intelligitur, quod gaudere debeant immunitate totaliter.

E

Conſiderandum,quod quamquam iſti fugientes ad vrbes refugii,ſiue voluntarie,ſiue inuoluntarie occidiſſent,gaudebant immunitate locorum quouſq;diffiniretur eos reos eſſe, tamen immediate,vt irent ad vrbes proponere debebant coram iudicib.loci,quod ipſi occidiſſent inuoluntarie non facta diſcuſſione vlteriori ſuſcipiebant eum illi iudices, & dabant locum ad habitandum in vrbe,Ioſue capit. 20.ſc. ſtabitq; ante portam ciuitatis,& loquetur ſeniorib. vrbis illius ea, quæ ſe comprobent innocentem,& ſic ſuſcipient eum, & dabunt ei locum ad habitandum.

Siquis occidiſſet alterũſciẽs, & volẽs, tamen in defenſionem ſui ipſi⁹ an gauderet immunitate vr is.

Sciẽdum etiam, quod iſtud quod dicitur de effuſione ſanguinis intelligitur de occiſione: nam ſiquis percuſſerit alias proximum ſuum non occidens non debebat confugere ad iſtas vrbes,ſi tamen confugeret, gaudebat pro tunc immunitate. Cauſa huius erat, quia vrbes refugii aſſignata erant ad vitandam occiſionem hominum innocentum. Deus enim permiſerat Iudæis ad duritiam cordis ſui, quod ſi proximus alicuius occideretur ille poſſet immediate interficere occiſorem vbicunque eum reperiret, antequam iudicaretur, quod non erat reus effuſi ſanguinis,ſi autem non eſſent aliqua loca, in quibus ſe poſſent tueri tales occiſores quouſque cauſa eorum ventilaretur,contingeret multos eorum occidi ab hoſtibus,ideo aſſignata ſunt loca refugii. ſiquis autem percuteret alterum non occidens,non permittebatur proximo viri percuſſi,quod poſſet occidere percuſſorem,quia etiamſi conſtaret,quod hoc egiſſet per inſidias,non erat iudicialiter occidẽdus. non ergo magis licebat proximo viri percuſſi occidere percuſſorem,quam aliquem alium innoxium,& ob hoc proximi percuſſorum non perſequebãtur ad mortem percuſſores,ſicut ſiquis occiſus fuiſſet,& conſequenter non erant neceſſaria oppida refugii.

F

Et exceptis his alia quadraginta duo oppida. Id eſt, ſine iſtis ſex vrbibus ſupra datis,quæ erant ad refugia fugitiuorum,habebant Leuitæ alia quadraginta duo, ita vt ſimul eſſent quadraginta octo vrbes Leuitarum. Et non eſt intelligendum,q̃ iſta quadraginta duo nullo modo pertinerent ad vrbes refugii, quia de eis aſſignandæ erant adhuc tres vrbes, poſtea pro fugitiuis Deu.c.19.& ſic manerent 39.vrbes Leuitis,q̃ nõ eſſent p̃ fugitiuis.Sed dicitur hic,q̃ 42.alia oppida erunt ſine vrbib. fugitiuorũ.i.ſine illis,quæ immediate datæ ſunt,quæ fuerunt ſex.poſtea vero cũ nimis dilarati eſſent Iſraelitæ debebãt alias tres ſuperaddere,q̃ erant de iſtis 42.*Simul quadraginta octo cum ſuburbanis ſuis.*i. omnia oppida, quæ Leuitæ habebunt erunt ſimul quadraginta octo,& habebunt ea cum ſuburbanis ſuis,

id eſt,

A

An Leuitæ grauarentur, ponebãtur oẽs vrbes refugij in terra eorum.

id est, cum territoriis mille passuum in circuitu vrbium, vt supra dictum est.

Considerandum est circa hoc, quod hic dicitur, quia ponuntur omnes vrbes fugitiuorum in possessione Leuitarum. Aliqui enim existimabunt eos ex hoc grauari, cum nulli alteri tribui imponatur onus, sed in hoc non grauabantur quin potius melius agebatur cum eis, quia ipsi nihil compellebãtur dare de rebus suis & rursus eorum ciuitates fiebãt melioris conditionis cum gauderent multis priuilegiis. Sciendum etiam, quod istæ 48. vrbes solum dabantur Leuitis, & cum eis non dabatur alius aliquis locus paruus aut magnus, & vocantur hic vrbes non, vt nos accepimus pro locis magnis, quę distinguuntur, & contra villas, & rura, sed omnis locus muratus dicitur esse vrbes. Sciendum est, quod Leuitis fuerunt assignatæ istæ vrbes immediate, vt fuit diuisa terra Chanaan aliis tribubus, quia tunc quælibet illarum dedit de suis aliquas secundum proportionem, quæ simul peruenerunt ad 48. vt patet Iosue ca. 21. & tamen non fuerunt omnes istæ vrbes immediate illis traditæ, sed sicut in aliis tribubus factum est, scilicet, quod diuideretur tota terra tam capta, quam non capta, & multæ vrbes proueniebant cuilibet tribui, quæ nondum captæ erant, ita & Leuitis fuerunt traditæ quædam vrbes de non captis, aliæ autem de captis, vt patet in tribu Ephraim. Nam data est ciuitas Gazer, vt patet Iosue 21. cap. & tamen in

B

ista habitauerunt Chananæi postea multo tempore post introitum Israelitarum in terram Chanaan Iosue 16. c. sic etiam fuit vsque ad tempus Salomonis quando rex Pharao ascendit de Aegypto, & percussit Chananæum, qui habitabat in Gazer: tertio Regum capit. 9. Fuit etiam sic in dimidia tribu Manasse, de qua data est ciuitas Tenach: Iosue 21. & tamẽ ista fuit multo tempore in potestate Chananęorum quousq; confortati filii Manasse exclusserunt de terra Chananæos Iosue 17. & Iudi. cap. 1.

Quare Leuitis fuerunt data tot vrbes, cum aliæ essent tribus maiores, quæ non habebant tot vrbes, nec dimidium.

QVÆSTIO IX.

QVæret aliquis quare fuerunt datæ tot vrbes Leuitis: nã de aliis tribubus iusserat Dominus, quod daretur cuilibet possessio secundum multitudinem suam, sed Leuitæ nõ erant maiores aliis tribubus, imo nec æquales alicui tribui, ideo non debebant accipere tot vrbes, quot aliæ tribus, sed acceperunt plures. Antecedens patet supra capit. 26. & 33. scilicet, pluribus maiorem partem dabitis, & pauciorib. minorem. Quod autem Leuitæ essent minores omnibus tribubus apparet in descriptione, quæ habetur supra cap. 26. quia in omnibus tribubus computando viros à 20. annis, & supra reperiebantur communiter quinquaginta millia vel 60. millia

C

aut 40. in minima autem tribu, scilicet, Symeon fuerunt reperti viri 22. mille ducenti, & hoc propter quandam destructionem specialem, de qua ibi dictum est. In tribu autẽ Leui cum computati essent omnes masculi ab vno mense, & supra inuenti sunt 23. millia solum, qui si computarentur à 20. ãnis, & supra forte non reperirentur 10. millia, sicut apparet in alia computatione facta in monte Sinai, in qua inuenti sunt 22. millia ab vno mense, & supra, & tamen cum de istis accepti sunt viri portantes onera à 30. anno & supra, inuẽti sunt octo millia quingenti octoginta supr. 3. & 4. c. ergo tribus Leuitarum erat minor omnibus tribubus, & consequenter debebat recipere pauciores vrbes: tamen aliæ tribus susceperunt pauciores, sicut tribus Zabulon solum habuit 12. & tribus Issachar solum 16. & sic de aliis, de quibus Iosue 19. c.

Respondendum est, quod Leuitę acceperunt plures vrbes quam aliæ tribus, & in hoc non erant sine proportione ad alias tribus: hoc autem in duobus. Primo, quia forte istæ vrbes erant minores aliis vrbibus, quia vt dictũ est vrbs in Scriptura significat omnem locum muratum, siue magnum, siue paruum, & sic potest interdum vna vrbs esse maior 30. vrbibus. ista ratio æqualiter est apparens, sed non multum est efficax: nam, si quando Israelitæ diuiderent terram, & assignarẽt Leuitis possessionem, contingeret, quod darent eis de minoribus vrbibus, & propter hoc darent, adhuc aliqualiter staret, sed antequam fieret aliqua diuisio Deus iussit, quod darentur 48. vrbes Leuitis, non distinguens an essent magnæ, vel paruæ: ideo videtur ex alia causa hoc procedere.

D

Dicendum igitur aliter, scilicet, quod quamquam Israelitæ susciperent pauciores vrbes numero quam Leuitæ, tamẽ nõ susciperent pauciora loca, aut minorem terram ad habitandum, est autem diuersitas in hoc, quia Leuitæ solum accipiebant vrbes, & in eius habitare debebant: Israelitæ autem de aliis tribubus accipiebant vrbes, & rura, & viculos cum omnibus territoriis suis, & hoc modo contingeret, quod 10. vrbes cum ruribus, & viculis suis haberent maiorem locum ad habitationem, quam quinquaginta vrbes sine territoriis, qa contingebat interdum multa esse rura, & præter hoc si terra esset latissima, etiamsi pauca rura essent, possent construi noua loca ad habitandum tam vrbes, quam viculi. Et ista est causa, quare etiam aliquando vna trib. de Israelitis acciperet plures vrbes, quam alia, & tamen esset minoris numeri. Sic patet de Zabulon, & Issachar, & Aser. Nam Zabulon habebat sexaginta millia virorum, & quingentos supra cap. 26. & tribus Aser habebat quinquaginta tria millia quadragintos: eo. ca. tamen in sorte Zabulon solum fuerunt 12. vrbes, & in sorte Aser fuerunt 32. Iosue capi. 19. tribus etiam Issachar habuit 64. millia virorum & 300. supra capitu. 26. & Aser quinquaginta tria millia quadraginta: tamen habuit Issachar solum 16. vrbes, & tribus Aser 32. Iosue 19. capitul. sic patet de aliis tribubus in eodem loco, hoc autem erat, quia solum computabatur latitudo terræ ad agros, & vineas habendum, & fabricandum habitationis loca, & non pluralitas vrbium ab antiquo constructarum: nam data aliqua terra satis lata facile erat ibi construi habitationis loca. Si igitur cum Leuitæ non essent habituri aliquam terram ad construendum nouiter loca, sed solum erant habituri in vrbibus iam fabricatis, oportebat, quod darentur eis multæ vrbes: ideo fuerunt quadraginta octo, licet essent Leuitæ pauciores multitudine qualibet alia tribu.

Ipsæque vrbes, quæ dabuntur de possessionibus filiorum Israel. Scilicet, quadraginta octo vrbes, quæ dabuntur Leuitis auferẽtur de possessionibus filiorum Israel scilicet, quia primo possidere debebant Israelitæ, deinde daturi erant vrbes istas. Nõ est autem intelligendum, quod primo haberent possessionẽ realem Israelitæ, quæ est per positionem pedum, & postea darent vrbes istas Leuitis, sed solum possidebãt primo ciuiliter, & in animo. Quod patet, quia Iosue fecit congregari omnes Israelitas in Silo, vt diuideretur ibi terra, & ponerentur sortes coram Domino, quod factum fuit Iosue 18. & 19. capitul. deinde in eodem loco priusquam recederent, fuerunt datæ Leuitis vrbes de singulis tribubus, & fuerunt separatæ vrbes refugii Iosue capitul. vigesimo & vigesimo primo. ergo nondum recesserant de ipso loco Israelitæ ita, vt iret quilibet ad possidendum actualiter sortem suam, sed solum possidebant ciuiliter, scilicet, quia ex eo, quod susceperunt titulum dominii per diuisionem factam habuerunt animum possidendi tanquam aliquid proprium. Et accipitur hic possessio non prout est actus possidentis, & distinguitur per naturalem, & ciuilem possessionem, sed prout est res possessa, & hęreditas, possessio autem naturalis fuit simul tradita Leuitis, & Israelitis aliarum tribuum. Nam cum venissent de Silo facta diuisione, & assignatione vrbium, incœperunt singuli possidere vrbes suas: non tamen possederunt à principio Leuitæ simul omnes vrbes suas 48. quia multæ earum adhuc tenebantur ab hostibus, vt supra declaratum est, sed sicut aliæ tribus nõ possederunt immediate totam terram Chanaan, sed successiue secundum ordinem acquirendi, ita & Leuitę, quia cum acquireretur aliqua ciuitas de manu hostium de his, quæ pertinebant ad Leuitas incipiebant ipsi possidere eam. Erat autẽ aliquid speciale in omnib. Leuitis magis quam in aliis tribubus. s. quia postquam diuisa est terra per sortes quęlibet trib. habebat curam de sorte sua, & pugnabat cõtra hostes. Aliæ autem non tenebantur adiuuare, nec adiuuabãt, nisi gratia cõpugnationis. i. vt adiuuarentur ab illa, sic patet Iudic. c. 1. s. & ait Iudas Simeoni fratri suo: ascende mecum in sorte mea, & pugna cõtra Chananæum, vt & ego pergam tecum in sorte tua. In Leuitis autem non fiebat sic: sed oẽs eos adiuuabant ad pugnandum contra gentes possidentes loca eorũ, & causa est, quia id qꝰ possessuri erant Leuitæ partim pertinebat ad alias tribus:

Iudæi non dederunt vrbes

E

F

Leuitis postquã possederãt eas sed ante.

Leuitæ

A Leuitę enim non accipiebant vrbes cum territoriis ſuis,& viculis,ſed ſolum ipſas vrbes cum ſuburbanis.Cætera vero proueniebant viris illius tribus in cuius ſorte erat illa ciuitas: ideo ſicut directe pugnare deberent Iſraelitæ pro ſuis vrbibus ita pugnare debebant pro vrbibus Leuitarum, quia inde aliquid acquirebant: ita vt quaſi nihil videretur Leuitis competere, quod pugnarent ad acquirendum vrbes quas poſſeſſuri erant, quam aliis Iſraelitis: inter Iſraelitas autem, & ſeipſos non conſiſtebat iſta habitudo, quia nihil proderat directe veni tribui,quod alia tribus acquirebat, quia totum illud ad ſeipſam pertinebat, & nihil ad aliam: ideo non ſe iuuabant ad inuicem,niſi gratia compugnationis,vt dictum eſt. *Ab hu, qui plus habent plures auferentur.* Id eſt,iſtæ 48. vrbes, quæ dantur Leuitis,dabuntur à toto Iſrael, ſed nõ æqualiter ab omnibus tribubus,ſed proportionaliter,ſcilic.quod tribus,quæ plures vrbes haberet plures daret,&quæ pauciores daret pauciores, & hoc,vt non videretur aliqua tribus magis grauari aliis ſi omnes darent æqualiter.

An tribus darent Leuitis ciuitates ſecundum proportionem.

QVÆSTIO X.

QVæret aliquis, an iſtud ſtet, ſcilicet, quod tribus daret ſecundum proportionem ciuitatum. Et videtur,quod B non: nam ad hoc requiritur, quod ſi aliquæ tribus haberent æquales vrbes numero, darent æquales, & illæ, quæ plures haberent, ſemper darent plures,& in ipſis habentibus ciuitates inæqualiter eſſet, quod ſicut ſe habebant in proportione exceſſus ciuitatum poſſeſſarum, ita vrbes ab eis datæ ſe excederent ſecundum hanc proportionem, ſed contra omnia hæc factum reperitur, ſcilicet, quod aliquando tribus, quæ habebant ciuitates inæquales numero dabant eas æquales, ſicut patet de tribu Iſſachar,& Aſer,& Zabulon: nam de qualibet harum datæ ſunt ciuitates quatuor ſolum Leuitis, Ioſue capit. 21. & tamen iſtæ tribus habebant ciuitates inæquales numero, quia Zabulon habebat ſolum duodecim. Iſſachar 16. Aſer 32. Ioſue 19.cap.interdum autem ciuitates,quæ habebant plures vrbes dabant pauciores, ſicut patet de Nephtali: ſolum enim dedit tres vrbes,& Iſſachar,&Zabulon dederunt quatuor,Ioſue 21.cap.Nephtali tamen habebat 19.vrbes,Iſſachar 16. & Zabulon 12. Ioſue capit. 19. Item tribus illæ, quæ habebant ciuitates plures, quanquam darent plures, quam aliæ tribus, tamen non dabant ſecundum proportionem, vt patet de tribu Iuda& Simeon,reſpectu aliarum tribuum quarumcunque: quia iſtæ duæ tribus ſimul dederunt 9. vrbes,aliæ autem tribus,vt communiter dabant quatuor,vel tres vrbes,Ioſue cap. 21. Tribus tamen Iudæ,cum tribu Simeon excedebat in proportione alias tribus, quia computando vrbes vtriuſque ſimul ſunt plures quam 120. Ioſue capit. 15. in aliis autem erant paucæ vrbes,ſcilicet,ad plus ad 20.vel 30.ſecundum quod in tribu Aſer: ergo deberent decies plures vrbes dari de tribu Iudæ & Simeon,quam de tribu Zabulon,in qua ſolum erant 12.

C Reſpondendum eſt,quod obſeruata fuit proportio in iſtis vrbibus dandis,non quidem ſecundum pluralitatem vrbium ſed ſecundum magnitudinem terrę poſſeſſæ,quia inter Iſraelitas non dicebatur aliqua ſors magna, vel parua propter hoc, quod habebat multas,vel paucas vrbes, ſed quia terra poſſeſſa erat breuis, vel latiſſima, & ſic interdum aliqua tribus poſſidebat plures vrbes,& tamen minus de terra: ſic enim declaratum fuit ſupra de Iſraelitis inter ſe,quia Deus iuſſerat,quod pluribus maior pars daretur,& paucioribus minor,tamen in ſorte Zabulon erant 12.vrbes ſolum,& in ſorte Aſer 32.Ioſue 19. capit.ſed erat Zabulon maior multitudine habens 60.millia virorum,& quingentos, & Aſer 53. millia quadringentos. Ita ergo hic illa tribus, quæ haberet plures vrbes, non dabat plures, ſed ſi haberet maiorem terram, & quia contingebat aliquas tribus habentes inæqualitatem in vrbibus habere quaſi æqualitatem in terra, dabant æquales vrbes, ſicut Iſſachar, Zabulon, & Aſer, de quibus dictum eſt: & aliæ tribus habentes plures vrbes contingebat minus habere de terra, ideo dabant pauciores vrbes: ſic patet de Nephthali reſpectu Iſſachar,& Zabulon. Eodem modo cum dicebatur,quod tribus Iudæ excedebat nimis ad omnes alias tribus in numero vrbium,ergo deberet ſecundum eandem proportionem excedere in dando. Dicendum, quod hoc non tenet,nam ſi haberet eandem habitudinem ad alias tribus in pluralitate vrbium, & magnitudine terræ poſſeſſæ eſſet verum, ſed forte quanquam eſſet pluſquam decupla ſors Iudæ ad aliquam de aliis ſortibus in numero vrbium, forte nõ erat pluſquam dupla in terræ latitudine,& ſic quãdo dicitur hic,quod auferentur plures ab aliis,quę habent plures,non accipitur ibi plures ſecundum eundem modum, ſed dicitur, quod accipientur plures, id eſt, plures vrbes ab aliis, qui habent plures, id eſt, maiorem partem terræ.

Aliqua tribus habẽtes paucas ciuitates dabãt plures quã alia habentes multas.

Et qui minus pauciores. Eadem ſententia eſt,ſed non oportet, quod ſeruaretur totaliter eadem proportio in omnibus his, ſcilicet, quod ſi aliqua tribus modicum excederet aliam in magnitudine ſortis, quod deberet excedere aliqualiter in pluralitate vrbium datarum: non enim poterat hoc ſeruari, ſed in his, quæ habebant exceſſum aliquantum hoc fiebat.

Singuli iuxta menſuram hæreditatis ſuæ dabunt oppida Leuitis. Id eſt, ſinguli de Iſraelitis dabunt plura, vel pauciora oppida ſecundum,quod habuit maiorem hæreditatem,&hic accipitur proprie,quia non dicitur de pluralitate vrbium, ſed de maioritate hæreditatis,quæ ſignat terræ latitudinem, & iuxta hoc conſiderantur.

D

E *Ait Dominus ad Moyſen: Loquere filiis Iſrael,& dices ad eos: Quando tranſgreſſi fueritis Iordanem in terram Chanaan,decernite, quæ vrbes eſſe debeant in præſidia fugitiuorum, qui nolentes ſanguinem fuderint. In quibus cum fugerit profugus, cognatus occiſi non poterit eum occidere,donec ſtet in conſpectu multitudinis,& cauſa illius iudicetur. De ipſis autem vrbibus, quæ ad fugitiuorum ſubſidia ſeparantur, tres erunt trans Iordanem, & tres in terra Chanaan, tam filiis Iſrael, quam aduenis, atque peregrinis, vt confugiat ad eas, qui nolens ſanguinem fuderit. Siquis ferro percuſſerit,& mortuus fuerit,qui percuſſus eſt: reus erit homicidii: & ipſe morietur. Si lapidem iecerit,& ictus occubuerit: ſimiliter punietur. Si ligno percuſſus interierit, percuſſoris ſanguine vindicabitur. Propinquus occiſi homicidam interficiet,ſtatim vt apprehenderit eum,interficiet. Si per odium quis hominem impulerit,vel iecerit quippiam in eum per inſidias,aut cum eſſet inimicus manu percuſſerit eum, ille mortuus fuerit: percuſſor homicidii reus erit. Cognatus occiſi ſtatim, vt inuenerit eum iugulabit. Quod ſi per caſum, & abſque odio, & inimicitiis quidquam horum fecerit, & hoc audiente populo fuerit comprobatum, atque inter percuſſorem,& propinquum ſanguinis quæſtio ventilata: liberabitur innocens de vltoris manu, & reducetur per ſententiam in vrbem, ad quam confugerat, manebitque ibi, donec ſacerdos magnus, qui oleo ſancto vnctus eſt, moriatur. Si interfector extra fines vrbium, quæ exulibus deputatæ ſunt, fuerit inuentus, & percuſſus ab eo, qui vltor eſt ſanguinis: abſque noxa erit, qui eum occiderit. Debuerat enim profugus, vſque ad mortem Pontificis in vrbe reſidere. Poſtquam autem ille obierit, homicida reuertetur in terram ſuam. Hæc ſempiterna erunt, & legitima in cunctis habitationibus veſtris. Homicida ſub teſtibus punietur: ad vnius teſtimonium nullus condemnabitur: non accipietis pretium ab eo,qui reus eſt ſanguinis,ſtatim,& ipſe morietur: exules, & profugi ante mortem Pontificis nullo modo in vrbes ſuas reuerti poterunt: ne polluatis terram habitationis veſtræ, quæ inſontium cruore maculatur: nec aliter expiari poteſt, niſi per eius ſanguinem, qui alterius ſanguinem fuderit. Atque ita emundabitur veſtra poſſeſſio, me commorante vobiſcum. Ego enim ſum Dominus, qui habito inter filios Iſrael.*

Deu.19

Exo. 21 Ioſu,20 Iudicta diuerſa rum criminum

Deu.19

F

Vnius teſtimonio nullus condemnatur.

A *Præceptū de separandis vrbibus refugii.*

Ait Dominus ad Moysen. Hic ponitur secundum huius capit. de fugitiuorum receptaculis, & tanguntur duo. Primo ciuitatum separatio, secundo profugorum conditio. Ibi. *Siquis ferro.* Circa primum. *Ait Dominus ad Moysen.* Hic datur præceptum de vrbibus separandis pro ipsis fugitiuis. Et hoc diligenter Deus seruari iussit. *Loquere filiis Israel.* Quia Deus primo loquebatur Moysi non proponens toti populo verbum, necesse erat, quod ipse postea loqueretur toti populo diuulgando legem datam. *Quando transgressi fueritis Iordanem.* Hortatur hic Moyses Israelitas, quod diligenter se habeant in assignando, quæ vrbes debeant esse ad præsidia, & dicitur de transitu, quia licet aliquæ vrbes refugii essent ante transitum Iordanis in terra duarum tribuum & dimidiæ, illæ iam assignatæ fuerunt, quia Moyses assignauerat eas, Deuter. capit. quarto. supererat ergo, quod assignarentur vrbes post transitum Iordanis. *In terra Chanaan.* In ista erant assignandæ vrbes fugitiuorum tres ad præsens: postea autem dilatatis terminis debebant aliæ assignari, & hoc volebat Moyses fieri cito, ne mora medii temporis esset occasio alicuius mali, scilicet, quod occiderentur interim aliqui innocentes non habentes locum, ad quem confugerent. *Decernite quæ vrbes esse debeant in præsidia fugitiuorum.* Id est, quæ vrbes debent seruire ad hoc, quod recipiantur in eis fugitiui. Fuerunt assignatæ istæ vrbes immediate, de quibus Iosue cap. 20. scilicet, vrbem Cades in Galilæa in sorte Nephthali, & Sichem in sorte Ephraim, & Hebron in sorte Iudæ. Aliæ autem tres fuerant ante hoc à Moyse separatæ, de quibus ibi. Fuit facta ista separatio in diuisione sortium, scilicet, quod immediate, vt Israelitæ diuiserunt terram sibi in Silo coram Domino assignauerunt vrbes Leuitis, & de ipsis statuerunt sex vrbes ad præsidia fugitiuorum, scilicet, tres, quæ ab antiquo statutæ fuerant, & tres nouiter.

B

Si aliquis defendendo se occideret alterū an gauderet immunitate vrbiū refugii.

Qui nolentes sanguinem fuderint. Id est, in istis vrbibus habebant præsidium illi, qui occiderunt aliquos, non data opera ad hoc, sed nesciendo, vel non volendo. Sed adhuc non debet intelligi simpliciter de istis, quia si aliquis propulsando iniuriam, & se defendendo alterum occideret in hac vrbe refugii liberabatur. Quod patet, quia si in quocunque alio genere homicidii, erat aliquis tutus in vrbe refugii, etiamsi occidisset voluntarie, vel per insidias quousque ventilaretur causa, & sciretur de qualitate homicidii, vt supra probatum est. Quantomagis hoc fieret in eo, qui occidisset alterum se defendens? iste tamen sciens, & volens occidebat alterum. Dicendum igitur, quod huic proderant vrbes confugii, tamen non proprie, quia aliquis dicitur, habere præsidium in his vrbibus quando totaliter gaudet immunitate earum ante ventilationem causæ, vel post, sicut patet de illo, qui occidens non est reus homicidii, & postea ventilata causa reducitur per sententiam in vrbem, in quam confugerat, manetque ibi vsque ad mortem summi sacerdotis.

C

De eo autem, qui occidit alium se defendens non est sic, quia licet à principio ante causæ ventilationem ille gaudeat immunitate locorum, sicut generaliter omnes alii homicidæ: tamen ventilata causa, & cognito hoc, non reducebatur per sententiam in vrbem, in quam confugerat, sed absoluebatur simpliciter, ita vt liceret ei tutum ire quocunque vellet.

Causa huius est, quia licet ille, qui alias occidebat à casu, nihil peccauisset occidendo: tamen lex imponebat, quod non posset exire de vrbe confugii vsq; ad mortem summi sacerdotis: & quia qui sic occisus erat nihil peccauerat contra occisorem, ideo licet occisor non peccaret tamen dabatur ei aliqualis pœna, scilicet, quod non posset reuerti in terram suam, qui autem occidisset alium se defendens ipse quidem nihil peccauerat contra occisum, & occisus peccauit contra ipsum, scilic. inuadendo, ideo comperta veritate immediate liberatur non reductus ad vrbem confugii. *In quibus cum fuerit profugus cognatus occisi non poterit eum occidere.* Ista erat immunitas vrbium refugii, quod cognati hominis occisi non possent occidere occisorem, dum ibi esset.

Quare Deus cōcessit, q Iudai possent occide-

Pro quo sciendum, quod perpetrato homicidio, qualecunque illud esset, cognati hominis occisi vbicunque apprehenderent occisorem poterant eum occidere impune, siue in via, siue in aliqua vrbe. In his autem vrbibus non poterant: si tamen aliquando reperirentur extra portas vrbis poterāt occidi impune, vt patet infra, & dicitur de cognatis hominis occisi, quia ad hos pertinebat persecutio facti, & quicunq; eorum poterat vlcisci de hoste: aliis autem non dabatur ista actio, quanquam essent amici hominis occisi. Causa huius concessionis est, quia Israelitæ erant duri corde, & si Deus nō permisisset, quod occiderent hostes suos isto modo ipsi non possent sustinere legem, sed infringerent: ideo melius fuit, quod daretur eis lex ista etiamsi esset remissa, quam quod quamcunque bonam datam infringerent, sicut dicebatur, Matthæi 19. capit. quod ad duritiam cordis eorum libellus repudii datus est, scilicet, ipsi non potuissent tollerare legem de indiuisibilitate matrimonii, sed magis occiderent vxores: ideo melius fuit, quod daretur eis lex de repudiando vxores, ne occiderēt eas. Sciendum autem, quando dicitur hic, quod proximus occisi non poterat occidere occisorem, poterat tamen accusare eum, & cogere, quod educeretur ab vrbe ad locum illum, in quo patratum fuit homicidium, & ibi ventilaretur causa, & si reperiretur reus, quod occideretur. Etiam istæ vrbes refugii habebant immunitatem contra aduersarios sed non contra iudices, qui poterant inde educere fugientes. In hoc autem immunitas Ecclesiastica excedit immunitatem vrbium refugii, quia non potest aduersarius cogere, quod educatur occisor de Ecclesia ad ventilandum causam: nec etiam iudex hoc potest. Etiam maius priuilegium est, quia non solum in occisoribus, sed in aliis delictis Ecclesia habet immunitatem. An vero debuit in veteri testamento esse tanta immunitas, quanta nunc est Ecclesiastica, vel non, & an debuit esse aliqua qualiscunque, & an Sanctuarium gauderet immunitate, qua gaudebant vrbes refugii, vel maiori, aut minori declaratum est, Iosue capitulo 20. & ibi etiam an fuit conueniens in nouo testamento esse tantam immunitatem, quanta est. Circa hoc etiam sunt dubia multa, scilicet, si aliquis occidisset aliquem in vrbe confugii, vel in territorio illius, an posset confugere ad illam. Etiamsi aliquis extra territorium vrbis confugii occideret aliquem, qui esset de vrbe illa, habens ibi cognatos, an posset ad illam confugere. Etiam postquam aliquis est in vrbe confugii, si occiderit ibi aliquem an possit manere in eadem vrbe, vel deberet fugere ad aliam. Etiam dato, quod aliquis patrans homicidium in vrbe confugii, deberet confugere ad aliquam aliam, si patraret homicidium in omnibus vrbibus refugii, quo deberet confugere. De hic omnibus & multis aliis, multum particularibus dubiis, declaratum est Iosue cap. 20.

D *re impune occisores cognatorum suorum.*

Immunitas Ecclesiastica excedit immunitatem E *tem vrbium refugii*

Donec stet in conspectu multitudinis. Id est, occidere poterit proximus occisi occisorem postquam steterit coram multitudine, & iudicata fuerit causa, in qua condemnetur tanquam reus: nam tunc traditur occidendus manibus hostis sui. Et dicitur hic de conspectu multitudinis, quod potest referri ad duo, scilicet, ad multitudinem vrbis illius, ad quam aliquis confugit, vel ad multitudinem populi, in quo homicidiū patratum est. Primo modo est sensus, quod debet stare occisor coram multitudine scilicet, petens, quod traderetur ille, qui confugerat ad vrbem examinaturus causam suam in loco patrati homicidii, & tunc iudices vrbis illius remittebant confugientem ad locum patrati delicti, præmissa tamen securitate, ne quid noceri posset ipsi confugienti. Et dicitur hic de multitudine non pro toto populo, sed pro multitudine iudicum sedentium ad portam ciuitatis. Alio modo potest intelligi de multitudine iudicum loci illius, in quo patratum est homicidium, scilicet, quod ibi debet stare propinquus occisi examinans causam coram iudicibus, & tunc poterit occidere occisorem si reperiatur reus. F

Et causa illius iudicetur. Scilicet, an egerit hoc volens occidere, vel nescians, aut nolens.

De ipsis autem vrbibus, quæ ad fugitiuorū subsidia separantur. Ponitur hic distinctio regionū, in quibus esse debebant vrbes refugii, scil. tres in terra Chanaan, & tres trans Iordanem, & intelligitur hoc de primis sex vrbibus, quia de tribus, quæ addendæ erant, quando Dominus dilataret terminos Israel, non fit hic mentio, sed Deut. cap. 19.

Tres erunt trans Iordanem. Id est, ad partem orientalem Iordanis, scilicet, in terra duorum regum Amorrhæorum, vbi erant duæ tribus, & dimidia. Accipitur autem aliquando trans Iordanem pro parte orientali, & aliquando pro occidentali.

A

De primo apparet hic, & Iosue cap. 1. De secundo apparet, Iosue capit. 5. vbi dicitur de regibus Amorrhæis, qui habitabant trans Iordanem ad occidentalem plagam. De vtroque modo habetur supra cap. 32.

Istę tres ciuitates vocabantur Bosor, Gaulon, & Ramoth. Prima in sorte Ruben, secunda in dimidia tribu Manasse, tertia in sorte Gad, Deut. cap. 4. & Iosue 20. De his autem sciendum, quod assignatæ fuerunt Leuitis antequam fieret aliqua diuisio terræ inter tribus, & istud erat speciale: nam primo fuit facta diuisio inter omnes tribus, deinde Leuitæ petierunt ciuitates eis debitas, Iosue capit. 21. & tunc assignatæ sunt. Ante hoc tamen, scilicet, ante transitum Iordanis erant pro eis separatæ tres vrbes suprapositæ. Quod patet, quia Moyses separauerat illas in fugitiuorum subsidia, sed istæ sex vrbes fugitiuorum debebant esse de vrbibus Leuitarum, vt patet supra, ergo istæ tres ante transitum Iordanis pertinuerunt ad Leuitas.

Et tres in terra Chanaan. Istæ tres nondum erant separatæ, quia Israelitæ nondum transierant Iordanem: postea autem separauerunt eas, scilicet, de tribu Iuda vnam, & de Ephraim alteram.

Quare ponuntur tot ciuitates refugii trans Iordanem, sicut in terra Chanaan.

B

QVÆSTIO XI.

QVæret aliquis, quomodo ponuntur tot ciuitates fugitiuorum trans Iordanem, vbi solum erant duæ tribus, & dimidia, sicut in terra Chanaan, In qua erant nouem tribus, & dimidia.

Opinio, Rabbi Salom.

Respondet Rabbi Salomon: ideo esse hoc, quia habitantes trans Iordanem, erant viri multum occisores: maxime, quia erant in ciuitatibus Galaad, & sic tot ciuitatibus indigebant ipsi, sicut omnes aliæ tribus, & hoc patet Oseæ capitul. sexto. vbi vocatur Galaad ciuitas supplantata sanguine, id est, calcans sanguinem sub plantis. Nicolaus dicit, quod ideo fiebat, quia ciuitates illæ erant elongatæ à Sanctuario: ideo multiplicabantur ne occisores accederent ad terram, in qua est Sanctuarium.

Opinio Nicolai Lyrani.

Sed hoc non videtur, quia in Hebron, quæ erat vna de ciuitatibus fugitiuorum, vt patet Iosue c. 20. erat Sanctuarium, vt habetur 3. Reg. 15. ca. & dicitur ibi esse Sanctuarium, quia ibi sacrificia fiebant Deo communiter à toto populo, & dato, quod non esset ibi arca, nec tabernaculum debebat ab illo loco procul esse omnis immunditia: vnde si immundum esset, quod aliqua esset ciuitas refugii, nunquam in ea fierent sacrificia. Item si Deus nollet, quod ad ciuitatem, vbi erat tabernaculum, irent occisores, non constituisset omnes ciuitates fugitiuorum esse de ciuitatibus Leuitarum: cum isti debebant esse mundiores, quia pertinebant specialius ad Sanctuarium,

C

Item sequeretur, quod in Sanctuario nō defenderentur occisores, sed falsum est, quia quicunq; videtur, quod defendebatur ibi præter occisores per insidias, Exod. 21. c. vbi iubetur, q̄ occidentes per insidias ab altari extraherentur, & morerentur. Item hoc non stat, quia dato, quod in terra, in qua est Sanctuarium, non deberent esse multæ ciuitates refugii, tamen Moyses, qui separauit istas tres vrbes nesciebat, an futuro tēpore deberet esse Sanctuarium magis in terra Chanaan, quā in terra duarum tribuum, & dimidiæ.

Item non stat, quia ciuitates istæ debebant poni secundum æqualem distantiam, ita vt tota terra Chanaan haberet aliqua loca refugii coniuncta: si autem alicubi ciuitates refugii essent multum coniunctæ sequeretur inconueniens, scil. longitudo viæ ab aliquibus partibus terræ ad vrbes refugii, sed Dominus hoc vetuit, Deut. cap. 19. iubens, quod essent in distantia æquali.

Aliæ opinio.

Aliqui respondent dicentes, quod post dilatationem terræ promissionis erant addendæ aliæ tres vrbes in terra Chanaan, de quibus Deuter. capitul. 19. quibus positis esset conueniens habitudo terræ Chanaan, & terræ ante Iordanem. Sed quidam redarguunt istos dicentes, quod illæ tres ciuitates, de quibus Deuteron. capit. 19. non sunt distinctæ ab istis sex, de quibus hic. Et probant, quia Moyses constituerat tres ciuitates, ante transitum Iordanis: ideo mandabat constitui alias tres: & apparet hoc, Iosue cap. 20. vbi Dominus mandauit Iosue, quod separaret ciuitates, quas iusserat per Moysen separari, sed ibi separatæ sunt solum sex, scil. tres, quę ante separatæ fuerant à Moyse, & tres postea in terra Chanaan, ergo non erant plures vrbes.

D

Positio auctoris.

Ista positio aliqualiter esset sustentabilis, magis tamen consonat, quod essent vrbes refugii nouem. Sex à principio cōstitutæ, & tres constitui debebant multo tempore post dilatatis terminis. Et tunc respondendū est, quod causa huius est duplex: Prima, quia in terra Chanaan, non solum fuerunt statutę tres vrbes, de quibus hic, sed etiam postea aliæ tres. Secunda causa est, quia tres vrbes, quæ positæ sunt trans Iordanem non solum proficiebant pro habitantibus trans Iordanem, sed etiam pro multis, qui morabantur in terra Chanaan, quia aliqui illorum propinquiores erant ciuitatibus trans Iordanem quam ciuitatibus fugitiuorum in terra Chanaan, si enim tres ciuitates trans Iordanem essent in medio terræ duarum tribuum, & dimidiæ, scilicet, respectu orientis, & occidentis procederet illa ratio, quia solum deseruirent pro terra trans Iordanem, vel saltem valde modicum pro terra Chanaan. Si vero ciuitates istæ essent in extremitate terræ duarum tribuum, & dimidiæ, scilicet, apud Iordanem, æqualiter essent pro terra Chanaan, & pro terra trans Iordanem, & sic magna pars terræ Chanaan, non indigeret aliis ciuitatibus refugii præter illas: ideo reliqua terra Chanaan sufficienter haberet in aliis vrbibus, quæ in ea constitutæ sunt: etiamsi essent solum tres. Nec est nimis difficile dici omnes vrbes refugii fuisse solum sex, nisi communis opinio esset in contrarium, quæ rationabilis satis est. *Tam filiis Israel, quam aduenis, atque peregrinis.* Id est, istæ ciuitates æqualiter erant pro filiis Israel, scilicet, qui erant de genere Iacob, sicut pro conuersis ad Iudaismum: quicunque enim eorum ad has vrbes confugeret, gaudebat immunitate locorum: eadem n. erat lex quantum ad conuersos ad Iudaismum, & quantum ad istos Iudæos, scilicet, quantum ad omnia cæremonialia, in quibus erat obligatio faciendi, vel non faciendi, & quantum ad iudicialia, sic patet Leuit. capitulo vigesimoquarto, scilicet, æquum erit iudicium inter vos, siue ciuis, siue peregrinus peccauerit. Item patet Deuter. capit. 1. Fallet autem hoc in quibusdam, quæ pertinebant ad priuilegium, sed non ad obligationem, quia his gaudebant Iudæi ex genere, & non conuersi, sicut patet de honoribus quibusdam, & de principatibus, quos non poterant percipere quidam de conuersis, de quibus Deuter. capitulo. 23. Idem est in priuilegio Iubilæi, scilicet, quod Iudæi, qui vendebantur in seruos, siue venderentur Iudæis, siue conuersis ad Iudaismum saltem liberabantur in Iubilæo: conuersi tamen, & filii conuersorum, quando emebantur à Iudæis, manebant serui in æternum, Leuitici capitulo vigesimoquinto. Idem patet quantum ad septimum annum remissionis, in quo Iudęi liberabantur à seruitute, si erant empti ab aliis Iudæis: nisi forte accepissent vxores à dominis, & vellent educere eas in libertatem, & filios, nam tunc manebant vsque ad Iubilęum in seruitute, Exodi capit. 21. & Deuteron. 15. conuersi autem ad Iudaismum in nullo casu liberabantur à seruitute anno septimo. Item non gaudebant priuilegio remissionis debitorum anno septimo, sicut Iudæi, quia cum aliquis mutuasset alteri pecuniam, & ante annum septimum non soluerat, non posset postea exigere ab eo, nisi esset aduena, scilicet, de conuersis, Deut. capit. 15.

E

Aliquibus priuilegiis gaudebant Iudæi, quibus non gaudebant cō uersi ex gentilitate.

F

Item Iudæi non poterant dare inuicem ad vsuram, poterāt tamen dare conuersis ad Iudaismum, Deut. capit. 24. & Leuit. vigesimoquinto. In cæteris autem erant eis leges æquales, & dicitur hic aduena, & peregrinus ipse, qui de gentilitate conuersus est. Aliqui autem volunt, quod aduenæ dicantur esse conuersi ad Iudaismum, & peregrini sint ipsi gentiles non conuersi.

Sed hoc non stat, quia Deus sæpe ponit aduenas, & peregrinos in aliis locis, & ibi solum intelligitur de conuersis, vt patet supra capitulo decimoquinto. vbi dicitur de lege sacrificiorum, scilicet, quæ libamenta essent ponenda in singulis, & cōcluditur, quod illa lex esset, tam pro Israelitis, quam pro aduenis & peregrinis: tamen manifestum est, quod non potest ibi intelligi de gentilibus, quia gentiles non faciebant sacrificia: nam etiamsi vellent non permitterentur, Leuit. capitulo 22. vbi dicitur: De manu alienigenæ non accipietis panes Domino Deo vestro, aut quidquid aliud dare voluerit: contamina-

A

nata sunt enim omnia: ergo necesse est, quod accipiatur ibi aduena, & peregrinus pro cõuerso de gentilitate, qui recipiebatur, & cogebatur ad omnes cæremonias legis, sicut ipsi Iudæi ex genere: vocantur autem conuersi aduenæ, & peregrini. Aduenæ quidem ab adueniendo, scil. quia ad legem Iudęorum, & Deum eorum venerunt: peregrini autem dicuntur à peregre manẽdo, quia quandiu ipsi erant inter Iudæos non erant tanquã in lege sua, aut terra sua, sed tanquam in aliena. *Vt confugiat ad eas, qui nolens sanguinem fuderit.* Id est, in istis vrbibus solum gaudebunt immunitate, qui homicidium inuoluntarie patrauerunt, quod intelligendum est, vt supra, scilic. quantum ad plenam immunitatem tam ante ventilatam causam, quam post vsque ad mortem summi sacerdotis: ante causam autem ventilatam omnes gaudebant immunitate quicunque confugissent ad has vrbes, vt supra declaratum est. Etiam intelligendum est, quantum ad alios, qui non occiderunt se defendendo, quia isti, quanquam voluntarie occiderint, non sunt rei sanguinis. Etiam non obligantur manere in vrbe refugii, vsque ad mortem summi sacerdotis, sed mox, vt causa cognita esset, absoluebantur isti, & poterant redire in terram suam, vt supra declaratum est. Et quando hic dicitur de nolentibus occidere tollitur omnis voluntas occidendi, scilicet, tam absoluta, quam conditionata, vel secundum quid. Voluntas simpliciter, vel absoluta occidendi dicitur, intendere occidere non ex aliqua causa compellente conditionaliter, & isto modo occidit ille, qui inimicus erat, vel iniuriam receperat, vel qui aliquem occidit, vt rapiat quidquam ab eo. Voluntas conditionata dicitur, quandocunq; quis non intendit occidere alterũ directe, & tamẽ postea ex aliqua causa eum occidit, & occidere vult: sic patet de illo, qui defendendo se alterum occidit: iste quidem inuoluntarius est, quia si alius non persequeretur eum ad mortem ipsum occidere nollet, & dato alio casu non occideret. Dicitur autem voluntarius inquantum per imperium voluntatis mouẽtur partes organicæ in pugnando, & contra illum ictus dirigendo, in quibus scit se alium occidere. Sic ponit exemplum Philosophus de voluntario mixto de proiiciente merces in mare propter periculum, 3. Ethic. nullus autem istorum plene pertinebat ad immunitates harum vrbium: nam ille, qui occidebat voluntarie simpliciter, quanquam à principio antequam constaret per ventilationem causæ an voluntarie, vel inuoluntarie patratum esset homicidium, gauderet immunitate vrbis, causa tamen ventilata, non gaudebat, quia tradebatur occidendus hosti suo, vt patet infra. Etiam ille, qui occidebat volantate conditionata non pertinebat ad huiusmodi immunitatem, quia licet gauderet priuilegio vrbis antequam discuteretur causa: ea tamen discussa non erat mansurus in vrbe refugii, sed ibat quocunque volebat, vt supra declaratum est: Illi vero ad quos pertinebat immunitas hæc à principio ante ventilatam causam, gaudebant, & ventilata causa reducebantur in eandem vrbem vsque ad mortem summi sacerdotis, vt patet infra. Et isti sunt, qui totaliter ignorantes aliquem occidebant. *Si quis ferro hominem percusserit.* Hic ponitur secundum, scilicet, de fugitiuorum conditione, & ponuntur hic aliqui modi, in quibus mors inflicta erat imputanda occisori, & in quibus non erat imputanda, & dicitur de occidente ferro, quod occidetur: hoc autem intelligitur de percutiente cum intentione percutiendi. Siquis enim præter intentionem percutiendi data opera licitæ rei aliquem occideret, non erat reus, sicut patet de scindente ligna, & de manubrio eius ferro exiliente, quo alius occisus est, Deuter. 19. cap. Si tamen non constaret an aliquis habuisset voluntatem occidendi alium, vel non, & tamen percussisset ferro, prẽsumebatur, quod voluisset occidere, ideo reus erat mortis, & tamen siquis leuiter percussisset manu quanquam percussus moreretur, non erat reus. Causa præsumptionis, quia ferrum est tale instrumentum, quo quis verisimiliter faciliter occidi potest, manus autem non est huiusmodi. Ideo considerantur prẽsumptiones ex instrumentis prẽcutiendi secundum quod apparet ex litera.

Aliquis arguet, quod non stet ista distinctio de occidente voluntarie, vel inuoluntarie, quia quomodocunque aliquis occidat alterum à proposito, siue ferro, siue lapide, vel pugno reus est mortis: hic tamen distinguitur de percussione facta per diuersa instrumenta: ergo oportet, quod intelligatur, siue voluntarie, siue inuoluntarie causetur occisio. Responderi potest aliqualiter, quod secundum literam nostram non multum videtur differre occidens ferro, & baculo, quia pro vtraque occisione mors infligitur, sed in litera Hebraica fit differentia, quia lapis, & lignum ponuntur cum quibusdam determinationibus, & ferrum non ponitur cum determinatione. Dicitur enim in lapide manus, & in ligno manus, id est, in lapide, vel ligno replente manum: quasi dicat, cum ferro quantæcunq; quantitatis potest aliquis occidi, sed non cum lapide cuiuslibet quantitatis, sed lapide replente manum. Sic etiam de ligno dicendum. Ad argumentum dicitur, quod quicunque voluntatem habet occidendi, & actualiter occidit, quacunque re hoc peragat, mortis reus est, sed aliqui sunt, qui voluntatem percutiendi habent, & non occidendi, & isti si ferro percutiant, & accidat mors, rei sunt: quia quocunque ferro occidere poterant. Etiam consistit hoc magis in præsumptione, quia quando non constat, an aliquis habeat voluntatem occidendi, si ferro rem peragat prẽsumitur voluisse, quia à causa immediata non abstinuit: etiamsi ligno, aut lapide magno, quis alium occidat volens præsumitur, nisi contrarium constet, quia talia mortem inferre poterant. Si autem paruo lapide, aut paruo ligno hoc faciat, nisi probetur voluisse, præsumitur nolens occidere, quia ex talibus non consueuit inferri mors.

Et mortuus fuerit, qui percussus est. Quia licet aliquis percusserit voluntate occidendi ferro, vel lapide, & non occisus fuerit percussus, non occidetur percussor, etiamsi per insidias hoc egisset, sed infligebatur alia pœna, scilicet, quia aut percutiebat hominem liberum, aut seruum: si liberum soluebat impensas in medicos, & opera perdita vulnerati, Exodi capitulo vigesimo primo: si autem percuteret seruum, aut erat seruus suus, aut alienus: si erat alienus, aut mutilabat eum, aut non, scilicet, faciendo cæcum, aut claudum, aut abscindendo aliquam partem corporis necessariam ad motum, vel operationem: aut solum percutiebat infligens vulnus, & sanato vulnere non manebat impedimentum ad operationem aliquam, sed sola cicatrix.

Si primo modo quanquam plene non exprimatur in lege Mosaica ad quid teneretur percussor: tamen videretur, quod teneretur ad omnia, quæ perdebat Dominus. Quod apparet ex homine libero: nam ibi percussor soluet impensas, & opera perdita, ita hic æstimabitur damnum, quod incurrit Dominus propter mutilationem serui: si vero seruus ex vulnere factus est totaliter inutilis ad operationem, videtur, quod teneretur ille ad totam æstimationem serui domino, quia seruus pecunia domini est, Exodi capitulo vigesimoprimo, ideo in pecunia æstimari debet: si autem ex vulnere non sequeretur mutilatio, sed maneret sola cicatrix tenebatur percussor, sicut in libero, scilicet, soluere impensas in medicos, & opera perdita. Si autem aliquis percussisset seruum suum non occidens, aut solum infligebat vulnus, aut mutilabat, vt supra dictum est. Si primo modo non est expressa aliqua pœna in lege Mosaica: & etiam satis videtur, quod nulla deberet infligi: quia siquis percuteret seruum suum, & non moreretur immediate in manibus eius, sed post vnum, vel duos dies nihil patitur dominus, quia seruus pecunia illius est, Exodi vigesimoprimo: quãto minus ergo patietur, si solum percutit: si autem Dominus seruum suum mutilauerit eruendo oculum, vel amputando manum, aut etiamsi dentes ei excusserit, exibit seruus in libertatem, Exodi capitulo vigesimoprimo: pro hoc malo, quod Dominus ei intulit. Quod quidem intelligitur de seruo conuerso de gentilitate: in seruis autem, qui erant de stirpe Iudæorum non erat hoc, sed fiebat de eis, sicut de liberis, vt præall. cap. declaratum est. *Homicidii reus erit.* Id est, tenebitur de homicidio, scilicet, quia voluit occidere, vel etiamsi non constet præsumitur voluisse, quia tali instrumento rem peregit. *Et ipse morietur.* Scilicet, occisor, & hoc siue confugerat in vrbem refugii, siue non: nam si non confugerit in vrbem refugii cognati viri occisi possunt eum occidere vbicunque inuenerint, vt patet infra: & si forte ponat se in manu iudicum, ventilabitur causa, & hoc comperto occidetur. Si vero confugerit ad vrbes fugitiuorum ad petitionem cognatorum occisi trahi debebat de vrbe ad locum patrati homicidii, vt ibi ventilaretur causa. Ista autem occisio fiebat per cognatum viri occisi, scilicet, quia diffi-

Voluntas absoluta, & conditionata, qua dicatur.

Quomodo ex instrumẽto occidẽdi lex arguat occisionem voluntariam vel inuoluntariam

Ad quid teneatur in lege veteri percussor non occidens.

A quia diffinito in cauſa iudices tradebant virum occiſorem in manus aduerſarii, & ipſe occidebat, erat autem iſta mors iugulatio, vt patet infra. *Si lapidem iecerit.* Hic ponitur de morte, quæ fit per ictū lapidis, & dicitur, quod occiſor ſimiliter morietur, ſicut qui ferro percutit: in hoc ſemper præſupponendum, quod ſupra dicebatur, ſcilicet, an voluerit occidere, vel non. Si voluit manifeſtum eſt, quod reus eſt: ſi noluit vtpote, quia à caſu occidit, aut dabat operam licitæ rei, aut non: ſi dabat operam licitæ rei, & ipſe tantum diligenter ſe habuit quātum ſatis erat, non tenebitur: ſi vero erat res illicita, vtpote quia lapides iaciebat ad locum non cōuenientem, nec adhibuit diligentiam, an aliquis ibi eſſet, tenebitur, quia in culpa eſt. Si autem alias occidit lapide, ſcil. quia ſciebat quem percutiebat, & tamen putabat, quod forte non occideret, quia lapide rem peragebat, & erat tale inſtrumētum, quo aliquis mori poſſit, tenebitur, quia præſumitur voluiſſe, vel ſaltem in culpa fuit, cum tali inſtrumento vteretur. In Hebræo tamen hoc magis declaratur, cum ponitur lapis manualis, & hoc eſt ad cauſandam præſumptionem, quia ſi eſſet lapis paruulus, qui alias non poſſet inferre mortem, non videretur præſumendum. Sciendum autem, quod in omnibus iſtis, in quibus infligitur mors occiſori eſt præſupponendum, quod aut iſte occiſus mortuus eſt ex percuſſione illa, ſcilicet, quia poſtquam percuſſus eſt ſatis breuiter mortuus eſt, vel ſi multis diebus manſit, nunquam conualuit, aut iſte conualuit, & poſt ea mortuus eſt. Primo modo tenebitur de occiſo percuſſor.

Nota, quando tenetur de occiſo qui lapides iaciens alium occidit.

B Secundo modo non tenebitur, ſed ſolum reſtituet impenſas in medicos, & opera perdita tanquam teneatur ſolum de vulnerato, Exodi capit. 31. hic autem cum non diſtinguatur præſupponitur, quod ex vulnere inflicto percuſſus occubuerit nunquam conualeſcendo ad hoc, quod ambularet ſuper pedes ſuos, vel ſuper baculum. *Et ictus occubuerit.* Id eſt, mortuus fuerit, quia ſi non occubuerit tenebitur ſolum percuſſus de vulnerato, ſcilic. ad impenſas, & opera perdita, Exodi 21. cap. *Similiter punietur.* Scilicet, ſicut qui ferro aliquē percutit, quia occidetur. *Si ligno percuſſus interierit percuſſoris ſanguine vindicabitur.* Id eſt, occidetur percuſſor ad vindictam occiſi. Non eſt autem intelligendum, quod hoc fiat ſolum ad vindictam, aut principaliter: ſed ad diſtributionem iuſtitiæ, quia æquum eſt, ne crimina remaneant impunita: mors tamen iſta erat etiam ſimul vindicta occiſi, ſed adhuc dato, quod nullus eſſet qui vindictam expeteret, iudex debebat occidere huiuſmodi percuſſores. Quod autem dicitur hic de ligno, ſubintelligendum eſt, ſicut de lapide, & ferro præſupponendo omnia, quæ de illis dicebantur. Ponitur autem de ligno, quia præſumptionem facit voluntatis occidendi, vel ſaltem conſtituit in culpa eum, qui tali inſtrumento vtebatur. *Propinquus occiſi homicidam interficiet.* Scilic. quando cauſa fuerit ventilata, & aliquis condemnetur debet tradi conſanguineis occiſi viri, vt ipſum occidant. Hoc etiam faciebat Deus ad duritiam cordis Iudæorum, quia ſi ipſi manibus ſuis vindictam non expeterent, aliquo modo

C putarent nihil eſſe factum, ideo ad ſatiandum iram ſuam permiſſum eſt hoc: non tamen concedebatur, quod infligerent conſanguinei viri occiſi, quodcunque genus mortis vellent occiſori, ſed ſolum, quod determinatum eſt à lege, ſcilicet, iugulationem. Intelligitur etiam iſta occiſio de illa, quæ fiebat ab aliquo tanquam à perſona priuata ſine ventilatione cauſæ, ſcilicet, quod quandocunque conſanguineus occiſi inueniret huiuſmodi occiſorem poſſet eum occidere, dum tamen eſſet extra vrbem refugii, quod ſignificat litera ſequens, ſcilicet. *Statim, vt apprehenderit eum percutiet.* Id eſt, non indigebat iſte conſanguineus occiſi, quod ſententietur in cauſa, ſed vbicunque reperiret occiſorem poterit iure ſuo vtens occidere illum, & hæc habet auctoritatem à lege faciēdi hæc: quod intelligitur extra vrbem refugii: & etiam quando non ventilatur cauſa. Nam cum aliquis confugiens ad vrbem refugii, & ad petitionem aduerſarii inde tractus eſt, & ductus eſt ad ventilandam cauſam, percuſſerit eum aduerſarius tenebitur: etiamſi iſte occiſor per inſidias, vel alias indebite homicidium patraſſet, quia tempore ventilationis cauſæ ſecurus eſſe debebat. Et hanc ſecuritatem ei præſtare debebant iudices vrbis refugii, qui eum trahebant ad locum patrati homicidii.

Si occiſor interfecerit cognatum occiſi eum perſequentem ſe defendendo, an teneatur pro iſta ſecunda occiſione ſecundum legem foralem.

D

QVÆSTIO XII.

QVæret aliquis, ſi cognatus occiſi perſequens occiſorem in via antequam perueniret ad vrbem refugii, occidatur ab ipſo percuſſore defendente ſe ſolum, & non habendo alias voluntatem occidendi illum: an teneatur occiſor pro iſta ſecunda occiſione, ſecundum legem foralem. Reſpondebit aliquis, quod non tenetur, quia cuilibet permiſſa eſt defenſio corporis ſui, & quod quis agit ob tutelam corporis ſui, iure egiſſe dicitur.

In contrarium dicetur, quod iſte tenebitur de occiſo, quia quanquam alicui competat defenſio ſuiipſius, hoc eſt contra priuatas perſonas, non habentes auctoritatem puniendi, vel coniiciendi in vincula: & tamen contra perſonam publicam, ſi agat, vt perſona publica, nulli eſt permiſſa defenſio: nam in hoc perturbaret iuriſdictionem iudicis, & incurreret pœnā, quia agit contra ſtatum publicum, & leges humanæ magnas pœnas inferunt his, qui contra perſonam publicam defenſionem volunt: ſed iſte videtur eſſe huiuſmodi, ſcil. cognatus occiſi, quia ex auctoritate legis iſtud agere poteſt, vt patet hic: ergo qui reſtiterit ei pœnam incurrit.

E Reſpondendum eſt, quod occiſor defendens ſe à cognato occiſi ſi moderate ſe defendat, quanquam occidat eum non tenetur de occiſo, nec de vulnerato, quia non agit ibi, niſi ob tutelam corporis ſui, quæ ſibi permiſſa eſt. Et cum arguitur, quod agitur contra perſonam publicam reſiſtendo illi: ergo incurrit pœnam. Reſpondetur, quod non agit contra perſonam publicam. Nam quanquam iſte habeat auctoritatem ex lege, non agit, vt perſona publica, quia non agit ex officio ſuo ex neceſſitate, ſed ex conceſſione legis: multum autem iſta differunt, quia iudex non punit reos, quia ſibi conceſſum eſt, ſed quia ſibi ex neceſſitate impoſitum eſt, & ſi non agat mortaliter peccat, & tenetur etiam ſecundum leges humanas de officio male adminiſtrato, ſcilic. quia nimis læſit rempublicam, cum vitia reliquerit impunita, & deliquē-

F tibus audaciam magnam præbuerit: iſte autem cui eſt conceſſum ex lege, non habet ex neceſſitate, nec ex officio, quod percutiat hoſtem ſuum: nam melius ageret, ſi non vteretur iſta conceſſione legis, quam cum vtitur, imo lex non tribuit hoc ſibi tanquam bonum eſſet, ſed tributum eſt propter duritiam cordis humani ad placandum iram eius, ideo ſic agentes, non agunt tanquam perſonæ publicæ, ſed tanquā priuatę proſequentes cauſam ſuam. Solum autem hoc habent, quia lex permittit eis occidere hoſtes illos: poterit igitur reſiſti iſtis, & qui occiderit aliquem horū ſe defendendo nihil magis incurrit pœnam, quam ſi occideret aliquam perſonam priuatam. Si igitur occiſores ſe defendendo occiderint proximos ipſorum primo à ſe occiſorum: cum poſtea ventilaretur cauſa ſanguinis pro iſto ſecundo homicidio nihil paſſuri erant cum vterentur iure ſuo, ſed de primo erat quæſtio.

An innocens pugnando contra iudicem, vel executorem iniuſte eum volentem punire, peccet in foro conſcientiæ, & contra leges humanas.

QVÆSTIO XIII.

QVæret aliquis, vlterius ſi aliquis ſe defendendo pugnet contra iudicem, vel executorem in caſu in quo non eſt dignus puniri, nec coniici in vincula, vel pugnet contra huiuſmodi perſequentem iure ſuo vtentem, an peccet in foro conſcientiæ. Eſt autem diuerſitas in hoc, nam ſupra quantum ad forum iudic'alem humanum determinatum eſt: quod incurrebat pœnam, qui reſiſtebat iudici, vel publico executori, & hoc, ſiue quando dignus eſt puniri, vel capi, ſiue quando non: in foro autem conſcientiæ poterit eſſe dubium, nam quanquam, vt communiter forum conſcientiæ ſtrictius ſit quam forum legum, ſcilicet, quod in pluribus aliquis peccat ſecundum dictamen conſcientiæ, quam ſecundum legem humanam, quæ multa non æſtimat eſſe peccata,

A vel ſaltem non punit, vt peccata, tamen interdum accidere poterit, quod aliquis ſit dignus pœna ſecundum legem humanam, qui non eſt dignus ſecundum forum conſcientiæ, & potiſſimum in quibuſdam cauſis, quæ concernunt publicam vtilitatem, nam interdum licet quis ſecundum forum conſcientiæ non peccet, tamẽ lex humana puniet eum, quia ſic procuratur pax publica. Et quoniam bonum publicum conſiſtit in habitudine iudicis, vel perſonarum publicarum ad inferiores regulatos, poſſet aliquis dicere, quod quanquam lex humana puniat omnem hominem reſiſtentem iudici, ſiue cum dignus eſt puniri, ſiue quando non, tamen quod ſecundum forum conſcientiæ, aliquando non ſit peccatum. Reſpondendum eſt, quod in foro conſcientiæ peccatum eſt iudici reſiſtere, vel quod aliquis ſe defendat ab eo armis, cum ille, vt iudex procedit, ſecus cum procedit, vt perſona priuata, & prẽter legem. nam præter determinationem legis humanæ recta ratio dictat bonum publicum eſſe diligendum ſuper bona particularia, quia iuxta Ariſt. 1. Ethic. in principio. Bonum commune amabilius, & diuinius eſt bono particulari, ſed pax publica, & ſtatus eius eſt bonum commune: ergo quicunque tollere vult iſta, magis peccat, quam ſi tolleret aliqua bona particularia: huiuſmodi autem eſt in habitudine iudicis ad partes reipublicæ, ſcilicet, quod per hoc conſiſtit pax publica, quod omnes de vrbe iudici ſingulariter obediunt, ſcilic. quod nullo modo ſe defendendo armis contra ipſum, quia ſi aliquis ſe defenderet tolleretur ſtatus cauſarum, ſcilicet, quod B non poſſet de cauſa huius iudicari cum iſte habeat iudicem iam tanquam partem: ideo ſi reſiſtatur iudici quomodocunque antequam conſtaret dignum eſſe, quod puniretur, vel caperetur, maxima pars executionis iuſtitiæ, & fere totum bonum publicum deſtrueretur, nimis ergo agit contra rationẽ qui contra iudicem armis ſe defendit, vel contra publicum executorem: ideo agit contra conſcientiam, & ſic erit peccatum. Item quicunque Deo reſiſtit, peccat, ſed qui reſiſtit iudicibus, reſiſtit Deo, ergo peccat ſe defendendo à iudice, ſicut à parte. Hoc patet ad Roman. cap. 13. ſcilicet, Omnis poteſtas non eſt niſi à Deo, omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, quæ autem ſunt à Deo ordinata ſunt, itaque qui reſiſtit poteſtati Dei ordinationi reſiſtit, qui autem reſiſtunt ipſi ſibi damnationem acquirunt. Item qui ex conſcientia tenetur aliquid agere, & non agit, peccat: ſed ſecundum conſcientiam nos tenemur obedire iudicibus, & non ſolum ſecundũ legem humanam: ergo quicunq; reſiſtit iudici volenti capere, vel punire armis agit contra conſcientiã, ergo pec-
' it, ſic patet ad Rom. capit. 13. ſcilicet, Dei enim miniſter eſt vindex in iram Dei, qui male agit. Ideo neceſſitate ſubditi eſtote non ſolum propter iram, ſed & propter conſcientiam, ideo enim, & tributa præſtatis: miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſeruientes. Item voluntas Dei eſt, vt iudicibus ſubiecti ſimus: ergo quicunque repugnat illis, agit contra Dei voluntatem, & conſequenter peccat. patet hoc prima Petri cap. C ſecundo, ſcilic. Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſcilicet, præſidenti. Et patet cum immediate ſubditur, ſiue regi, quaſi præcellenti, ſiue ducibus, tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum laudem vero bonorum, quia ſic eſt voluntas Dei, vt benefacientes obmuteſcere faciatis impudentiam hominum. Patet ergo, quod iudici armis reſiſtere peccatum eſt. Niſi forte aliquis manifeſtiſſime ſciret, quod iudex habebat eum exoſum, & ſub colore iudicis volebat capere, & qualitercunque morti tradere, tunc ſi non ſequatur magnum ſcandalum ex reſiſtentia poterit quis reſiſtere armis, & hoc quidem ſolum, quando putabat, quod ſi caperetur occideretur. Circa ciuiles autem cauſas ſecus eſt: ſimile autem eſt velut ſi iudex, vel publicus executor agat contra aliquem non, vt gerens perſonam publicam, ſed vt aliquis priuatus gerens cauſam ſuam, & hoc manifeſtum ſit, poterit ei reſiſti armis etiam ſecundum legem humanam, ſed in foro conſcientiæ nihil aliud eſt, quod ego ſciam iudicem procedere indigne contra aliquem ſolum, vt occidat eum propter odium quanquam videatur agere, vt pars publica quanquam agat, vt perſona priuata: ergo tunc reſiſti ſibi armis peccatum non eſt, niſi ſequeretur valde magnum ſcandalum. Hoc tamen eſt generale, quod cum iudex procedit contra aliquos, vt iudex ad puniendum, vel capiendum, & illi nullo horum digni ſint, & iudex non agat hoc ex odio, ſed vt perſona publica ſic informata, vel volens de veritate inquirere reſiſti ſibi armis peccatum eſt in foro conſcientiæ. De eo autem, qui habens poteſtatem à lege perſequitur hoſtem ſuum ad occidendum, ſicut in caſu dato, dicendum, quod non eſt peccatum reſiſti illi armis, quia in hoc non reſiſtitur iudici, nec alicui publicæ perſonæ, ſed perſonæ priuatæ volenti proſequi ius ſuum, & cum ille, qui ſe defendit ſciat, quod non inuaditur ab illo, tanquam à iudice volente punire, aut corrigere, ſed tanquam ab hoſte volente hoſtiliter occidere, peccatum non eſt illi reſiſti armis. D

De hoc lati⁹ loquitur, Ioſue 11 capit.

Sed arguetur, quod iſte habet poteſtatem à lege ad occidẽdum, & quantum ad hoc eſt miniſter legis: ideo ſibi reſiſti peccatum eſt, ad Rom. ca. 13. Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui male agit. Et iterum: ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed & propter conſcientiam, miniſtri enim Dei ſunt.

Reſpondendum eſt, quod iſte non eſt miniſter Dei ſecundum, quod loquitur Apoſtolus, quia ipſe intelligit de iudicibus poſitis, tanquam executoribus iuſtitię, quicunque autem cauſam ſuam egerit, non eſt miniſter Dei: ideo poteſt ſibi reſiſti, tanquam non miniſtro. Quod autem auctoritas Pauli & Petri, intelligatur de his miniſtris, & non de illis, qui ſunt hoſtes, apparet, quia ad Rom. cap. 13. dicitur de poteſtatibus ſublimioribus, & ibi ſequitur: Non ſine cauſa gladium portat. Quod de ſolis iudicibus, & executoribus intelligitur, & 1. Pet. c. 2. de regibus, & ducibus agitur, & aliis iudicibus, & omnes iſtæ ſunt perſonæ publicæ. Ergo reſiſti armis ei, qui perſequitur occiſorem cognati ſui, peccatum non eſt, & ſi occidatur in hac defenſione, dum tamen defenſio ſit moderata, peccatum nullum eſt. *Si per odium hominem quis impulerit.* Ponuntur alii caſus, in quibus quis ſine vulnere occidit, ſicut ſi impellat alium ad cadendum de eminenti loco, vel ſi iaciat in aquam, aut ignem, vel aliquid alterum, vbi poſſit cauſari mors: & de iſto dicitur, quod ſi fuerit per odium patratum homicidium, occidetur, qui ſic impulit. Et dicitur per odium, quia forte aliquis alterum coactus eſt impellere, vtpote ſiquis ab alio impulſus eſt, & ex illa impulſione ipſe alium impellit: impulſio eſt ſimpliciter inuoluntaria, ſicut de eo, qui à vento educitur, 3. Ethic. & eſt ſimpliciter violentia. Ideo quanquam ſequatur hic homicidium non eſt imputabile ei, qui immediate impulit: ſed ei, qui primo. Eodem modo, ſi quis alium non videns, vel alias neſciens, impulerit non eſt reus, quia non fit ex odio licet ſequatur homicidium: ſi autem non conſtet, quod ex odio factum fuerit, & occiſor alleget, ſe non feciſſe ex odio, accuſatori incumbit probare, quod ex odio factum ſit. Hoc autem ex præſumptione poterit induci, vt ſi ante hoc eſſet inimicus: quoniam omnia mala, quæ hoſtis infligit etiamſi à caſu ſint præſumuntur ex animo. Sic patet immediate de illo, qui percuſſit alterum manu, & mortuus eſt, ſi fuerit inimicus ſententiatur contra ipſum, alioquin non: idem de ſcindente ligna, de cuius manubrio ferrum exiliens percuſſit proximum: ſi hoſtis erat, quanquam non conſtet de voluntate occidendi, condemnatur, alias minime, Deuteron. capitulo decimonono. E

Vel iecerit quippiam in eum per inſidias. Scilicet, ſiquis deiecerit parietem ſuper alterum, aut aliquam partẽ domus, vel quodcunque alterum, quod antea ſtans impulſu concutitur, & nocere poteſt: ſi enim per odium fecerit, & mors ſequatur tenebitur, ſecus autem ſi non ex odio, vt ſiquis ab alio impulſus parietem impulit, vel aliquam aliam rem, & illa cadens, vel exiliens alterum occiderit, iſte qui immediate eiecerit, reus non eſt, quia ſimpliciter eſt coactus: ſimiliter autem de ignorante, & dicitur hic per inſidias. Non eſt autem intelligendum, quod quandocunque non fit per inſidias, non eſt punibile, vt hic: quia ſi fiat ex induſtria, vel qualitercunque ex voluntate nocẽdi etiamſi manifeſte fiat, nihil differt, ſed accipitur hic generaliter per inſidias cõtra hoc, quod eſt per ignorantiam, vel non eſt ab intentione, quanquam id, quod eſt per inſidias ſemper ſit magis punibile, quam cætera etiamſi voluntaria ſint. *Aut cum eſſet inimicus manu percuſſerit.* Scilicet, ſiquis alterum manu percuſſerit ſolum nõ præſumitur, quod ex tali percuſſione ſequatur mors, & ſi aliquando percuſſus moriatur. magis præſumitur mori ex alia cauſa, quam ex percuſſione, nec condemnabatur percuſſor, quoniam non præſumitur, quod voluerit occidere, quia ſi hoc voluiſſet, vte-

retur alio

A retur alio instrumento, cum ex percussione manus sola non soleat mors sequi: si tamen percussor hostis erat, præsumitur, quod occidere voluerit, & ob hoc ita dure percusserit, vt quisquam mori possit, vel forte in percussione manuali aliqua fraude vsus est ponendo aliqua, quibus mors faciliter causaretur: ideo licet percusserit sine intentione occidendi, nec sequatur mors ex percussione, sed ex alia causa, condemnabitur, quod verum est, nisi hostis probauerit, quod mors nullo modo sequitur ex percussione illa, vt si quis conualuerit ex percussione illa ambulans super pedes suos, vel super baculum, & postea moriatur, præsumitur mori ex alia causa, & nullo modo condemnatur occisor, etiamsi confiteatur se voluisse occidere, sicut in publice rixantibus: Exo.cap.vigesimoprimo.

Et ille mortuus fuerit. Istud intelligitur in omnibus suprapositis, quia quodcunque sit genus vulneris, vel impulsionis, si non sequatur mors ex illo, percussor non tenetur de occiso, sed solum ad impensas in medicos, & opera perdita. Exo.cap. vigesimoprimo.

Percussor homicidij erit reus. Quia occidit, & voluntatem occidendi habuit, quod requiritur ad completum homicidium, quod autem habuit voluntatem occidendi, patet ex verbis, & ex præsuppositis istarum legum. *Cognatus occisi statim vt inuenerit eum iugulabit.* Hoc dicit de quocunque cognato, quia cuicunque ista actio competit, licet magis conueniat alicui secundum quod magis, vel minus propinquus est, non cognatis autem non conuenit hoc, licet ipsi velint prosequi defunctorum causas. Ratio huius est, quia lex non iussit hoc, tanquam secundum se bonum esset, sed concessit illud propter duritiam cordis humani, quia si hoc non permitteretur consanguineis viri occisi, ipsi prosequerentur sine iure durius causam sanguinis. Vt ergo non daretur locus inobedientiæ legum, permissum est istud cognatis occisi. in reliquis autem non subsistit eadem causa, quia illi non mouentur ita efficaciter ad vltiscendum iniuriam defuncti, sed cognati propter vnitatem sanguinis & radicis, nulli ergo alteri quam cognatis hoc permittitur, & dicitur, quod immediate, vt inuenerit eum iugulabit, scilicet, patrato homicidio antequam occisor peruenerit ad vrbem refugij si inuenerit eum cognatus occisi, poterit eum occidere vbicunque inuenerit. Vel si forte semel introiens vrbem refugij, aliquando extra reperiatur, poterit impune occidi, quia nunquam debebat exire de vrbe refugij vsque ad mortem summi sacerdotis, vt patet infra. hoc autem verum est, nisi cum occisor ex sententia iudicum vrbis refugij ducitur ventilaturus causam suam cum cognato occisi ad locum patrati homicidij: nam tunc lex securitatem tribuit, & si cognatus occisi aliquid attentauerit in occisorem, reus mortis est. De hoc autem, quod dicitur, aliqui dubitant, an ille, qui sic occiderit occisorē cognati sui persequēs ipsum ante vrbem refugij, peccaret, & videtur quod nō, quia iste agit per legem, ergo iuste agit. Sed aliquis arguet hoc non valere, quia multa sunt, quæ leges permittunt, & interdum facere compellunt, in quibus homo peccat, vt cum aliquem cogunt ad periurium, & ad similia.

Ad hoc respondetur, quod non est simile de lege humana, & diuina, quia lex humana non potest corrigere omnem actum malum, ideo multa permittit, & dato, quod lex humana aliquid approbaret, non sequitur, quod sine peccato fieri possit, quia non potest ipsa facere esse licitum quod secundum se est illicitum. in lege autem diuina secus est, quia Legislator illius Deus est, & omnia opera nostra sunt bona, vel mala in comparatione ad ipsum, scilicet inquantum ipse acceptat, vel non acceptat ea: si ergo aliquid Deus constituit, vel expresse permittit, etiamsi secundum se bonum non sit, Deus facit illud esse bonum, id est, non malum, & nullo modo punibile, velut si Legislator aliquid iuberet, vel permitteret, quamquam illud non esset bonum, tamen agens per illud non punietur lege humana, ita si Deus aliquid approbet in lege sua, vel saltem fieri permittat, illud iam non est malum, nec punibile secundum Deum, aut conscientiam, quia aliàs non differret inter illa, quę videbantur illicita, & à Deo permissa sunt in lege, & ea, quæ nullo modo permissa sunt, sed expresse prohibita, quod videtur esse inconueniens magnum. Sic declaratum est Deuteron. capit. 24. de libello repudij, & de dando vsuras alienis, nam ista secundum se nō erant licita, & tamen, quia Deus illa approbauit, declaratum est ibi, quod non peccabat mortaliter hæc faciēs: ita igitur erit hic, cum Deus permiserit, quod occisi propinquus occidere posset occisorem vbicunque reperiret, scil. quod non peccet. Sed videtur contrarium, quoniam occisio fiebat ex rancore, sed ira est peccatum mortale, ergo ista occisio illicita erat potissime, quia Deus iussit etiam in veteri testamento, quod homo non quereret vltionem. Leuit.cap.19.scil. non oderis fratrem tuum in corde tuo. Et iterum ibidem: Non quæres vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. Sed ista sunt præcepta moralia: ergo tenebatur quilibet ad ea: occidens tamen occisorem cognati sui non agebat zelo iustitiæ, quia hoc modo iure contenderet, cum posset aliàs assequi iustitiæ executionem educto occisore de vrbe refugij: ideo videtur, quod peccabat faciens hæc: potissimum, quia isti cognati occisorum non solum poterant occidere occisores cognatorum in via ante vrbem refugij, si illi occidissent iniuste, sed etiamsi non essent rei, vtpote, quia casu, & per ignorantiam fecerunt, & in hoc non distinguebatur cum permitteretur consanguineo occisi sine causæ ventilatione occidere percussorem: ergo videtur, quod sit peccatum. Respondendum est, quod ea, quæ Deus approbat, etiamsi aliàs essent illicita, fiunt per hoc licita, sed permittēdo expresse in lege approbat: ergo licita sunt. iste modus arguendi erat de libello repudij, & de vsuris: Deuter. cap. 24. sed manifestum est, quod istud factum approbatur hic à Deo cum expresse permittatur: ergo licitum est, nec de hoc aliquis dubitabit: est tamen distinguendum, quia Deus aliqua approbabat in lege, vel permittebat solum inquantum erat legislator specialis populi Iudaici: illa tamen secundum quod Deus erat, & dans præcepta bona secundum naturam reprobabat: alia autem sunt, quæ Deus approbabat propter infirmitatem populi Iudaici illa permittens, & alibi non reprobans. & ista simpliciter erant licita.

Primum autem est hic de occisione percussoris cognati, quæ permittitur, siue prior occisio iusta, vel iniusta fuerit: & tamen alibi contrarium iubetur, scil. Leuit.cap.16.vbi dicitur, quod debemus tollere omne odium, & obliuiscī iniurias: ergo necesse est, quod ista lex solum intelligitur in foro suo, scilicet, in iudiciali, quod quicunque occiderit occisorem fratris sui, non sit reus mortis in foro iudiciali veteris testamenti, & tamen si ex odio agit, reus est mortis æternæ, quia agit contra legem datam Leuit. cap.19. De libello autem repudij, & vsuris non est sic, quia quamquam ista secundum se non essent licita, Deus illa permisit propter infirmitatem Iudæorum, & postea alibi non reprobauit, ergo non sunt punibilia, nec peccata apud Iudæos, quia alioquin Deus poneret illis laqueum. De hoc etiam declaratum est Leuit.19. *Quia si fortuitu, & absque odio, & inimicitiis quidquam horum fecerit.* Limitantur hic superiores leges, scilicet, quod intelligantur, quando aliquis habet voluntatem occidendi, si tamen agit fortuitu, vel sine odio, & inimicitiis, non est reus, omnia enim ista requiruntur: si quis enim agat sine inimicitiis, id est, quod ante hoc nunquam fuit inimicus, adhuc non liberatur, nisi egerit fortuitu, quia poterit aliquis ex subita ira alium occidere, & non est inimicus, quia tamē agit ab intentione, reus est. Etiam requiritur, quod nō solum agat fortuitu, nam dato, quo aliquis agat à casu, si ille erat inimicus occisi ante hoc condemnatur, quia non præsumitur agere à casu cum inimicus sit, & hoc, siue sit publice inimicus, quod vocatur hic agere ex inimicitiis, vel non tam manifeste, quod dicitur agere ex odio. Cum ergo omnia ista tria habuit, non iudicabitur reus mortis.

Et hoc audiente populo fuerit comprobatum. Id est, quod probetur in iudicio coram populo, quod egit à casu, & non erat inimicus nec odiosus occiso. Dicitur autem coram populo, id est coram iudicibus ciuitatis, & senioribus, qui vocantur populus, vel multitudo: non enim oportebat totam populi multitudinem, quæ grandis est ad iudicia conuenire, maxime, quia tota nec audire potest, nec sententiare. vocantur autem rectores multitudo, quia totum populum virtualiter, vel eminenter continent, & isto modo rex est totum regnum.

Cognatis occisi quare non licebat vindicare iniuriā

Licet lex humana aliqua permittat, quæ sunt peccata, non tamen diuina.

Si cognatus occisi occideret interfectorē cognati sui ante vrbem quādo ille non voluntarie peccaret

A

An causa homicidij tractanda erat coram iudicibus ciuitatis refugij, vel coram iudicibus loci, in quo patratum est homicidium, & quomodo differat immunitas Ecclesiastica ab immunitate locorum refugij veteris testamenti.

QVÆSTIO XIV.

QVæretur tamen de ista multitudine, quæ esset, quoniam aliqui dicunt, quod erant iudices illius ciuitatis, ad quam confugerat occisor: alij volunt, quod essent iudices loci, in quo patratum est homicidium. Primi dicunt, quod cognatus occisi persequebatur occisorem ad vrbem refugij, & proponebat querelam coram iudicibus, & senioribus ciuitatis. tunc decreto eorum præsentatur occisor, & contendebat de iure: si autem inueniretur, quod occisor volens occidisset, tradebatur accusatori, & iugulabat eum: si autem inueniretur, quod inuoluntarius egit, sententiabatur, quod maneret in vrbe refugij occisor vsque ad mortem summi sacerdotis. Et probant isti, quod intelligebatur istud de iudicibus vrbis refugij, quia dicitur supra, quod cum fuerit occisor in vrbe refugij, cognatus occisi non poterit eum occidere, donec stet in conspectu multitudinis, & causa illius iudicetur: ergo videtur, quod coram multitudine vrbis illius stare debebat, & ibi iudicanda erat causa. Hoc magis probant ex eo, quod habetur Iosue c. 20. scil. cum ad vnam harum ciuitatum confugerit, stabit ante portã ciuitatis, & loquatur senioribus vrbis illius ea, quæ se comprobent innocentẽ: ergo videtur, quod ibi causa agenda erat, quia adducere probationes pars iudicij est. Item probant, quia quod occisor extraheretur de vrbibus refugij, erat contra immunitatem ciuitatum, cognoscere ergo vtrum extrahi deberet, vel non ad iudices illius ciuitatis pertinet, quod nesciretur, nisi cum probatum esset, an iste gaudere deberet immunitate vrbis, vel non, & hoc includit causam ipsam principalem. s. an occisor esset reus mortis, vel non: ideo primo quam isti iudices vrbis refugij permitterent extrahi de vrbe sua occisorẽ, oportebat quod cognoscerent, an reus esset: sed hoc cognito nihil supererat, nisi vt sententiaretur tradendus aduersario ad iugulandum, vel mansurus in vrbe vsq; ad mortem summi sacerdotis; ideo non oportebat, quod duceretur occisor ad aliam ciuitatem. Item si duceretur occisor de vrbe refugij, vt alibi cum aduersario causam ageret, hoc non esset ei tutum: in vrbe autem refugij tutum erat. Etiam euitaretur maior circuitus, & expensæ, quæ in legibus recte ordinatis multum attendi debent.

1. Opinio. Secunda. Ratio 1 Opin. 1.

2. Ratio.

B

3. Ratio.

4. Ratio.

2. in.

C

Alij autem in contrarium dicunt, quod debebat ista causa agitari in loco, vbi patratum est homicidium, & quod duceretur occisor de vrbe refugij: & ista est veritas, vt patet infra, cum dicitur, & reducetur per sententiam in vrbem, ad quam confugerat: ergo videtur, quod causa, in qua sententiabatur, quod occisor reduceretur in vrbem refugij, non agitabatur in vrbe refugij, sed in loco patrati homicidij. Item videtur hoc rationabile, quia secundum leges humanas ratione delicti quis sortitur forum, scilicet, ratione loci, in quo delictum patratum est: ergo causa istius homicidij non erat ventilanda in vrbe refugij, cum ibi non acciderit delictum. Item iura prouidere debent in causis eum modum, quo causæ optime tractentur: hoc autem est, ne occultetur veritas facti, & vt non subtrahatur alicui opportunitas probandi, nam arctatio probationum nimis est iuri inimica, sed non est aliquis locus, in quo melius de veritate delicti quis patere possit, quam locus, in quo patratum est, cum ibi possit esse testium copia: ducere autem testes multos ad alium locum difficile est, & iudices etiam non ita plene informantur, cum non cognoscant conditiones particulares tangentes delictum forte propter ignorantiam conditionis locorum delicti: ideo melius fuit, quod de delicto ageretur in vrbe, in qua patratum est, quam in vrbe refugij, & sic erat. Modus autem huius est, quod cognatus occisi ibat ad vrbem refugij, & proponens querelam de occisione, petebat eum tradi, vt responderet in causa sua coram iudicibus vrbis patrati delicti: tunc iudices vrbis refugij concedebant remittentes occisorem cum perfecta securitate, ne quicquam in eo committi posset dum agitabatur causa, qua expleta diffiniebatur, quod occideretur, si reus esset, vel reduceretur in vrbem refugij, si esset innocens, quod satis apparet infra, & isto modo non sequebatur aliquod inconueniens, nec inferebatur aliquod damnum ipsi occisori. Ad rationes in contrarium respondendum, & ad primam, cum dicitur, quod cognatus occisi non poterit occidere percussorem postquam fuerit in vrbe refugij, donec stet coram multitudine, & iudicetur causa illius: Dicendum, quod multitudo potest ibi accipi dupliciter, s. pro multitudine iudicũ vrbis refugij, vel iudicũ vrbis patrati delicti, primo modo est sensus, quod non poterit occidere illum, quousque stet coram multitudine, id est, proponat querelam suam coram iudicibus vrbis refugij, & causa illius iudicetur, scil. coram iudicibus vrbis delicti, cum fuerit remissus occisor ab vrbe refugij ad vrbem delicti. Secundo modo est sensus, donec stet coram multitudine, scil. coram iudicibus vrbis delicti proponens accusationem suam contra occisorem iam reductum de vrbe refugij, & causa iudicetur, id est, diffiniatur, vel terminetur ibi in loco delicti, & sic in quocunq; sensu præsupponitur, quod causa agitetur in loco delicti.

D

Adrationes 1. opin

Ad secundam rationem, quando dicitur Io. cap. 20. quod stabit occisor ante portam ciuitatis refugij, & loquetur senioribus vrbis illius: dicendum, quod non intelligitur de agitatione causæ homicidii, sed solum erat propositio occisoris ad hoc, quod reciperetur in vrbe, nam vsquequo ista diceret, nõ sententiaretur, quod gauderet aliqualiter immunitate locorum, nec assignaretur sibi locus ad manendum in vrbe: his tamen propositis compellebantur iudices ad assignandum ei locũ, vt patet præall. c. cum dicitur; sic suscipient eũ, & dabunt ei locum ad habitandũ. Quod autem nõ intelligatur ista propositio verborum de agitatione causæ homicidij, patet, quia post receptionem istam dicitur eodem cap. & habitabit in ciuitate illa, donec stet ante iudicium causam reddens facti sui, & moriatur Sacerdos magnus, qui fuerit illo tempore: ergo post propositionem occisoris, & receptionem in vrbe habitare debebat in ea, & postea ventilanda erat causa: ideo prima positio erat in vrbe refugij, de ventilatione tamen causæ nihil ibi dicitur, vbi esse deberet. Itẽ patet, quod illa propositio occisoris non pertineat ad aliquam agitationem causæ homicidij, quia in ista causa occisor est reus: reus autem non proponit, sed respondet: ideo non potest intelligi de ventilatione causæ, cum dicatur præalleg. capit. quod occisor loquetur verba sua coram senioribus vrbis. Fundamentum rationis huius patet eod. cap. vbi ponuntur duæ propositiones, & in prima dicitur, quod loquetur occisor coram senioribus vrbis refugij, in secunda dicitur, quod stabit ante iudicium reddens causam facti sui, & sic in prima constituitur tanquam per se agens, in secunda vero tanquam reus, & de ista non dicitur, quod deberet esse in vrbe refugij: ergo de ventilatione causæ homicidij, in qua occisor erat reus, non dicitur, quod fieret in vrbe refugij. Cum vero magis obiicitur eodem cap. quod iste occisor loquetur ea, quæ se comprobent innocentem, & probationes sunt quædam pars iudicij, ergo ibi agitabatur causa. Dicendum, quod non intelligitur hoc de probationibus inductis in causa principali, sed in propositione, quam faciebat occisor, vt reciperetur in vrbe refugij, & in ista solum dicebat, quod ipse occiderit à casu, & non habens inimicitias nec odium, ideo quod reciperetur in vrbe. Hæc autem talia erant, quæ si probarentur, facerent eum gaudere immunitate vrbis: probationes autem in causa principali inducebantur in loco patrati delicti, vbi agitabatur lis, quod autem non possit intelligi hoc de probationibus causæ principalis apparet, quia istæ fiebant per iudices inductos ab alterutra partium, & non per verba ipsius occisoris, quia nullius testimonium est conueniens pro seipso, quando contra ipsum agitur. probationes tamen istæ fiebant ex solis verbis occisoris, cum dicatur, & loquetur coram senioribus ea, quæ se comprobent innocentem: ergo probationes illæ non erant in causa principali, sed in prima positione, & sic non ventilabatur ibi causa.

Ad 2.

E

Ad tertiam rationem dicendum, quod extrahi occisorem ad occidendum illum ab vrbe nullo alio præmisso, erat contra immunitatem vrbis, & hoc non permittebatur, nam Deus dixit, quod non posset cognatus occisi occidere percussorem, postquam esset in vrbe refugij, donec staret coram multitudine, & causa illius iudicaretur: nunc autem non extrahebatur ad occidendum simpliciter, sed ad ventilandum

Ad 3. An sit contra immunitatẽ vrbiũ refugij, quod educere-

F

causam

A *tur inde occisor ad ventilandũ alibi causã, vel q iugularetur si reus erat.*

causam in loco delicti, & si reperiretur innocens, quod reduceretur ad vrbem refugij. hoc autem non erat contra immunitatem vrbis. Et si dicas, quod etiam istud est contra immunitatem, quia Ecclesia non solum est contra immunitatem eius, quod aliquis inde trahatur ad occidendum, sed etiam, quod trahatur ad ventilandum causam homicidij, & si fuerit repertus reus, quod occidatur, quia tunc solum peccaret, & esset fractor immunitatis Ecclesiasticæ ille, qui tanquam persona priuata hostem inde educeret, vel ibi occideret, & non iudex sæcularis educeret inde occisorem ad iudicandum de eo an esset reus mortis, sed hoc falsum est, quia quicunque confugientem ad Ecclesiam inde traxerit, siue sit iudex sæcularis, siue Ecclesiasticus, siue persona priuata est fractor immunitatis Ecclesiasticæ, nisi in casibus à iure permissis; ergo sic esset hic, quod ad nihil posset educi occisor de vrbe refugij. Respondendum est non esse simile, quia non est æqualis immunitas ciuitatum refugij in veteri testamento, & nunc Ecclesiarum nostrarum, & cœmeteriorum: non enim fuit concessa absolute immunitas ciuitatibus istis, sed solum, quod confugientes ad eas gauderent immunitate quousque ventilaretur causa, & postea si rei erant, occidebantur, vt patet hic, & Iosue capit. 20. siue igitur dicatur, quod fiebat discussio causæ in vrbe refugij, vel in loco delicti, nihil refert quantum ad esse, vel non esse immunitatem perfectam: quia vbicunque ventilaretur causa cum occisor esset occidendus, si reperiretur nocens, non erat immunitas, sicut est nunc Ecclesiastica, quia nec intra Ecclesiam, nec extra potest iudicari de aliquo confugiente ad hoc, quod occidatur, vel si aliquis iudex hoc iudicauerit, Ecclesia non permittet tradi executioni, quamdiu confugiens ibi manere voluerit, sed ciuitatibus refugij non fuit data ista immunitas: ergo non fiebat contra earum immunitatem, si extraherentur inde occisores ad ventilandum causas in locis delictorum. Et quando dicitur, quod ad iudices ciuitatis refugij pertinebat cognoscere an occisor extrahi deberet de vrbe. Respondetur, quod sine licentia istorum iudicum non educebatur aliquis de vrbe, & tamen ad sciendum, an deberet inde trahi, vel non: non requirebatur aliqua causæ cognitio, sed ad solam petitionem aduersarij, vel iudicum loci delicti remitti debebat occisor, eo quod non erat contra immunitatem vrbis, quod pro quacunque causa inde educeretur ad sistendum iudicio: secus autem esset in confugiente ad Ecclesiam, vtpote si peteret iudex secularis, vel aduersarij, quod inde educeretur proponens, quod per insidias occiderat, vel erat publicus latro, aut nocturnus depopulator agrorum, in quibus casibus iura permittunt aliquem de Ecclesia educi: non deberet ille sine causæ cognitione inde trahi: nam si non esset verum, quod proponebatur, infringeretur Ecclesiastica immunitas educendo hunc de Ecclesia. sed de ciuitatibus refugij quomodocunque aliquis inde educeretur ad cognoscendum causam, non erat contra immunitatem ciuitatis: ideo non oportebat esse causæ cognitionem, ideo falsum isti præsupponunt, scilicet, quod deberent cognoscere iudices vrbis refugij, an iste mereretur gaudere immunitate vrbis, vel non. Ad quartam rationem cum dicebatur, quod si educeretur occisor de vrbe refugij, vt alibi cum aduersario causam ageret, hoc non esset ei tutum, respondetur, quod tutum erat tam de facto, quam de iure. De facto quidem, quia mittebatur iste occisor cum aliquibus de senibus vrbis refugij ad tractandam causam, qui eum tutum reddebant. De iure etiam erat tutus, quia dum causa ventilabatur, erat inducta securitas à iure, & si vellet aduersarius percutere occisorem, reus erat, ac si in vrbe refugij eum occidisset. Cum autem dicitur, quod euitarentur expensæ, & circuitus cum agitaretur causa in loco refugij, respondendum est, quod non euitantur, imo maiores causantur, quia si vẽtilaretur causa in loco refugij, oporteret adduci testes multos de loco delicti, & in hoc erant magnæ expensæ potiusquam si reduceretur occisor de vrbe refugij ad locum patrati homicidij. Et dato, quod esset aliquis maior circuitus vel expensæ, adhuc iura tolerare debebant propter maiorem certitudinem inducendam in causis ex abundantia probationum.

Quo differat immunitas Ecclesiastica ab immunitate locorum refugij.

B

Dicebatur autem supra, quod fuerit hoc comprobatum, scilicet, quod non esset iste occisor hostis, nec odium habens, sed fortuitu agens, & hoc probaretur coram multitudine scilicet, coram iudicibus vrbis delicti. Sed dicet aliquis, quomodo probabitur istud, quia est negatiua, scilicet, quod non erat hostis, vel quod non egit ex odio? respondetur, quod negatiua non potest probari directe, quia negatio est non ens, & non ens non habet causas, sed probatur indirecte per affirmatiuam oppositam, scil. probatur, quod aliquis non est inimicus, quia probatur, quod est amicus, sicut probabitur de aliquo, quod non est intemperatus si probatur, quod est temperatus: ita etiam probabitur, quod non egit ex odio si probatur, quod semper amabat. aliquando autem probatur negatiua non per aliquam contrariam, sed per aliam proportionem incompossibilem, sicut probatur sufficienter de aliquo, quod nunc non est Salamanticæ, si nunc est Hispalis, & tamen non sunt contrariæ. Alio modo potest dici, quod non requiritur, quod occisor probaret se non egisse ex odio, sed solum, quod allegaret; quod non egerat ex odio, nec ex inimicitiis, sed fortuitu, & tunc aduersarius tenetur probare, quod egit ex odio, & si non probauerit, succumbet, & absoluetur occisor, quia necesse erat, quod aduersarius allegaret occisorem egisse ex odio, vel inimicitiis, & tunc, sicut qui allegat dolum, tenetur illud probare, ita tenebitur hic probare aduersarius. *Atque inter percussorem, & propinquum sanguinis quæstio ventilata.* Id est, si tractata fuerit causa de homicidio inter occisorem, & propinquum occisi. De quolibet propinquo hoc intelligitur, quia cuilibet competebat petere iniuriã cognati sui vindicari. *Liberabitur innocens de vltoris manu.* Id est, liberabitur occisor de manu cognati occisi, scilicet, ne tradatur ei ad iugulandum, sicut tradendus erat si reperiretur nocens, & hoc, quia compertum, quia fortuitu, & absque odio, & inimicitiis iste egit vt supra dicitur. *Et reducetur per sententiam ad vrbem ad quam confugerat.* Hic patet quod supra dicebatur, scilicet, quod non ventilaretur causa in ciuitate refugij in loco delicti, alioquin non posset reduci in vrbem, ad quam confugerat, cum non educeretur de illa: erat autem modus, quod aduersarius posita querimonia coram iudicibus ciuitatis refugij peteret trahi occisorem ad locum delicti acturũ causam suam, & tunc mittebatur cum aliquibus senibus vrbis sub custodia, non quidem ne fugeret, quia non erat præsumptio, quod fugeret ad aliquem locum, sed ne aduersarius irrueret in eum: finita autem causa, si reperiretur innocens, iudicabat iudex vrbis delicti istum reducendum esse in vrbem, ad quam confugerat, scilicet vt maneret ibi, quia non pronunciabatur simpliciter absolutus, ita vt liceret ei redire in terram suam quocunque vellet, nam si post causam ventilatam reperiretur extra vrbem refugij, posset propinquus occisi eum impune occidere, vt patet infra.

D *Nõ esse inimicũ qũo probari posset, cum sit negatiua.*

Causa autem quare immediate non absoluebatur simpliciter ad redeundum in terram suam erat propter duritiã Iudæorum. Nam sicut concessum est Iudæis propter duritiam cordis, quod possent occidere percussores fratrum suorum, etiam sine causæ cognitione, & propria auctoritate vbicunque reperirent ante causam ventilatam præterquam in vrbe refugij, ita permittebatur, quod etiam post ventilatam causam possent eos occidere, & hoc, quia erat recens odium, & non possent ipsi sustinere, si forte permitteretur hosti suo, quod immediate post causæ ventilationem ambularet vbicunq; vellet, & ne daretur locus iniusti homicidij iussum est, quod maneret occisor in vrbe refugii magno tempore, & interim tepescebat furor, & odium aduersarij, ita vt iam posset secure occisor regredi in terram suam. Quod autem dicitur, quod reducatur occisor in vrbem, ad quam confugerat: non est sensus, quod non posset redire nisi in illam, quoniam in quamcunq; aliam vrbem refugij redire posset. Omnes enim æqualis immunitatis erant: sententiabat tamen iudex, quod reduceretur in vrbem illam: eo quod seniores, qui duxerant eum de vrbe refugij, non cogebantur reducere ad aliã vrbem nisi ad eam, de qua duxerant. Si tamen ipse vellet ire ad aliam, & ipsi eum portare vellent, poterat ire in quamcunque. Postquam tamen erat occisor in vrbe refugij si vellet ire ad aliam, & reperiret eum hostis in itinere posset occidere, quia nõ debebat exire de vrbe vsque ad mortem summi sacerdotis.

E

Circa hoc aliquis dubitabit, an Sanctuarium in veteri testamẽto haberet maiorem immunitatem, quã vrbes refugij, vel è contrario. Item dubitabatur, quare non fuit data ista immunitas Sanctuario, sed vrbibus in veteri testamento, & an

Quare cũ comperiretur aliquẽ esse innocẽ

F *tem nõ absoluebatur immediate, vt rediret in terrã suam, sed manebat in vrbe refugij.*

An Sãctuariũ haberet maiorẽ immunitatẽ, quã ciuitates refugij.

C *Ad 4.*

Quis erat modus, quo ducebatur occisor de vrbe refugij, & reducebatur ad eã ventilata causa.

expe-

A

De hac re vide in Ioſue c. 20.

expediret, quod daretur Sanctuario. Item an fuit conueniēs, quod in nouo teſtamento eſſet aliqua immunitas locorum, & an fuerit conueniens, quod eſſet maior quam immunitas veteris teſtamenti. Item an debuit dari immunitas aliquibus ciuitatibus, vel Eccleſiis: & quare cum in veteri teſtamento fuerit principaliter immunitas in vrbibus data eſt in nouo teſtamento in Eccleſiis, & non in vrbibus. De his omnibus declaratum eſt Ioſue cap. 20. *Manebitque ibi donec ſacerdos magnus, qui oleo vnctus eſt moriatur.* Id eſt, non poterat exire de illa vrbe refugij, vſque ad mortem ſummi ſacerdotis, alioquin vbicunque reperiretur, occideretur. Dicitur, qui oleo vnctus eſt ad differentiam aliorum ſacerdotum, quoniam alij ſacerdotes non vngebantur, ſicut ſummus ſacerdos, licet haberēt alias vnctiones, differebant autem, quia ſacerdotes minores vngebantur in extremitate auriculæ dextræ, & pollicis pedis dextri, & manus dextræ: ſummus autem ſacerdos non ſolum vngebatur in his partibus, ſed etiam ſuper caput eius fundebatur oleum Exod. 29. capit. & Leuit. 8. cap. iſta autem vnctio faciebat eum multum differre ab aliis: ideo denominatur ab illa multoties, vt patet hic, & Leuit. c. 21. Secundo differebat iſta vnctio, quia ſacerdotes minores vngebantur oleo mixto ſanguini arietis immolati: ſummus autem ſacerdos vngebatur in capite oleo puro non mixto ſanguini, quamquam illud eſſet compoſitum ex multis ſpeciebus. De hoc Exo. 29. & Leuit. cap. 8. de compoſitione huius olei habetur Exo. c. 30. iſtæ duæ differentiæ vnctionis ſacerdotis magni à minoribus habentur Leuit. capit. 21. cum dicitur: Pontifex, id eſt, ſacerdos maximus inter fratres ſuos, ſuper cuius caput fuſum eſt vnctionis oleum.

Vnctio ſacerdotis magni ab aliis quomodo differebat

B

Sed aliquis arguet, quod etiam ſacerdotes minores erant vncti in capite, ſicut pontifex, quia Moyſes dixit ad Aaron, & omnes filios eius, quādo conſecrati fuerunt: Vos autem non egrediemini fores tabernaculi, alioquin peribitis, oleum quippe ſanctæ vnctionis eſt ſuper vos. ergo ſuper capita erat oleum in ſacerdotibus. Leuit. c. 10. Reſponderi poteſt, quod iſtud intelligatur de vnctione manuum, & pedum, & auricularum ſacerdotum, & quantum ad hoc erat oleum ſuper eos, id eſt, in eis. Aliter dici poteſt, quod ſuper omnes ſacerdotes minores erat oleum in capitibus: iſtud tamen non erat per effuſionem, vel vnctionem, ſed aſperſionem, vt patet Leuit. cap. 8. & Exod. 29 ſolus autem ſummus ſacerdos erat vnctus oleo in capite per effuſionem, vt patet eiſdem cap. Et iſta vocatur vnctio.

An ſi quis occidiſſet ſummum ſacerdotem à caſu deberet iſta facere.

Qvæstio XV.

C

Qværet aliquis, quid ſi aliquis occidiſſet ſummum ſacerdotem à caſu, an fieri deberent iſta? Reſpondendum eſt, quod quantum ad hoc, quod aliquis gauderet immunitate vrbium, nihil differebat, quod occideret ſummum ſacerdotem aut regem, vel quemcunque de populo, quia occidēs à caſu nunquam erit reus: ideo debebat gaudere immunitate. Sed tunc dicetur, cum ventilata fuerit cauſa, & iſte reperiatur innocens, an debebit immediate redire ad terram ſuam, poſtquam ſententiatum fuerit in cauſa, vel debet redire ad vrbem refugij. Dubium autem eſt pro tanto, quia iſte debet manere in vrbe refugij, quam diu viuit ſummus ſacerdos, ſed iam ille mortuus eſt, cum iſte illum occiderit: ergo non apparet an immediate redituruſ ſit in vrbem ſuam, vel exſpectaturus vſque ad mortem ſequentis ſummi ſacerdotis. Super hoc multa dicta ſunt Ioſue cap. 20. & ibi declaratum eſt, quod debebat manere in vrbe illa refugij vſque ad mortem ſequentis ſummi ſacerdotis. Quid ſi aliquis occideret alium dum viueret aliquis ſummus ſacerdos, & poſtea incœpta cauſa homicidij, & nondum ventilata moriatur ſummus ſacerdos, & cum ſententiatur in ea, eſt alius ſummus ſacerdos ſuccedens, an debeat immediate reduci in terram ſuam ſi reperiatur innocens occiſor, vel debet expectare vſque ad mortem ſummi ſacerdotis, cuius tempore cauſa finita eſt. Quid etiamſi aliquis occidit alium tempore ſummi ſacerdotis, & antequam cauſa inchoetur ad ventilandum accipiatur alius ſummus ſacerdos, & iſte reperiatur innocens: an manebit tempore huius in vrbe refugij, vel redibit immediate in terram ſuam diffinita cauſa. Quid etiamſi aliquis occidit alium tempore, quo nullus erat ſummus ſacerdos, & poſtea ventiletur cauſa tempore aliorum ſacerdotum, vel forte ſit ventilata antequam aſſumatur alius ſacerdos ſucceſſor. De his omnibus Ioſue capit. 20. dictum eſt.

D

Quare occiſor debebat manere in vrbe refugij vſque ad mortem ſummi ſacerdotis.

Qvæstio XVI.

Qværetur autem quare dictum eſt, quod debeat manere homicida in vrbe refugij vſque ad mortem ſummi ſacerdotis. Multi Iudæi varie reſpondent, ſed eorum dicta ſunt multum friuola, de quibus non eſt curandum.

Opin. Rab. Salomonis.

Rab. Salom. dicit, hoc fieri propter ſummum ſacerdotem, debebat quippe ſummus ſacerdos ad Deum interpellare, ne mala venirent in populo, ſicut faciebat Aaron ſupra cap. 16. Cum ergo in diebus iſtius ſummi ſacerdotis fieret homicidium, deberet homicida manere in vrbe refugij vſque ad mortem eius.

E

Sed iſta ratio non habet aliquid veriſimilitudinis. Alij autem dicunt, & dant cauſam allegoricam, ſcilicet, quod nullus de exulibus in patriam ſuam reuerti poterat, ſcilicet, in vitam æternam ingredi, vel non poterat fieri plena remiſſio peccatorum quantum ad omnem pœnam, quouſque ſummus ſacerdos, id eſt, Chriſtus, qui fuit ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, vt patet ad Hebr. cap. 6. & 7. & Pſal. 108. moreretur: Fuit autem iſte ſummus ſacerdos vnctus oleo, ſcilicet, oleo lætitiæ inuiſibiliter præ participibus ſuis. Pſal. 48. & Iſai. 61. cap. ſpiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit me: ideo ſicut aliquis per ſententiam innocens iudicabatur, tamen quamdiu exilium patiebatur, exilium patiebatur, quouſque ſacerdos magnus moreretur, ita licet per circumciſionē originalis peccati reatus tolleretur, & per contritionem omnia actualia: tamen tamdiu in exilium detinebantur animæ Sanctorum in limbo, qui dicitur ſinus Abrahæ, donec pontifex noſter Chriſtus Ieſus moreretur: tunc enim omnes ſancti patres veteris teſtamenti exierunt de ſinu Abrahę ingredientes in vitam æternam.

Opin. Auct.

Dicendum tamen, quod cauſa literalis huius fuit, quia Deus volebat tollere homicidia innocentum, quæ propter duritiam cordis Iudæorum ſequerentur, & ob hoc permiſit, quod cognatus occiſi poſſet impune percutere occiſorem vbicunque eum reperiret antequam introiret in vrbem refugij, quia ſi aliter mandatum fuiſſet, non potuiſſent Iudæi ſuſtinere illam legem, ita igitur cum cauſa nouiter poſt mortem occiſi ventilaretur, ſi immediate diffinita illa deberet redire occiſor in terram ſuam, eſſet adhuc furor recens in cognatis occiſi, & non potentes eum tolerare occiderent occiſorem. Debuit igitur dari aliquod tempus magnum, in quo ceſſare poſſet ira cognatorum occiſi, & iſtud aſſignatum fuit vſq; ad mortem ſummi ſacerdotis: ſicut enim potuiſſent aſſignari anni 10. vel 20. exilij, qui erat terminus certus, ita aſſignatum eſt vſque ad mortem ſummi ſacerdotis, qui erat terminus incertus. De hoc magis Ioſue capit. 20. Item an conueniens fuit, quod aſſignaretur iſtud exilium vſque ad mortem alicuius ſacerdotis minoris, vel alterius, declaratum eſt eodem capit. *Si interfector extra vrbium fines.* Hic ponitur caſus, in quo poterat occidi ille, qui confugerat ad vrbem refugij, ſcilicet, ſi reperiretur aliquando extra vrbem, non quidem, quod exiret extra ſolum, ſed quod aduerſarius eius reperiret eum extra. Nam etiamſi multoties reperiretur exiſſe, & tamen nulla vice eum inueniret aduerſarius, non occideretur propter hæc, & dicitur extra fines vrbium, id eſt, extra terminos, ſcilicet, extra muros: nec accipitur terminus pro toto territorio, quia aliàs cum quælibet vrbs refugij haberet mille paſſus ſuburbanorum, cum eſſet de vrbibus Leuitarum, vt ſupra patet: in toto illo ſpatio gauderet immunitate occiſor, ſed hoc nullus concedit: ideo litera videtur contrarium innuere, cum infra dicatur, quod debebat profugus reſidere in vrbe vſque ad mortem pontificis. Etiam non eſt intelligendum magis de vna vrbe, quam de alia, quia licet à principio aliquis fugerit ad vnam vrbem, deinde tranſiret ad aliam: dum tamen illa

F

eſſet

A

esset de vrbibus refugij, gaudebat ibi immunitate, quia omnes vrbes refugij æqualis immunitatis erant: si tamen in itinere transeundo de vna vrbe ad alteram aduersarius reperiret occisorem, poterat eum licite occidere.

Quæ exulibus deputatæ sunt. Istæ sunt omnes vrbes refugij, quæ erant ad custodiam exulum. Vocantur autem isti exules, & profugi, sed hoc secundum diuersa: primo enim tempore, quo manebant in vrbe refugij ante ventilationem causæ vocabantur profugi, quia ipsi illuc profugerant, scilicet, vt liberarentur, & nemo eos illuc ire compulerat: nec ibi manebant in pœnam aliquam; sed in conseruationem: Exilium autem nomen pœnæ est. Vocabantur vero exules tempore, quo manebant post diffinitam causam vsque ad mortem summi sacerdotis: nam tunc non erant profugi, sed reducebantur illuc per sententiam, vt declaratum est supra, etiam manebant isti tunc in pœnam, nam à principio cum nesciretur an isti occidi deberent, vel seruari, manebant in vrbe refugij ex causa sua, ne occiderentur ab aduersario: nunc autem iam non manebant propter crimen, quia absoluti erant, sed manebant propter legem in pœnam, quia diffinierat lex, quod manerent vsq; ad mortem summi sacerdotis, & istud erat proprie exilium inductum à lege.

B

Et percussus ab eo, qui vltor est sanguinis. Id est, ab eo, cui competit vindicare iniuriam sanguinis effusi: iste autem erat cognatus occisi, cui competebat accusare, & occidere percussorẽ. Quicunq; autem aliorum percuteret occisorem inuentũ extra vrbes refugij, reus erat sanguinis tanquam si quemlibet alium occideret, quia vendicatio non pertinebat ad illum.

Absque noxa erit qui eum occiderit. Id est, cognatus occisi percutiens occisorem inuentum extra vrbes refugij innocens iudicabitur, quia propter hoc nihil punietur.

Debuerat enim profugus vsque ad mortem summi pontificis in vrbe residere. Ista est causa, quare potuit impune percuti occisor, scil. quia fuit in culpa: debuerat enim manere semper in vrbe refugij, quia lex hoc iusserat: ideo cum exierit, poterit occidi. Vocatur hic pontifex summus sacerdos, quia istud nomen ponitur ad differentiam ab aliis: multi enim erant sacerdotes, & ad differentiam huius sacerdotis ab illis vocatur iste sacerdos magnus, vel summus sacerdos: pontifex autem præter istum nullus erat, ideo nõ oportuit adiungi aliquam connotationem, scil. pontifex summus, vel pontifex magnus: in Ecclesia autem hoc recte assignatur, quia multi pontifices, & multi gradus pontificum sunt. *Postquam autem ille obierit.* Scil. summus sacerdos, *Reuertetur homicida in terram suam.* Id est, poterit iam exire vrbem refugij, & ire quocunque voluerit, & hoc siue pauco tempore post occisionem factam, siue multo moriatur summus sacerdos: nam quantum ad hoc non differt. Quid autem si aliquis de homicidis confugientibus in vrbem refugij, reperiretur nocens, & deberet iugulari, cui de cognatis occisorum trahi debebat iugulandus, quia multi occisi multos cognatos habebant, & cuilibet illorum competebat ius istud, vt supra patet. de hoc declaratum est Iosue capit. 20. multa quoque alia dubia pertinentia ad hoc, ibidem declarata sunt.

C

Hæc legitima sempiterna. Id est, præcepta supra posita erunt legitima sempiterna, id est, leges semper durantes, vel in æternum obligantes, non quidem, quod semper manserint, quia iam non manent, cum perierit status Iudæorum, sed dicebantur manere in æternum, si tam diu manerent inter Iudęos, quam diu status ipse Iudæorum manebat. Si vero legibus illis nunquam aliæ inter Iudæos successerunt, sed leges simul cum populo abolitæ sunt, semper dicuntur æternæ, tunc autem proprie dicuntur deficere, si existente statu Iudæorum mutarentur illæ succedẽtibus aliis legibus, & iste est modus, quo multoties dicitur in veteri testamento, quod aliqua lex erat sempiterna, & sic fuit de ista iudiciali, nam semper mansit quamdiu Iudæi manserunt.

In cunctis habitationibus vestris. Id est, erit lex ista vniuersalis in tota terra vestra: si enim Iudæi ducerentur in terram aliam extra terram Chanaan, sicut nunc sunt, non haberent vrbes refugij, quia nõ permittitur eis iurisdictio aliqua, ita quod viuant legibus suis, sed etiamsi iurisdictionem haberent, non distinguerent vrbes tales, quia hoc solum erat in terra Chanaan in vrbibus, quas Deus separauerat. Extra terram autem illam non debebat seruari iudicium istud. Sic patet de multis aliis cæremonialibus, & iudicialibus, quæ determinationem loci requirunt, & non poterant obseruari extra terram Chanaan.

D

Homicida sub testibus punietur. Hic ponitur determinatio superiorum: fuerat enim dictum, quod homicidæ ventilarent causam suam cum cognatis occisorum, & debebat probari, an egissent volũtarie, vel à casu, & an ante hoc fuissent inimici, vel non, & multa huiusmodi, sed aliquis putaret, quod ista qualitercunque possent probari, scil. per vnum testem; ideo dicitur quod non, sed morietur sub testibus, id est, ad dicta multa testium.

Ad vnius testimonium nullus condemnabitur. Quantumcunque enim aliquis sit excellens persona, non creditur ei soli, si accipitur in testem ad condemnationem cuiuscunque, nec etiam hoc solum in criminalibus, sed etiam in ciuilibus tenet: sic patet Deuteronomij capit. 19. scilicet. Non stabit testis vnus contra aliquem: quicquid illud peccati, aut facinoris fuerit, sed in ore duorum, aut trium testium stabit omne verbum.

Testimoniũ vnius non admittitur.

Causa autem quare testimonium vnius nunquam admittatur si solus est, prouenit ex hoc, quia non potest haberi de illo firma suspitio, quod verum, vel falsum dicat: facile enim est, quod aliquis fingat quæcunque voluerit, & non potest deprehendi, an verum vel falsum dicat, nisi ex aliis testibus, vel ipse includat in verbis suis contradictionem.

E

Cum autẽ sunt multi testes, & distincte interrogati idem dicunt, signum est, quod illud sic acciderit, quia aliàs videbatur difficile quomodo isti concordarent. Etiam hoc apparet ex alio, quia testes quando multi sunt, poterunt variare, & ex dictis eorum colligi potest, an isti verum, vel falsum dicant: Existente autem vnico teste hoc non apparet. Et dicitur hic de condemnatione, quia condemnatio est odiosa, ideo nunquam debebat aliquis condemnari, nisi ex magna solennitate iuris, & cum multis testibus, ad absolutionem autem alicuius secus est: nam si aliquis habeat causam, quæ in nullius præiudicium vertitur, non oportebat esse tantam probationem, ideo interdum recipitur vnus testis, & quod cum hoc deponat ille cuius causa est, & ista est plena probatio, quæ in nulla alia causa agitata contra aliquem difficeret.

Non accipietis pretium ab eo, qui reus est sanguinis. Istud documentum est pro iudicibus, quia dicebatur supra de ventilatione causarum occisoris, cum cognatis occisi, & si reperiretur reus, quod traderetur iugulandus aduersario. Circa hoc autem aliquis iudex forte errabit pro pecunia liberans eum, qui reus, scilicet, decernens, quod non sit reus mortis, quod est contra ius litigatoris, & præstatur hic audacia ad aggrediendum iterum similia, ideo non debent recipi munera in tali casu, nec vnquam in aliis. vnde Deus vniuersaliter vetuit iudicem accipere munera Exod. capit. 23. & Deuteronomij capit. 16. scilicet. Non suscipies munera, quæ excæcant oculos, & peruertunt verba iustorum. Et sicut intelligitur hic, quod non debet aliquis propter pecuniam absoluere eum, qui reus est, ita non debet è contrario propter pecuniam iudicare reum eum, qui non est, quia interdum forte cognati occisi exhiberent munera iudici, vt iudicaret reum esse mortis occisorem, etiamsi ille egisset inuoluntarie. Et hoc adhuc deterius est, quia melius est nocentem absoluere, quam innocentem condemnare, expressit autem Deus de eo, quod erat minus, quia si hoc prohibebatur, à fortiori censebatur prohibitum, quod quis acciperet munera ad iudicandum contra innocentem. De hoc Psal. 13. Et munera super innocentem non accepit. Accipere autem munera super innocentem est, quod aliquis accipiat pecuniam, vt occidat innocentem.

F

Sed statim ipse morietur. Id est, postquam probatum fuerit de aliquo, quod est reus mortis, nõ differatur vlterius eius mors, sed statim morietur. Vnde etiam recipere pecuniam pro dilatione sententiæ, vel executionis peccatum est, & hoc vetatur, cum dicitur, sed statim morietur.

Exules, & profugi ante mortem pontificis nullo modo in vrbes suas reuerti poterunt. Repetitio est sententiæ superioris, quod fit ad maiorem cautelam, scil. ne aliquo modo auderent exire occisores de vrbe refugij vsque ad mortem summi sacerdotis, qui vocatur hic pontifex, & intelligendum est de illo summo sacerdote, non in cuius tempore causa diffiniebatur, vel

A

inchoabitur inter occisorem, & propinquum occisi, sed de illo pontifice, cuius tempore patrabatur homicidium. Nam si aliquis occideret alium, & immediate moreretur summus sacerdos, vel saltem antequam iste inciperet causam cum aduersario suo, lata sententia pro eo non debebat manere in vrbe refugij vsque ad mortem summi sacerdotis, qui iam institutus erat, quia non fuit tempore huius patratum homicidium, sed immediate, vt diffinita fuerit causa, reuertetur iste in terram suam, quia iam mortuus est summus sacerdos, & quando dicitur de terra sua, non est magis intelligendum de sua quam de quacunque alia, quoniam nullo modo exire debebat de vrbe occisor vsque ad mortem summi sacerdotis, vt supra patet, sed lex expressit hic, quod communius est, sc. quia magis inclinarentur isti fugitiui ad redeundum in terrā suam, quam in aliquam aliam. Vocantur autem hic exules, & profugi ex eadem causa supra, scil. profugi ante ventilatam causam, & exules post ventilationem.

Ne polluatis terram habitationis vestræ. Ista est causa præcedentis dicti, scil. ideo non reuertentur homicidæ in terram suam, ne polluatur terra. Sed quomodo polluitur per reditum eorum ante mortem summi sacerdotis? Aliqui autem volunt, quod hoc fiebat, quia homicida censebatur immundus, & terra, ad quam veniret, ex aduentu eius efficeretur immunda.

B

Sed hoc non stat, quia esse homicidam non est aliqua immunditia legalis, nisi saltem in septem diebus primis post sanguinis effusionem: nam ibi debebat homicida expiari secundum ritum eorum, qui mortuos tetigerunt, sic patet supra capit. 21. vbi iussit Deus venientes de bello contra Madian manere septem diebus extra castra, vt ibi expiarentur. Sed hic non stat istud, quia etiamsi reuerterentur homicidæ in terram suam viuente summo sacerdote, si hoc esset post ventilatam causam, iam multi dies transissent, & sic non polluereturterra propter aduentum eorum. Item, quia si homicidæ propter præsentiam suam polluerent, maxime videretur terra maculata, quia erat in vrbibus refugij, cum illuc confugerent omnes homicidæ: & tamen ibi debebat obseruari maxima puritas: quia sacerdotes, & Leuitæ, qui erant ministri Dei debebant abstinere ab omni immunditia tam morali, quam legali: ergo præsentia homicidarum non polluebat vrbes refugij, alioquin Deus non iussisset ibi esse homicidas. Item si præsentia homicidæ terram polluerit, magis polluereturquando reduceretur homicida de vrbe refugij ad locum delicti ad agitandum causam cum recentior esset occisio, sed intelligitur, quod per reditum homicidæ polluetur terra sanguine, scil. quia quando rediret homicida in terram suam ante mortem summi sacerdotis, aduersarij sui occiderent eum, & sic effunderent sanguinem innocentem, quia occisor in morte alterius prioris nihil peccauerat cum fortuitu, & absque inimicitiis occidisset, nunc autem magis terra polluebatur in morte huius, & hoc significatur in litera sequenti, cum dicitur, quæ insontium cruore maculatur, id est, terra contrahit maculam per effusionem sanguinis innocentis: ideo nimis caueri debebant, ne homicidæ redirent in terram suam vsque ad mortem pontificis, & sic terra non macularetur.

An propteraduentū homicidæ terra polluerētur.

C

Quæ insontium cruore maculatur. Id est, principalis macula, quam terra Iudæorum incurrebat, erat per sanguinem innocentem effusum in ea, per sanguinem autem hominis nocentis terra maculari non dicitur, quia iustum est sanguinem illum effundi. Et hoc non solum intelligitur quantum ad eos, qui innocenter alios occiderunt, & postea occiduntur, sed etiam ad quoscunque alios, qui iniuste occiduntur, immo magis de illis intelligitur, quia isti, qui occisi sunt, redeuntes de vrbe confugij ante mortem summi sacerdotis, licet innocentes sint, inquantum sanguinem alienum effuderunt, tamen non sunt prorsus innocentes, quasi nequaquam mortem istam mereantur. Nam merentur illam inquantum exierunt de vrbe refugij ante tempus determinatum à lege, cum dixerit supra lex, quod debuerat profugus vsque ad mortem summi sacerdotis in vrbe refugij residere, & ob hoc cognati viri occisi impune possunt percutere istos occisores: quia tamen isti sic exeuntes de vrbe constituuntur magis rei ex quodam priuilegio, quod lex tradidit cognatis viri occisi, quam ex aliqua actione sua, vocat eos lex adhuc innocentes.

Quomodo dicitur terra pollui, quando funditur sanguis innocens.

QVÆSTIO XVII.

D

CVm autem dicitur, quod terra polluitur per effusionem sanguinis innocentis, non est intelligendum de pollutione reali, nec de hoc curat Scriptura, quia quantum ad istam non magis polluuntur istæ terræ per effusionem sanguinis innocentis, quam nocentis, nec etiam intelligitur de pollutione legali. Vocatur autem legalis pollutio, vel immunditia quandocunque res non habebāt aliquam immunditiam realem, sed solum vocabatur immunda propter aliquid constitutum à lege, sicut qui tetigisset tabernaculum, in quo erat aliquis homo mortuus, vel sepulchrum hominis, aut ossa arida reperta in agro, & multa alia, de quibus supra decimonono capit. Omnes isti vocabantur immundi: tamen ista immunditia non erat aliqua realis pollutio per contagionem, vel alias: sic etiam patet de pollutionibus, quæ habentur Leuit. capit. vndecimo, & in aliis locis: ista autem pollutio legalis quamquam realiter nihil esset, sed ex legis positione; tamen habebat hunc effectum, quod homines habentes eam, non permittebantur accedere ad Sanctuariū, aut ad aliquas res sacras, & si aliqui immundi ingererent se his, Deus comminatur eis mortem inferendam Leuit. capit. decimoquinto: aliquando autem istæ immunditiæ excludebant hominem à rebus sacris, & etiam à communicatione aliorum hominum, ita vt extra castra isti immūdi habitarent, sicut patet de fluentibus semine, & de leprosis, & immundis super mortuo, supra capitulo quinto: & licet duæ harum immunditiarum essent naturales, scilicet, esse leprosum, & fluentem semine: tamen esse immundum super mortuo non erat aliqua realis immunditia. De nulla harum duarum partium immunditiæ legalis potest fieri applicatio ad pollutionem terræ, de qua hic dicitur. Nam res inanimatæ non dicebantur esse pollutæ eo modo, quo homines, quia homini polluto non licebat accedere ad Sanctuarium, res autem pollutæ hoc habebant, quod non licebat homini illis vti ad ministerium suum, sicut vasis, & vestibus pollutis: Leuit. capit. vndecimo. & supra capit. decimonono: terra autem si esset polluta, non poterat esse quantum ad aliud polluta, nisi quia homines non deberent habitare in illa, sicut dicitur de domo, in qua apparebat lepra in parietibus, quod nullus moraretur in illa. Leuit. cap. 14. ita ergo si terra Iudæorum polluereturr, non liceret eis habitare in ea, sed inquisituri essent alia loca.

E

Hoc autem ex nulla causa accidebat, quia nunquam exituri erant Iudæi ad habitandum terram aliam, ideo terra non erat vere maculata secundum legalē immunditiā, hoc namq; Deus prouidit vti res illæ, quæ multum necessariæ erant, nunquam polluerentur, sicut patet de fontibus, fluminibus, & congregationibus aquarum, quia etiamsi caderent aliqua morticina super hæc, non polluebantur. Leuit. capit. vndecimo: terra autem erat summæ necessitatis ad habitandum, ideo pro nulla causa pollui poterat, ita quod non liceret in ea semper, vel pro aliquo tempore habitari: est ergo ista pollutio, quæ hic dicitur, minor pollutione legali, quia nullum effectum illius habet, sed dicitur pollutio quantum ad quandam reuerentiam, scilicet, quod Deus habitabat inter Israelitas: ideo debebat esse terra mundissima. quod vero in ea quodcunque immundum esset: erat nimis contra Dei reuerentiam: ideo etiamsi non esset magna immunditia, iudicabatur esse immunditia propter præsentiā Dei. Vel aliter dicitur terra immunda esse, quia recipit sanguinem iniurioseeffusum, vt patet, quia dicitur immediate, quod non potest aliter expiari, nisi per effusionem sanguinis illius, qui effudit sanguinem, & tamen effusio sanguinis secundi non est aliquid mundum. Dicitur tamen muudificare, quod solum refertur ad hoc, quod est vindicta sanguinis primo effusi, inquantum fit ibi quædam commutatio iusta in pœnis: sic autem dicitur terra aliquando clamare propter sanguinem effusum: Genes. cap. quarto, scilicet, vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.

F

Terra quare dicatur immūda.

Nec aliter expiari potest, nisi per eius sanguinem, qui alterius sanguinem

A

guinem effuderit. Id est, si terra polluitur per effusionem sanguinis innocentis, non potest aliter expiari, nisi per alium sanguinem, qui nocens est. Hoc ideo est, quia ista immunditia non est naturalis, quæ tollitur per ablutionem: nec est legalis, quæ tollitur per quasdam cæremonias, de quibus Leuitici capitulo vndecimo, vsque ad decimumoctauum. & supra capitulo decimonono, sed est immunditia, quæ est iniustitia in effusione sanguinis innocentis: iniustitia autem non tollitur nisi quando actus ille, qui est iniustus, reformatur per iustitiam oppositam, & hoc est per pœnam inflictam male agenti, & iam erit ablata præuaricatio: sic est hic, scilicet, quod immunditia sanguinis innocentis effusi expiatur per effusionem sanguinis nocentis: nec aliter expiari potest, quia non est alius modus, per quem reducatur operatio illa ad iustitiam, nisi per hunc.

Sciendum autem, quod non debet ista litera referri ad casum præcedentem, scilicet, de occisione homicidarum redeuntium in terram suam de vrbe refugii, quando occiduntur ab aduersariis suis si redierint ante mortem summi Pontificis, quia tunc quanquam isti homicidæ innocentes sint, possunt eos aduersarii sui occidere impune, quia ante tempus determinatum à lege exierant de vrbe refugii: vnde sanguis istorum non effundetur, sed refertur litera ista ad alios

B

effundentes sanguinem innocentem, scilicet, si quis occiderit aliquem, nihil meritum contra legem, terra immunda erat, & non expiabatur, nisi morte occisoris, id est, quod terra semper manebat polluta cum maneret iniustum illud quousque reduceretur ad iustitiam per mortem occisoris. Terra autem dicitur specialiter polluta per vitium istud, quia horribilius est istud vitium aliis, & minus terra illud sustinet, vnde dicitur clamare pro illo, sic patet de sanguine effuso Abel iusti, quoniam clamauit de terra, Genesis capitulo quarto. Alia duo vitia dicuntur clamare ad Deum, quia magna sunt, quorum vnum est sodomiticum, de quo Genesis capit. 18. Aliud est retentio mercedis operariorum, Iacobi capitul. quinto: primum tamen, quia est magis horribile dicitur terram polluere.

Qua vitia dicantur clamare ad Dominum

Atque ita emundabitur vestra possessio. Scilicet, terra, quam vos possidetis, & in qua habitatis, effundendo sanguinem illius, qui sanguinem fudit.

Deus quare dicatur habitare in aliquo loco, quâ in alio.

Me commorante vobiscum. Id est, hoc potissimum facere debetis, quia ego habito vobiscum in terra hac. Dicebatur Deus habitare cum Iudæis, non quidem quod magis esset in terra illa, quam in aliis: vbique enim totus est, sed habitat specialiter in quibusdam, tam hominibus, quam terris: in hominibus quidem, scilicet, in iustis, quia templum Dei est mens iusti, & altare optimum cor eius, sic enim ait Apostolus: Templum Dei sanctum est, quod estis vos, 2. Corinth. capitul. 4. ibi enim Deus est specialiter, scilicet, per gratiam, & quia venit sibi viros iustos, tanquam vnum sint cum eo, secundo ad Corinthios capitu. sexto. Qui diligit Deum vnus spiritus est cum eo. In locis autem Deus specialiter esse dicitur, quia aliqua loca sunt, in quibus specialiter virtutem suam monstrat, sic erat in terra Iudæorum, & potissimum in Sanctuario, vbi loquebatur Angelus loco eius, & erant ibi omnia vasa ministerii Dei, & sedes eius inter duo Cherubim: atque exhibebatur ei cultus specialis ibi, qui non exhibebatur in aliquo loco alio: vnde illud Sanctuarium vocabatur tabernaculum, id est, domus, & non erat domus alicuius alterius, nisi Dei, qui censebatur ibi habitare: nunc autem Deo habitante inter Iudæos debebat tota terra eorum munda esse, & principaliter à vitiis, quæ magis repugnant Deo, quam quælibet aliæ immunditiæ, cuiusmodi erat occisio innocentis. Debebat etiam terra esse munda quantum ad munditias, vel sordes corporales, quia licet Deus cum incorporeus sit, non possit tangi, nec offendi his immunditiis, tamen nos inquantum plus ab immunditiis abstinuerimus facientes loca nostra esse munda propter ipsum maiorem ei honorem impendimus, & est iste sibi gratus. Etiam conuenit hoc propter Sanctuarium Dei, quia ille erat locus corporalis, & super omnia mundissimus, ita propter reuerentiam eius alia loca apud Sanctuarium munda esse debebant, & hanc munditiam Deus iussit, quia cum erant Israelitæ in deserto, & arca Dñi erat in castris inter illos, iussum erat, ne quis in castris releuaret ventrem, sed extra castra: ibi terram fodiens operiebat id, quo venter releuatus erat. De hoc Deuter. capit. 23. Scilicet, habebis locum extra castra, ad quem egrediaris ad requisita naturæ gerẽs paxillum in baltheo: cumq; sederis fodies per circuitum, & egesta humo operies, quo releuatus es (Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum, vt sint castra tua sancta) & nihil appareat in eis fœditatis, ne derelinquat te.

C

Quare Deus faciebat, vt loca, in quibus esset sanctuarium, haberẽt specialem munditiã.

D

Ego enim sum Dominus, qui habito inter filios Israel. Redditur hic ratio præcepti, scil. ego, qui moror inter vos, & iubeo ista, sum Dominus, ideo facere debitis: nam diceret aliquis, quis est iste, qui inter nos habitat, & iubet tantam obseruari munditiam? ipse autẽ respondet, ego sum Dominus, quasi dicat: ideo debetis me honorare in hoc. Etiam refertur ad aliud, sc. non debetis dubitare facere hoc, quia obligamini facere, cũ ego iubeo, qui sum Dominus. Quomodo autem Deus habitet in medio Israelitarum, supra declaratum est.

CAPVT XXXVI.

Supra.

E

ACcesserunt autem, & principes familiarum Galaad, filii Machir, filii Manasse, de stirpe filiorum Ioseph, locutique sunt Moysi coram principibus Israel, atque dixerunt: Tibi Domino nostro, præcepit Dominus, vt terram sorte diuideres filiis Israel, & vt filiabus Salphaad fratris nostri dares possessionem debitam patri: quas si alterius tribus homines vxores acceperint, sequetur possessio sua, & translata ad aliam tribum de nostra hæreditate minuetur. Atque ita fiet, vt cum iubilæus, id est, quinquagesimus annus remissionis aduenerit, confundatur sortium distributio, & aliorum possessio ad alios transeat.

F

Accesserunt. Positis legibus de ciuitatibus fugitiuorum, hic agitur de quodam dubio incidenti circa permutationem prædiorum, & tanguntur tria. Primum, dubii propositio. Secundum responsio. Tertium executio. Secunda ibi. *Respondit Moyses.* Tertia ibi. *Fecerunt q; filiæ.*

Qualis sit ordo eorum, quæ sequuntur ad præcedentia.

QVÆSTIO I.

CIrca primum dubium est, sicut circa superiora de continuatione huius ad præcedentia, an sit ordo rectus, vel anticipatio, & recapitulatio.

Hoc autẽ constare non potest per certitudinem, quia superiora sunt pure præceptiua, istud autem est aliqualiter historicum, scilic. de quadam propositione filiorum Manasse coram Moyse propter filias Salphaad: inter historicum autem, & præceptiuum non potest patere ordo, quia non est aliquid in ipsis, per quod conuincatur vnum esse posterius, vel prius altero. In historicis autem est, quia quædam sunt, quæ necessario præponi debent ad alia, & licet sint postposita, manifeste videtur mutatus ordo: sicut si prius describatur historia mortis alicuius, postea vero enarrentur accidentia natiuitatis suæ, & gesta per vitam. Hic tamen satis rationabile est dici, quod sit ordo continuatus, quia cum non apparet aliqua causa, quare ab isto ordine recedere debeamus, dicendum est, res accidisse eo ordine, quo scriptura eas narrat: potissimum, quia ista, quæ habentur hic acciderunt in vltima mansione, scilicet, apud Iordanem, vbi acciderunt ea, quæ habentur in capitulis immediate præcedentibus, & sic saltem apparet, quod fuit istud factum in loco vltimo, & non potest dici, quod alia fuerint in locis posterioribus, ita vt arguatur, quod sit mutatus ordo.

Accesserunt principes. Considerandum est, quod ista, quæ habentur in hoc capit. acciderunt propter filias Salphaad: dictũ enim fuerat, supra capit. 27. quod Salphaad, qui fuit de tribu Manasse, mortuus est sine filiis masculis: erat autem consuetudo apud antiquos, quod filii masculi succederent: ideo cum iste non haberet filios, non videbatur, quod habiturus esset hæreditatem aliquis nomine eius: filiæ autem conquestæ sunt, quod tollebatur nomen patris earum de familia sua propter non habere filios masculos, ideo quod daretur eis hæreditas loco patris sui: Deus autem iussit, quod daretur: nunc

A autem filij Manasse, qui erant de tribu ista, de qua erant filiæ Salphaad conqueruntur dicentes, quod si non prouidetur eis, fraudabuntur, scilicet, quod filiæ Salphaad nubant cui voluerint, & filij earum succedent ipsis, sed filij sequuntur familiam virorum: ergo transibat hæreditas ad aliam tribum, si ipsæ accipiant viros de alia tribu: in quo Deus prouidet, quod accipiant viros de tribu sua, & tunc non transibit hæreditas ad alias tribus.

Principes familiarum Galaad.

Galaad an sit nomen viri, vel ciuitatis hic.

QVÆSTIO II.

ALiqui dicunt, quod Galaad non est nomen viri, sed nomen terræ, quia quidam mons vocatur Galaad. Gen. c. 31. & ab isto terra coniuncta denominatur terra Galaad, de qua supra c. 31. dicunt autem isti, quod principes familiarum Galaad. i. principes familiarum, qui habitabant in Galaad, accesserunt ad Moysen. Dicunt autem, quod in ista terra Galaad habitabant filij Manasse, cum terra, quæ erat ante Iordanem, fuerit data tribui Ruben, & Gad, & dimidiæ tribui Manasse. supra c. 32. Sed dicendum, quod hoc non potest stare, necesse enim est, quod accipiatur hic Galaad pro viro, quia dicitur B hic, quod principes familiarũ Galaad filij Machir accesserunt ad Moysen: ergo Galaad erat filius Machir, quod non pertinet alicui terræ: nisi forte aliquis dicat, quod filij, est hic in nominatiuo pluralis numeri, & refertur ad principes familiarum terræ Galaad, qui erant filij Machir. Sed hoc non stat, quia ex Hebræo apparet, quod hic non sit pluralis numeri, sed singularis, & referatur ad ipsum Galaad. Item apparet, quia dato, quod dicamus, quod filij Manasse, qui habitauerunt in terra Galaad petierunt, istud non poterit stare, quia hic conquerebantur filij Manasse de dimidia tribu, quod filiæ Salphaad acceperãt hæreditatem loco patris, & illa periret de tribu ipsorum, si possent illæ accipere viros de alia tribu: ergo oportet, quod illi filij Manasse conquererentur, cum quibus filiæ Salphaad susceturæ erant hæreditatem: fuit autem tribus Manasse diuisa in duas partes. Quædam n. pars eius accepit hæreditatem in terra duorum regum Amorrhæorum cum tribu Gad, & Ruben, de quo sup. c. 32. alia autem medietas accepit possessionẽ in terra Chanaan per Iosue: de quo habetur Iosue c. 17. constat tñ, quod filiæ Salphaad acceperunt possessionem in terra Chanaã: ergo illa pars Manasse, quæ erat in terra Chanaan conqueri debebat propter filias Salphaad, & nõ familiæ de tribu Manasse, quæ essent in terra duorum regum Amorrhæorum in terra Galaad, vt isti volunt, & tñ hic dicitur, quod principes familiarum Galaad cõquesti sunt propter filias Salphaad: necesse est igitur dici, quod Galaad accipiatur hic pro C viro, & vocãtur principes familiarũ Galaad. i. principes familiarũ descendentium à Galaad. Pro quo sciendum, q̃ non fuit, nisi vnus filius Manasse, qui denominaret familiã. ic. Machir: ideo si à filiis eius denominarentur familię, esset vnica familia in tribu Manasse, sed Machir genuit Galaad nepotem Manasse, & ab hoc deriuata est familia Galaaditarum: Galaad autem genuit filios multos pronepotes Manasse, & ab istis deriuatę sunt sex familiæ: de quibus sup. c. 26. Fuerunt igitur octo familiæ in tribu Manasse, & istæ diuisæ sunt in duas partes. scil. quod quædam possederunt terrã ante Iordanem, & alię post, vt dictũ est: illi vero, qui possederunt in terra Chanaan, erant de stirpe Galaad. s. quod aliquæ familiæ ab eo venientes acceperunt possessionem ibi: omnes n. non poterant ibi accipere, quia tunc nõ diceretur, quod dimidia tribus Manasse accepit possessionem ante Iordanẽ cum tribu Gad, & Ruben: sed solum familia Machiritarũ: omnes aũt septem aliæ familiæ Manasse deriuatæ sunt à Galaad, vt patet sup. cap. 26. ergo dicendum, quod familia Machir cum aliquibus familiis descẽdentibus à Galaad acceperint possessionem ante Iordanem cum Ruben, & Gad, & reliquæ familiæ venientes de stirpe Galaad. sc. quatuor, vel quinq; acceperint possessionem in terra Chanaan, & istæ conquestæ sunt pro filiabus Salphaad, quia cum illæ acciperent possessionem cum ipsis, si ducerentur à viris alterius tribus, diminueretur possessio earum quantũ ad aliquam partem, quod aũt Galaad sit nomen viri, patet sup. c. 26. vbi dicitur esse nepos Manasse. & Iosue c. 17. dicitur, quod Galaad fuit vir bellator. *Filij Machir filij Manasse.* id est, iste Galaad fuit filius Machir, & Machir fuit filius Manasse, vt patet supra cap. 26. principes autem familiarum Galaad dicebantur esse maiores in familiis illis: forte illi soli, qui erant capita familiarum: nam sicut à principio filij Iacob fuerunt capita 12. tribuum, & deinde primogeniti deriuati ab eis semper per lineam primogenitorum vocabantur principes tribuum, ita nepotes Iacob fuerunt principes familiarum, quę denominatæ sunt ab eis. descenderunt alij per lineã primogenitorum, qui semper erant principes familiarum, & oportebat, quod omni tempore essent aliqui venientes directe à capitibus familiarum per lineam primogenitorum, & isti erant principes familiarum: hoc modo semper erant 12. tribuum, & isti quia continebant sub se ipsas familias loco illarum petierunt coram Moyse, quod habetur infra. *De stirpe filiorum Ioseph.* id est, isti erant de tribu Ioseph. Accipitur hic stirps pro tribu, & non dicitur de stirpe Ioseph: sed de stirpe filiorum Ioseph, quia Ioseph non erat vna tribus, sicut quilibet alius de filiis Iacob faciebat vnam tribum: dedit enim à principio Iacob filio suo Ioseph ius suarum sortium: ideo diuisit eum in duas tribus ad hoc, quod reciperet possessiones duas, sicut duæ tribus Gen. 48. cap. scil. duo soli Ephraim, & Manasses, sicut Ruben, & Simeon reputabuntur mihi, reliqui autem quos genueris post eos, tui erunt, & nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis: ideo quando enarrantur 12. tribus Israel, licet non ponantur nomina omnium aliorum filiorum Iacob, non ponitur nomen Ioseph, quia non est aliqua tribus, sed ponuntur nomina duorum filiorum eius, scilicet, Ephraim, & Manasse, & sic dicitur hic de stirpe filiorum Ioseph. i. de tribu vnius de filiis Ioseph. scil. Manasse. *Locuti sunt Moysi.* id est, proposuerunt petitionem suam coram Moyse: ad ipsum enim pertinebat dirimere omnia litigia, & dubia soluere, cum esset princeps populi: potissimum, quia ipse dixerat, quod ad eũ recurreretur in causis magnis, & aliqui iudices iudicarent solum parua. Exo. 18. & Deut. c. 1. negotium aũt de diuisione terræ, & de permutatione hæreditatis erat de maximis, ideo ad eum pertinebat. *Coram principibus Israel.* Istud potest intelligi de principibus tribuum, & familiarum. qui cum essent super omnes familias, & tribus erant principes super totum Israel: isti autem forte conuenerant coram Moyse, quia erant viri honorabiliores in populo, & assistebant illi, & sic fuit proposita quæstio in conspectu illorum, vel potest intelligi de principibus Israel, id est, de principibus assignatis ad diuisionem terræ Chanaan. Et vocabantur principes Israel, quia ipsi habebant quodammodo iurisdictionem super totum Israel quantum ad diuisionem terræ, & tunc erit sensus, quod quia ista erat quæstio de diuisione sortium, vel de aliquo appenditio ad diuisionem, fuerunt omnes isti principes congregati ad audiendum de iure.

Tibi Domino nostro. Ista est forma petitionis filiorum Manasse, qui vocant Moysen Dominum, qui erat princeps super totum populum, & ad eius imperium cuncta regebantur. Etiam quia erat nimis Deo familiaris, & ob hoc à cunctis reuerendus, & amabilis, ita vt etiam sine principatu eum Dominum vocarent. F

Præcepit Deus, vt terram sorte diuideres filiis Israel. In hoc assignant quare Moyses deberet in hoc prouidere, scilicet, quia Deus mandauerat ei, quod diuideret terram, sed ista quæstio erat emergens de diuisione terræ: ideo ad eum spectabat illius diffinitio.

An ad Moysen pertineret diuisio terræ.

QVÆSTIO III.

SEd dicet aliquis, quod isti falsum proposuerunt, quia non pertinebat ad Moysen diuidere terram, nec Deus ei hoc iusserat, sed magis dictum est ad Iosue. Deuteron. cap. 3. & 31. fuerunt etiam dati ei alij coadiutores de omnibus tribubus, vt patet supra 24. cap.

Respondendum, quod à principio istud pertinebat ad Moysen: ipse enim erat princeps totius populi, & iudicans in omnibus causis, ipse quoque diuiserat terram duorum regum Amorrhæorum, duabus tribubus, & dimidiæ, supra trigesimo secundo, & Iosue capit. duodecimo, & decimotertio.

Et si

A Etsi Moyses superuixisset, ipse diuisurus erat totam terram Chanaan Israelitis, & nullus cum eo esset adiutor. sed quia moriturus erat ante Iordanem, dixit Dominus, quod Iosue, & viri supra cap. 34. diuiderent terram Chanaan. Ad Moysen ergo principaliter pertinuit diuidere totam terram ex iussu Dei: ad alios vero solum in defectum ipsius, ideo quia nunc ipse viuens erat ad nullum pertinebat diuidere, aut diffinire de quæstionibus incidentibus ad diuisionem, nisi ad ipsum: & sic recte dixerunt isti, scilicet, quod Deus mandauerat Moysi, vt diuideret terram sorte. Vel aliter potest intelligi, quod Deus iussit Moysi diuidere terram sorte, id est, per eum præcepit Dominus, quod terra sorte diuideretur, quamuis executio per eum futura non erat: saltem tamen nunc, cum viueret ipse solus de rebus pertinentibus ad diuisionem tractaturus erat: simile patet ex litera sequenti, scil. quod iussit Dominus ei, vt daret possessionem filiabus Salphaad: & tamen ipse non erat traditurus, sed Iosue, cum acceperint possessionem in terra Chanaan. Iosue 17. ita ergo iussit Moysi, quod sorte terrã diuideret, id est, quod iuberet aliis hoc diuidere: ad intentionem tamen istorum satis erat, quod Moyses tunc erat ad quem pertinebant omnes causæ: siue ergo imposterũ ipse diuisurus esset terram, siue non, ad eum solũ pertinebat nunc diffinire istam q. *Et vt filiabus Salphaad fratris nostri dares possessionem.* Dixerunt de filiabus Salphaad, quia quæstio ista oriebatur propter eas: ipsæ enim petierant à Moyse, vt daretur eis

B possessio, ne periret nomen patris earum in cognatione sua, cum non haberet filios masculos: Deus autem iussit hoc fieri dicens: da eis possessionem inter cognatos patris sui, & ei in hæreditate succedant, supra c. 27. oriebatur autẽ quæstio propter istarum possessionẽ in comparatione ad terram aliarum tribuum, ideo tactum est vtrumque in litera, scil. de diuisione terræ inter tribus, & de datione possessionis filiab⁹ Salphaad. & dicitur fratris nostri, quia isti qui proponebant hoc, erant de tribu Manasse, & Salphaad erat de illa tribu, cũ esset filius Epher, qui erat princeps vnius de familiis Manasse, vt patet supra capit. 26. *Debitam patri.* id est, iussisti dari filiabus Salphaad possessionem, quæ debebatur patri earum: ipsæ namque puellæ directe non poterant habere possessionem, quia inter Iudæos solũ fuerat consuetudo ab antiquo, vt filij masculi succederent patribus in possessionem, filiæ autem non succedebant in toto, vel in parte: ideo defuncto patre ab intestato, vel aliis nõ competebat eis aliquid in successione paterna. In illis tamen nouiter incœpit lex. sc. quod quando aliquis non haberet filios masculos, succederent ei filiæ: & quia Salphaad fuerat in deserto, & ex hoc erat debita ei aliqua pars terræ promissionis, petierunt filiæ, vt succederent in parte illa, non quidem quasi ex iure suo, sed iure patris: ideo si patri non esset iam debita ista possessio, filiæ non peterent eam: & ob hoc dicitur debitam patri, id est, quæ iam debebatur patri: & ponitur ad differentiam virorum, quia si istæ filiæ Salphaad

C fuissent viri à 20. anno, & supra: cuilibet earum iure suo competeret hæreditas in terra Chanaan, & non peterent hæreditatem debitam patri. Reliquæ autem mulieres Hebræorum, quæ tunc erant, non petierunt aliquam partem possessionis sibi dari, nec successerunt alicui, quia eis per se nõ erat aliquid debitum: patribus autem earum etiam nõ succedebant, quia vel patres viuentes erant, vel habebant filios aliquos successores. *Quasi alterius tribus homines vxores acceperint.* Ante hoc non erat cautum an de vna tribu viri, & fœminæ contraherent mutuo matrimonium, & non liceret diuersarũ tribuum hominibus coniungi, sed indifferenter fiebant connubia, ideo isti ex hoc habuerunt occasionem quærendi, quia videbatur sequi inconueniens, scil. de variatione possessionum per tribus. *Sequetur possessio sua.* id est, ibi possessio sua cum eis, id est, si istæ puellæ accipiantur in vxores à viris aliarum tribuum, ipsæ transibunt in tribus illas, & hoc quia fœmina non denominat aliquam cognationem, sed ipsa trãsit in familiam viri, sed istæ habebant possessiones, ergo necesse est, quod transirent ad tribus illas, de quibus accipiebant viros. & quia filij earum successuri erant illis, & isti nominabantur de tribu patrum suorum, necesse erat, quod ista possessio iam semper pertineret ad aliam tribum.

Quo principes non conque

Et translata ad aliam tribum de nostra hæreditate minuetur. id est, cum transierit hæreditas filiarum Salphaad ad tribus virorum suorum, necesse est, vt minuetur possessio tribus nostræ: nam à principio danda erat possessio dimidiæ tribui Manasse in terra Chanaan, sicut reliquis tribubus dabatur: & de hac partem quandam susceperunt filiæ Salphaad, scil. debitam patri, & cum transiret tota ista pars ad possessionem aliarum tribuum, efficeretur minor probatio Manasse, nec isti principes conquerebantur, quod possessio alicuius eorum diminueretur, vel alterius de tota tribu: nam etiamsi transiret ad aliam tribum, personæ nihil perdebant, quia non transibat possessio, nisi transeunte Domino, sed perdebatur aliquid ipsi tribui, quia fuerunt factæ diuisiones inter tribus, & cuilibet proueniebat vna pars terræ: si autem viri de vna tribu transirent ad aliam, diminueretur quantitas partis assignatæ illi tribui. Sic apparet in assignationibus terminorũ vrbium quantum ad agros, quia alia est diuisio agrorum inter personas, & alia est diuisio territoriorum inter vrbes, potest autem diminui possessio alicuius personæ non diminuto territorio vrbis, & potest diminui territorium vrbis non diminuta possessione alicuius personæ, vtpote si transiret vnus de vna vrbe ad alteram, & propter hoc prædia sua, quæ habebat in alia vrbe, efficerentur de territorio illius vrbis, ad quam transibat, & sic aliquando videmus contendere vrbes de limitibus territoriorum non contendentibus personis, quorum sunt prędia sita in limitibus, quia istæ sunt quæstiones multum separatæ: & licet illa prędia dicantur esse de territorio huius, vel illius vrbis, non propter hoc Dominus eorum aliquid perdit: ita igitur singulæ tribus habebant determinatas possessiones, quæ pertinebant ad personas illarum tribuum, & quod minueretur vni, & accresceret alteri tribui, licet non esset damnum alicuius de tribu: erat tamen damnum totius tribus, sicut dictum est de territorio vrbium. Differt tamen adhuc aliquid, quia in vrbibus ille, qui moratur in vna vrbe, potest possidere aliquid in territorio alterius vrbis: in sortibus autem tribuum è contrario, quia illi, qui erant de vna tribu non poterant possidere aliquid, quod esset de sorte alterius tribus, quia possessiones istæ erant sic distinctæ inter tribus, & familias, vt per eas cognoscerentur qui essent de tribubus, vel familiis illis, quod aliàs non poterat fieri, vt declaratum est supra capit. 27.

D *rebantur de possessione ipsorũmet, sed sua tribus.*

E

F

An sit verum, quod si filiæ Salphaad accepissent viros de alia tribu, transisset possessio ad aliam tribum.

QVÆSTIO IIII.

QVæret autem aliquis, quomodo dixerunt hic principes familiarum Manasse, quod si filiæ Salphaad acciperent viros de aliis tribubus transiret possessio ad tribus illas: nam iam videbatur in hoc esse prouisum, quia cum sup. 27. c. filiæ Salphaad petiuissent hæreditatem debitam patri, ne nomen eius periret in familia sua, intelligebant, quod accepta possessione conseruaretur nomen patris, & istam earũ sententiam Deus approbauit, dicens: Da eis possessionem inter cognatos patris sui: & tamen nõ videbatur, quod alio modo maneret nomen Salphaad in cognatione sua, nisi illi, qui nascerẽtur de filiabus, vel saltẽ aliqui eorũ retinerent nomen stirpis Salphaad: ergo sic futurum erat, & tunc siue transirent filiæ Salphaad ad alias tribus, siue nõ, nihil referebat, quia filij nati ex eis, vel aliqui eorũ succedebant auo materno. scil. Salphaad in hæreditatẽ, & isti nominabantur semper de tribu Manasse, & cognatione Salphaad, quamquã filiæ Salphaad iam pertinerent ad alias tribus, de quibus viros acceperant. Si autem non dicatur isto modo, dabitur quod etiãsi filiæ Salphaad acciperent viros de tribu sua, nõ maneret nomẽ Salphaad in cognatione sua, quia nõ esset aliquis natus de filiabus Salphaad, qui nominaretur de cognatione Salphaad, sed oẽs nominarentur de cognationibus patrum suorũ: ergo oportuit, quod aliquis daretur, qui succederet Salphaad, & nominaretur de stirpe eius, siue filiæ eius acciperent viros de tribu sua, siue de alia: litera autẽ ista videtur in contrarium, quia isti principes inuenerunt, ꝙ si filiæ Salphaad acciperent viros de aliis tribubus transirent possessiones suæ ad alias tribus, & diminueretur possessio tribus Manasse. Deus etiam approbauit dictũ istorum, quia iussit fieri, sicut isti petierant, & quod fœminæ de vna tribu non possent accipere viros de alia tribu: ergo videtur, quod transibat possessio, si istæ fœminæ acciperent viros de aliis tribubus, & nemo esset de cognatione Salphaad.

A

Posset aliquis respondere verum esse, quod dicitur hic de transitu possessionum, & quãdo obiicitur, quod habetur sup. cap. 27. dicetur, quod intelligitur in casu isto, scil. quando filiæ Salphaad acciperent de tribu sua viros: tunc enim filij ipsarum, vel aliqui eorum succederent Salphaad.

Sed istud non multum stat, vel saltem non intellexerunt Israelitæ determinationẽ factam de filiabus Salphaad in isto sensu, quia tunc non peterent, quod filiæ Salphaad non acciperent viros de alia tribu: ideo dicendum, quod cuicunque nuberent filiæ Salphaad, siue esset de eadem tribu, siue de alia, semper maneret aliquis, qui denominaretur à Salphaad, & succederet illi, & tamen adhuc esset confusio possessionis tribuum, quia postquam istæ transirent ad alias tribus, aliqui de filiis earum pertinerent ad tribum viri, & alij ad cognationem Salphaad; & sic extra tribum Manasse manerent mixti aliqui, qui essent de tribu Manasse, & cognatione Salphaad, & alij, qui essent de aliis tribubus, quod faciebat confusionem: ideo ad tollendum hoc oportebat, ne fœminæ vnius tribus transirent ad aliam tribum accipiendo viros, sequebatur autem aliud maius inconueniens, quia si istæ filiæ Salphaad acciperentur à viris alterius tribus, posset esse casus, in quo viri alterius tribus succederent in possessionem Salphaad, sicut declaratum est supra cap. 27. vbi agitur de successionibus Hebræorum. Cum autem acciperent viros de tribu Iuda, quomodocunq; se haberent, nunquam posset hæreditas earum transire ad aliam tribum, ideo non debuerunt fœminæ de vna tribu accipi in vxores à viris alterius tribus.

B

Atque ita fiet, vt cum iubilæus, id est, quinquagesimus annus remissionis aduenerit, confundatur sortium distributio. i. sequitur ex hoc, quod si filiæ Salphaad accipiunt viros de aliis tribubus, quando venerit annus remissionis, erunt iam confusę hæreditates. Dicitur hæreditas confusa quandocunq; hæreditas vnius tribus ab alia possidetur: sic autem fieret si filiæ Salphaad acciperent viros de aliis tribubus, quia tunc viri earum possiderent, sed ipsi erant de alia tribu, ideo possessiones filiarũ Salphaad iam essent mixtæ possessionibus aliarum tribuum. Et dicitur hic, quod ista confusio manebit, quando venerit iubilæus, id est, annus quinquagesimus remissionis. Dicitur autem de isto anno, quia vsque ad istum annum non erat confusio: nam sicut habetur Leuit. cap. 25. seruitutes, & alienationes factæ inter Iudæos solum manebant, vsque ad annum quinquagesimum, qui dicitur iubilæus, quia qui vendebat possessionem suam poterat eam redimere quocunque tempore dato pretio, secundũ tempus, in quo fiebat redemptio, & computatis in sortem fructibus præteritorum annorum, si autem non poterat redimere possessionem vsque ad iubilæum, in ipso redibat ad eum quicquid vendiderat, & non erat daturus aliquod pretium, & non poterat aliqua venditio excedere tempus iubilæi cum dicitur. In ipso enim omnis venditio redit ad Dominum, & ad possessionem pristinam. Ideo quamquam fieret confusio possessionum per quamcunq; possessionem, quia transibat possessio vnius familiæ ad alteram, tñ non poterat manere vltra iubilæũ confusio: quia tunc redibat possessio ad pristinum possessorem, & integrabantur omnes familiæ, & tribus: ita vt nihil maneret mutatum à conditione antiquitatis. Si autem aliquid vltra iubilæum maneret confusum, durabat in æternum illa confusio, quia nunquam redibat illa res ad pristinos possessores, sicut patet de illo, qui vouebat Domino agrum, & postea nolebat redimere illum de manu sacerdotum, manebat ille ager in æternum pertinens ad ius sacerdotum. Leuit. cap. 27. ita ergo conquerebantur principes familiarum Manasse, scilicet, quod per hoc, quod filiæ Salphaad ducerentur in vxores à viris aliarum tribuum transirent possessiones earum ad alias tribus, & sic erat facta confusio: si tamen ista confusio dissolueretur in iubilæo, non curarent, sed non dissoluebatur, quia non transierant istæ possessiones ad alias tribus per modum venditionis, sed transierunt cum Dominis suis: ideo non est aliquid quare redire deberent, & sic maneret confusio ad semper: dicunt tamen isti, quod ista confusio erit facta in iubilæo, quia ante iubilæum non censetur aliquid esse confusum, cum iubilæus omnia certificaret faciendo redire ad priores Dominos, quæ autem in iubilæo confusa erant, manebant in æternum confusa.

An in iubilæo omnia confusa redirent ad pristinã certitudinẽ, & si aliquid in iubilæo manebat confusum illud in æternũ erat confusum.

C

Et aliorum possessio ad alios transeat. Id est, per talia matrimonia transibunt possessiones de tribu in tribum. Non accipitur hic alius, prout dicit personam, quia propter talia matrimonia nulli perdebatur ius possessionis suæ, nec acquirebatur alteri, sed perdebatur alteri tribui, quod erat inconueniens, quia tunc nihil proficiebat distributio à principio, in qua singulis tribubus dabantur determinatæ partes terræ: cum possessiones istæ postea confundendæ essent, & per istum modum posset confundi totus Israel, ita vt omnes essent quasi aborigines, quia possessio vnius transiret ad alteram, & alterius ad alteram, ita vt non maneret alicui tribui nomẽ suum, nec distinctio ad alias tribus: cum non maneret possessio determinata, per quã distinguebatur tribus, ad quam distinctionem conseruandam multa Deus fecerat ponens leges de iubilæo. Leuit. c. 25. ideo non debebat permitti ex aliqua occasione confusio possessionum, & tribuum.

D

Respondit Moyses filiis Israel, & Domino præcipiente, ait: Recte tribus filiorum Ioseph locuta est, & hæc lex super filiabus Salphaad à Domino promulgata est: nubant quibus volunt, tantum vt suæ tribus hominibus: ne commisceatur possessio filiorum Israel de tribu in tribum. Omnes enim viri ducent vxores de tribu & cognatione suæ, & cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient, vt hæreditas permaneat in familiis, nec sibi misceantur tribus, sed ita maneant, vt à Domino separatæ sunt.

Tob. 7.

Viri de tribubus suis ducent vxores, & si-

E

militer fœminæ viris suæ tribus copulabuntur

Respondit Moyses. Hic ponitur secundum. sc. dubij responsio. Et quia fuit proposita ista quæstio Moysi, ipse respondit. *Et Domino præcipiente ait.* i. Dominus præcepit hoc, quod Moyses respondit hic. In quo sciendum, quod Moyses inquisitus super hoc, nesciuit respondere, sed consuluit Dominum quid respondendum esset: ipse autem dixit, quæ sequuntur: sic enim acciderat iterum circa hoc in quæstione filiarum Salphaad: nam Moyses non respondit eis, sed retulit quæstionem ad Dominum, supra cap. 27.

Recte tribus filiorum Ioseph locuta est. Vocat Deus tribum filiorum Ioseph tribum Manasse: nam Ioseph non erat vnica tribus, vt supra declaratum est, sed diuidebatur in duas, scil. Ephraim & Manasse: & supra dicitur, quod tribus Manasse petiit. Sed aliquando large accipitur tribus Ioseph pro Manasse solum, vel Ephraim solum: & exprimitur immediate, quæ sit tribus illa, pro qua accipitur. Sic patet supra cap. 13. sc. de tribu Ioseph sceptri Manasse, & supra cap. 34. filiorum Ioseph de tribu Manasse, &c. Aliquando autem accipitur tribus Ioseph simul pro Manasse, & Ephraim, eo quod est ibi Ioseph, tanquam vna tribus, & Leui ponitur tanquam alia tribus: sic patet Apocal. c. 7. sic etiam generaliter vbicunque ponuntur duodecim tribus, & ad aliquid spirituale ponitur Ioseph, tanquam vna tribus, & Leui, tanquam alia. sicut erat in duodecim lapidibus rationalis, vbi scribebantur 12. nomina filiorum, & in onychinis positis super Ephod, vt declaratum est Exod. cap. 18.

F

Et hæc lex super filiabus Salphaad à Domino promulgata est. scil. lex, quæ sequitur de non accipiendo viros alterius tribus. Non fuit autem propter eas solum promulgata lex, sed etiam propter omnes fœminas Hebræorum. Primo tamen ponitur sententia specialis ad ipsas, deinde promulgatur lex vniuersalis ad alias ibi.

Omnes enim viri. Sic factum fuit supra cap. 26. vbi primo posita fuit sententia specialis de successione filiarum Salphaad, deinde de successionibus omnium Hebræorum.

Nubant quibus volunt. Dedit Deus libertatem filiabus Salphaad accipiendi in viros quos vellent: in quo innuitur matrimonia debere esse libera, & licet in omnibus contractibus requiratur libertas contrahentium, magis tamen in matrimonio: nam in quibusdam aliis, etiamsi intercidat aliquid de metu, valebit contractus, in matrimonio autem nequaquam, quia si metus quicunque vel coactio intercidit, non erit locus matrimonio, extra de Ipon. cap. cum locum. solum autem limitauit hic Deus tribum filiarum Salphaad, sed viros nequaquam.

Matrimoniũ non debet esse coactũ.

Tantum vt suæ tribus hominibus. i. solum ad hoc manent obligatæ, quod accipiant viros de tribu sua, scilicet, Manasse. Ista autem non erat aliqua coactio, quoniam non determinabatur

batur eis penitus quos deberent habere in viros, ita quod nullos præter eos accipere liceret, sed solum dictum est de tribu, in qua erant valde multi viri, scil. plures, quam triginta millia: in quibus plena manebat electio.

Ne commisceatur possessio filiorum Israel de tribu in tribum. Id est, istud fiet, vt possessio filiorum Israel non commisceatur. scil. possessio vnius tribus possessioni, & hoc de tribu in tribum, id est, transeundo de vna tribu in alteram. Quare autem non debebat transire possessio vnius tribus ad alteram, & ad quid hoc proficiebat, declaratum est satis late supra c. 27. & Leuit. 25. *Omnes enim viri ducent vxores de tribu, & cognatione sua.*

An Iudæi cogerentur non solum accipere vxores de tribubus suis, sed etiam de familiis suis,

QVÆSTIO V.

ISTA est ad Israelitas, quia idem poterat fieri in cæteris, quod in filiabus Salphaad, & ponitur lex tam viris, quam fœminis, quia non potest poni vni, quin ponatur alteri, cum matrimonium in vtroque consistat, & dicitur de cognatione quod secundum aliquos significat familiam, & sic est sensus, quod non solum fœminæ acciperent viros de tribu sua, sed etiam de familia, & hoc forte erat, vt non transeat possessio de familia in familiam, sicut nec de tribu in tribum: videtur hoc etiam colligi, quia infra dicitur de filiabus Salphaad, quod acceperunt viros, & manfit possessio earum in tribu, & familia patris sui: ergo videtur, quod requiratur etiam vnitas familiæ. Sed hoc non stat, quia supra in litera dicitur, quod filiæ Salphaad nubant quibus volunt, tantum vt hominibus suæ tribus: ergo præter hoc non requirebatur aliquid alterum, scilicet, quod acciperent de eadem familia, vel de eadem domo.

Item ratio quam dant, scilicet, quod non debeat transire possessio de familia in familiã, sicut nec de domo in domum non stat, quia solum iubetur, vt non commisceantur hæreditates tribuum, supra cum dicitur, scil. ne commisceatur possessio filiorum Israel de tribu in tribum.

Item quia si non deberet transire possessio de vna familia in alteram, sicut nec de vna tribu in aliam: filij Manasse quando proposuerunt quæstionem de inconueniẽti, quod sequebatur si filiæ Salphaad acciperent viros de alia tribu, etiã proposuissent si acciperent viros de alia familia, quia inconueniens æquale esset, & tamen nihil proposuerunt de familia: ergo bene poterat tranfire possessio de vna familia in alteram, vel saltem non videbatur hoc esse inconueniens, quod est transeunte possessione de tribu in tribum, & contrarium non erit illicitum, quod viri vnius familiæ accipiant vxores de alia familia. Cum autem arguitur, quod hic dicitur de tribu, & cognatione, & necessario accipitur cognatio pro familia. Dicendum, quod non accipitur, quia cognatio aliquando significat tribum, aliquando autem familiam, & aliquando domum, & generaliter omnis habitudo consanguineorum significatur per cognationem: sic patet supra cap. 1. vbi accipitur cognatio pro tribu, scil. Eruntque vobiscum principes tribuum, & domorum in cognationibus suis, id est, in tribubus, scil. quod quilibet princeps in tribu sua adiuuaret Moysen ad computationem. Et necesse est accipi ibi pro tribu: quia cum ponantur ibi nomina principum, cognationum ponuntur 12. qui sunt principes tribuum, & non familiarum. Cum autem arguitur, quod filiæ Salphaad acceperunt viros de tribu, & familia sua, & manfit hæreditas in tribu, & familia patris sui. Dicendũ est, quod hoc non fuit ex necessitate, sed per accidens, scil. quod elegerunt accipere sibi in viros cognatos suos de eadem familia magis, quam de alia: potuissent tamen accipere de alia: ab eo autem quod est per accidens, non debet accipi id, quod est per se, id est, concludi aliquid necessario: alioquin si arguamus ex facto filiarum Salphaad, dicetur, quod cum ipsæ acceperint in viros cognatos suos in secundo gradu. scil. filios patrui sui, vt patet infra, quod cogerentur illos accipere, quod falsum est, quia etiam obligarentur accipere viros de eadem familia possent accipere non cognatos, vel saltem cognatos in gradu magis remoto.

An Iudæi cogerentur accipere vxores de tribubus suis, quando illæ succedebant patribus, & aliàs possent accipere vxores de alius tribubus.

QVÆSTIO VI.

SCiendum vlterius, quod quando dicitur, quod viri non accipiant vxores de alia tribu, & fœminæ non accipiant viros de alia tribu, quidam intelligunt, quando istæ fœminæ succedunt patribus, sicut fuit in filiabus Salphaad, quæ successerunt patri suo. supra c. 27. Causam huius dicunt esse, quia fœminæ si acciperent viros de alia tribu, vel viri vxores de alia tribu, commiscerẽtur possessiones tribuum inter se: & tamen hoc non stat in mulieribus, quæ non succedebant, quia ad quamcunque tribum illæ transirent, nõ transibat cum eis possessio aliqua de tribu sua, nihil differebat, quod transirẽt, vel manerent in tribu sua. Quæretur autem circa hoc quid verum sit de mulieribus accipientibus viros, an possent accipere de alia tribu, si ipsæ non succederent patri. Videtur dicẽdum, quod non licebat alicui fœminæ accipere virum de alia tribu, siue illa mulier succederet patri, siue non: quod patet ex litera, quia hic generaliter dicitur, quod omnes fœminæ accipient viros de eadem tribu, quod autem limitetur istud vniuersale solum ad fœminas illas, quæ succedebant patribus, nõ videtur satis rationabiliter dictum, quia illæ valde paucæ erãt in comparatione aliarum fœminarum: quia etiamsi aliquis haberet 20. filias, & vnicũ filium, succederet filius in solidum, & filiæ nihil habebant: ideo non loqueretur scriptura tam vniuersaliter pro tam paruis fœminis. Etiam quia si de hoc intelligeretur, ipse expressisset. Item non potest hoc stare, quia si intelligeretur de illis, quæ non succedebant patri, non posset aliqua fœmina vnius tribus nubere viro alterius tribus, nisi expectaret vsq; ad mortem patris, vel vsq; ad mortem omnium fratrum suorum, quod patet, quia si aliquis Hebræus haberet filias, aut ille habebat filios simul, aut non, si nullum filium haberet, debebant filiæ succedere patri: erat tamẽ dubiũ de successione, quia poterat aliquis filius nasci, & ille succesturus esset, cum fœminæ nunquam succederẽt, nisi in defectum filiorum: ergo necesse erat, quod filiæ expectarent vsque ad maximam senectutem patris, in qua nequaquã gignere posset, vt tunc scire possent, an ipsę succedere deberent, vel aliquis alius, & tunc possent determinate scire si contingeret coniungi viris tribus suæ, vel alterius. Sed hoc modo necesse erat expectare fœminas vsq; ad magnam ætatem suam, interdum quasi vsque ad senectutem, & sic prius elaberetur eis gignendi & concipiendi tempus, quam in matrimonium ducerentur, quod erat valde magnum inconueniens, & contra bonum publicum, quoniam sic adimeretur bonum prolis, quod maxime conuenit tempori iuuenili. Si autem diceremus, quod istæ fœminæ haberent aliquem fratrem, oportebat eas adhuc amplius expectare, scil. vsque ad mortem fratrum, vel progeniei fratrum, nam quamquam existentib. filiis non succedere debebant filiæ: tamẽ si morerentur filij, ad eas pertinebat successio: ideo necesse erat, vt ad hoc, quod fœminæ scirent si possent contrahere cum viris alterius tribus, expectarent vsque ad mortem fratrum: nam vsque illuc incertum erat an ipsæ succedere possent, & dato, quod morerẽtur fratres, si relinquerent prolem: adhuc spectare debebant vsque ad mortem prolis, quia si tota proles moreretur, ad ipsas redibat hæreditas, & hoc modo prius morerentur, vel efficerentur vetustissimæ. Si autem dicas, quod in aliquo casu istorum istæ fœminæ acciperent viros, antequam moreretur pater earum, vel fratres, & tota cognatio, & isti viri essent de alia tribu: cõtingeret, quod ad eas perueniret successio, vtpote, quia morerentur fratres, & tunc sequebatur inconueniẽs. scil. quod ipsæ succederent patri, & tamen acciperẽt viros de alia tribu, ideo impossibile est, quod isti fugiant inconueniẽs legis huius. Si dicant, quod fœminæ poterant contrahere cũ viris alterius tribus, siue illæ essent succedentes patri, siue non (& hoc apparet aliqualiter ex litera ista cum dicatur, quod viri semper accipiant vxores. de eadem tribu & fœminæ semper accipiant viros de eadem tribu. Si enim solum voluisset litera, quod fœminę succedentes patribus non acciperentur in vxores à viris alterius tribus) sufficiebat dicere, quod fœminæ

A

maritos de tribu ſua accipiant, & nõ oporteret dicere, quod omnes viri accipiant vxores de tribu ſua, quoniam omnes viri ſuccedunt patribus, ſiue habeant filios ſimul, ſiue non: ideo ex parte ipſorum non poterat eſſe aliquis error quantum ad legem iſtam, quia quæcunque fœminæ eis iungerentur ſemper ipſi manebant in tribu ſua, & hæreditas eorum nõ tranſibat ad aliam tribum, ideo non ſolum voluit excludere commixtionem fœminarum ſuccedentium, cum viris alterius tribus, ſed etiam fœminarum non ſuccedentium, & ſic neceſſe eſt dici. Et iſta poſitio licet multum conueniat literæ, magis tamen adhuc conuenit modo exponendi Catholicorum ſuper primum caput Matthæi. Dicunt enim fere omnes veteres, quod Domina noſtra fuit de tribu Iuda, & ſic Chriſtus fuit de tribu Iuda. Nec de hoc eſt dubium, cum Lucæ 1. dicatur, quod iſta virgo erat de domo Dauid, ſed domus Dauid eſt in tribu Iuda: ipſi tamen conantur probare Dominum noſtrum fuiſſe de tribu Iuda ex genealogia, quam deſcribit Matthæus cap. 1. Et videtur eis, quod nõ poteſt concludi, niſi hoc præſuppoſito: ibi namque ſolum ponitur genealogia Ioſeph viri Mariæ, quia ad generationem Saluatoris ſecundum veritatem nihil attinet, cum nõ fuerit pater Chriſti, ergo de Virgine non apparet, quod fuerit de tribu Iuda, niſi quia ipſi prę-

Pro intellectu 1. cap. Matth. Iacob genuit Ioſeph virum Mariæ.

ſupponunt legem iſtam. ſcil. quod omnes viri ducebant vxores de tribu ſua: ſed Ioſeph erat de tribu Iuda, vt patet ex genealogia illa, & duxit Mariam in vxorem: ergo oportebat, quod ipſa eſſet de eadem tribu. Si autem dicant, quod poterat fœmina non ſuccedens patri accipere virum de alia tribu, nõ probabitur etiam ex modo iſto arguendi, quod eſſet Domina noſtra de tribu Iuda, quia non patet an ipſa ſucceſſerit patri. Oportet ergo eos dicere, quod hoc intelligatur de omnibus fœminis tam ſuccedentibus, quam non ſuccedentibus. Sed adhuc iſto præſuppoſito an modus eorum arguendi ſit conueniens, forte ſatis videtur quod non. De quo magis dicetur Matt. c. 1. ad hoc autẽ videntur eſſe quædam obiectiones, quæ infra ſoluentur in alia quæſtione. *Et cuncta fœmina maritos de eadem tribu accipient.* Iſtud idem eſt cum ſententia ſuperiori: nam nihil aliud eſt, quod omnes viri accipiãt fœminas de tribu ſua, quam quod omnes fœminæ maritos accipiant de tribu ſua. Nam ſi aliquis vir accipit vxorem de alia tribu: oportet quod aliqua fœmina accipiat virum de tribu non ſua, quia hic vterque ſimul eſt, & non poteſt accipere, quin accipiat. Proficit tamen iſta replicatio ad maiorem expreſſionem. ſcil. quod nullo modo perſonæ vnius tribus commiſceantur perſonis alterius tribus, vt ſup. declaratum eſt. *Vt hæreditas permaneat in familiis.* Iſta eſt cauſa, quare non debeant miſceri perſonæ diuerſarum tribuum, quia tunc trãſiret hæreditas vnius tribus ad alteram, quod Deus nolebat. Quomodo autem ſequatur quod tranſirent, ſup. declaratum eſt, quod vero inconueniẽs ſequatur, ſi commiſcerentur hæreditates tribuum, ſup. declaratum fuit. cap. 27. Et accipiuntur hic familiæ pro tribubus, quod patet immediate, cũ dicatur immediate, ne ſibi immiſceantur tribus: & tamen iſta neceſſario eſt eadem ſententia, quia permanere hæreditatem in tribubus faciebat non permiſceri tribus, & manere hæreditatẽ in familiis faciebat non permiſceri familias: ſed hic dicitur, quod eo quod permanet hæreditas in familiis non permiſceatur tribus, ideo neceſſarium eſt dici, quod accipiãtur familiæ pro tribubus, alioquin diceretur, ne ſibi immiſceantur familiæ. Sed obiicietur, quod iſte ſenſus eſt diſtortus à litera, quoniam familia dicit quandam congregationem ſpecialẽ ſub tribu, & ſic reperitur ſemper: ergo ſic debet hic exponi. Reſpondetur quod ſacra ſcriptura variat nomina vtẽdo eis interdum, vt vult: & ſic quamquam communiter accipiatur familia pro cõgregatione ſpeciali ſub tribu: tamen hic accipitur pro tribu: ſimile apparet inf. cum dicitur, quod filiæ Salphaad nupſerunt filiis patrui ſui de familia Manaſſe. Manifeſtum tamen eſt, quod Manaſſe non eſt familia, ſed tribus, ideo nõ poſſunt ex hoc loco habere fundamentum, qui opinantur, quod viri vnius familię non poterant accipere vxores alterius familiæ in eadem tribu, de quo ſup. declaratum eſt. *Nec ſibi miſceantur tribus.* ſcil. quantum ad perſonarum coniunctionem, nec quantum ad ſortium determinationem. duæ n. ſimul fierẽt coniunctiones, & quamquam vtraq; non eſſet æqualiter prohibita, tñ prohibebatur prima propter ſecundã, ideo in illis tribubus, in quibus poſſet fieri coniunctio perſonarum ſine coniũctione hæreditatum,

B

nec ſequeretur aliquod inconueniẽs ex hæreditatibus fiebat, vt infra declarabitur. *Sed ita maneant, vt à Domino ſeparatæ ſunt.* Id eſt, maneãt tribꝰ ſemper diſtinctæ, ſicut Deus diſtinxit eas.

D

Circa quæ fuit diſtinctio tribuum.

QVÆSTIO VII.

FVit autem iſta diſtinctio quantum ad poſſeſſiones, quoniam Deus ſpecialiter diſtinxit, vel operatus eſt in diſtinctione iſta: fuerunt quippe poſſeſſiones diſtinctæ inter Iſraelitas per ſortes ſup. c. 26. & 33. iſtas autem ſortes Deus mouebat, quia cum poſitæ eſſent ſortes in quodam inuolucro, quęlibet tribus mittebat manum, Deus vero dirigebat eam ad accipiendum ſortem, quæ illi conueniebat, & ſic omnes nutu diuino acceperunt ſortes, quæ præordinatę erant à diuiſoribus, & quas Deus volebat eis euenire: de quo declaratum eſt ſup. 26. & Ioſue c. 15. ideo iſtam ſeparationem Deus feciſſe dicitur. Alia aũt erat ſeparatio inter tribus. ſ. quod plures perſonæ eiuſdẽ tribus inter ſe eſſent coniunctæ, & ſeparatę à perſonis aliarum tribuum, iſta aũt ſeparatio naturaliter efficitur, quia naturaliter pater genuerat filium ſuũ. & ſic extenduntur lineæ, & diſtinguuntur, & licet Deus iſtam ſecundam ſeparationem faciat tanquã prima cauſa, & primum mouens: tamen ſolũ proprie agere dicitur ea, quæ per ſe totaliter agit, vt creare, beatificare, mirabilia agere. Vnde agere de aliquo prædicatur proprie dupliciter ſecundũ quod loqui conſueuimus. primo ſi res illa totaliter producat effectum, & ſic Deus agere dicitur, quia ſolus creat, ſolus gratiam donat, & nulli creaturæ ſic agere conuenit. Nulla quippe creatura aliquem effectum totaliter producit, quin Deus cõcurrat primo cauſans ad minus, vt Ioan. c. 1. ſcil. ſine ipſo factum eſt nihil. In aliquibus autem effectibus, vt in corporalibus generationibus, nõ ſolum Deus, ſed etiam tota connexio agentium vniuerſi ad hoc concurrit, & hoc non ſolum eſt in actione humana, ſed etiam in Angelo, & corpore cœleſti, & etiam in lapide. Nam operatio naturæ ſecundum Commentatorem 2. Phyſ. eſt opus intelligentiæ, & ſecundum ordinem naturæ in omnibus operationibus cauſarum particularium inferiorum concurrunt ſimul operationes cauſarum ſuperiorum vſq; ad primam cauſam, quæ in quolibet effectu magis influit, quam agentia particularia, & quæcunq; cauſæ ſecundariæ, vt patet in 1. propoſitione libri de cauſis. Secundo modo aliquid agere proprie dicitur, quia effectum vltimate complet, vel quia vltimum eſt in catena ordinatorum agentium: ideo ſi Socrates gignitur, non dicimus, quod Deus eum genuerit, vel Saturnus, vel alia corpora cœleſtia ad hoc concurrentia, ſed quod Plato eũ gignit, qui in iſta generatione vltimus eſt. Ratio autem, quare vltimum agere dicatur, & non primum, cum primum magis agat, quam ſecundum, vt patet in prima propoſitione libri de cauſis, eſt, quia vltimum aſſimilat, vel vniuocat ſibi genitum, & non primum: Deus n. pater vniuoce ſolum filium genuit, alia autem æquiuoce cauſat communicando eis imaginẽ, vel ſimilitudinem, vel veſtigium ſuæ bonitatis. Cauſa autem particularis immediata aſſimilat ſibi paſſum faciẽs eſſe in eadem ſpecie, & tamen quamuis omnis natura à Deo æquiuoce deducatur ad eſſe, illa tamen perfectior eſt, quæ minorem habet æquiuocationem. Illa autem imperfectiſſima, quæ maximam habet æquiuocationem, vnde materia prima, quæ imperfectiſſima eſt, maximum gradum habet æquiuocationis, & ſic conformiter dicendum eſt de mediis, & ab hoc eſt, quod omnes ſpecies ſunt ſicut numeri: vt vult Philoſophus, quia æquiuoca communicatio bonitatis gradualiter differt, vt numerus: & tamen ſpeciem diſtinctam facit. hoc vero firmiter notum eſt, quod communicatio bonitatis diuinæ æquiuoca in creatura perfectiſſima in infinitũ differt ab vniuoca communicatione, qua pater ſuum eſſe communicat filio, quia dato oppoſito ſequeretur, quod aliqua creatura diſtaret à Deo ſolum per finitam perfectionem, & tunc apponendo creaturas perfectiores poſſemus deuenire ad æqualitatem diuinam, quod abſurdiſſimum eſt. Deus enim ſi ſemper crearet creaturas excedentes ſe inuicem, ſicut numeri ſe excedunt: nunquam tamen creando ad æqualitatem ſuam deueniret: infinitum n. à quolibet finito in infinitum differt. Concluditur ergo ex ſuperioribus, q̃ Deus non dicitur ſeparare tribus ſecundũ carnalem propagationẽ, quia naturaliter ſeparantur:

E

C

F

ſed di-

A

sed dicitur separare per sortes, quia ipse faciebat, quod talis sors hæreditatis ad talem, vel talem tribum perueniret.

Feceruntque filiæ Salphaad, vt sibi fuerat imperatum, & nupserunt Maala, & Thersa, & Hegla, & Melcha, & Noa filiis patrui sui de familia Manasse, qui fuit filius Ioseph: & possessio, quæ illis fuerat attributa, mansit in tribu, & familia earum. Hæc sunt mandata atq; iudicia, quæ mandauit Dominus per manum Moysi ad filios Israel in campestribus Moab supra Iordanem contra Iericho.

Feceruntq; filiæ Salphaad. Hic ponitur tertium, scil. præcepti executio: nam filiæ Salphaad obedierunt Moysi quantum ad omnia, quæ iussit de matrimonio contrahendo.

Vt fuerat imperatum. Id est, sicut iusserat Moyses, vel Deus per Moysen.

Et nupserunt Maala, & Egla. Ponuntur hic quinq; nomina filiarum Salphaad, quæ omnes petierunt hæreditatem, & omnes acceperunt: nam sicut si fuissent filii succederent patri, secundum partes sibi debitas, ita & istæ quinq; filiæ successerũt patri in tota hæreditate, quæ ei proueniebat. Differt tamen successio istarum à successione filiorum, quia quando filii succedunt, assignatur in eis ius primogenituræ: nam primogenitus duplum habet ad quemlibet de filiis tam in bonis mobilibus, quam in immobilibus, vt patet Deut. cap. 21. scil. dabitq; B ei de his, quæ habuerit cuncta duplicia: iste est enim principium liberorum eius. In filiabus autem non assignantur iura primogenituræ: ideo cum succedunt omnes æqualiter succedere debent: omnes autem istæ quinque filiæ Salphaad nupserunt, & non apparet quando, sed satis videtur, dicendum, quod nupserunt post verba ista Moysi valde cito: nam antequam loqueretur ista Moyses nondum sumsperãt viros, quia tunc superfluum fuisset, quod conquererentur filii Manasse, cum non posset matrimonium propter hoc dirimi, & tamen conquesti sunt: ideo videtur, quod nondum nupserant, & sic ipsi loquuntur de eis, quasi nondum nupserint, dicẽtes supra. Quas si alterius tribus homines in vxores acceperint sequetur possessio translata ad alium tribum. Etiam patet ex verbis Dei, cum dicitur: Nubant quibus voluerint. Ergo nondum nupserant, acceperunt tamen viros satis breuiter fœminæ istæ post præceptum Moysi, cum potuerit Moyses scribere hic quod assumpsissent iam viros, & tamen Moyses satis cito ista scripsit. postquam facta sunt: nam factis his modico tempore vixit, fuerunt enim hæc in vltima mansione in qua ipse mortuus est.

Filiis patrui sui. Id est, acceperũt viros filios patrui sui. Dicitur patruus frater patris: erat autẽ pater istarum Salphaad, & filios eius assumpserunt, qui erant cõsanguinei istarum in secundo gradu intertransuersales: erat autem iste gradus licitus apud Iudæos inter consanguineos, vt patet Leuit. cap. 18.

C *De familia Manasse.* Id est, erat iste frater Salphaad in familia Manasse. Accipitur hic familia large pro tribu contra modum communem loquendi sacræ scripturæ, & necessarium est, sic accipi: quia Manasse non est familia, sed tribus. Ita etiam aliquando accipitur tribus pro familia è contrario, supra capit. 1. cum dicitur: Leuitæ autem in tribubus familiarum suarum, non sunt numerati, sed manifestum est, quod Leuitæ non habebant inter se multas tribus, sed vnam, sed dicuntur tribus, id est, familiæ.

Qui fuit filius Ioseph. Hoc non refertur ad patruum filiarum Salphaad, quia non fuit filius Ioseph: sed refertur ad Manasse, qui fuit immediate filius Ioseph: alioquin etiam diceretur, quod Salphaad fuisset immediate filius Ioseph, cum pater istarum puellarum, & patruus earum essent fratres, & sic ambo isti essent fratres Manasse, & non de tribu, vel familia eius, q; est contra literam, sed fuit Salphaad filius Epher, filii Galaad, filii Machir, filii Manasse, vt patet supra 27. cap.

Et possessio, quæ eis fuerat attributa mansit in tribu, & familia patris earũ. Id est, possessio, quæ assignata fuit istis puellis nomine patris sui Salphaad, mansit in familia, & tribu patris. De tribu manifestum est, quia tam Salphaad, quã frater eius patruus istarum puellarum erant in tribu Manasse, ideo accipiendo in viros filios patrui sui transibant ipsæ ad viros eiusdem tribus. Et quia sicut ipsæ veniebant ad potestatem virorum, ita & earum possessio transibat ad manentes in eadem tribu. De familia autem, quod esset eadem apparet, quia Salphaad, & frater suus patruus istarum puellarum erant in eadem familia, nam computabatur Salphaad de familia Epheritarum, cum sit Epher pater Salphaad, supr. 27. c. & sit Epher familia vna de Manasse, supr. c. 26. & sic Salphaad, & frater eius erant filii ipsius primi principis familiæ, & consequenter omnes descendentes ab eis, erant in eadem familia, cum post Epher nullus fecerit familiam de descendentibus ab eo, supra cap. 26. ergo filiæ Salphaad vnitæ in matrimonium patruelibus suis manebant in eadem familia, & etiam possessiones earum, dicebãtur manere in eadem familia, cum transeat possessio cum fœmina ad familiam, & tribum viri, quem accepit. D

Dicet autem aliquis, quod ex hoc apparet filias Salphaad accepisse possessionem viuente Moyse, cum ipse dicat, quod mansit possessio earum in tribu sua & familia. Sed hoc non videtur stare, quia ipsæ acceperũt possessionem in terra Chanaan, post transitum Iordanis, Iosue 17. cap. Moyses autem tunc non erat viuens, quia ante transitum Iordanis mortuus est, cũ non transierit Iordanem, ideo non acceperunt possessionem eo viuente, sed dicitur, quod mansit possessio earum in tribu, & familia sua, quia postquam ipsæ accipiebant viros de tribu, & familia sua, etiamsi nondum accepissent possessionem, manifestum erat, quod illa possessio erat mansura in tribu, & familia earum, quia possessio earum non poterat transire nisi ad viros ipsarum, & filios eorum. Sed quandocunque hoc fieret erat trãsitus ad viros eiusdem familiæ, ideo necesse erat E vt filiabus Salphaad habentibus istos viros, quos nunc habebant, maneret possessio earum in tribu sua, & sic quanquam nondum haberẽt possessionem, Moyses locutus fuit, de hoc tanquam de re certa, quia quandocunq; possessionem haberent illa maneret in tribu sua & familia.

An ista lex de accipiendo vxores de eadem tribu in succedentibus, vel non, fuerit inter Iudæos semper seruata.

QVÆSTIO VIII.

QVæret aliquis circa prædicta: an lex ista de accipiendo vxores de eadem tribu, siue in succedentibus, siue in nõ succedentibus, fuerit semper seruata inter Iudæos.

Et respondendum est, quod sic, quia Iudei obseruabant leges datas sibi à Domino, quarum ista erat vna, & non magis istam infringerent quam alias: potissimum, quia ista lege violata confunderetur denominatio tribuum propter confusionem hæreditatum, sed ista confusio non fuit facta: ideo lex ista obseruata est.

In contrarium tamen arguitur, quod non obseruaretur lex ista, quia illi, qui erant de tribu Iuda, poterant accipere vxores de tribu Leui, sicut declaratum est Leuitici capitulo vigesimoprimo, & patet in sacerdote Ioiada, qui accepit filiam regis Ioram in vxorem, & tamen rex Ioram erat de tribu Iuda F de hoc 4. Reg. cap. 11.

Item patet istud, quia duo filii Elimelech assumpserunt duas mulieres Moabitidas, scilicet, Ruth, & Orpha, & istæ non erant de tribu sua, sed de gentilitate, & adhuc quando acceptę sunt in vxores, & toto tempore, quo eas habuerunt manserunt in ritu gentilitio, vt colligitur Ruth. capit. 1. cum Noemi mortuis duobus filiis suis, scilic. Maalon, & Chelion, rediens de terra Moab, dixit ad nurus suas, quod reuerterentur, & reuersa est Orpha: & cum eundem sermonem precaretur ad Ruth, ait illi: En reuersa est cognata tua ad populum suum, & ad deos suos: ergo adhuc manebat illa in cultu deorũ Moab, & hoc erat post mortem duorum virorum istarum puellarũ. Ergo videtur, quod semper manserãt istæ puellę in cultu deorum in gentilitate dum habitæ sunt in vxores.

Item patet, quia licebat Iudæis, quando ibant ad bellum de virginibus, quas acciperent in bello, ducere aliquas in vxores, vt patet Deut. capit. 21. & istæ non erant de tribubus virorum suorum.

Item patet, quando erant conuersi Gentiles ad Iudaismum, poterant accipere vxores de filiabus Israel, & filii Israel poterant accipere vxores de filiabus illarũ, vt patet de Booz, qui accepit in vxorem Ruth, postquam conuersa est ad Iudaismum, vt patet Ruth capit. 4. Salmon etiam princeps in tribu

Iudа accepit Raab Ierichontinam in vxorem, Matth. cap. 1. & tamen erat de Chananæis.

Item patet quia Dauid accepit diuersas vxores, quarum quædam erant de gentilitate, sicut filia regis Iessuri, alii autem erant de Iudaismo, & istæ erant de diuersis tribubus, sicut accepit Michol filiam regis Saulis in vxorem, 1. Reg. cap. 18. & 19 erat tamen Saul de tribu Beniamin, & Dauid de tribu Iudæ. de Saul patet 1. Reg. 19. de Dauid manifestum est, & hoc licitum erat.

Item apparet, quod solum erat prohibitum accipere vxores alterius tribus cum illæ erant succedentes patribus suis, nam omnes viri de tribubus Israel promiserunt, & iurauerũt non dare filias suas in vxores filiis Beniamin, Iudic. capit. vlt. si tamen à lege cogerentur, frustra ipsi promitterent non dare, quia sicut quod aliquis tenebatur facere, non poterat vouere facere illud, Leuit. cap. 27. vbi dicitur, quod primogenita, quæ Domino debebantur nullus poterat vouere, sed isti filii Israel omnes iurauerunt non daturos se filias suas in vxores filiis Beniamin, alioquin frustra iurarent.

In contrarium tamen dicendum, quod Israelitæ non poterant accipere vxores de tribubus non suis, & fœminæ eodem modo non poterant accipere viros de aliis tribubus, sicut hic dicitur, & supra declaratum est. Cum vero arguitur, quod illi, qui erant in tribu Leui accipiebant vxores de tribu Iuda, & è contrario: aliqui respondent, quod istud fuit factum ex dispensatione, sc. propter nobilitatem istarum duarum tribuum vt possent coniungi: nam de sacerdotibus magnis dictũ fuit, Leuit. c. 21. quod non coniungerent stirpẽ suam vulgo gentis suæ, sed innuitur q̃ acciperent vxores de magno genere, hoc autem maxime contingebat, cum acciperent vxores de tribu Iuda: quæ erat tribus nobilissima, & regia: & sic accipiebant, sicut positum fuit exemplum de Ioiada sacerdote. Sed dicendum est, q̃ non fuit in hoc aliqua dispensatio, non solũ licuit viris de tribu Iuda accipere vxores de tribu Leui, & è contra. sed omnibus tribubus licuit accipere vxores de tribu Leui, & dare eis Leuitis. Causa huius est, quia Deus prohibuit hic commixtionem personarum diuersarum tribuum, & hoc ne possessiones miscerentur, vt patet in litera, sed quandocunq; vir de aliqua tribu accipiebat vxorem de alia, siue illa succederet patri suo, siue non, sequebatur commixtio possessionum, vel aliqua conuenientia pertinentia ad istam commixtionem vt supra declaratum est. Ideo fœminæ vnius tribus de duodecim tribubus Israel non poterant accipi in vxores à viris alterius tribus de istis duodecim: Leuitæ autem non habebant aliquam possessionem, nec fuit eis assignata aliqua sors terræ, vt patet supra 18. & Iosue 13. ca. ideo poterant omnes tribus vniuersaliter dare, & accipere vxores à Leuitis, quia etiamsi acciperent Israelitæ vxores de Leuitis, non fiebat commixtio possessionum: cum filiæ Leuitarum, nunquam possent succedere, quia non habebant patres earum terræ possessionem, Leuitæ quoque poterant accipere vxores de aliis tribubus, & non fieret commixtio possessionum, quia Leuitæ non habebant possessiones. Etiam quia vxores illæ essent de non succedentibus: in nulla autem alia tribu erat hoc determinatum quia quælibet habebat possessiones, ideo mutatis vxoribus, & viris de diuersis tribubus, esset necessarium sequi confusionem, vel saltem esset periculum de confusione possessionum.

Cum autem dicitur, quod hoc erat speciale inter tribum Iudæ, & Leui ex priuilegio quodam propter dignitatem tribuum. Dicendum hoc non stare, solum enim hoc dicunt, quia reperiunt aliqua exempla de commixtione tribus Leuiticæ cum tribu Iuda, & non reperiunt de aliis tribubus, ratio tamen eadem est.

Ad aliam rationem quando dicebatur, quod duo filii Noemi acceperunt duas puellas Moabitidas in vxores, & illæ manebant adhuc in ritu gentilitio. Dicendum, quod in istis fuit aliqua ratio, quare acciperent vxores de alienigenis: nam fugerunt de terra Israel propter sterilitatem terræ, & manserũt multo tempore in terra Moab, & ne elaberetur tempus generandi viris istis acceperunt vxores, & quia ibi non habebant vxores de genere suo, acceperunt de alienigenis: debuissent autem conuertere eas ad cultum Dei sui, & tamen quia erant in terra natali earum, non valuerunt propter cognatos ipsarum, vnde manserunt in cultu deorum suorum, vsq; ad mortem virorum, vt dictum est. Quod autem isti acciperent vxores de Moabitis non videbatur contra legem, sed solum quia accipiebant eas manentes in gentilitate: nam ista lex quanquam dicat, quod viri accipiant vxores de tribu sua, & fœminæ de tribu sua viros accipiant, tamen debet intelligi negatiue, scilicet, viri non accipiant vxores de tribu aliena, & fœminæ non accipiant viros de tribu aliena. Cum autem aliquis Hebræus assumebat vxorem de gentilitate, non accipiebat eam de tribu aliena, cum non sit gentilitas in aliqua tribu de his, quæ computantur hic. Et apparet, quod non agat contra legem qui taliter accepit vxorem: nam ista lex ponebatur, ne commiscerentur inter se possessiones tribuum, sed manifestum est, quod accipiendo vxorem de gentilibus, non commiscebantur tribus, cum non haberent gentiles assignatam aliquam sortem de duodecim sortibus Israel, nec solum erat hoc cum viri Iudæi accipiebant fœminas de gentilitate, sed etiam cum fœminæ Iudæorum accipiebantur à viris de gentilitate, quia illi viri non habebant aliquas possessiones, nec erant de aliqua tribu determinata, ideo si acciperent vxores de Israelitis, siue de succedentibus, siue de non succedentibus, non erat aliquod periculum, quia si non esset fœmina succedens, nihil differebat, quod denominaretur fœmina à viro, vel vir à fœmina quantum ad posteritatem causatam eis: nam neutro modo permiscerentur tribus, nec turbarentur possessiones. Si vero esset fœmina de succedentibus, vir gentilis transibat in tribum, & familiam fœminæ quam accipiebat, & nõ permiscebatur possessio tribuum: hoc enim modo omnes gentiles conuersi ad Iudaismum erant sub aliquibus tribubus Israel, cum incipiebant habere vxores de illis tribubus. In vna autem tribu respectu alterius non contingit hoc, quia vir nunquam poterat transire in familiam, & tribum fœminæ, cum viri succederent. Accipi ergo vxorem de gentilitate, non est contra istam legem, nec contra aliquam, sed accipi vxores manentes in ritu Gentilitio, erat contra Dei mandatum, quia ipsæ poterant conuertere filios hebræorum ad ritum gentilium.

Ad aliam rationem cum dicitur, quod Iudęi euntes ad bellum, poterat accipere vxores de virginibus, quas in bello accipiebant concedendum est. Nec est aliquo modo contra istã legem, quod aliquis Iudæus accipiat vxorem conuersam de gentilitate, vel conuersus de gentilitate, accipiat vxorem de Iudæis, sed est contra istam legem, quod vir de vna tribu accipiat vxorem de alia tribu, causa autem supra expressa est, scilicet, ne permisceantur tribus.

Ad aliam rationem, quando arguitur, quod poterant Iudęi accipere fœminas gentiles conuersas ad Iudaismum concedendum est, quia non est contra hanc legem, cum non sint de diuersis tribubus, & quando dicitur de Salomon, quod accepit Raab Ierichontinam in vxorem, non est simile, & de Booz quia accepit Ruth: nam Ruth erat de terra Moab, & non erat Iudæis illicitum accipere vxores de Moabitis, cum non esset prohibitum. Erat tamen illicitum, quod acciperetur vxor aliqua de Chananæis, quia de his expresse Deus vetuerat, Exodi 34. cap. & Deut. 7. potissimum quia Deus iussit omnes Chananæos occidi, tam masculos, quam fœminas, vsq; ad paruulos, Deut. capit. 20. fuit tamen Raab quanquam esset Chananæa conseruata, ne occideretur: & hoc propter pactum, quod interposuit cum exploratoribus hebræorum, Iosue cap. 2. deinde propter beneficium, quod toti populo egit datus est sibi locus optimus in medio Israel, Iosue cap. 6.

Ad aliam rationem de Dauid, qui accepit vxores varias, scilicet, quandam de gentilibus filiam regis Iessuri, & alias de Israelitis. Quantum ad filiam regis Iessuri, dicendum est, quod licuit sibi accipere vxorem de gentilitate, si ille esset conuersa ad Iudaismum: huiusmodi autem credendum est de ista. Sed tunc obiicietur de Salomone, qui accepit vxores plurimas de Chananæis, & Hethæis adhuc manentibus in gentilitate, quod patet 3. Regum capit. 11. Dicendum est, quod ex hoc non debet argui: nam Salomon reprehensibiliter egit, tum quia accepit vxores plurimas, quod erat contra præceptum Dei in regibus, tum quia accepit eas de Chananæis, & Hethæis, de quibus Deus vetuerat, tum quia illæ adhuc manebant in gentilitate, & ipse construxit templa diis earum, vnde valde vituperatur in sacra scriptura præalleg. capit. & Ecclesiast. 47.

A *Inter principes multa dispẽsantur, quæ nõ in aliis.*

Cum autem arguitur de Michol filia regis Saul, quam accepit Dauid in vxorem,& tamen illa erat de alia tribu,scilicet de Beniamin,Dauid erat de tribu Iuda. Dicendum,quod hoc erat directe contra istam legem, sed in quibusdam recipiebat dispensationem ista lex, sc. in viris magnis,vt in regibus,& in aliis similibus: sic enim nunc consueuit etiam in regibus, & in magnis viris circa matrimoniales leges, quod possint ducere cognatas suas in tali gradu, in quo nequaquam licet aliis nubere nec dispensatur.

Ad aliam rationem cum dicetur de Israelitis iurantibus sub graui maledictione,quod non darent de filiabus suis vxores filiis Beniamin. Dicendum ,quod ipsi à lege ista prohibiti erant dare vxores illis:& tamẽ superuenerat necessitas magna propter quam dispensandum esset in lege ista, scil. quod omnes viri,& fęminæ paruuli,& magni corruerant gladio in tribu Beniamin,præter sexcentos viros: quibus si cæteri Israelitæ non darent vxores oportebat, vt periret vna de tribubus Israel,vel quod irent ad habendum vxores de gentilitate.quæ forte nequaquã eis darentur: licitum ergo erat eis interpretari se non teneri hac lege in hoc casu, sed ante istud, cum esset bellum grauissimum inter filios Beniamin, & reliquos filios Israel corruissentque quam plurimi de filiis Israel, reliqui cohortantes se contra filios Beniámin parauerũt difficillimum bellum ex nimia ira commoti atq; dolore occisorum iurauerunt se non daturos vxores filiis Beniamin, postea vero deleta fere tota tribu Beniamin relictis duntaxat sexcentis viris, doluerunt Israelitæ,quod periret vna tribus, voluerunt; illis dare vxores, quia putabant sibi esse licitum propter necessitatem: quia tamen se graui iuramento constrinxerant, crediderunt,quod non poterant, vnde inquisierunt si essent aliqui,qui non iurauissent, ita vt non possent dare filias suas, & datæ sunt fœminæ quadragintæ de Iabes Galaad,quia viri loci illius non iurauerunt,de quo Iud.cap.21.

B

Sed contra hoc arguitur,quia si lex ista obligabat, non poterant contra eam licite agere,nisi in necessitate,si autem erat necessitas,non obligabat eos iuramentũ, quia non est maioris obligationis iuramentum,quã lex, ideo magis obligat lex, quæ à Deo datur,quam iuramentum, ꝙ nos facimus, si ergo cessabat obligatio legis cessaret obligatio iuramenti, sed ipsi non crediderunt se absolutos à iuramento, & crediderũt eos esse liberos,qui non iurauerunt,quia tradiderunt filiis Beniamin virgines, qui erãt in Iabes Galaad,quia patres earum non iurauerant: filias autem suas non dederũt,ergo videtur,quod nulla lex erat, quæ obligaret, quia tunc etiam non potuissent eis dari virgines Iabes Galaad, cum similiter essent obligatæ. Item quia quando dixerunt isti,quod non poterant dare filias suas filiis Beniamin, allegauerunt, quod erant maledictione constricti dicentes, filias nostras eis dare non possumus constricti maledictione iuramento,qua diximus: maledictus,qui dederit de filiabus suis vxores Beniamin. Ad istam rationem respondetur, quod in isto casu tam lex, quam iuramentum erant dispensabilia,quia causa erat nimis vrgens: intellexerunt tamen Israelitæ, quod facilius erat dispensare in lege, quæ multo tempore ante hoc data fuerat, & non respexit specialiter istum casum, quam in iuramento: ideo visa necessitate filiorum Beniamin , putauerunt se posse dare illis vxores , sed propter malitiam eorum voluerunt ipsos priuare hoc beneficio legis iurantes,quod non darent eis filias suas, vnde quia iurauerant super isto facto, quasi iam conscii totius euentus videbatur eis grauissimum, ꝙ agerent contra iuramentum: secus autem si iurassent multo tempore ante non attendentes ad istum casum,& postea superueniret: nam tunc certissime crederent,quod erat dispensabile. Sed adhuc isto dato,dicemus, ꝙ iuramentum non obligabat: & hoc siue quia forte ex magna ira factum est,quam acceperant de filiis Beniamin, & cum hac nõ potest stare perfecta deliberatio, siue dicamus, quod isti iurauerunt deliberate, & tunc erat illicitum, quod iurauerunt,ideo non debebat obseruari. Iudæi tamen non erant tantum eruditi illo tempore, vt scirent, quod iuramentũ esset obligatorium, & quod non, ideo putauerunt se obligatos, sic enim accidit tempore illo de Iephte Galaadite iudice Israel, qui vouit immolare, quidquid primum ei occurreret de bello reuertenti in domum suam, occurritq; ei filia sua vnica,& putauit se obligatum ad immolandum eam , atque immolauit,Iud.cap.11.sic quoque fuit tempore Machabæorum

C

nam tunc cum gentiles serui regis Antiochi intulissent bellum Iudæis in montibus diebus sabbathorum, putauerunt se non posse defendere propter obligationes sabbathi , & permiserunt se occidi non defendentes,corrueruntque hoc modo,quasi mille animæ, 1.Macha. c. 2. quod videntes cæteri existimauerunt licere sibi pugnare die sabbathorum, ne delerentur faciliter de terra,& sic non dubium, quoniam isti propter imperitiam legis,&obligationis iurisiurandi putauerunt se astrictos ad id,ad ꝙ non erant. Nec tamen isti iuramentum obseruauerunt dantes ducentas de filiabus suis in vxores filiis Beniamin, quas ipsi non dederunt, sed dixerunt filiis Beniamin,quod raperent eas,& sic putabant se liberatos à iuramento, Iud.c.vlt. Sed cuilibet patet,quod non erant liberati,quia ista erat quædam friuola fraus,quæ in foralibus non admitteretur, quantominus admittetur in obligatione iuramenti istius, quod erat ad solum Deum, qui intentionem nostram solum respicit? per imperitiam tamen se liberatos existimauerunt,& cum dicitur, quod isti dixerunt non posse dare filias suas, quia erant obligati maledictione, & iuramento, verum est, quod ipsi sic intelligebant,sed non erat verum,quod putabant. Patet ergo inductum ex superioribus, quod apud Iudæos ista lex de non commiscendo tribus seruabatur, & quod non solum fœminæ succedentes patribus non poterãt accipi in vxores à viris aliarum tribuum , sed etiam fœminæ non succedentes. *Hæc sunt mandata,atque iudicia.* Hic ponitur epilogus præcedentium, & refertur istud ad omnia, quæ habentur supra à cap.22.vsque hic,quia omnia dicta sunt in mansione vltima apud Iordanem, de qua habetur hic, & dicitur: hæc sunt mandata,solum referendo ad ea,quæ sunt præceptiua, multa autem sunt historica intermedia , & ista non exprimuntur hic. Verum est tamen,quod omnia, quæ habentur à capit.22.vsque huc,siue sint historica,siue præceptiua,acciderunt in vltima mansione, quæ erat apud Iordanem in campestribus Moab,quod patet,quia eadẽ mansio, quæ nominatur hic,in qua ista facta referuntur, nominatur etiam supra ca. 22. & in aliis capitulis fere in omnibus. Non potest tamen intelligi,quod iste epilogus sit generalis ad totum librum:sicut ille,qui habetur Leuit.cap.vlt.cum dicitur: Hæc sunt præcepta quæ mandauit Dominus Moysi,& filiis Israel in monte Sinai, & refertur ad totum librum,quia omnia,quæ in illo libro habentur,dicta fuerunt,& facta in monte Sinai,vt in eodem loco declaratum est : in hoc tamen libro continentur gesta multorum temporum,scilicet, 39. annorum: nam ab exitu de Ægypto vsque in transitum Iordanis,fluxerunt anni 40 quibus dicuntur ambulasse Israelitæ per desertum, Exodi capit.16.& Deut.8. sed vsque ad finem illorum annorum est historia libri huius,quoniam mansio ista vltima, quæ hic dicitur,fuit super Iordanem: & confestim mortuo Moyse transiuit Iosue Iordanem: & illud iam erat vltra annum 40. scilicet, die 10. anni 41. Iosue ca.4.deficit tamen huic libro historia primi anni ab exitu de Ægypto,quoniam principium eius est in mense 2.anni 2. ab exitu de Ægypto,vt patet supra cap.1. ideo gesta,& dicta huius libri non fuerunt in vnica mansione, sicut ea, quæ habentur per totum Leuiticum : sed in multis mansionibus. Nam ea,quæ habentur à capit.1. vsque ad caput decimum inclusiue,fuerunt facta in monte Sinai, cum in 1. capite dicatur de numeratione exercitus facta in monte Sinai , & in capite 10.dicatur de recessu de monte illo, à capite autem 10. vsque ad 13.continetur transitus per mãsiones duas,scilic.per sepulchra concupiscentiæ,& per Aseroth,& quid in eis factum sit, in capite autem 13. dicitur de mansionibus, quæ factæ sunt in monte,vel deserto Pharan. Istæ autem fuerunt quasi 20.scilic. ab Aseroth vsq; Cades barne,vt paret supra c.35.sed in eodem ca.13.solum exprimitur Aseroth,& Cades. Continetur etiam in 15. quid in eadem mansione factum sit,& hæc omnia pertinent ad secundum annum exitus de Ægypto,vt supra 13.capit. declaratum est, deinde cap.15. vsque ad 20. excluſiue narrantur quædam partim præceptiua,partim historica, quæ dicuntur fuisse facta in monte Sinai, 1.anno ab exitu de Ægypto. In capite autem 20.&21.continetur progressio per multas mansiones, scil. à Cades barne,vsque ad mansionem vltimam,vbi sunt mansiones decem, & fuit illa à principio anni 40. vsque ad magnam partem eiusdem anni : historia autem medii temporis,scilicet,quasi à medio anni secundi, vsque ad principiũ anni 40.subticetur,quia tunc fuerunt Israelitæ semper in vna

D

E

F

A

manſione apud mare rubrum, vt declaratum eſt ſupra cap. 14. A capite autem 22. vſq; huc enarrãtur geſta, & dicta in vltima manſione apud Iordanẽ, ideo iſtud pronomen demonſtratiuũ hæc, ſolum demonſtrat ea, quæ habentur à 22. vſq; huc. *Mandata atq; iudicia.* Solum refertur ad præceptiua non demonſtrãdo hiſtorias. Vocantur hic mandata tam moralia, quam cæremonialia, quia diſtinguũtur contra iudicia, quæ ſunt præcepta iudicialia, & iſtud nomen accipitur aliquando pro præcepto cæremoniali, & aliquando pro morali, pro iudicialibus autem rariſſime reperitur: niſi cum dicatur vniuerſaliter, cuſtodite mandata mea, nihil vltra addendo, quia tunc neceſſe eſt intelligi de moralibus, cæremonialibus, atque iudicialibus. *Quæ præcepit Dominus per manum Moyſi.* Id eſt, quæ præcepit per Moyſen, ſcilicet, quod omnia, quæ dicta ſunt, hic præcipiebat Deus, ſed non iubebat illa per ſe populo, quoniam potius iubebat Moyſi, & ipſe proponebat populo. Dicitur autem per manum Moyſi, id eſt, per Moyſen, quia non poterat Deus aliquid præcipere per manus Moyſi, cum manus non ſit organũ interpretatiuum, ſicut lingua, ſed iſtud prouenit ex vulgato modo loquendi, vt cum dicimus iſta negotia expedientur per manus veſtras, & tamen forte negotia illa ſolum pertinent ad opus rationis, & ad propoſitionem verbalem: eſt tamen manus organum organorum, & maxime operatiuum, ideo attribuuntur ei operationes aliarum partium, ſicut potentiæ viſiuæ, quia eſt excellentior inter omnes ſenſitiuas attribuuntur actus aliarum potentiarum, vt cum dicimus: Ego video iſtum ſaporem eſſe amarum, aut vocem eſſe acutam, vel odorem eſſe fœtidum, & tamen iſta ad alias potentias pertinent. *Ad filios Iſrael.* Id eſt, Deus præcepit iſta ad filios Iſrael. Ad ipſos enim dirigebantur iſta præcepta, quia ipſi ſeruaturi erant: licet Moyſes illa proponeret tanquam mediator inter Deum, & illos. *In campeſtribus Moab.* Id eſt, fuerunt iſta præcepta data in campeſtribus terræ Moab: iſta eſt vltima manſio, quæ vocatur Belſethim, ſupra cap. 33. vocantur campeſtria Moab, quia terra iſta, in qua caſtrametati ſunt Iſraelitæ, venientes de montibus Abarim verſum Iordanem non eſt terra plana, nec penitus montuoſa, ſed eſt inter valles, & deſcenſum montium: talis autem vocatur in Scriptura terra campeſtris. Et vocãtur campeſtria Moab, quia erant in terra Moab, non quidem in terra, quæ eſſet tunc terra Moab, cum Iſraelitæ non introierint in terram Moab, niſi à principio eius apud ciuitatem nomine Ar, de qua Deuter. cap. 2. iſtud autem erat in fine terræ Moab apud Iordanem, vbi eſt latus occidentale terræ Moab, ſed erant in terra Moab, ſcilic. quæ olim pertinuit ad Moab, quoniam rex Sehon Amorrhæus accepit magnam partem de regno Moab, vt patet de vrbe Eſebon, & de aliis, de quibus ſupra capit. 21. & per quandam partem terræ huius nunc tranſibant Iſraelitæ, quę erat coniuncta terræ Moab, quæ tunc poſſidebatur à Moabitis, & iſto modo eſt intelligendum, quandocunq, dicitur, quod Iſraelitæ ſteterunt, vel tranſierunt per terram Moab: ſic etiam quando dicitur, quod Moyſes ſepultus eſt in valle terræ Moab, Deuter. capit. 34. nam non eſt ſepultus in terra, quæ tunc poſſidebatur à Moabitis, ſed quæ poſſidebatur ab Iſraelitis, ſcilicet, in ſorte Gaad, vt colligitur Deuter. capit. 33. cum dicitur: Et vidit principatum ſuum, quod in parte ſua Doctor eſſet repoſitus, qui fuit cum principibus populi ſuper Iordanem. Iſta manſio erat ſuper Iordanem, ſcilicet, quod erat in quibuſdam campeſtribus, per quæ Iordanis labitur. Et quoniam profundus locus eſt ipſius fluminis, & excelſior locus manſionis, videtur eſſe manſio illa ſuper Iordanem, ſicut dicimus terrã eſſe ſuper maria, Pſal. 23. & tamen non eſt ſuper maria, ſed videtur imminere terra ad aquam, quæ per profundas concauitates labitur.

B

Contra Iericho. Id eſt, iſta campeſtria, per quæ fluit Iordanis ſunt contra Iericho, id eſt, ex oppoſito illius, ſcilicet, quod Iordanis eſt medius inter locum illum caſtrorum, & vrbem Iericho, cum ſit illa vrbs orientalis in terra Chanaan, & Iordanis ſit caput orientale terræ Chanaan, ſupra capitulo. 34. nulla quoque ciuitas in tota terra Chanaan eſt ita propinqua manſioni illi, ne ita directe oppoſita: ideo ſola Iericho ſemper nominatur apud iſtam manſionem, & tamen iſta manſio eſt in terra duorum regum Amorrhæorum, & Iericho eſt in terra Chanaan.

C

D

EXPOSITIONIS LITERALIS ALPHONSI
Toſtati in Secundam Partem Numer. Finis.

MOGVNTIÆ,
Ex Typographeo Ioannis Volmari.
ANNO M. DC. XIII.

JOSTA

TI,

YN LIB.

NVMERO

RVM.

7.999